A.32.

DE SACROSANCTO

MISSÆ SACRIFICIO

LIBRI QVATVOR,

QVIBVS EX THEOLOGICA DOCTRINA, Canonico ciuilique iure, rerum geſtarum probata narratione, & Chronologia, vniuerſa, quæ ad tantum Myſterium pertinent; explicantur, & probatiſſimis teſtimoniis confirmantur.

AVCTORE P. IOANNE BAPTISTA SCORTIA Genuenſi Theologo Societatis Ieſu.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EMISSI, & quinque Indicibus perneceſſariis inſigniti.



LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

[illegible]

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ADMODVM REV.DO IN CHRISTO PATRI,

P. MVTIO VITELESCHO

PRÆPOSITO GENERALI

Societatis IESV,

IO. BAPT. SCORTIA FELICITATEM.

SCRIPSI affecta, iam, ac penitus collapſa valetudine, ADMODVM REVERENDE IN CHRISTO PATER, quatuor hos de ſacroſancto Miſſæ ſacrificio libros, ne cæteris ſolutus curis, ſtratóque penè defixus inertem omninò, otioſámque vitam agerem. Cùm enim viderem cæteros ſocios meos, tuos autem in Chriſto filios chariſſimos, te in quibuſque ſtudioſis actionibus præeunte, non ſolùm in nobiliſſimis Europæ prouinciis, in publicis ad populum concionibus, in Theologiæ, Philoſophiæ, reliquarúmque diſciplinarum ſcholis, in concertationibus quà voce quà ſcripto, cum noſtri temporis hæreticis, in confeſſionibus excipiendis, aliiſque Societatis noſtræ muneribus obeundis aſſiduè laborare; verumetiam in media Africa, vltima Aſia, & noui orbis ampliſſimis regnis, innumeriſque inſulis Oceani, contra Iudæos, Mahometanos, ac Gentiles in Chriſti ac Saluatoris noſtri fide diſſeminanda ſtrenuè fortitérque pugnare; me, vt liberè fatear, omnino puduit, nihil deinceps agere, ſtatímque arma proijcere, ac manus turpiter dare. Quamobrem decreui, etſi corporis viribus fractus ex acie tamen non diſcedere; ſed voce ſaltem, & quibus poſſem nutibus commilitones ad proſequendam victoriam propitio Numine cohortari, exemplo præſertim D. Gregorij Magni excitatus, qui morales expoſitiones in librum Iob, partim cum ſodalibus conferendo, partim commentando, inter acerbos podagræ & acres ſtomachi vexationes quotidie parturiens

glorio

glorioſiſſimè in lucem, toti Eccleſiæ profuturas, edidit. Itaque vi morbi interdum remittente ſuccisiuis horis de ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, non omnino negligenter, ſi ingenij mei tenuitatem ſpectes, hiſce libris diſputaui. Etenim id non tantùm hominibus mancipatis conficiendis cœleſtibus myſteriis, verumetiam laicis; nec tantùm Catholicis, ſed hæreticis quoque, ſi hac in re ſapere vellent, profuturum ſum arbitratus. Eos autem in apertum dare ſub tutela tui nominis conſtitui, vt eam lucem, quam ab auctore non poterant, tua mutuarentur à luce, & ſi non ſuis, tuis certè, ſplendoribus effulgerent. Vale. Genuæ VIII. Kalend. Mart. anni 1616.

CARMEN

CARMEN ENCOMIASTICVM

IN QVATVOR LIBROS DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO R. P. IOANNIS BAPTISTÆ Scortiæ Theologi Societatis IESV,

P. G. Miſij.

INdomiti procul hinc Tauri, procul Ara Dianæ
Taurica,quæ gentis peregrinæ imbuta cruore
Hoſpitij fœdo temeraſti crimine leges.
Deſine clara Rhodos veterum meminiſſe ſacrorum
Et tu Phœnice ſolers, túque æmula Romæ
Carthago, quæ falcigero quandoque litaſti
Humanas animas,innoxia pectora Diuo.
Sparta tuos pudeat cultu mactaſſe nefando
Ciues, prô, nimium verita impia numina Martis.
Ne mihi, ne memoret Latium ſua corpora ferro
Cæſa truci, Iouis vt vanas auerteret iras:
Crudeles Diui, crudelia ſacra faceſſant.
Ceſſet & infelix Iudæa ciere querelas,
Dum cernit templi Solymæi, aræque ruinas,
Cúmque ara collapſa dolet ſacra orgia gentis,
Orgia, quæ fuerant animantibus horrida viſu,
Nidores pecudum volucrúmque è carnibus vſtis,
Diſperſíque ſolo ſtagnantes ſanguinis amnes.
Cedite, non iſtis placatur honoribus vltrà
Æternum numen, non hæc libamina poſcit,
Sunt alij ritus, eſt hoſtia ſanctior illi.
Ipſe nouas poſuit DEVS aras, ipſe ſacrari
Dona ſibi inſtituit toto gratiſſima cœlo.
Quænam hæc? Vera DEI ſoboles mitiſſimus AGNVS.
Vnica pro cunctis offertur VICTIMA Patri
Non iam purpureos ſpargens è corpore riuos,
Prô dolor,vt quondam ſpinis laniata flagríſque,
Et terebrata tribus clauis, affixaque ligno.
Tunc ſatis illud erat pretium ſoluiſſe cruoris
Immenſum, mundos redimens, ſi mille fuiſſent.
Hæc nunc, hæc eadem, ſed non obnoxia fatis,

Dona Patri æterno nitidas libantur ad aras,
Dum Cererem Calicémque ſacrat de more Sacerdos.
Hæc ſacra Graiugenis LITVRGIA dicta, Latinis
MISSA, ſcelus populi delent, animáſque repurgant.
Plura cupis? volue hæc diuina volumina SCORZÆ,
Quæ grande ingenium monſtrant, ſtudiúmque legendi
Perpetuum, flagrans diuino pectus amore.
Si quæ tempus edax rerum monumenta reliquit
Priſca Patrum, ſi quæ librorum fertilis ætas
Hęc noſtra in lucem dedit hactenus, omnia vidit,
Et quę digna forent Cedro, documenta notauit,
Digna Sacerdote, & tantis digniſſima ſacris.
Magnus es ô SCORZI, magna hęc tua ſacra ſupellex.
Ergo agite huc volucri pede tendite quotquot Eois,
Occiduíſve ſolet Titan luſtrare quadrigis,
Quos gelida Vrſa premit, quos Cancri ſidus adurit,
Quos Tybris, aut Rhodanus, aut quos locupletat Iberus,
Et quorum campos ſeptemplicis oſtia Nili
Fecundant, quorúmque rigat lata arua Niphates
Tigrifer, armigeri Thraces, timidíque Pelaſgi,
Et vos audaces Daci, ſæuíque Britanni,
Sarmata præpes equo, Teuto grauis accola Rheni,
Extremíque hominum Scrifini, atque vltima Thule.
Seu vos vana facit rerum ignorare parentem
Relligio, & Phlegetontæo dare thura Tyranno,
Accelerate gradum, noua vos ſacra SCORZA docebit,
Quæ ſola Æterno fas eſt ſacrare Tonanti.
Seu vos Leuigenę retrahunt Aaronis ad aras
Venturíque canunt nequicquam Regis honores,
Hoc duce, ne dubitate ſequi, venietis ad aras
Regales, pecudum tabóque & labe carentes,
Quas viſit Titan oriens, labénſque reuiſit,
Quas & iuſtus Abel tenero ſignauerat Agno:
His aris natum dulcem deuouit Abramus,
Et Rex ille Salem puriſſima ſacra notauit.
Seu vos limphatus furor, aut fanaticus error
Sexcentûm capitum ſacris abſtraxit auitis,
Perſuaſítque aures Erebi prębere Miniſtris,
Nunc reuocare gradum, primáſque euadere ad aras
Fas erit, huic ne vos pigeat parere Magiſtro.
Et vos, quos FIDEI tenet inconcuſſa vetuſtas,

Firma

Firmaque non vnquam motę fundamina PETRÆ,
Huc oculos placidos, faciles huc vertite mentes:
Hic caput alma FIDES rutilantibus inſerit aſtris
Et cœleſte iubar terris oſtendit opacis
Diſpellens tenebras errorum, & corda ſerenans.
Hic PIETAS ſolio reſidet ſublimis eburno,
Et niueas animas niueas inuitat ad aras.
Hic diuinus AMOR geminis ſupereminet alis,
Ætherióque ardens igni iacit ore coruſcas
Flammas, quę faciant niue frigidiora calore
Pectora ſuccendi tanto, vt vertantur in ignem,
Et iam mente DEVM ſolum,& ſacra munera ſpirent,
Hæc aueant, hæc ſola famem depellere credant.
Hic DIVINA, DEV'MQVE DOCENS Regina refulget,
Lucentémque facem gerit,& myſteria pandens,
Arcana illuſtrat velut aurea Cynthia noctem,
Dum nihil obſcurum,nihil intactúmque relinquit,
Quidquid ineſt MISSÆ, quod non explanet ad vnguem.
Hic ASTRÆA potens diuina, humanaque profert,
Iura, ſacros Canones mitrati ſcita Senatus,
Sanctaque Pontificum decreta, ſtatutaque Regum.
DIVA vetuſtatis vindex, vitæque magiſtra
Geſta refert veterum, ſeriémque & tempora ſignat.
Nec SOPHIÆ deſunt flores, viridéſque corollæ.
O quantis labor iſte bonis nos SCORTIVS auget!
O quantas grates huic omnia ſęcula reddent!
Ito bonis auibus, nomen celſo infer Olympo
SCORZA tuum, fidúſque nouum tua lumina ſpargens
Irradia terris, patrię nunquam occide genti.

Ad M. D. G.

IN LIBRVM R. P. IOANNIS BAPTISTÆ SCORTIÆ DE ſacrificio Miſſæ, Epigramma P. I. Ph. Riccij.

HÆc cumulate viri ſacris altaria donis,
Et date perpetuis thura Sabæa focis.
Ille Dei natus, qui humanos induit artus;
Huc venit, & menſam diues amore parat.
Manducanda ſuo ſua præbet membra fideli,
Explicat & totas verus amicus opes.
SCORTIA diuinis ſtudiis has extruit aras:
Nobile ſic ſemper famâ loquetur opus.

Aliud eiuſdem ad eundem.

Cur bene ſic ſcribis cùm Maxime SCORTIA ſcribis?
Cur bene ſic recinis cùm pius ipſe canis?
Vel ſupera Chriſtus docuit te lapſus ab arce,
Vel tibi ſorte datum ſcandere poſſe Polos.
Diſcipulus Chriſti poſthac diceris in orbe,
SCORTIA, dicetur, cælicus hoſpes erat.

Aliud eiuſdem.

SCORTIA Muſa tuas exoptat pangere laudes,
Nil magis illa cupit, nil minus illa capit.
Arte pius mira Chriſti nam ſcribis amores,
Et Miſſam extollens, cætera miſſa facis.
Dumque tuas dia varias indagine chartas;
In te quod mirer plus erit, an quod amem?

Aliud

Aliud eiuſdem.

SCORTIA dum cupidus Patrum monumenta pererras,
Cerueris in ſacris ſaltibus inſtar apis.
Feruet opus, varióque legens de flore liquores,
Nectareo comples propria ſcripta fauo.
Hinc tua dulceſcunt totum monumenta per orbem,
Auctorem referunt & ſuper aſtra ſuum.

AD EVMDEM P. IO. BAPT. SCORT. Epigramma P. I. B. Veracis.

Aurea dum pulchra fulgerent ſæcula fronde,
(Sic fama eſt) cortex dulcia mella dabat.
Mel dulcis liber eſt, mellis nam SCORTIA cortex,
Verbaque mellito grata liquore magis.
Ergo antiqua nouis concedite ſæcula palmam,
Munera diuini SCORTIA mellis habet.

LITT

LITTERÆ ADMODVM REVERENDI P. BERNARDINI
Confalonerij Societatis Ieſu in Prouincia Mediolanenſi Præpoſiti Prouincialis.

CVM volumen de ſacroſancto Miſſæ ſacrificio P. Ioannis Baptiſtæ Scortiæ Theologi Societatis noſtræ in quatuor libros diſtributum à tribus delectis Patribus Theologis Societatis eiuſdem diligenter recognitum approbatúmque fuerit: Ego Bernardinus Confalonerius Societatis Ieſu in Prouincia Mediolanenſi Præpoſitus Prouincialis facultatem à Reuer. admodum P. Ferdinando Albero Vicario Generali mihi tributa, poteſtatem facio, vt typis mandetur, atque ad huius chirographi fidem, noſtram manum noſtræque Societatis ſignum adiecimus Mediolani 22. Aprilis 1615.

BERNARDINVS CONFALONERIVS.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunenſi.*

ANTONIVS SVFFREN Prouincialis Societatis Ieſu, in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij. 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februar. 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque ſuperiorum permiſſione imprimant, permittit HORATIO CARDON Lugdunenſi Bibliopolæ, vt librum *De ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, P. Ioanne Baptiſta Scortia Genuenſi Theologo Societatis noſtræ Auctore*, ad ſex primos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni 1. Iulij 1615.

SVFFREN.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in ſacra Theologia Magiſter, & diuini verbi Prædicator in S. Pauli huiuſce ciuitatis Canonicus, & in hac Lugdunenſi diœceſi à Dn. Dionyſio Simone de Marquemont, Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo, Librorum cenſor deſignatus: Fidem facimus, nos librum hunc *De ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, P. Ioanne Baptiſta Scortia Genuenſi Theologo Societatis Ieſu Auctore*, euoluiſſe, nihilque in eo à Catholica, Apoſtolica & Romana fide, & probis moribus diſſonum non modò non contineri, ſed doctrinam planè ſanam, ſanctorum Patrum ſcriptis ex toto conformem, fidelibus maximè proficuam, eruditè tradi. Lugduni apud S. Paulum 15. Februarij 1616.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE.

R. D. D. Thomæ de Meſchatin la Faye, huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi. Liber qui inſcribitur, *De ſacroſancto Miſſæ ſacrificio libri quatuor, Auctore P. Ioanne Baptiſta Scortia Genuenſi Theologo Societatis Ieſu*, vt in lucem edatur, facultatem concedo, Lugduni 16. Februarij 1616.

MESCHATIN LA FAYE.

SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIA-niſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, atque patentibus litteris cautum, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum vendendúmque quouis modo & ratione conetur librum, qui inſcribitur, *De ſacroſancto Miſſæ ſacrificio libri quatuor, Auctore P. Ioanne Baptiſta Scortia Genuenſi Theologo Societatis Ieſu*, præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate regia omnibus ſuis ſubditis, eumdem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, & inſtigare, ſine conſenſu dicti HORATII CARDON. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis vigeſimaquarta Octobris, anno milleſimo ſexcenteſimo decimoquarto.

De mandato Regis,

Signatum

BRVLART.

* *

INDEX CAPITVM
SINGVLORVM LIBRORVM.

LIBRI PRIMI.

CAP. 1. DE Miſſæ nomine. pag. 1
2. De inſtitutione diuini ſacrificij Miſſæ. 6
3. In Miſſa verum ſacrificium Deo offerri. 16
4. Quidnam Deo in hoc ſacrificio immoletur. 33
5. In quánam actione ſit poſita ratio ſacrificij 39
6. An Miſſæ ſacrificium vtramque ſpeciem neceſſariò requirat. 44
7. An Miſſæ ſacrificium vnum ſit, an plura.. 48
8. Quale ſit ſacrificium Miſſæ. 49
9. De valore eiuſdem ſacrificij. 55
10. Quibus de cauſis fuerit tantũ myſterium à Chriſto Domino inſtitutum. 61
11. Cur voluerit Chriſtus Dominus iterari Miſſæ ſacrificium. 69

LIBRI SECVNDI.

1. MIſſæ ſacrificium ſoli Deo offerendum. 70
2. Pro quibus ritè offerri poſſit. 74
3. An principalis offerens ſit Chriſtus Deus. 83
4. De altero offerente, Eccleſia militante. 84
5. De tertio offerente legitimo ſacerdote. 86
6. De requiſitis ex parte animæ in ſacerdote celebraturo. 93
7. De requiſitis ex parte corporis in ſacerdote ad ritè celebrandum. 99
8. De requiſitis ex parte cultus externi in celebraturo ſacerdote. 106
9. Sacerdotes Euãgelicos maximi faciendos. 114
10. De ſtipe debita ſacerdoti ſacrificanti. 122
11. De aſſiſtente miniſtro. 124
12. Quo linguæ genere ſacrificandum ſit in Eccleſia occidentali. 126
13. Quo loco ſacrificandum ſit. 129
14. In altari, rectéque inſtructo ſacrificium offerendum. 142
15. Quo tempore celebrandum ſit. 151
16. Quoties eodem die liceat ſacrificare. 153
17. Quò ritu ſit ſacrificandum. 154
18. Inchoatum ſacrificium cõtinuandum

dum abſque interruptione. 156
19. De duratione ſacrificij Miſſæ. 157
20. Miſſæ ſacrificio ſaltem diebus feſtis aſſiſtendum. 159

LIBRI TERTII.

1. DE Miſſæ definitione & partibus. 171
2. De acceſſu ſacerdotis ad altare. 172
3. De inclinatione ſacerdotis ad gradus altaris, & ſacrarum imaginum adoratione. 174
4. An liceat tecto capite ſacrificare. 193
5. De explicatione Corporalis, & compoſitione Calicis. 194
6. De præparatione libri Liturgiæ in dextera parte altaris. 198
7. De inclinatione ſacerdotis ante Miſſæ initium. 199
8. De ſigno Crucis initio Miſſæ. 200
9. De Antiphona & Pſalmo: Iudica me, &c. 210
10. De confeſſione generali, & verſiculis ante introitum. 213
11. De oratione ante introitum ad altare, Aufer, &c. 217
12. De cultu & veneratione ſacrarũ reliquiarum in altari incluſarũ. 219
13. De thurificatione. 229
14. De introitu Miſſæ. 230
15. De ſupplicatione, Kyrie eleiſon. 232
16. De hymno, Gloria in excelſis. 234
17. De ſalutatione ad adſtantem populum, Dominus vobiſcum, & reſponſione illius. 237
18. De exhortatione ad orandum, & genuflectendum. 240
19. De Collectis. 241
20. De reſponſione, Amen. 299
21. De Epiſtola. 2[illegible]1
22. De reſponſoriis, verſiculis, tractu, & ſequentiã. 253
23. De oratione, & aliis inter Epiſtolam, & Euangelium. 256
24. De Euangelio. 259
25. De Symbolo. 262

LIBRI QVARTI.

1. DE off[illegible] ſacrificij. 267
2. De ablutione manuum. 282
3. De ſacerdotis inclinatione, & oratione, Suſcipe ſancta Trinitas. 284
4. De oſculo altaris, & petitione precum adſtantium. 288
5. De Collectis ſecretis. 289
6. De Præfatione. 290
7. De triumphali hymno, Sanctus, &c. 294
8. De nomine, Auctore, & diuiſione Canonis. 300
9. Pars prima Canonis. 303
10. Pars ſecunda. 312
11. Pars tertia. 314
12. An Chriſtus iiſdem quibus Eccleſia verbis ſacrificârit. 348
13. Num verba conſecrationis dicantur

tur recitatiuè, vel formaliter, an etiam vtroque modo. 349
14. *De effectu formæ conſecrationis.* 351
15. *De abſentia ſubſtantiæ panis & vini in Euchariſtia.* 363
16. *De Tranſubſtantiationis nomine & natura.* 367
17. *Quomodo Chriſtus ſit in Euchariſtia.* 371
18. *De accidentibus remanentibus in Euchariſtia.* 384
19. *Canonis pars quarta.* 390
20. *Pars quinta eiuſdem.* 395
21. *Pars ſexta & vltima.* 397
22. *De Oratione Dominica.* 400
23. *De oratione, Libera nos quæſumus.* 417
24. *De partitione Hoſtiæ.* 418
25. *De precatione, Agnus Dei.* 420
26. *De mutuæ pacis & oſculi oblatione.* 423
27. *De conſumtione ſacrificij.* 425
28. *Quomodo defectibus accidētibus in celebratione ſit occurrendum.* 439
29. *De diſtributione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ inter adſtantes.* 443
30. *De purificatione.* 461
31. *De gratiarum actione, vltima Liturgiæ parte.* 462

Indices locorum ſacræ Scripturæ, Conciliorum, Auctorum, & rerum, in finem operis coniiciuntur.

DE

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

LIBER PRIMVS.

CVM obſcurioris rei diſputationem à cognitione nominis, vt tractatio tota facilior ſit, inchoandam rectè docuerit, tum Philoſophorum princeps Ariſtoteles *lib.4. Metaph. text.10. & lib.1.poſt text.2.* tum Iuriſconſultus *l. 1. ff. de iuſtitia & iure*; idem nos etiam in his de ſacroſancto Miſſæ ſacrificio libris, quos Deo duce auſpicamur, præmittemus: vt nobis quaſi aditum aperiamus ad ea, quæ maximè in ſacrificiis conſideranda notauit D.Auguſtinus *lib.4. de Trinit. cap.14.*

De Miſſæ nomine. CAPVT I.

SVMMARIVM.

1. *Miſſæ nomen non eſſe nouum, aut à D.Gregorio inuentum, ſed cum ipſa pæne Christiana religione natum, ex decretis ſummorum Pontificum, Conciliis, & Patribus antiquioribus euidenter oſtenditur.*
2. *Sitne Græcum, aut potiùs Hebraicum, vel Latinum nomen, autorum ſententiæ recenſentur, examinantur, probabiliórque eligitur: déque variis Euchariſtiæ nominibus.*
3. *Vndénam ad diuinum Euchariſtiæ ſacrificium ſignificandum, nomen Miſſæ deductum ſit.*
4. *Eiuſdem nominis, non vnica, ſed triplex acceptio, ex Conciliis & Patribus ſtatuitur.*

1. MISSÆ igitur vocem haud nouam eſſe, nec à D.Gregorio inuentam, quicquid Nouatores ſentiant; ſed cum ipſa pæne Romana Eccleſia natam eſſe, certiſſimum eſt. eam enim vſurpauit Clemens Romanus paſſus anno Domini 102. *in epiſt.3.* ſcribens: *Non vtique Miſſas, ſine eius* (Epiſcopi videlicet) *iuſſu quiſquam Presbyterorum in ſua parochia agat.* Et paulo pòſt: *Quoniam in aliis locis ſacrificare, & Miſſas celebrare non licet, niſi in iis, in quibus Epiſcopus proprius iuſſerit.* Euariſtus, qui vixit anno Domini 112. dum apud Burchardum *lib.3. cap.27.* & Iuo-

Io.Bapt.Scortia de ſacrif.Miſſæ.

nem *3.p.4.c.4.* *Omnes* (inquit) *Baſilicæ cum Miſſa ſemper debent conſecrari.* Alexander, qui Euariſto ſucceſſit anno Domini 121. *epiſt.1. ad omnes Orthodoxos.cap.4.* & apud Gratianum *can. in ſacramentorum. de conſecr. d. 2.* dum ait : *In ſacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, paſſio Domini miſcenda eſt : vt eius, cuius corpus & ſanguis conficitur, paſſio celebretur.* Teleſphorus creatus anno Domini 142. *epiſt. ad omnes Epiſcopos. cap. 2. & habetur can. in nocte. de conſecr. d.1.* meminit eiuſdem, dum præcipit : *Nocte verò ſancta natiuitatis Domini ſaluatoris, Miſſas celebrent, & hymnum Angelicum in eis ſolemniter decantent.* Hyginus circa annum 155. dum apud Gratianum *can. omnes. de conſecr. d.1.* & Iuonem *lib.2.* repetit : *Baſilicæ cum Miſſa ſemper debent conſecrari.* Pius I. anno 166. *ep. ad Iuſtum Viennenſem Epiſcopum.* *Soror* (inquit) *noſtra Euprepia ſicut bene recordaris, titulum domus ſuæ pauperibus aſſignauit, vbi nunc cum pauperibus noſtris commorantes, Miſſas agimus.* Soter anno 175. *Cenſuimus* (inquit) *conuenire, vt cùm à ſacerdotibus Miſſarum tempore ſacra myſteria conſecrantur, ſi ægritudinis accidat quilibet euentus, quo cœptum nequeat expleri ſacrificium, ſit liberum Epiſcopo, vel Presbytero, vt conſecrationem expleat officij cœpti.* Recitat Gratianus *can. hoc quoque. de conſecr. d.1.* ex eodem Sotere decretum, vt nullus Preſbyter Miſſarum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibíque reſpondentibus. Cornelius circa annum 254. *ep. ad Lupicinum Viennenſem :* *Publicè* (ait) *neque in cryptis notioribus Miſſas agere Chriſtianis licet.* Felix I. anno 273. *epiſt.2.* *Quapropter* (inquit) *in præfata conſtituimus Synodo, vobiſque & omnibus Eccleſiis tenendum & agendum mandamus, vt ſuper memorias Martyrum Miſſæ celebrentur, ne memoria eorum à talibus extingui, aut veneratio poſſit prohiberi.* Eutychianus eius ſucceſſor anno 275. cùm apud Gratianum *11.quæſt.3.* & Iuonem *lib. 3.* *Si quis* (inquit) *Epiſcopus, aut Abbas Presbytero aut Monacho ſuo iuſſerit Miſſas pro hæreticis mortuis cantare, non licet ; non enim expedit eis obedire.* Iulius I. circa annum 338. apud Gratianum *can. de fabrica. de conſecr. d.1.* *Si qua* (inquit) *Sanctorum Baſilica à fundamentis fuerit innouata ſine altaris motione, ſine aliqua dubitatione, cùm in ea fuerit Miſſarum ſolemnitas celebrata, totius conſecrationis ſanctificatio implebitur.* Felix IV. anno 526. *epiſt.1.c.1.* *De Eccleſiarum enim conſecratione* (ait) *& de Miſſarum celebrationibus alicubi quàm in ſacratis Domino locis abſque magna neceſſitate fieri non debere, liquet omnibus quibus ſunt nota noui & veteris Teſtamenti præcepta.* Vigilius creatus 538. *epiſt. ad Eleutherium.c.5.* cùm ait, *Ordinem quoque precum in celebritate Miſſarum nullo nos tempore, nulla feſtiuitate ſignificamus habere diuerſum.* Eiuſdem vocis vſus frequens eſt in Conciliis, D. Gregorio antiquioribus, vt in Romano ſub Syluestro anno Domini 324. *in fine.* Carthag. II. anno 397. *can.3.* Carthag. IV. anno 401. *can.84* Mileuitano anno 416. *can.12.* Arelat. III. anno 453. *can.3.* Vaſenſi II. anno 463. *can.3. & 4.* Romano ſub Symmacho anno 502. Agathenſi anno 506. *can.21.30.47.* Aurel. I. anno 507. *can.28.* Gerundenſi anno 517. *can.1.* Illerdenſi anno 524. *can.1.* Valentino in Hiſpania anno 525. *can. 4.* Aurelianenſi III. anno 540. *can.14. & 28.* Aurelianenſi V. anno 552. *can.8.* Bracarenſi I. anno 563. *can. 22,* Turonenſi II. anno 570. *can.4.* Bracarenſi II. anno 572. *can.9. & 10.* Matiſconenſi I. anno 582. *can.6.* Matiſconenſi II. anno 588. *can. 6.* Narbonenſi anno 589. Valentino II. in Gallia anno 589. Sequimur autem in Chronologia potiſſimum Illuſtriſſ. Cæſarem Baronium, qui accuratiùs annos ſingulos digeſſiſſe videtur. Eiuſdem denique meminerunt D. Gregorio antiquiores alij Patres, vt Ambroſius *epiſt. 33. quæ eſt 14. in nouis impreſſionibus, ad Marcellinam ſororem,* Hieronymus *in cap.11. Prouerb.* vbi ait : *Notandum autem quod etſi impiis poſt mortem ſpes veniæ non eſt, ſunt tamen, qui de leuioribus peccatis, cum quibus obligati defuncti ſunt, poſt mortem poſ-*

Tom. 1. Bibl. SS. Patrum.

ſunt

ſunt abſolui, vel pœnis videlicet caſtigari, vel ſuorum precibus, & eleemoſynis, miſſarumque celebrationibus. Damaſus *epiſt. 4. ad Corepiſcopos*, Auguſtinus *ſerm. 91. 137. 251. de tempor.* Seuerus Sulp. *in vita S. Martini*, Caſſianus *lib. 2. cap. 7. & 15. & lib. 3. cap. 7. 8. 11. de inſtit. Monach.* Leo I. *epiſt. 79. aliàs 81. ad Dioſcorum Alexand. & epiſt. 88.* prohibens quemquam pœnitentem in Miſſa publicè reconciliari. Victor Vticenſis *lib. 2. de perſecut. VVand.* dum ſcribit: *Liberum arbitrium habetis in Eccleſiis veſtris Miſſas agere.* Denique ne nimij ſimus, Cæſarius Arelatenſis *epiſt. 12.* dum monet ne ante completum Miſſæ ſacrificium feſtis diebus quis de Eccleſia diſcedat. Omnino igitur conſtat iam ante mille & quingentos annos Miſſæ vocem in Romana Eccleſia vſurpari.

2. Sed Græcáne ſit, vel Hebraica, aut Latina, maior eſt difficultas. Et quidem Græcam eſſe, & *interpellationem* ſignificare, ſcripſit Albericus *in dictione Miſſa*: ſed minus rectè, teſte etiam Couarruuia *lib. 4. var. reſol. c. 22.* cùm nullibi apud Græcos ſit vſus vocis huius, ſed eius loco vſurpetur Liturgia, Synaxis, & ſimiles, licèt interpretes aliquando Miſſam verterint, vt factum eſt in D. Ignatij *ep. 6. ad Smyrnenſes*, vbi pro δοχὴ, id eſt, *conuiuium*, Miſſa verſum eſt. Hebraicam eſſe ſentit Alciatus *lib. 7. Parerg. cap. 10.* Hector Pintus *in c. 3. Danielis*, Claudius Sainctes *in præf. ad Liturgias*, Pamelius *in Tertul. lib. de orat. num. 1. & in præf. ad Liturgias Græcorum*, Demochares *tract. 2. de Miſſa. c. 1.* Caſalius *lib. 1. de ſacrif. Miſſæ. c. 14.* Io. Capnio *apud Roffenſem, & Tapperum*, Canus *lib. 12. de locis theol. c. 13.* Couar. *loco cit.* Pagninus *v. Miſſa*, Heruetus *in præf. ad Cabaſilam*, Nauarrus *in Manuali c. 25. num. 111. verſ. 35.* Baronius *in an. 34. c. 54.* Rodericus *tom. 2. quæſt. 43. art. 1.* Concilium Senonenſe *in decret. de Euch. c. 11.* & Petrus Vegas *in Pſal. 101. qui eſt 5. ex pœnit.* Sed hic poſtremus deducit à Maſſah, quæ vox *panem azymum* ſignificat, *Exod. 12.* cum quo comedebatur Agnus Paſchalis, vt etiam à Chriſto factũ eſt, & qui in ea cœna in Chriſti corpus tranſubſtantiatus eſt; ideóque retenta deinceps in eodem ſacrificio, variato A, in I, vt ſæpe in aliis accidit. Cæteri deducunt à Miſſah, quæ vox *oblationem* ſignificat, vt *Deut. 16. verſ. 10. Oblationem ſpontaneam, &c.* quòd verè Chriſtus ſeipſum incruentè Deo Patri in vltima cœna obtulerit, & in eadem repræſentetur oblatio cruenta Crucis, de qua vaticinans Iſaias *cap. 53.* dixit, *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* & *ad Epheſ. 5.* dixit D. Paulus, *Qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo.* Vel etiam ſignificat, teſte Demochare, *ſufficientiam & beneficium*, quo ſubleuatur alterius neceſſitas, vt *Deuter. 15.* vbi legimus, *Aperies manum pauperi, & dabis mutuum quo indigere perſpexeris*; Chaldaica interpretatio loco vltimorum verborum habet *Miſſah*, adeò vt optimo iure poſſit innuere hoc diuino ſacrificio neceſſitatem indigentiámque noſtram ſufficientiſſimè ſubleuari. Et ſanè probabilis eſt opinio. Neque enim multum refert quòd Latinè ſine aſpiratione ſcribatur contrà quàm fiat in Hebræo, cùm idem ſuauitatis gratia contingat in nomine *Ieſu*, & aliis. Neque quòd ea voce non ſint vſi Græci, à quibus tamen Amen, Oſanna, Alleluia, aliáque Hebraica nomina Latini acceperunt, cùm potuerint illi primi Eccleſiæ Latinæ Patres ſeipſis deriuare ex Hebræo, ſicut id licuiſſet Græcis. Neque denique quòd Syri, qui Lingua Chaldaica, quæ cenſetur Hebraica corrupta, celebrant, non appellent hoc diuinum ſacrificium Miſſam, ſed *Quedoſſa*, hoc eſt, *ſanctum*. Quòd enim illi ex re omnium ſanctiſſima, contenta, ſanctum nominauerunt, Latini Patres Miſſam, ad imitationem antiquæ Hebraicæ *Miſſah*, dicere potuerunt; quippe cùm hæc incruenta, veriſſima & diuina fuerit oblatio in memoriam cruenti ſacrificij Chriſti Domini, & miſeriæ noſtræ cumulatiſſimè ſubueniat: atque eadem res ex diuerſis capitibus &

proprietatibus poſſit varias ſortiri appellationes, vt in hoc eodem ſacroſancto ſacrificio accidiſſe videmus, tum apud Latinos Patres, vt, cùm Tertullianus *lib. 2. ad vxorem cap. 4.* appellat Dominicum conuiuium. *lib. de oratione,* Dominicum officium. *lib. de fuga in perſecut.* Collectam *lib. de corona mil.* Myſteria diuina. S. Cyprianus *ſerm. de cæna,* Sacra officia, & ſacra myſteria, & *epiſt. 68. & 77.* Sacrificium diuinum. Auguſtinus *lib. de pecc. mer. cap. 24.* cum tota Africa, Vitam; tum apud Græcos, vt, cùm Dionyſius *in lib. de eccl. hier. cap. 3.* vocat Conſummationem & perfectionem ſacramentorum omnium, auguſtiſſima, ſacroſancta, cœleſtia & venerandiſſima myſteria. Ignatius *epiſt. ad Epheſ.* Dei gloriam. Palladius *cap. 75.* Dei gratiam. Euſebius *lib. 1. demonſt. cap. 10.* Deo plenum, ſacroſanctum & horrorem afferens ſacrificium. Nazianzenus *orat. in Iulianum,* Concilium Nicænum I. & alij, Incruentum ſacrificium. Chryſoſtomus *Hom. 45. in Io.* Fontem bonorum omnium. *Hom. 41. in 1. ad Cor.* Horrendum myſterium & ſacrificium. *lib. 3. de ſacerd. & Homil. 6. ad pop. Antiochenum,* Tremendum ſacrificium. Theodoretus *in lib. Exodi,* Diuinum donum. & alij aliis nominibus, vt notauit etiam Pamelius *in Tertul. lib. de orat. num. 1. & annot. 49. ad epiſtolam 63. diui Cypriani.* Scio eſſe qui pro hac opinione afferant locum Liturgiæ D. Iacobi primi Hieroſolymorum Epiſcopi, in qua etiam Miſſæ nomen legitur; verùm cùm in Latinum tranſlata ſit, non adeò firmum eſt argumentum, vt eo inniti poſſimus: ſicut neque quòd vſurpatum reperiatur ab Abdia *lib. 7.* Latinam denique vocem eſſe magis probant, idque meritò, Iſidorus *lib. 6. Etymol. cap. 19.* Rupertus Abbas *lib. 2. de diu. offic. cap. 23.* Magiſter Sent. *4. d. 13.* Hugo de S. Victore *lib. 2. de ſacram. p. 8. cap. 14.* S. Thomas *3. p. quæſt. 83. art. 4.* Bonauentura *in exp. Miſſæ.* Innocentius *lib. 5. cap. 22.* & alij, à Latina voce miſſionis ſeu dimiſſionis deriuatam, cùm Miſſa idem ſit antiquis, quod miſſio: vt patet ex Caſſiano *lib. 2. de inſt. monach. cap. 7. & 15. & lib. 3. cap. 5. 6. & 11.* S. Benedicto *in Regul. c. 17.* Sicut apud Tertul. *lib. 4. contra Marcionem, cap. 18.* Cyprianum *lib. 3. ep. 8. & 14.* & alios veteres, idem eſt Collecta & Collectio, peccati remiſſa & remiſſio. Et ſanè diuinitus omnino factum videtur, vt hoc ſacroſanctum ſacrificium eo nomine vocaretur à Latinis, quod & Latinum eſſet, præclaráque myſteria contineret, & ſimul etiam Hebraicum, ſiue ex ea lingua primò profectum ſit, ſiue non. Sicut etiam factum videmus in Principis Apoſtolorum nomine, cùm Cephas & Hebraicè *Petram* ſignificet, ſupra quam Chriſtus ſuam ædificauit Eccleſiam, & Græcè *Caput*, quòd totius Eccleſiæ Princeps conſtitutus eſſet; qua de re Optatus *lib. 2. contra Parmen.* & ante eum Anacletus *epiſt. 3.* Videndus Turrianus *lib. 2. pro epiſt. Pontificum. cap. 3.* qui idem oſtendit eueniſſe in nomine *Ieſu*, quod Hebraicè Saluatorem ſignificat, Græce Medicum & curatorem; & in nomine *Paſcha*, quod etiam tranſitum ſignificat Hebraicè, & Græcè paſſionem, autore Gregorio Nazianzeno. Quare vt res ipſa, & Prophetarum oraculis, & veteribus ſacrificiis præſignificata eſt, ita etiam nomen ipſum ſacroſanctum, huius ſacrificij & oblationis, multis antea ſeculis premonſtratum.

Diſcrepant tamen autores in reddenda cauſa, aſſignandáque ratione cur 3.
huic diuino ſacrificio inditum ſit Miſſæ nomen; & quidem Magiſter Sent. *4. d. 13.* minus probabiliter putat dici Miſſam, quòd tunc temporis Angelus à Deo mittatur, vt aſſiſtat ſacrificio. Etſi enim Angelos huic tanto myſterio aſſiſtere omnino credendum ſit, vt luculenter docent D. Iacobus *in Liturgia*, dum agit de hymno Cherubico, Origenes *Hom. 9. in Leuit.* Chryſoſt. *Hom. 61. ad Antiochenos, & ſæpe alibi* Sophonius *cap. 199.* Nilus *ep. ad Anaſtaſium*, Maximus *in Liturgia. cap. 25.* Ambroſius *in c. 1. Lucæ,* & alij plures, vt dicemus *lib. 4. cap. 11. n. 24.* non ob id tamen

tamen Miſſam appellatam exiſtimo; id enim nimis extrinſecum eſt ſacrificio, aliæque plures ſunt actiones, quibus interſunt Angeli, quæ Miſſæ nomen haud obtinuerunt. Stephanus Heduenſis *lib. de ſacramento altaris.cap.18.* Rupertus Abbas, *lib.2.de offic.cap.23.* Hugo de S.Vict. *lib.2.de ſacram. p.8. cap.14.* Innocentius III. *lib.5.de Miſſa.cap.12.* Io.Belethus *c.34.* Bonauentura *in exp. Miſſæ,* S.Thomas *3.part. q.83.art.4.* Gabriel Biel *in canonem lect.15, & 89.* Syluester *v. Miſſa. §.1.* Dominicus Soto *lib.4.ſentent.d.13.q.2.art.4.* Turrecremata *de conſecr.d.1.can. Iacobus.n.1.* & noſter Franciſcus Turrianus *lib. 3. de dog. charact.* ita dictam exiſtimant, quaſi oblatio miſſa ſit, ſeu tranſmiſſa, quia per conſecrationem à Deo Patre mittatur nobis Chriſtus, & à nobis viciſſim & preces & hoſtia myſtica & incruenta quaſi idonea quædam legatio per conſumptionem mittatur ad Deum nobis placandum ac propitiandum, iuxta illud Canonis, *Iube hæc perferri per manus S. Angeli tui, &c.* parique ratione Smaragdus, *Orationes* (inquit) *id eſt, Collectæ quæ in fine à ſacerdote dicuntur, Miſſa, id eſt, Deo tranſmiſſæ dicuntur.* Iſidorus verò *lib.6.Etym.cap.19.* Alcuinus *lib.de diuinis officiis.c.de celebratione Miſſæ.* Rabanus *lib.1. inſtit.cler.c.32.* Remigius *lib.de celeb.Miſſæ.* Thomas VValdenſis *de ſacramentalib.tract.4. cap.33.* Lindanus *lib.4. Panopliæ. c.37.* Sanderus *de ſacramento Miſſæ. c.3.* Ledeſma *p. 4. q.23. art.6.* Robertus Bellarminus *lib.1.de Miſſa.c.1.* & Franciſc. Suarez *3.p.tom.3.diſp.74. ſect.3.* & alij probabilius exiſtimant ab emiſſione ſeu dimiſſione populi nomen factum eſſe, adeò vt Miſſa idem ſit ac populi miſſio. Quod etiam approbant Innocentius, Turrecremata, Sotus, & Turrianus. Quo ſenſu Miſſam accepiſſe locis citatis Caſſianum & S. Benedictum conſtat, vt etiam accipitur in noſtra Liturgia, cùm in fine dicit, *Ite, Miſſa eſt,* id eſt, iam dimittitur cœtus, & abire licet; ſicut in ſacrificiis Gentilium, *Ilicet*, id eſt, ire licet, dicebatur ex Seruio *lib. 6. Æneidos,* Apuleio *lib.11. de Aſino aureo,* & Gregorio Giraldo *Syntagm.17.* Eodémque modo manifeſtè accepit Miſſam Concilium Carthaginenſe IV. *can.84.* vbi ait: *Epiſcopus nullum prohibeat vſque ad Miſſam Catechumenorum, neque hæreticum, neque Iudæum, neque Gentilem Eccleſiam ingredi,* & Concilium Illerdenſe *can. 4.* & Auguſtinus *ſerm. 237.* cùm ait: *Ecce poſt ſermonem fit Miſſa Catechumenis, manebunt fideles, venietur ad orationem.* Antiquitus enim ante offertorium Diaconus indicebat exitum è templo Catechumenis, Energumenis, Pœnitentibus & infidelibus, ex Dionyſio *de eccl. hierarch. c.3.p.2.* Cyrillo Alexandrino *lib.12. in Io.c.50.* Ambroſio *epiſt.33.aliàs 14.* Gregorio *lib.2. Dialog.c.23.* Germano *in Theoria.* Auguſtino *loco citato.* Alcuino *lib.de diu. offi. Liturgiis Græcorum & Æthiopum,* Innocentio *lib.5.c.12.* Hugone de S.Victore & Turrecremata *locis antea citatis;* ſicut è ſacrificiis Gentilium arcebantur prophani, iuxta illud Virgilij *lib.6.Æneidos,*

Procul ô procul eſte prophani.

& Horatij,

Odi prophanum vulgus, & arceo.

& Tertulliani *in Apologet.c.7.* cùm ſemper etiam impiæ initiationes arceant prophanos, &c. Quare interfuiſſe Miſſæ, vel abfuiſſe ab ea, idem omnino veteribus fuit, quod adfuiſſe, vel abfuiſſe populi dimiſſioni, quæ in ſacrificio fiebat. A dimiſſione igitur & Catechumenorum poſt Euangelium, & fidelium in fine, ortum nomen Miſſæ conſtat.

4. Miſſæ igitur quaſi cuſum ac formatum nomen à primæua ſua ſignificatione deductum à veteribus vſurpatum eſt, ad ſignificandum tum eam partem diuinæ actionis, quæ eſt vſque ad oblationem, vt accepit Concilium Valentinum *can. 1.* vbi præcipit Euangelium legi ante munerum illationem in Miſſa Cate-

chumenorum. vbi manifeſtè illa officij pars,cui intererant Catechumeni,vocatur Miſſa. tum eam, quæ eſt ab offertorio vſque ad finem, & fidelium Miſſa ab Alcuino & aliis appellari ſolet. quo ſenſu dixit Ambroſius *epiſt. 33. in nouis 14. ad Marcellinam: Sequenti die, erat autem Dominica, poſt lectiones atque tractatum dimiſſis Catechumenis ſymbolum aliquibus competentibus in Baptiſteriis tradebam Baſilicæ; illic nunciatum eſt mihi comperto quod ad Portianam Baſilicam de Palatio decanos miſiſſent, & vela ſuſpenderent, populi partem eò pergere. Ego tamen manſi in munere, Miſſam facere cœpi, &c.* tum denique totam Liturgiam, vt comprehendit ſimul partem Catechumenorum & fidelium, vt accepit *locis ſuprà citatis. n. 1.* Alexander, Teleſphorus, Felix, Leo, Concilium Agathenſe *can. 21. & 47.* & Aurelianenſe I. *can. 28.* vt etiam nunc communiter accipitur cum de Miſſa agitur. Ex quibus ſanè illud etiam colligere licet Chriſtiano homini è ſynaxi ac conuentu non diſcedendum antequam imperetur miſſio. Si enim dimittendi ſumus, ſane vſque ad extremum præſentes eſſe oportet. Qua in re cùm peccarent Alexandrini, S. Io. Eleemoſynarius, vt in eius vita ſcribit Leontius, ſacris indutus veſtibus exiit ad eos, qui exierant non abſoluto ſacro, eiſque de exitu Pontificis mirantibus dixit: *Vbi oues illic paſtor, ingredimini, & ego accedam; quòd ſi extrà manebitis, herebo. Ego filij propter vos ad Eccleſiam deſcendo: nam mihi ipſi in Epiſcopio Miſſas facere poteram.* Sed hac de re fuſiùs *lib. 4. cap. 31.* diſputabitur.

De inſtitutione diuini ſacrificij Miſſæ. Cap. II.

SVMMARIVM.

1. *Euangelicum ſacerdotium ac ſacrificium ab euangelicæ legis autore omnino inſtituendum fuiſſe, idque perpetuò in Eccleſia duraturum.*
2. *Cur immediatè per ſeipſum Chriſtus Dominus id facere voluerit.*
3. *Illud verò luna decimaquarta primi menſis inſtituiſſe.*
4. *Non tamen in priori veſpera luna 14. ſicut plures arbitrati ſunt, ſed in ſecunda inchoante luna decimaquinta.*
5. *Accidiſſeque feria quinta pridie quàm Chriſtus pateretur, & noctis tempore & Hieroſolymis, in domo in quam intrat priùs aqua, & in cœnaculo, & cur tamdiu dilatum.*

NVlli verò Catholico dubium eſſe poteſt, quis diuinum hoc ſacrificium, & 1. conſequenter ſacerdotium inſtituerit, cùm luce clarius conſtet, *Lucæ 22. Matth. 26. Marci 14. & 1. ad Cor. 11.* à Chriſto Domino inſtitutum: cùm & ipſe Deo Patri in vltima cœna illud obtulerit, & præceperit vt idem deinceps Apoſtoli, quos ſacerdotes ordinauit, cæterique deinceps eodem ſacro charactere inſigniti, in ſui memoriam facerent. Oportuit enim autorem euangelicæ legis inſtitue-
Ad Heb. 7. re euangelicum etiam ſacerdotium, quod cum lege transfertur, vt ait S. Paulus, & ſimul ſacrificium, quod ſacerdotium tamquam corollarium neceſſariò ſequitur, vt docet idem diuus Paulus cùm *ad Hebr. 8.* inquit, *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur*; vnde neceſſe eſt, & hunc habere aliquid, quod offerat, nempe diuerſum ab antiquis ſacrificiis. Concilium Senonenſe *decret. 11.* Tridentinum *ſeſ. 23. can. 1.* Damaſcenus *lib. 4. de fid. cap. 13.* & Chryſoſt. *Hom. 4. aduersùs Iudæos*, cùm ſine his religio eſſe non poſſit. Quælibet enim vt in vnum veluti corpus conueniat, eget externo aliquo ſigno ac proteſtatione ſummi interni

terni cultus ad Deum colendum, vt licet colligere ex D. Cypriano *ſerm. de Cœna Domini*, Auguſt. *lib.19. cap.11. contra Fauſtum*, & S. Thom. *2. 2. quaſt.85. art.1.* & quoniam Chriſtus ſacerdos erat in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui *Geneſ. 14.* panem & vinum obtulit, vt cecinerat Dauid *Pſ. 109.* perpetuum etiam ſacrificium (corporis ſcilicet, & ſanguinis ipſius) ſub panis & vini ſpecie, vt veritas figuræ reſponderet, inſtituendum fuit, vt Chriſtus ipſe inſinuauerat *Ioan. 6. Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* & *paulo pòſt: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, &c.* Quare rectè dixit Clemens *lib. conſtit. Apoſt. cap.23. Qui pro ſacrificio cruento, rationale & incruentum ac myſticum ſacrificium inſtituit, quod in mortem Domini per ſymbola corporis & ſanguinis ſui celebratur*, & *lib. 8. cap. 36. Primus natura Pontifex vnigenitus Chriſtus non ſibi honorem rapuit, ſed à Patre conſtitutus eſt, qui factus eſt pro nobis Homo; hoſtiam ſpiritualem Deo ſuo eidémque Patri ante paſſionem offerens conſtituit nobis ſolis, vt hoc faceremus.* Iuſtinus etiam *Dialogo cum Tryphone: Itaque omnia ſacrificia, quæ ſuo nomine facienda Ieſus Chriſtus tradidit, id eſt, in Euchariſtia panis & poculi, quæ in omni loco à Chriſtianis fiunt, præoccupatione vſus Deus ſibi grata eſſe teſtatur.* Eidem pæne par Irenæus *lib.4. cap.32. Cùm* (inquit) *qui ex creatura panis eſt accepit* (Chriſtus ſcilicet) *& gratias egit, dicens: Hoc eſt corpus meum, & calicem ſimiliter qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundùm nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui Teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo Deo offert.* Idem vt breuitati conſulamus reliqui poſteriores Patres docuerunt, Cyprianus *epiſt. 63. ad Cecilium, & ſerm. de Cœna.* Gregorius Nyſſenus *oratione 1. de Paſchate*, Baſilius *in Liturgia*, Ambroſius *in cap.10. epiſt. ad Hebræos, & lib.4. de ſacramentis. cap. 3. & 4. & in oratione 1. præparatoria ad Miſſam*, Euſebius Cæſar. *lib.1. demonſt. euang. c. vltimo.* Chryſoſtomus *Hom. de proditione Iudæ, & Hom.83. in cap.26. Matth.* Auguſtinus *lib.20. contra Fauſtum c.21. in Manuali c.11. Concione 2. in Pſal.33. & lib.17. de Ciuit. c.20.* Hieronymus *epiſt. ad Hedibiam 150. q.2.* Heſychius *in Leuit. lib.2. cap.8. lib.6. cap.22.* Origenes *in cap.26. Matthæi*, Oecumenius *in cap.5. epiſt. ad Hebr.* Quare iure optimo Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.8.* damnauit VViclefum *art. 5.* aſſerentem ex Euangelio non colligi Chriſtum Miſſam inſtituiſſe, contra quem pluribus diſputat Thomas VValdenſis *lib. de ſacramentalibus. tit. 4.* Alphonſus de Caſtro *v. Miſſa*, & Caietanus *tract. de Euchariſtia cap.9.* Quamuis enim accidentalia, cæremoniæque variæ fuerint ab Apoſtolis & ſucceſſoribus additæ, vt docet Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 4. & 5.* quoad ſubſtantiam tamen Chriſtus ipſe incruentum Miſſæ ſacrificium & obtulit pridie quàm pateretur, & inſtituit, vt in Eccleſia perpetuò offerretur. Non enim per Chriſti mortem ſacerdotium ipſius extinguendum erat, cùm prædictum fuiſſet, futurum æternum, *Pſalm. 109.* Ideo Concilium Tridentinum *ſeſſ.22. can.2.* Anathema dicit neganti, illis verbis, *Hoc facite in mei commemorationem*, Chriſtum Apoſtolos ſacerdotes inſtituiſſe, & ordinaſſe, vt ipſi aliíque futuri ſacerdotes corpus & ſanguinem eius Deo in ſacrificium offerrent. Quod eos ſanè feciſſe conſtat, cùm *Act. cap. 2.* dicatur: *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis.* Vnde ſi communicabant, neceſſe eſt priùs Miſſam celebratam fuiſſe. Et *canone 3. Apoſtolorum: Si quis Epiſcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini, quam de ſacrificio inſtituit, alia quadam, puta aut mel aut lac, aut pro vino ſiceram ſuper altare obtulerit, vt qui contra ordinationem Domini faciat, deponitor.* & ſcribat Irenæus *lib. 4. cap.12.* & Epiphanius *hæreſi 79.* omnes Apoſtolos hoc ſacrificium obtuliſſe; & in parti-

Malach. 1.
Iſaiæ 56.
Luc.22.
Matth. 26.
Marc.19.
1.Cor.11.
Luc.22.

culati de D. Petro conſtat, cùm plures ordinauerit Epiſcopos, quod non fit ſi-
ne Miſſæ ſacrificio; dixit enim Clemens *lib.8.conſtit. cap.vlt. Poſt aſſumptionem Do-
mini nos oblato ſecundùm eius ordinationem ſacrificio puro, & incruento,conſtituimus Epiſco-
pos, Presbyteros & Diaconos.* imò & præſcripſerit Miſſæ officium, teſte Iſidoro *lib.1.
de diu. off. cap.15.* Hugone de S. Vict. *lib.2.de ſacram.* Remigio *lib.1. de off. Miſſæ.* De
diuo Paulo conſtat ſimiliter *ex 1.ep.ad Tim.1. Propter quam cauſam, &c.*& *1.ad Cor.10.
Calix benedictionis,&c.*De S.Ioanne ſcribit Abdias *lib.5.*& Beda *Hom.9.de ſanctis hye-
malib.*paulo ante mortem etiam celebraſſe.De S.Andrea habent Achaiæ Preſby-
teri eiuſdem verba, quibus ſe quotidie Deo ſacrificare diuinum & immacula-
tùm Agnum teſtatus eſt, & Abdias *lib.3.* de S.Matthæo teſtatur. Abdias *lib.7.* &
S.Antoninus *p.p.hiſtoriæ.tract.6.c.13.*idémque de Apoſtolis reliquis in eorum hiſto-
riis ponit idem Abdias. Quare non ſolùm certum eſt, ſed etiam de fide,ſacro-
ſanctum Miſſæ ſacrificium a Chriſto Domino inſtitutum eſſe, vt dilectæ ſpon-
ſæ Eccleſiæ ſuæ, ſicut hominum natura exigebat, perpetuum relinqueret ſacri-
ficium,quo cruentum illud ſemel in ara crucis peragendum, in ſui memoriam
& noſtram propitiationem repræſentaretur.

Sed fortè quæres cur cùm humana Reſpublica poteſtatem habeat inſtituen- 2.
di ſacrificia in Dei cultum & venerationem, vt docet S.Thomas *2.2.q.85.art.1.* &
cum eo Sotus *lib.9. de Iuſt. q.1. art.1. & q. 2. art.1.* & alij Theologi: & ſuadet ratio,
quia cùm ſit naturale homini non ſolùm interiùs, ſed etiam exteriùs Deum co-
lere, erit etiam naturale determinare ſigna ſenſibilia, cuiuſmodi ſunt ſacrificia,
ad interiorem illam venerationem ſignificandam; voluerit tamen Chriſtus
ſeipſo immediatè ſacrificium in ſua Eccleſia inſtituere? Equidem exiſtimo id fa-
1. ctum, tum quòd ipſe caput ſit totius Eccleſiæ, & ex quo omnis poteſtas tam-
Pſal.109. quam in corpus reliquum, dimanat, *ad Epheſ. cap.5.* & à Deo Patre ſacerdos in
Ad Hebr. 10. æternum ac magnus, qui ritè hoſtiam inſtituere & offerre poſſet, conſtitutus.
2. tum quia voluit nouæ legis ſacrificium eſſe ordinis ſupernaturalis, ideóque
non ex humana inſtitutione, quæ naturæ limites non excedit, ſed ex diuina
omnipotentia neceſſariò pendens. Euidens ſanè in Eccleſiam ſuam ſummæ cha-
ritatis & beneuolentiæ indicium, cùm ſe non tantùm ſacerdotem, ſed ſimul
etiam hoſtiam pro Eccleſia eſſe voluerit, vt aduertit etiam Auguſt. *lib. 10. de Ciu.
cap.21.*Paulinus *epiſt.5.ad Seuerum,* Hieron. *epiſt.ad Hedibiam.q.2.* Cyprianus *epiſt.63.*
Heſychius *in cap.4. Leuit.* Chryſoſtomus *in Liturgia,* & Ambroſius *lib.1. off. cap. 48.*
Tantóque altiùs ſuper Synagogam eam extulit, quanto maius eſt hoc ſacrifi-
cium veteris Teſtamenti holocauſtomatibus, vt argumentatur D.Paulus *in cap.
10.ad Hebræos.* nec poſſet quis dubitare futurum aliquando vt de eo dicat, quod
de antiquis dixit *Ieremiæ cap.7. Non ſum locutus cum Patribus veſtris,& non præcepi eis
in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocauſtomatum & victimarum,* cùm
ipſemet præceperit, *Hoc facite in mei commemorationem,* vt taceam de Gentium ſu-
perſtitione, quæ, vt ait Tertull. *in Apol. aduerſ. gentes.cap.12.* Enecta & tabidoſa ac
ſcabioſa quæque mactabat, de optimis & integris ſuperuacua capitula & vn-
gues, quæ domi pueris aut canibus deſtinaſſet. Vel *ex cap.30.*thuris grana vnius,
3. meríque guttas duas, aut ſanguinem reprobi hominis mori optantis. tum quia
voluit in ſacrificio noſtro non tantum eſſe ſignificationem, ſed eſſe etiam effi-
caciam, quam ipſe ſolus tribuere poteſt. Ideóque ſicut ex Tertulliano *lib.de orat.*
& Cypr. *tract.de orat.Dominica,* ipſe orationis formam præſcripſit, quia ſolus do-
cere potuit, vt ſe vellet orari; ita ipſe quoque ſacrificium voluit inſtituere, quo
ſe placari, ſuæque gratiæ theſauros largiri vellet, edocèret; & ideo *Malachiæ 1.*

præſigni

præſignificauit tale ſacrificium ſibi gratiſſimum futurum. tum denique ne quis 4.
vnquam de veritate corporis & ſanguinis eius in hoc ſacrificio oblati poſſet dubitare, vt illis verbis ſcripſit B. Laurentius Iuſtinianus *ſerm. de Euch.* Cæterùm ad roborandum credulitatem fidelium nullum præter ſe huius inſtitutorem voluit fieri ſacramenti. Non Prophetam, non Patriarcham, non Iuſtum, non Angelorum quempiam, ſiue de inferioribus, ſiue de mediis, ſiue de ſuperioribus. Ipſe planè illud inſtituit, qui ſemetipſum tradidit, cuius eloquia veriſſima ſunt, cuius ſapientia falli nullatenus poteſt, cuiuſve ſententia mutari nequit, ipſo perhibente, qui ait, *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.*

5. Inſtituit autem Dominus hoc ſacrificium ea nocte, qua extremo vitæ Paſcha celebrauit, legalem Agnum cum azymis comedens, quicquid Nicetas Pectoratus ſenſerit *in lib. edito contra Latinos, & oblato anno* 1054. *Humberto, S. R. E. Legato apud Conſtantinopolitanos*, & alij. Euacuato enim veteri Paſchate in morte nouum condidit, quod perpetuum in Eccleſia eſſe volebat in ſui memoriam, corporis & ſanguinis ſui, quod apertè docet Matthæus *cap.* 26. *Prima* (inquit) *die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha, &c.* Marcus *c.* 14. *Primo die azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli: Quò vis eamus & paremus tibi, vt manduces Paſcha, &c.* & Lucas *cap.* 22. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, &c.* Etſi enim ſolemnitas paſchalis diuerſa eſſet à ſolemnitate azymorum, quæ ſeptem integros dies agebatur, nempe a die 14. primi menſis ad veſperam, vſque ad 21. ad veſperam, vt patet ex Leuit. *cap.* 23. *Menſe primo quartadecima, &c.* Exodi *c.* 12. *Et ſeruabitis, &c.* Num. *c.* 28. *Menſe autem primo, &c* & explicat Orig. *tr.* 35. *in Matth.* cùm illa inſtituta fuerit in memoriam tranſitus Angeli interficientis primogenita Ægyptiorum tranſgreſſis Hebræorum domibus ſignatis ſanguine Agni, quod accidit luna 14. menſis primi, reſpectu ſcilicet verni æquinoctij, vt docet Ambroſius *epiſt.* 83. *ad Epiſcopos per Æmiliam*, Beda *lib.* 5. *c.* 22. *hiſt.* Liranus *cap.* 12. *Exodi*, Oleaſter *ibidem*, Gabriel Biel *lect.* 34. *in canone*, Ribera noſter *lib.* 5. *de templo c.* 2. Sebaſt. Barradius *tom.* 4. *lib.* 1. *c.* 8. Ludouicus Richeomus *in libello myſticarum figurarum S. ſacramenti Euchar. cap. de tempore immolationis Agni paſchalis*, & alij, vt illa ſit noua luna & initium menſis, quæ propior eſt verno æquinoctio, ſiue antè ſit, ſiue poſt: hæc autem quòd populus liber egreſſus azyma comederit; eadem tamen die, prima dies azymorum & Paſcha celebrabatur, vt ex locis citatis D. Marci, Lucæ, Exodi & Leuitici conſtat. Nec obſtat quòd *Num.* 28. dicatur, *Decimaquarta die primi menſis ad veſperam Phaſe Domini eſt, & decimaquinta ſolemnitas azymorum*; cùm veſpera decimæquartæ diei, ſit legale initium diei decimæquintæ. Iudæi enim dies feſtos veſperi auſpicabantur, ex Leuitico *c.* 23. *A veſpera, &c.* Idque ex Ioſepho *lib.* 1[illegible]. *c.* 11. *Antiquit.* hora viceſima prima, vt etiam paulo pòſt dicetur. Cùm igitur Paſcha veſpere lunæ decimæquartæ primi menſis à Iudæis celebraretur, iuxta præceptum legis *Exod.* 12. *Leuit.* 23. *Num.* 28. ídque adeò firmum ac inuiolabile eſſet, vt ſi caſu aliquo ſtatuta die lunæ decimæquartæ primi menſis celebrari non poſſet, Iudæi cogerentur expectare lunam decimamquartam ſequentis menſis: vt patet *Num.* 9. *Homo qui non fuerit immundus.* & *lib.* 2. *Paralipomenon* 30. *Decreuerunt vt facerent Phaſe menſe ſecundo, &c.* non poſſent autem reiicere in ſequentem vel alium diem eiuſdem menſis. Quod certè indicat Paulum Burgenſem *in add. ad Liranum. cap.* 26. *Matth.* Lucidum *lib. de vero die paſſionis Chriſti. cap.* 9. Paulum Middeburgenſem *lib.* 3. *ſuæ Paulinæ*. Ioan. G[illegible] *in cap.* 18 *Ioan.* Ioannem H[illegible], Baptiſtam Mantuanum, *lib.* 2. *faſt.* O[illegible]-

Io. Bapt. Scorna de ſacrif. Miſſæ.

num *lib.2. Faſt.* Ianſenium *in Concordia euangelica. cap.*128. 129. Rupertum *lib. 2. in Leuit. cap.*36. & alios, haud rectè exiſtimaſſe Iudæos eo anno diſtuliſſe Paſcha in diem Sabbati; quòd ſi Paſcha incideret aliquando feria ſexta, differretur in Sabbatum, ne duo feſta ſimul coniungerentur, quòd difficile eſſet parare cibum in biduum. Nam & in Paſchate licebat quæ ad cibum pertinent parare, *Exod. 12. Nihil operis,&c.* & habemus apud Ioſephum *lib.13. Antiquit. cap.16.* Iudæos duo feſta Pentecoſtes & Sabbatum immediatè celebraſſe in exercitu Antiochi. Idémque *lib.3. cap.1. & vltimo.* & Philo *lib. 3. de vita Moſis, & in lib. Decalogi*, aſſerunt inuiolabiliter Paſcha celebrari luna decimaquarta ad veſperam, incipiente luna decimaquinta. Et Epiphanius, qui Iudæus fuerat, *hæreſi* 30.*&* 51. docet diem feſtum azymorum incidere in quamlibet diem hebdomadæ: & Abben Ezra *in cap.23. Leuit.* expreſsè docet, maiores ſuos numquam tranſtuliſſe Paſcha, etiam cùm feria 6. occurrebat. Vt obſeruauit Genebrardus *in Chron. anno Chriſti* 36. Cúmque Chriſtus eodem quo Iudæi tempore, Paſcha celebrauerit, vt citata loca Matthæi, Marci, & Lucæ conuincunt, cùm de edendo Paſchate diſcipuli agerent cum Chriſto, quòd ſcirent tempore à lege ſtatuto à Chriſto celebrandum, cùm dicatur *Lucæ 22. Venit dies azymorum in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* & *Marci* 14. *Die azymorum quando immolabant Paſcha* (vtique legem obſeruantes;) quomodo enim Chriſtus anticiparet contra præceptum legis, qui omnem legem quamdiu cum hominibus vixit, & ſeruandam docuit, & ad vnguem ſeruauit, vt ait Origenes *tract. 35. in Matthæum*, Ambroſius *epiſtola* 83. *ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos*, & Chryſoſt. *Hom.*83. *in Matthæum.* Quomodo non ſcandalizaretur hoſpes ſi Chriſtum cum diſcipulis Paſcha contra legis præceptum, anticipare vidiſſet? Quomodo non videretur præbere cauſam furori Iudæorum dicentium eum non cuſtodire Sabbatum, & quærentium falſum teſtimonium contra eum, maximè cùm & Iudas adfuerit proditor, qui reuelaret Iudæis, ſi Paſcha indebito tempore celebraſſet? Si quæ autem difficultatem facere videntur, paulo pòſt ſoluentur. Neceſſe eſt igitur luna 14. primi menſis ad veſperam, Chriſtum Paſcha celebraſſe, & conſequenter etiam eadem veſpera diuinum hoc ſacrificium inſtituiſſe, cùm in paſchali Cœna inſtituerit, D.Matthæo teſte, qui *capit.*26. de ea diſſerens, ait: *Cœnantibus autem illis accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite. Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, &c.* Similiter S. Marcus *cap.* 14. de eadem. *Et manducantibus* (inquit) *illis, accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit illis, & ait: Sumite. Hoc eſt corpus meum, &c.* Et Lucas *cap.22. Et cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim diſcipuli cum eo, & ait illis: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar: dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Et paulo pòſt: *Et accepto pane gratias egit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem; ſimiliter & calicem, &c.*

Sed cùm iam habeamus luna decimaquarta primi menſis, & Hebræos, & 4.
Chriſtum ipſum Paſcha celebraſſe, eodémque tempore ſacrificium corporis & ſanguinis ſui inſtituiſſe; cùm dies tamen duplicem habeat veſperam, vnam qua incipit, alteram qua deſinit, pluribus adhuc videtur incertum, an Chriſtus Dominus Paſcha celebrauerit ad veſperam, quæ fuit initium lunæ decimæquartæ, finis autem decimætertiæ; an [illegible] quæ terminauit lunam decimamquartam, & inchoauit decimam [illegible]. Sunt in hac difficultate duæ autorum

autorum ſententiæ, quarum altera docet id factum initio lunæ decimæquar-
tæ. In ea tamen ſunt duo dicendi modi, alter Epiphanij *hæreſi* 51. Cyrilli
lib. 12. *in Ioan.* Euthymij *in cap.* 26. *Matthæi.* Oroſij *lib.* 7. *cap.* 4. Nicephori *lib.* 1.
cap. 28. & Nicetæ Pectorati *libro edito contra Latinos, & oblato Cardinali Humberto
Legato ſedis Apoſtolicæ apud Conſtantinopolitanos*, & aliorum, qui putant Chriſtum
crucifixum luna decimaquarta. Cùm enim Chriſtus pridie veſperi Paſcha
celebrauerit, ex eorum opinione ſequitur initio lunæ decimæquartæ id fa-
ctum eſſe per anticipationem, cæteris Iudæis celebrantibus in fine eiuſdem, íd-
que conantur probare: tum quia Ioannes *cap.* 13. dicit ante diem feſtum Pa- 1.
ſchæ feciſſe Cœnam, in qua lauit Apoſtolorum pedes. Oportuit igitur cum ce-
lebraretur Paſcha luna decimaquarta deſinente, ipſum die 13. inchoante luna
decimaquarta celebraſſe. Tum quia ibidem dicitur, cùm Ieſus Iudæ dixiſſet, 2.
vt citò faceret, quod facturus erat, quoſdam diſcipulorum arbitratos eſſe di-
xiſſe Dominum, vt emerentur, quæ opus erant ad diem feſtum. Tum quia 3.
cap. 18. Iudæi eadem die qua Chriſtus crucifixus eſt, cum manè accuſantes non
introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, & poſſent manducare
Paſcha. Oportuit igitur Chriſtum, qui præcedente nocte celebrarat, celebraſ-
ſe luna decimaquarta inchoante. Tum quia *cap.* 19. apertè dicit Ioannes Chri- 4.
ſtum crucifixum in Paraſceue Paſchæ: ergo in craſtino erat Paſcha celebran-
dum, cæteris manducaturis in fine eiuſdem. Tum quia non licuiſſet in feſto 5.
die Chriſtum crucifigere, præſertim quia ſtatutum erat in Concilio, ne tene-
retur quidem in die feſto, ne tumultus fieret in populo. Itémque non licitum
fuiſſet piis hominibus die feſto emere ſindonem & aromata ad Chriſtum Do-
minum ſepeliendum: erat igitur profeſtus dies, & nondum Paſcha. Non niſi
itaque inchoante luna decimaquarta præcedenti nocte Chriſtus paſchalem
Agnum comediſſe, & euangelicum ſacrificium inſtituiſſe videtur. Alter verò
modus dicendi in hac ſententia eorum eſt, qui putant legitimum tempus Pa-
ſchatis celebrandi omnibus fuiſſe initium lunæ decimæquartæ, non autem fi-
nem; ideóque primam veſperam, & non poſteriorem: atque ita intelligen-
dum *cap.* 12. *Exodi. cap.* 23. *Leuitici, &* 28. *Num.* ita arbitrantur Oleaſter *in ca-
pit.* 23. *Leuitici*, Didacus Stella *in cap.* 22. *Lucæ*, Petrus Lopez *in annot. in canonem
Miſſæ.* Aloyſius Legionenſis *lib. de legitimo tempore immolationis Agni*, & alij, &
probant, tum argumentis factis à ſuperioribus, tum quia Agnus paſchalis 6.
Chriſti tempore immolabatur; à Iudæis eadem die qua primùm in Ægypto
fuit immolatus, *Exodi* 12. vt patet ex fine præcepti illius, nempe memoria
beneficij eadem die recepti, ſed tunc immolatus fuit initio lunæ decimæquar-
tæ, vt ſcribit Ioſephus *lib.* 2. *Antiq. cap.* 5. *Illuceſcente* (inquit) *decimaquarta luna
omnes ad iter accincti ſacrificabant, & ſanguine domos luſtrabant.* & docet Scriptura:
nam Iudæi dicuntur egreſſi de Ægypto, quando egreſſi ſunt de Rameſſe in So-
coth, *Exodi* 12. *Num.* 33. ſed id factum eſt noctu, *Exod.* 12. Initio tamen ſeu
occidente ſole, *Deut.* 16. in fine lunæ decimæquartæ inchoante luna decima
quinta altero die à Phaſe, vt expreſsè dicitur *Num.* 33. non igitur eadem
nocte Phaſe poſt occaſum Solis comederunt in propriis domibus, è quibus
egredi prohibiti ſunt, tota nocte, in cuius medio Angelus occidit primoge-
nitos Ægypti, *Exodi cap.* 12. Illud igitur celebraſſe oportuit nocte præce-
dente initio lunæ decimæquartæ, ita vt interceſſerit dies inter cœnam Agni,
& egreſſionem populi, vt *ex Numerorum* 33. dictum eſt. Tum quia Paſcha lu- 7.
na decimaquarta celebrabatur, *Exod.* 12. Sed dies feſti à veſpera ad veſperam

celebrabantur, *Leuit.*23. Ergo à fine lunæ decimætertiæ ad initium lunæ deci-
mæquintæ. Altera verò ſententia eáque verior eſt, id fieri ſolitum, factúm-
que à Chriſto in fine lunæ decimæquartæ, non autem initio. ita ſentit Hiero-
nymus *in cap.*26. *Matthei.* Auguſtinus *ep.* 86. *ad Caſulanum.* Beda *in c.*22. *Lucæ.* &
*lib.*5. *hiſt.c.*22. Anſelmus *epiſtola de fermentato.* S.Thomas 3.*p. q.*46. *art.*9. & *in Cate-
na Matth.*27. Abulenſis & Liranus *in Exod. c.*12. Gabriel Biel *lect.* 34. *in canonem.*
Sotus 4.*d.*9.*q.*1 *art.*4. vbi dicit eſſe omnium Theologorum, Marcellus Franco-
linus *lib. de horis canonicis. c.* 67. Alphonſus Caſtro *aduersùs hereſes. v. Euchariſtia,*
Cæſar Baronius *in annum* 34. Toletus *in cap.* 13. *Ioannis.* Bellarminus *lib.* 4. *de
ſacrificio Miſſæ,c.*8. Ribera *lib.*5. *de templo.c.*3. Suarez 3.*p.tom.*2.*diſp.*40. *ſect.*2. & 3.
& *tom.*3.*diſp.*41. *ſect.* 1. Coſmas Magalianus *in c.*5. *Ioſue. ſect.*2. *annot.* 19. Andreas
Maſius *in c.* 5. *Ioſue.* Genebrard. *in Chron. anno Chriſti* 36. Azor. *lib.*6. *c.*33. & alij.
1. Idque probatur, primò quia communis eſt ſententia Patrum. Tertulliani *lib.con- 1.
tra Iudæos.c.*10. Orig. *Hom.*23.*in Num.* Auguſt. *tract.*10.*in Ioan.* Gregorij Nyſſeni
oratione de reſurrectione. Epiphanij *lib.*3 *hereſi* 70. Cyrilli Hieroſol.*catech.*13. Ambr.
*ep.*83 *ad Epiſcopos per Æmiliam,* Clementis *lib.*5. *conſt.c.*14.*aliàs* 16.Bedæ *in cap.*18
*Ioan.in cap.*14. *Marci. cap.*22.*Lucæ.*& *lib.de ratione temporis.c.*45. Heſychij *in cap.*23.
Leuit. Innocentij III. *lib.*4.*de ſacramento altaris,c.*4. S.Thomæ *opuſc.*1.*contra errores
Græcorum, in fine,* & 3.*p. quæſt.*46. *art.*9. Socratis *lib.*5.*c.*21. Chryſoſtomi *Hom.* 82.
85. 86. *in Matth.* Anſelmi *in Matth.c.*26. in illud, *Prima autem die azymorum.*
quòd ſi *cap.*27. dicit oppoſitum, videtur corruptus ab aliquo Græco, Abulen-
ſis 2.*p. defenſorij. c.*7.8. Auguſtini Eugubini *in c.* 12. *Exodi.* Chriſtum crucifixum
fuiſſe non profeſto die, ſed ipſo die feſto Paſchæ: ſed dies legalis feſtiuus erat
Lucæ 22.
Matth. 26.
*Marc.*14.
luna decimaquinta, *Num.*28. *Leuit.*24. Oportuit igitur veſperam qua Chriſtus
ſicut reliqui Paſcha cum azymis comedit, & inſtituit ſacrificium corporis &
ſanguinis ſui, fuiſſe veſperam poſteriorem lunæ decimæquartæ; luna enim
decimaquarta non erat feſtiua niſi in ſecunda veſpera, nec in ea ſeruilia opera
prohibebantur, *Leuit.*23. & communi opinione in illud *Ioan.* 13. *Ante diem fe-
ſtum,* & Innocentij *lib.*4.*c.*4. Abulenſis *q.*11. *in c.*9. *Numer.* & *in* 2.*p. defenſorij. c.*8.
& Ribera *lib.*5. *de templo, c.*3. Itaque meritò D.Ambroſius *loco citato* ait, *Et ce-
lebrauit* (Chriſtus) *Paſcha hebdomada in qua fuit decimaquarta luna feria quarta, dein-
que ipſa die, ſicut ſuperiora docent, Paſcha cum diſcipulis manducauit; ſequenti autem die,
hoc eſt, ſexta feria, crucifixus eſt, luna decimaquinta: Sabbato autem magno illo ſextadecima
fuit, ac per hoc ſeptimadecima luna reſurrexit à mortuis.* Hæc Ambroſius. Et quidem
rectè, cùm dicatur *Ioan.*13. Chriſtum ante diem feſtum lauiſſe pedes diſcipu-
lorum; cùm igitur poſtridie fuerit occiſus, feſtus dies erat, & *c.* 16. dixerunt
Iudæi, *Nobis non licet interficere quemquam*; nempe ob diem feſtum, ex Chryſo-
ſtomo *Hom.*82.*in Io.* Cyrillo *in Io. lib.*12.*c.*6. Auguſtino *tr.* 114. *in Ioan.* nam alio
tempore licebat eis blaſphemos occidere, vt *Act.*7. fecerunt in Stephano, &
*Act.*24. facere voluerunt in Paulo. Ioſephus etiam *lib.* 3. *Antiq.* 10. *Sacrificium*
(inquit) *quod exeuntes feciſſe diximus Paſcha nominatum, quotannis inſtaurari lege iu-
bemur; celebramus illud per ſodalitia, nihil è victimis in ſequentem diem reſeruantes, quæ eſt* 2.
2. *decimaquinta, & azymorum feſtiuitatis prima.* Secundò, quia *Exodi* 12. & *Deuter.* 16.
præcipitur Iudæis, vt nox illa qua comederunt Agnum, & Angelus percuſſit
primogenita Ægyptiorum, & dominus in brachio excelſo prope tempus ma-
tutinum illos eduxit de Rameſſe Ægyptij, ſit obſeruabilis in generationibus
ſuis, ita vt in ea celebretur Phaſe cum azymis, quòd vrgentibus Ægyptijs
nullámque moram facere permittentibus, farinam fermentare non potue-
rint.

rint. At nox illa fuit initium diei decimæquintæ, & non decimæquartæ, *Numer.* 33. *Profecti* (inquit) *de Ramesſe menſe primo, quintadecima die menſis, &c.*
Non fuit igitur nec Chriſti tempore, nec vnquam celebratum Paſcha initio
lunæ decimæquartæ; ſequitur igitur ſacrificium corporis & ſanguinis Chri-
ſti vnà cum Paſchate contigiſſe poſteriore veſpera lunæ decimæquartæ.
Quòd autem D. Ioannes *cap.* 13. ante diem feſtum, nominat illud veſpere; *Ad 1.*
cæteri Euangeliſtæ diem Paſchæ dicant, non diſcrepant: quia Ioannes loqui-
tur de die quo ſol oriens, nouum diem à nocte ſecernit, iuxta communem
conſuetudinem loquendi, vt fecit etiam Lucas *cap.* 23. *Et dies erat Paraſceues*
Matthæus *cap.* 28. *Veſpere autem ſabbati, &c.* & Marcus *cap.* 15. *Et cùm ſerò factum
eſſet, &c.* Cæteri autem de die legali, quæ veſpere incipiebat, intellexerunt.
ob id eadem veſpera aliquando computatur, in dierum numeratione, cum
præcedenti, aliquando cum ſequenti, iuxta variam acceptionem diei. Eo-
dem capite cùm dicitur aliquos exiſtimaſſe dictum eſſe Iudæ, vt emeret ne- *Ad 2.*
ceſſaria ad diem feſtum, Ioannes de Sabbato loquitur, non de Paſchate: ſo-
lum enim Sabbatum habebat Paraſceue, vt pararentur neceſſaria, non autem
Paſcha, cùm in eo liceret parare, quæ ſpectabant ad victum, *Exodi* 12. *Ca-
pite* verò 18. Paſchatis nomine D. Ioannes non intelligit Agnum paſchalem, *Ad 3.*
quem comederant nocte præcedente, ſed ſacrificia, quæ ſingulis azymorum
diebus tauros, vitulos, agnos, arietes offerebant, *Numer.* 28. *lib.* 2. *Paralip. cap.*
25.30.35. *Deut.* 16. quibus *ex Num. cap.* 9. non niſi mundi & ſacrificati veſceban-
tur; vt etiam in aliis ſacrificiis 1. *Regum cap.* 16. *Sanctificauit ergo, &c.* & diceban-
tur etiam Phaſe, *lib.* 2. *Paralip.* 35. *& Deuter.* 16. & docet Auguſtinus *quæſt.* 24.
in Deuter. Chryſoſtomus *in Io. Hom.* 82. S. Thomas & Liranus *in cap.* 18. *Io.*
Beda *in cap.* 14. *Marci, &* 23. *Lucæ.* Irenæus *lib.* 1. *cap.* 10. *lib.* 5. *cap.* 23. Abulenſis
in 2. *p. defenſorij, cap.* 8. Toletus *in Io. cap.* 13. *annot.* 3. *&* 5. Bellarminus *lib.* 4. *de* *Ad 4.*
Euchar. cap. 9. *art.* 4. Itémque *cap.* 19. non erat Paraſceue Paſchæ quaſi dies præ-
parationis ad ipſum Paſcha, ſed erat Sabbati Paraſceue, & ſimul erat vnus ex
diebus Paſchæ; omnes enim illi ſeptem dies Paſcha dicebantur, vt patet *ex lib.*
3. *Eſdræ cap.* 1. *& Actorum cap.* 12. ob id Ioannes rem magis explicans eodem
capite, ait, *Iudæi ergo, quoniam Paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora
Sabbato, &c.* & Marcus *cap.* 14. *Et cùm iam ſerò eſſet factum, quia erat Paraſceue quod
eſt ante Sabbatum, venit Ioſeph, &c.* Itaque Paraſceue non erat Paſchæ, quod nul-
lum omnino erat, *ex cap.* 12. *Exodi*, vt diximus, ſed Sabbati. Denique quod *Ad 5.*
dicitur non licuiſſe in die feſto occidere Chriſtum, dicimus primò aliqua cri-
mina grauiora maximè, quæ eſſent contra honorem Dei, licitum fuiſſe ſtatim
punire; vnde die Sabbati occiderunt colligentem ligna, *Numer.* 15. *Cùmque ad-
duxiſſent, &c.* Ideóque prætexuerunt Iudæi blaſphemiam & legis violationem,
vt Chriſtum etiam in Paſchate occiderent: dicimus deinde cùm non timuerint
occidere innocentem, nec reliqua curaſſe, & in conſultatione non habuerunt
rationem feſti pietatis cauſa, ſed ne tumultus fieret in populo; at poſtquam
Iudas ſe obtulit cum ſine turbis noctu tradere, ab ea ſententia eſſe diſceſſum.
Pij verò in emendis neceſſariis ad ſepulturam non violarunt feſtum Paſchæ,
aut Sabbati, cum opera legis non violent feſtum, ideo cùm ſtatuatur *Deuter.* 21.
vt ſuſpenſus eadem die ſepeliatur, ſi licet ſepelire, vt fecit etiam Tobias *cap.* 2.
licet etiam in feſto parare, quæ ad hoc ſunt neceſſaria. Ad alterum etiam di- *Ad 6.*
cendi modum reſpondeo, ſemper eodem die celebratum eſſe Paſcha, nempe in
ſecunda veſpera lunæ decimæquartæ, vt expreſsè docet idem Ioſephus *lib.* 3.

Antiq. cap. 1. *& vltimo*, & Philo *lib.* 3. *de vita Moſis, & in lib. Decalogi.* Ideo Græcum verbum Ioſephi non eſt, illuceſcente, ſed *cum aduenisſet*, ſeu *exiſtente luna decimaquarta.* Neque obſtat quòd *Exod. cap.* 12. dicatur, *Nullus veſtrùm egrediatur oſtium domus vſque mane*, cùm tantùm ſint egreſſi compellentibus Ægyptiis prope tempus matutinum. Sicut neque obſtat quod dicitur *Deuter.* 16. *Immolabis Phaſe ad Solis occaſum, quando egreſſus es de Ægypto.* Nam *quando*, non ſignificat determinatè horam, ſed noctem eamdem. Neque quod habetur *Num.* 33. altero die à Phaſe Hebræos exiiſſe de Rameſſe, ſiue ibi antea congregati fuiſſent, vt dicit Ioſephus *lib.* 2. *Antiq. cap.* 5. & Hieronymus *epiſt.* 127. *ad Fabiolam.* Vix enim alioquin apparet, quomodo ſi eadem die ibi congregandi fuiſſent, exercitus deinde potuiſſet cum pueris & mulieribus eadem die peruenire in Socoth; ſiue congregandi ex vicinioribus pagis. Niſi velimus Rameſſe ibi accipiendam non ſolùm pro vrbe, ſed etiam pro regione, cùm vtrumque ſignificet ex Geneſi *cap.* 47. & Hieronymo *libro de locis Hebraicis.* Difficillimè enim tanta hominum multitudo in vna vrbe comprehendi potuiſſet, cùm exierint ſexcenta ferè millia peditum, exceptis mulieribus & pueris, *Exodi* 12. Rameſſe enim egreſſi dicuntur altero die à Phaſe, quia prope tempus matutinum cogentibus Ægyptiis ſiue ex vrbe, ſiue à regione Rameſſe, iter agere cœperunt versùs Socoth, quò eodem die peruenerunt. Illud enim mane lunæ decimæquintæ, quæ ob id feſtiuus dies futurus erat, *Num.* 28. nouus dies naturalis erat, licèt ad eumdem diem feſtum ſpectaret, & alter à die naturali decimæquartæ, in cuius ſecunda veſpera Phaſe immolatum erat, *Leuit.* 23. ad eum modum, quo *Io.* 13. dictum eſt, *Ante diem feſtum Paſcha.* Solitos verò fuiſſe Iudæos feſtos dies incipere veſperi hora 21. docet etiam reſcriptum Auguſti Imperatoris apud Ioſephum *lib.* 16. *Antiq. cap.* 10. illis verbis: *Neque Iudæos cogi ad præſtanda vadimonia Sabbatis, aut pridie Sabbatorum poſt horam nonam in Paraſceue.* Videatur idem de bello Iudaico *lib.* 5. *cap.* 9. *lib.* 7. *cap.* 12. Ad id denique, quod poſtremo loco dicebat de die Paſchatis, dicimus diem Paſchæ fuiſſe comprehenſum veſpera diei decimæquartæ, *Exod.* 12. & duraſſe vſque ad veſperam diei decimæquintæ, *Num.* 28. vnde diximus eſſe communem Patrum ſententiam Chriſtum paſſum in ſolemni feſto Paſchatis lunæ decimæquintæ, non autem à veſpera diei decimætertiæ vſque ad veſperam diei decimæquartæ. Relinquitur igitur etiam ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti inſtitutum fuiſſe ad veſperam ſecundam lunæ decimæquartæ, inchoante luna decimaquinta, quæ eo anno ponitur à multis auctoribus incidiſſe die 24. menſis Martij, & Chriſtum paſſum die 25. ex Tertulliano *lib. contra Iudæos, cap. de paſſione Chriſti,* Chryſoſtomo *Hom. de S. Io. Baptiſta,* Auguſtino *lib.* 18. *de ciuit. cap. vltimo. lib.* 4. *de Trinit. cap.* 5. Sed hac de re non eſt eadem omnium ſententia. Nam Beda *de rat. temp. cap.* 65. Metaphraſtes Ado Viennenſis *in Chronico,* Cedrenus *in Compendio,* Anſelmus *opuſc. de imagine mundi. cap.* 17. Euſebius Cæſarienſis apud Anaſtaſium Antiochenum *in lib. variarum qq.* Marcellus Francolinus *cap.* 62. *de horis can.* Franciſcus Turrianus *in notis ad lib.* 5. *conſtit. Clem.* volunt Chriſtum crucifixum die 23. reſurrexiſſe autem 25. vt expreſsè docet Auguſt. *ſerm.* 22. *de temp.* cùm ait: *Qua die conceptus eſt in vtero Virginis, in ipſa reſurrexit ab inferis cum gloria paſſionis.* ideo inſtitutionem S. Euchariſtiæ contigiſſe die 22. Non vacat tamen myſterio inſtitutum fuiſſe tranſacta hyeme in ipſa verna temperie, vt iam ſeneſcentis orbis demonſtraretur per Chriſtum renouatio, & gratiæ pulchritudo. Vnde Rupertus *lib.* 1. *in Exod. Ipſa* (inquit) *menſis Niſan verna temperie*

cum

cùm tellus reflorescit, totúſque poſt hyemem quaſi poſt ſenium rurſus iuueneſcit orbis; nónne ſenſatum hominem docet, quatenus ſpiritu mentis ſuæ renouatus, & fide viridis, ſpéque lætus, & charitate floridus, ſpiritualibus Agni paſchalis interſit epulis, &c. Vt etiam diurna lux quæ eo tempore creſcit, Chriſtiano homini poſt Agni cœleſtis eſum in virtutibus progrediendum eſſe deſignat.

5. Quærenti denique, quinam tunc eſſet hebdomadæ dies? dicimus fuiſſe feriam quintam: vt docet S. Syluester, qui (vt conſtat ex eius actis) inquit: *Dominicus dies colitur, quia reſurrectionis gloria illuſtratus eſt, cur à Chriſtianorum feſtis feria quinta putetur excludenda, in qua aſcenſionem Domini conſtat eſſe Apoſtolis reuelatam. In hac etiam die ſacrificium ſacri corporis Domini & ſanguinis ab ipſo Domino celebrationis ſumpſit exordium.* & S. Ambroſius *epiſtola* 83. *ad Epiſcopos Æmiliæ: Et celebrauit* (Chriſtus) *Paſcha, hebdomada in qua fuit decimaquarta luna, feria quinta, ipſáque die, ſicut ſuperiora docent, Paſcha cum diſcipulis manducauit.* Similiter Auguſt. *epiſt.* 86. *ad Caſulanum. Cur autem quarta & ſexta maximè ieiunet Eccleſia, illa ratio reddi videtur, quòd conſiderato Euangelio ipſa quarta Sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, Concilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Iudæi: intermiſſo autem vno die, cuius veſpera Dominus Paſcha cum diſcipulis manducauit, qui finis eſt eius diei quem vocamus quintam Sabbati: deinde traditus eſt ea nocte, quæ iam ad ſextam Sabbati, qui dies paſſionis eius manifeſtus eſt, pertinebat.* & alij Patres. Idémque apertè conſtat ex Euangelio; cùm enim in vltima cœna pridie quàm pateretur, inſtituerit, *Matth.* 26. *Lucæ* 22. 1. *Corinth.* 11. *can. Miſſæ, Clementina vnica, de reliq. & ven. ſanct. & Concilio Tridentino ſeſſ.* 13. *c.* 1. *& ſeſſ.* 22. *c.* 1. *& can.* 2. paſſus autem ſit feria ſexta, vt docet D. Lucas *c.* 23. *Dies,* inquit, *erat Paraſceues, & Sabbatum illuceſcebat, &c. & Io.* 19. *Iudæi ergo, quoniam Paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, &c.* Marcus 15. *Et cùm iam ſerò factum eſſet, quia Paraſceue erat, quod eſt ante Sabbatum, venit Ioſeph, &c.* ſequitur inſtitutionem contigiſſe feria quinta. Ideóque factum eſt, teſte Cypriano *epiſt.* 63. *ad Cæcilium* & Auguſtino *epiſt.* 118. *ad Ianuarium,* vt eadem feria quinta hebdomadæ ſanctæ in Africana Eccleſia veſpere (à ieiunis tamen) celebraretur in huius inſtitutionis memoriam: immo & in Alexandrina etiam poſt cœnam, ex Sozomeno *lib.* 7. *c.* 19. Ex quo etiam colligitur eadem omnino hebdomadæ die accidiſſe Paſcha cum diſcipulis à Chriſto celebratum & inſtitutum fuiſſe ſacrificium euangelicum, ac ante annos 1543. prima vice ab Hebræis Agnum paſchalem. Nam Hebræi die 30. ab egreſſu de Rameſſe fecerunt manſionem octauam in Sin, vbi deficiente farina defecerunt voſci azymis. Vnde & in craſtino Dominus eis dedit manna, quod ex D. Auguſtino *ſerm.* 154. *de temp.* cœpit deſcendere prima Sabbati, id eſt, die Dominico; cùm igitur die 31. ab egreſſu fuerit dies Dominica, neceſſe eſt diem exitus fuiſſe feriam ſextam, in cuius initio, quod ſumitur ab occaſu Solis præcedentis diei, nempe feria quinta, Hebræos prima vice comediſſe Agnum paſchalem feria quinta, vti fecit Chriſtus in vltima cœna; in qua etiam abrogato veteri, nouum ſacrificium inſtituit: vt ex hoc etiam diuinam admireris prouidentiam. Idque noctu factum, vt docet D. Paulus 1. *Corinth.* 11. *In qua nocte tradebatur, &c.* tum quia noctu paſchalis Agnus, huius diuini ſacrificij figura, immolabatur, iuxta illud diuini eloquij: *Et edent carnes nocte illa aſſas igni.* tum quia, vt ait D. Gregorius *Hom.* 22. in ſacramento modò dominicum corpus accipimus, quando adhuc inuicem noſtras conſcientias non videmus. tum quia captiuandus eſt in tanto myſterio intellectus in obſequium fidei, & Chriſti: vt enim Iſaias dixit *c.* 7. *Niſi crediderit,*

Vide etiã Eugubinum in c. 12. *Exodi. & Andreã Maſium in c.* 5. *Ioſue.*

Exod. 12.

dideritis, non intelligetis. In cuius etiam figuram voluit Deus velo obtegi Sancta Sanctorum. *Exod.26.Inſeretur, &c.* tum ad innuendum accedentem ad hoc myſterium remotiſſimum eſſe oportere à ſtrepitu cæterarum rerum, vti nocturnum tempus eſt quieti aptiſſimum. tum ex Chryſoſtomo *Hom. 83. in Matth.* & Paſchaſio *lib. de ſacram. Altaris. c.20.* vt ipſa hora ſacrificij oſtenderet finem ſeculi deueniſſe, iuxta illud *1.Io.c.1. Filioli mei,iam nouiſſima hora eſt.* Neque alibi quàm Hieroſolymis, quæ viſio pacis dicitur, vt manducaturis pacem habendam indicaret, quia in pace factus eſt locus eius, *Pſ. 75.* Et in domo in quam prius intrat aqua. *Occurret vobis homo amphoram aquæ portans, Lucæ 22.* quia non facit Chriſtus Paſcha vbi non eſt aqua Baptiſmi & lacrymarum pro criminibus admiſſis. Atque domi, non extra, iuxta illud quod de Agno paſchali, *Exod. 12.* dictum fuerat: *In vna domo comedetis, nec efferetis de carnibus eius foras.* Idque vt deſignaret, Cypriano teſte *ſerm. de cœna Domini*, in Eccleſia tantùm, & non foris, eaque innumeris donis & chariſmatibus Spiritus ſancti ornata diuinum ſacrificium offerri. Et in cœnaculo magno, quòd exigat cor adeò amplificatum charitate, vt non ſolùm amicos, ſed etiam inimicos amore proſequatur. Et tapetibus ſtrato, non tantum mundo, omnibus ſcilicet ornato virtutibus. atque ſtragulis, quæ otio & quieti ſeruiunt, de quibus infrà *lib.4. c.11. n.11.* quòd ante communionem quiſque meditationi vacare debeat. Et poſt cœnam legalem, ad oſtendendam illam fuiſſe iſtius vmbram & figuram, ex D. Leone *ſerm.7.de paſſione.* Sed cur in ipſa prope paſſionis hora, non diu antea, aut certè poſt reſurrectionem? An ex Hieronymo *in c.11. epiſt.1. ad Corinth.* Auguſtino *epiſt. 118. ad Ianuarium*, & refertur *de conſecr. d. 2. can. liquido*, & Algero *lib. 1. c. 27. de ſacramento Altaris*, vt firmiùs in nobis eius memoria remaneret? Si quis enim peregrè proficiſcens pignus amoris ſymbolum ei, quem diligit, relinquat, accipiens, ſi ingenuo ſit animo, non poterit donum aſpiciens abſentis amici cum fletu & deſiderio, non recordari; ita paſſurus Chriſtus hoc diuini amoris reliquit pignus, vt eius beneficium & charitatis memoriam perfectiùs conſeruaremus. Quod paucis complexus Chryſoſtomus *in 1.ad Corinth. c.11. Hoc* (inquit) *Chriſti myſterium ſub vitæ finem traditum, nobis commemorat Apoſtolus, vt quaſi extrema morientis Patris mandata exciperemus. An vt diſcedens à nobis ad mortem præſentia viſibili, ſaltem ſub his ſacris ſpeciebus & ſymbolis ſacramentaliter tecto frueremur, veriſſimùmque eſſe doceret, delitias eius eſſe cum filiis hominum commorari? An vt eius in nos charitas eximia clarius pateret, quippe qui hominibus opiparè tunc conuiuium præpararit, cùm homines in eum odio flagrarent incredibili, & conuitia, verbera, clauos, crucem, mortem denique ei decernerent? Aquæ enim flumina charitatem eius extinguere non potuerunt. Vtinam & nos viciſſim cum D. Paulo* ad Romanos 8. *verè & ex animo dicere poſſimus*: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, &c. *cùm & adeò ab eo dilectos, & tantis ab eodem beneficiis nos cumulatos videamus.*

In Miſſa verum ſacrificium Deo offerri. CAP. III.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium propriè dictum actum eſſe virtutis religionis.*
2. *Ita tamen ſub religionis actu comprehenditur, vt ſub externa oblatione Deo facta, tanquam ſub proximo genere,comprehendatur.*

3. *Oblationem*

3. *Oblationem verò rei permanentis, & non tranſeuntis, eſſe oportere.*
4. *Ita tamen, vt certis caremoniis, ac legitimo ritu, res conſecretur, & immutetur.*
5. *Non à quocunque, ſed publico & legitimo miniſtro ad hoc ex hominibus aſſumto, pro legis diuerſitate.*
6. *Idque in proteſtationem diuinæ excellentiæ, & ſubiectionis noſtræ; quare ne ſuperſtitio & idololatria ſit, ſoli Deo fieri neceſſe eſt.*
7. *In Chriſti Eccleſia eſſe propriè dictum ſacrificium, nec aliud ſanè quàm Miſſæ, probatur Prophetarum oraculis, euangelico ſacerdotio, & altari, atque ratione.*
8. *Diuino iuramento Patris ad Filium,* Tu es Sacerdos in æternum.
9. *Intrinſeca ratione ſacrificij, & actionis Miſſæ.*
10. *Chriſti Domini in vltima cœna factis, & verbis.*
11. *Atque Apoſtolorum, Conciliorum, ac Patrum teſtimoniis contra Nouatores conuincitur.*
12. *Ac tandem, quæ ab eis contra veritatem obiiciuntur, argumenta ſoluuntur.*

1. IAm verò ſi eſſentiam, non accidentia, ſacræ Liturgiæ ſpectemus, Miſſam verum ſacrificium eſſe, ſeu, vt cum Concilio Tridentino loquamur *ſeſſ. 22. c.2. & can. 1.* verum ſacrificium in eo fieri docendum eſt. Illud autem conſtituendum eſt primum, ſacrificium, Græcis Thyſiam, actum eſſe Religionis, vt rectè D. Auguſtinus *lib.20. contra Fauſtum. c.21.* & S. Thom. 2.2. *queſt.85. art.3.* ſenſerunt: ſumimus autem ſacrificij nomen propriiſſimè, pro actu ipſo, quo res fit ſacra, & Deo offertur, & conficitur. ſeu pro immolatione & ſacrificatione ipſa; cùm, vt nomen ipſum indicat, ex Gregorio *can. multi. 1. q.1.* & Iſidoro *lib. 6. Etymol. c.19.* ſacrificium ſit ſacrificatio. quo ſenſu in ſacris litteris ſumitur *lib. 1. Regum c.16. Et vocauit* (inquit) *ad ſacrificium eos,* & *lib.3. Reg. c.12. Si aſcenderit populus iſte, vt faciat ſacrificium in domo Domini.* & quotieſcunque dicitur fieri ſacrificium. & M. Tullius *lib. de inuent.* dixit, *Prabere hoſtias ad ſacrificia.* & Liuius *lib.24. Sacrificio ritè peracto, &c.* Non autem, pro hoſtia, ſeu re oblata, quæ etiam aliquando ſacrificij nomine appellatur: vt *Leuit. 2. Cum autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano, &c.* & *c. 10. Tollite ſacrificium, quod remanſit de oblatione Domini, & comedite illud abſque fermento, iuxta altare.* & Paulus *ad Hebr. c. 5. Vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* & quoties dicitur offerri ſacrificium. Sacrificium igitur actum eſſe religionis patet, quia eſt proteſtatio quædam diuinæ excellentiæ, vt eſt Dominus omnium, & ad ſupremum latriæ cultum pertinet, qui ſoli Deo debetur, vt *lib.2. c.1.* fuſiùs diſputabitur, quæ ſanè ad religionem pertinet, quippe quæ circa Dei cultum & honorem occupetur.

2. Quia verò non omnis religionis actus ſacrificium dici poteſt (neque enim rectè quis orationem, votum, iuramentum, tunſionem pectoris, aliósque pios ritus multos ſacrificium propriè appellarit; cùm in his nulla hoſtia, quæ immoletur, aſſignari poſſit, in omni tamen ſacrificio neceſſaria, vt etiam ſignificauit Iſaac *Geneſis c. 22. Ecce* (inquit) *ignis & ligna, vbi eſt victima holocauſti?* Ita ſacrificium religionis eſt actus: vt ſub oblatione externa, quæ Deo fit, tamquam ſub proximo genere contineatur. Nam cùm ſacrificare idem ſit, quod ſacrificium offerre, neceſſe eſt, vt ſacrificium ſit oblatio aliqua. Ob id *Geneſis c.4.* Abel dicitur obtuliſſe de primogenitis gregis ſui. & *Geneſ. c.8.* Noë obtuliſſe holocauſta ſuper altare, cùm Scriptura demonſtrare vellet eos ſacrificaſſe; & D. Paulus *ad Hebræos c. 5. Omnis* (inquit) *Pontifex ex hominibus aſſumtus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.*

& c. 7. *Prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, &c.* & *cap.* 8. *Ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur, vnde & neceſſe eſt hunc habere aliquid, quod offerat.* & *cap.* 9. *Iuxta quam munera & hoſtiæ offeruntur.* & *c.* 10. *Quia hoſtias & oblationes, & holocauſtomata, & pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur.* Vnde meritò Theophylactus *in c.* 8. *ad Hebræos*, *Thyſiæ* (inquit, *id eſt, hoſtiæ ſunt per carnem & ſanguinem oblationes, vel, quod exactius certiúſque eſt, omnia, quæ per ignem ſacrificantur.* Oportet tamen hanc oblationem externam eſſe, & ſenſibilem. Cùm enim ſacrificium ad externum Dei cultum pertineat, quo internam humilémque noſtram ſubiectionem ad Deum declaramus, oblatio etiam ipſa externa, & ſenſibilis eſſe debet: vt meritò S. Thomas 2. 2. *q.* 85. *art.* 3. negauerit internam voluntatem, qua quis ſe ſuáque Deo offert, eſſe propriè ſacrificium. Quòd ſi D. Auguſt. *lib.* 10. *de Ciu. c.* 4. & 5. illam nominat ſacrificium, per analogiam & metaphoram id fecit. Sicut & Dauid *Pſ.* 50. contritionem cordis, & ſpiritum contribulatum, ſacrificium dixit. Quamquam quia inuiſibilis & interna illa oblatio, piáque voluntas, ſæpe Deo magis placet, quàm viſibilis & externa, cùm hæc ſine illa placere Deo non poſſit; illa verò ſine hac ſæpiſſime, ſitque velati anima & forma illius, meritò fatetur S. Thom. *loco cit. ad* 2. eſſe principale ſacrificium, & ſi ſacrificij nomen per analogiam illi conueniat. & Dauid cùm de externo & viſibili ſacrificio dixiſſet: *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis*; de inuiſibili & interno illo Dei cultu ſubdit: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

Porrò huiuſmodi oblatio externa debet eſſe rei permanentis, non autem 3,
tranſeuntis, vt ſunt pſalmodiæ, genuflexiones, & aliæ huiuſmodi actiones factæ in honorem Dei, quæ propriè ſacrificia non ſunt. Quamuis enim omne opus in Dei cultum relatum, interdum appelletur ſacrificium, vt contritio cordis, *Pſ.* 50. mortificatio carnis, *ad Rom.* 12. oratio, *Pſ.* 140. & *Oſeæ c.* 14. iubilatio, *Pſ.* 26. diuina laus, *Pſ.* 106. 115. *Hebr.* 13. eleemoſyna, *ad Hebr.* 13. iuſtitia, *Pſ.* 50. & alia, quæ D. Chryſoſtomus *in Pſ.* 95. inter ſacrificia connumerat: ſacrificia tamen propriè non ſunt, ſed metaphoricè, & per analogiam, verbi gratia, quòd cor inſtar frumenti contritum, & diuini amoris igne quaſi ſuccen-
1.Pet.3. ſum, ſacrificium imitetur. Sic mortificatio carnis, quòd cùm mortificamus membra noſtra quæ ſunt ſuper terram, carnémque noſtram peccatis mortuam, ſed gratiæ viuentem, Domino offerimus, videatur etiam ſacrificium, in quo animal in Dei honorem & cultum mactatur, & ſic de aliis, quæ, vt rectè docet Canus *lib.* 12. *de locis theol. c.* 13. non niſi per tropos ſacrificium dicuntur. Quod tantum voluit etiam D. Auguſtinus cum *lib.* 10. *de Ciuit. c.* 5. & 6. opponens internum ac ſpirituale ſacrificium, ſacrificiis legalibus & merè externis, dixit, verum ſacrificium eſſe omne opus bonum, quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo. Alioquin enim quomodo diſtingueretur *Oſeæ* 6. miſericordia, & *lib.* 1. *Reg. c.* 15. obedientia, & *Pſ.* 50. contritio à vero ſacrificio? Quomodo in veteri lege cæremoniarum & ſacrificiorum diſtincta præcepta præſcripta eſſent à præceptis Decalogi de cultu Dei in communi, & virtutum officiis? quomodo non etiam fœminæ ſacrificia offerre dicerentur, cùm & ipſæ pia opera exerceant, ſi omne opus bonum eſſet ſacrificium? Rectè igitur S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 85. *art.* 3. dixit ſacrificium propriè eſſe id quod ex propria ratione ſua, non habet aliam laudem, quàm quod in Dei gloriam res aliqua oblata deſtruatur: actus autem aliarum virtutum, vt iuſtitiæ & miſericordiæ

ex

ex ſe laudem habere, ideóque non eſſe propriè ſacrificia. Quin & D. Auguſtinus ipſe *loco citato,cap.* 5. planè dicit, hoc externum ſacrificium eſſe id, quod ab hominibus ſacrificium appellatur. Quare res ſacrificio oblata, externa & permanens res aliqua eſſe debet, vt etiam innuit D. Paulus *ad Hebr.* 5. cum ait: *Ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur* (Sacerdos;) *vnde neceſſe eſt & hunc* (Chriſtum) *habere aliquid quod offerat.*

4. Quamquam non omnis oblatio externa rei permanentis Deo facta ſacrificium ſit, vt idem D. Thomas, Canus, Soto, Valentia, Bellarminus, Suarez aliíque Theologi notarunt, ſed ſolùm cùm circa rem oblatam ſacerdos per actionem conſecratiuam, & aliquo modo immutatiuam rei, aliquid ſacri facit: vt, verbi gratia, cùm certis verbis & cæremoniis, vtputa eleuatione in altum coram Deo, manuumve impoſitione, occidebatur animal, thus incendebatur, contercebatur frumentum, frigebatur ſimila in ſartagine oleo conſperſa, panis frangebatur, & comedebatur; alioquin enim D. Paulus non diſtinxiſſet oblationes ſeu dona, & munera, à ſacrificio, vt fecit *ad Hebr.* 5 *Vt offerat dona & ſacrificia*, & c. 8. *Ad offerendum munera & hoſtias*; aliàs fideles laici aliquid Deo offerentes ſacrificare dicerentur. Quod abſurdum eſt. Vnde Chryſoſtom. *Hom.* 18. *in epiſt. ad Hebr.* explicans illud, *Sacrificium & oblationem noluiſti: Oblatio* (inquit) *erat quicquid extra ſacrificium erat.* & Theophylactus *in c.* 8. *ad Hebr. Thyſia, id eſt, hoſtia, ſunt per carnem & ſanguinem oblationes, vel, quod exactius & certius eſt, omnia quæ per ignem ſacrificantur.* Thyſia enim propriè eſt à verbo thyeſte, quod eſt thymiaſte, hoc eſt, *adolere, vel ſuffitum edere*: dona autem ſunt fructus, vel quæcumque alia incruenta, & igne carentia. Addit tamen non ſemper hanc differentiam ſeruari, cùm *Gen. c.* 4. ſacrificium Abelis de primogenitis ouium, munera dicantur. Immo Septuaginta oblationem Abelis δῶρα, id eſt, *munera*, & Cain θυσίας, id eſt, *hoſtias & victimas* appellent, cùm tamen fuerint fructus terræ. Neceſſe eſt igitur, vt non omnis oblatio externa reíque permanentis ſit ſacrificium, vt ex eo conſtat, quia cùm animalis viui oblatio fiebat, non dicebatur ſacrificium, alioquin Iudæi ſuos filios ſacrificaſſe dicerentur, quòd illos Deo offerrent. Sic Aaron quòd *Num.* 8. Leuitas Deo obtulerit: ſed ſolùm, cùm certo ritu in Dei honorem & cultum animal per occiſionem, aut combuſtionem immutabatur, qua offerentes teſtabantur Deum non ſolùm vſum habere rerum, ſalua earum ſubſtantia, ſed etiam abſolutum dominium, vtpote in cuius honorem & cultum ſubſtantia & vita rei oblatæ conſummaretur, nóſque tamquàm ſubditi ei quaſi tributum redderemus, re tranſlata in altare veluti domum Dei eam acceptantis; verùm licet ab ſuffitu & immolatione per ignem primitus a Græcis nomen factum ſit ſacrificio, vt diximus ex Theophylacto, & teſtatur etiam Porphyrius *lib. de abſtinentia à carnibus*, & Euſebius Cæſarienſis *lib.* 1. *præpar. euang. c.* 16. quòd hoſtia & victima cremaretur; vox tamen eſt deinde deriuata etiam ad oblationem, quæ alio modo immutaretur, vt rectè Canus, Bellarminus, & alij tradiderunt: vnde ſacrificium Melchiſedechi panis & vini igne conſumtum non eſt, ſed ſolùm certo ritu ſacratum, Deóque oblatum, conuenienti immutatione, potu videlicet & eſu conſumtum eſt, ex Clem. Alexandrino *lib.* 4. *Strom. in fine*. Damaſceno *lib.* 4. *de fide c.* 14. Hieronymo *epiſt.* 126 *ad Euagrium*, Epiphanio *hæreſi* 55. Euſebio *lib.* 1. *hiſtor. eccleſ. c.* 1. Ioſepho *lib.* 1. *Antiq. c.* 11. Cano *lib.* 12. *de locis theolog. c.* 13. Bellarmino, & alijs recentioribus.

θύειν. θυεσθαι. θυμιᾶσθαι.

5. At neque quæcumque oblatio externa rei permanentis in Dei honorem,

certis cæremoniis ſacratæ & immutatæ rectè ſacrificium dici poteſt, niſi ſimul etiam fiat à publico & legitimo miniſtro. Etſi enim oblationes à priuatis fieri poſſint viris & fœminis, ſacrificium tamen fieri non poteſt; verius enim ſacrilegium eſſet, quàm ſacrificium. Sacerdos enim ſolus eſt, qui ex hominibus aſſumtus, conſtituitur, vt Deo dona & ſacrificia offerat, & nemo ſibi iure aſſumit hunc honorem, niſi qui vocatur à Deo tamquam Aaron, vt ſcribit D. Paulus *ad Hebræos c. 5.* Quare *Num. 16.* Dathan, Core, & Abiron viui terra abſorpti ſunt, quòd tentarint ſibi ſacerdotale munus vſurpare. Ozias à Deo lepra in fronte percuſſus, quòd ingreſſus templum Domini incenſum ſuper altare adolere voluerit, *lib. 2. Paralip. c. 26.* Saül eadem de cauſa regno priuatus *lib. 1. Reg. c. 15.* Et quidem in lege naturæ filius primogenitus & natu maximus ſuo iure ſacerdotio fungebatur, ex D. Hieronymo *epiſt. 126. ad Evagrium*, Eucherio, Iſidoro, Lirano, Lippomano, Pererio *in cap. 25. Geneſeos*, explicantibus, quænam fuerint primogenita quæ vendidit Eſau, & D. Thomas 1. 2. *q.* 103. *art. 1. ad 3. & 2. 2. quæſt.* 87. *art. 1. ad 5.* dicit ſeruatum id, eo tempore ex humana inſtitutione; quamuis aliquando Deus inſpirauerit minoribus vt munere ſacerdotis fungerentur, vt Abeli & Iacob relicto maiore, vt ſignificaretur Iſraël populum primogenitum eſſe repellendum, eligendum verò Gentilem, vt docet Tertullianus *lib. aduerſus Iudæos. c. 5.* Quare ex prædictis Patribus nonnulli docent Iacob non commiſiſſe ſimoniam, etiamſi pro primogenitura lentes dederit Eſau, quia à Deo electus fuerat ad primogenituram, idcóque tantùm vexationem redemiſſe pretio in eo quod ei alioquin debebatur. In lege autem veteri ex inſtitutione diuina *Exod.* 28. Aaron & filij eius electi ſunt. In noua denique euangelica non ex determinatione populi, neque per ſucceſſionem carnalem, ſed per legitimam conſecrationem à Chriſto Domino inſtitutum ſacerdotium, ſacrificandíque munus demandatum eſt, cùm dictum eſt, *Hoc facite in mei commemorationem*, *Lucæ* 22. Vt docet S. Clemens *lib. 5. conſtit. Apoſt. c. 18. & lib. 8. c. 36.* Iuſtinus dialogo cum Tryphone, Felix IV. Papa *de conſecr. d. 1. can. ſicut non alij.* & Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. c. 1. & can. 2.* qua de re fuſiùs diſputaturi ſimus *lib. 2. c. 5.*

Requiritur denique vt verum ſacrificium, & non ſuperſtitio & idololatria ſit, vt Deo tantùm fiat, vt patet *Exodi* 22. *Qui diis ſacrificat, præterquam Domino ſoli, occidetur.* & docet Auguſtinus *lib. 20. contra Fauſtum. c. 21. lib. 10. de Ciuit. 4. 5. 19. & epiſtola 49. quæſt.* 3. & S. Martialis, qui Dominum in carne vidit, *epiſtola ad Burdigalenſes. c. 3.* Cùm enim contineat ſupremum latriæ cultum, quòd ex hominum inſtitutione ſit proteſtatio ſupremi dominij Dei, eidemque ſummæ noſtræ ſubiectionis, Deo ſoli iure fieri poteſt. Ex quo fit vt opus, quod ex ſe erat indifferens, vt animalia occidere, & cremare, &c. cùm fit ad ſignificandam huiuſmodi excellentiam Dei, & ſubiectionem noſtram, ſit iam religioſum opus, & Deo charum & gratum; & ob id eumdem nobis placabilem reddat, qui eſt præcipuus effectus ſacrificij. Hinc intelligimus huiuſmodi moralem ſignificationem, nempe excellentiæ Dei tamquam rerum omnium principij & finis & ſubiectionis noſtræ, dum eum ſacrificiis colimus, eſſe de ratione ſacrificij. Si enim alio fine fiant, non niſi æquiuoce erunt ſacrificia. Sicut qui caput non honoris ſed irriſionis cauſa aperit, non dicitur alterum honorare. Idémque in reliquis ſignis ſi non fiant animo ſignificandi id propter quod ſunt inſtituta. Quare neque ſacrificium quod ſignum quoddam & ipſum eſt, ſi deſit hic affectus & exiſtimatio. 6.

Sicut

Sicut enim ſignificatio nominum eſt de eorum eſſentia, & quaſi forma, vt rectè Plato apud Speuſippum, *lib. de definitionibus Platonis*, Ariſtoteles 1 *lib. de interpret.* & Ammonius, vt cæteros omittam, *lib.* 1. *de interp. ſect.* 1. *comm.* 2. docent, ita etiam huiuſmodi proteſtatio eſt de ratione ſacrificij; cum ſacrificium ad hoc ipſum fuerit inſtitutum: vt ſignificat etiam Auguſtinus *lib.* 10. *de Ciuit. c.* 5. docens, ſacrificium viſibile inuiſibilis ſacrificij ſignum eſſe. Et affirmat ſanctus Thomas 2.2.*q.*85.*art.*1.*&* 2. quia modus conueniens homini ſit, vt ſenſibilibus vtatur ad inſenſibilia exprimenda, cùm ex ſenſibilibus cognitionem capiat; ideóque ex naturali ratione pendere vt homo Deo offerat ſenſibilia ſacrificia in ſignum debitæ ſubiectionis, & honoris, ſicut ſubditi ſuis dominis aliqua offerunt in recognitionem dominij: vnde concludit hoc ad rationem ſacrificij pertinere. Quæ vna cauſa fuit, teſte D. Auguſtino *lib.* 10. *de Ciu. c.* 19. vt dæmon ſemper ſummopere exoptarit ſacrificia ſibi offerri. Sed id *lib.* 2. *c.* 1. diſputabitur vberiùs. Ex quibus colligit S. Thomas *loco citato*, Caietanus *ibidem*, Sotus *lib.* 9. *de inſtit. q.* 1 *art.* 1. & Euſebius *lib.* 1. *demonſt. euang c. vltimo*, cùm ſe Deo interiùs ſubiicere, idque externo aliquo ſigno declarare, ſit quid homini naturale, conſequenter etiam oblationem ſacrificij ad ius naturale pertinere. Quamquam deinde inter autores ſit dubium, an id fuerit ſimpliciter præceptum in lege naturæ, vt videtur velle S. Thomas, ita vt alio cultu, v.g. oratione vocali, genuflexione, &c. præceptum naturale colendi Deum non potuerit impleri, ſine ſacrificio; an verò tantùm ſacrificium fuerit modus ſufficiens ad implendum huiuſmodi præceptum naturale colendi Deum actu interno & externo, vt Franciſcus Suarez noſter *diſp.* 73. *ſect.* 8. & alij ſentiunt, quòd cultus externi varij ſint, & nullum videatur eſſe naturale principium ex quo ſufficienter colligatur, determinationem ad talem modum, nempe ſacrificium, fuiſſe ſimplicirer neceſſariam; & D. Clemens *lib.* 6. *conſtit. c.* 20. ſcribat antiquos Patres in lege naturæ non ex obligatione, ſed ex voluntate ſacrificaſſe. Concludamus igitur ex diſputatis neceſſe eſt, ſacrificium nihil aliud eſſe quàm oblationem externam rei permanentis certo ritu in Dei honorem & cultum conſecratæ, & immutatæ à legitimo miniſtro in proteſtationem illius ſupremi dominij & ſubiectionis noſtræ. Ideóque, vt more phyſico loquamur, illius materia eſt res externa permanens, forma oblatio cum immutatione conuenienti, efficiens ſacerdos, finis honoris Dei noſtræque ſubiectionis proteſtatio. Porrò quomodo veteris legis ſacrificia diuiderentur, *hoc eodem lib. c.* 8. dicemus. Nunc iam quod propoſuimus, nempe in Miſſa verum ſacrificium Deo offerri, demonſtremus.

7. Et ſane primò certum eſt Chriſti Eccleſiam, ſine ſacrificio viſibili & proprio haud eſſe debuiſſe, quòd diuinis oraculis id fuiſſet prænunciatum. Nam *Iſaiæ c.* 56. dicitur, *Et filios Aduenæ* (id eſt, Gentes) *qui adhæſerunt Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt ſint ei in ſeruos: omnem cuſtodientem Sabbatum ne polluat illud, & tenentem fœdus meum. Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. holocauſta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. Ait Dominus Deus, qui congregat diſperſos Iſrael, adhuc congregabo ad eum congregatos eius. Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum, vniuerſæ beſtiæ ſaltus.* Quibus ſanè Deus apertè prædicit, in Eccleſia ex Gentibus congreganda in nouo Teſtamento ſuper altari in domo Dei ſeu templo eſſe offerendum ſacrificium Deo gratum. Oportet igitur vt ſacrificia externa ſint, ſi in altari offerri debent, ne Caluinus, Lu-

therus aliíque Nouatores ad ſacrificia ſpiritualia confugiant. vnde ſtatim eáſdem Gentes, quas beſtias vocat, quòd antequam ad Euangelium conuerterentur, efferatis ac belluinis moribus vitam viuerent, inuitat ad manducandum de oblatis ſuper altari. Et *cap. vlt.* *Et aſſumam ex eis* (Gentibus ſcilicet ad fidem conuerſis) *in Sacerdotes, & Leuitas, dicit Dominus*, vt ſcilicet ſacrificia Deo offerant: vt etiam verbis illis prædixerat *cap. 19.* *Et cognoſcetur Dominus ab Ægypto, & cognoſcent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis, & in muneribus, nempe in altari oblatis*, de quo dixerat: *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti.* Quod ſanè ſacrificium, quod prædicitur in lege euangelica futurum, non niſi verum & proprium ſacrificium eſſe poteſt; cùm & in altari offerendum dicatur loco ſacrificij ſenſibilis & proprij, & à propriè dictis ſacerdotibus, cum delectu habito aſſumendi ſint à reliquo Chriſtianorum cœtu, vt præ cæteris ſint in iis quæ ſunt ad Deum, & offerant dona & ſacrificium pro peccatis, quales docet D. Paulus *ad Hebræos c. 5.* eſſe veros ſacerdotes. Daniel quoque *c. 12.* de fine mundi diſputans, & tempore Antichriſti, vt rectè notauit D. Hieronymus *ibidem*, & indicant manifeſtè illa verba: *In quo ſaluabitur omnis populus qui ſcriptus fuerit in libro vitæ, & in quo multi reſurgent in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant ſemper*; quæ conuenire non poſſunt vllo modo tempori Antiochi, vt nugatur Porphyrius; cum via æternæ vitæ eſſet clauſa; diſſerens, inquam, de fine mundi, ait, ante finem mundi dies 1290. ceſſaturum iuge ſacrificium. Supponit igitur toto tẽpore gratię duraturum viſibile & proprium ſacrificium. Non enim de improprio ſacrificio loquitur, bonis ſcilicet operibus, tum quia de bonis operibus immediatè dixerat: *Eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi, & impij agent impiè, neque intelligent omnes impij; porrò docti intelligent.* Cùm igitur ſubdit: *Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem dies 1290.* non denuo de operibus bonis loquitur, ſeu improprio ſacrificio, ſed de vero & proprio propheraſſe dicendus eſt. tum quia bona opera tempore Antichriſti non ceſſabunt, vt ex immediatè dictis conſtat, præſertim cùm *ex Apoc. 13.* plurimi iuſti martyrio conſumendi ſint. quod inter impropria ſacrificia præcipuum locum tenet. Non igitur ceſſabit ſacrificium improprium, ſed verum & proprium, nempe Euchariſtiæ oblatio, vt præclarè docet Hippolytus Martyr *libro de conſummatione ſeculi.* & clariſſimè Malachias *cap. 1.* *Non eſt mihi voluntas in vobis* (ſacerdotibus ſcilicet, quos alloquitur) *dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Vbi, vt notat etiam R. Samuel Marrochianus *in lib. de aduentu Meſsiæ. c. 21. & 23.* expreſsè Propheta in perſona Dei prædicit Iudæis reiiciendum aliquando eorum ſacerdotium, & ſacrificium, & vocandas Gentes ad Euangelium, ab ortu Solis vſque ad occaſum, quarum ſacrificium non in vno tantùm Hieroſolymitano templo, vt Iudaicum, ſed in omni loco offerendum, & futurum Deo acceptum & gratum. Atque ad horum certitudinem declaranda vtitur præſenti verbo, pro futuro, vt notauit etiam Salmeron *tom. 9. tr. 27.* Quæro igitur ex Nouatoribus, num Propheta loquatur de vero & proprio ſacrificio euangelico (Iudaicum enim prædicitur ceſſaturum, & hoc eorum tempore non eſt oblatio munda, ſed abominabilis Deo, & [illegible] Gentilium verò iuſtorum ante aduentum Chriſti, vt Melchiſedech, Iob, &c. non eſt oblatum in omni loco ab ortu Solis vſque ad occaſum,

nec

nec Dei nomen adeò glorioſum reddidit) vel de improprio? Si de vero & proprio, aut de ſacrificio crucis, at ſemel & in vno tantùm Caluariæ loco oblatum eſt: Malachias autem dicit in omni loco, & conſequenter pluries offerendum, aut de alio ſenſibili vbique offerendum, cuiuſmodi eſt ſacrificium Miſſæ, & tum cùm aliud non exiſtat, dant, quod quærimus. Et rectè ſanè de Miſſæ ſacrificio, hunc locum interpretantur D. Marcus *in Liturgia*, Iuſtinus *dialogo cum Tryphone*, Irenæus *lib.4.c.32.33.34.* Tertullianus *lib.3. contra Marcionem*, Clemens *lib.7. conſtit. c.31. lib.8. c.5.* Cyprianus *lib.1. contra Iudæos. c.16.* Euſebius *lib. 1. demonſt. c.6.* Chryſoſtomus *oratione 2. contra Iudæos, & in Pſalm. 95* Auguſtinus *lib.18. de Ciu.c.35. lib.19.c.23. lib.1. contra adu.leg. & Proph. c.20.* Hieronymus *in Malachiam c.1.* Theodoretus *ibid.c.1.* Cyrillus *lib.1. de ador. in Spiritu & ver.* Damaſcenus *lib. 4. de fid. c.14.* & Concilium Tridentinum *ſeſſ.22. c.1.* Si de improprio vel de prædicatione & magnificatione diuini nominis apud Gentes, vt vult Kemnitius & alij Nouatores: at id falſum eſt; tum quia bis ſeparatim id commemorat; ergo addens, *& in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*, neceſſe eſt aliud officij genus intelligat; tum quia alioqui nec vna erit oblatio munda, ſed multæ, iuxta euangelizantium numerum, neque neceſſariò facienda à ſacerdote, vt ſupponit Propheta. Vel de eleemoſyna, oratione, &c. At hæc non ſunt propria & peculiaria legis euangelicæ, ſed illi cum veteri lege communia: nec oblatio vna eſſet, ſed multiplex pro diuerſitate actuum virtutum, cùm tamen prædicatur à Propheta noua quædam & ſingularis oblatio & ſacrificium futurum inter Gentes, & non ſemper ſpiritualia noſtra ſacrificia, munda ſint, ſeu cum debitis circumſtantiis; præſertim cùm aduerſarij noſtri velint iuſtitias noſtras eſſe peccata. & non eſt veriſimile in veteri lege ex parte offerentium ſacrificium Iudaicum fuiſſe ſemper reiectum. Denique Propheta non opponit populum populo, ſed ſacerdotes ſacerdotibus: vt conſtat ex c.1. & 3. *Sedebit* (inquit) *conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui*: non Iſraël, ſed *Leui*, nouos tamen & euangelicos, cùm Iudaicos repulerit *cap. 1.* Quare non loquitur de ſacrificio ſpirituali & metaphorico, quod ab vtroque populo offeretur, ſed de peculiari & ſenſibili veroque ac proprio ſacrificio legis euangelicæ, nempe Euchariſtia, quæ vna & eadem eſt, & in omni loco offertur, & peculiaribus miniſtris ſacerdotibus ſolis, videlicet media Apoſtolorum ac ſucceſſorum conſecratione delectis: diciturque oblatio munda, tum ratione ritus externi, cùm ſit in pane & vino aqua permixto abſque ſanguinis cruore: tum ratione rei oblatæ corporis & ſanguinis Chriſti immaculati, ac ſine peccato de Spiritu ſancto concepti, virgineque nati, vt explicat S. Martialis *epiſtola ad Burdigalenſes c.3.* & Damaſcenus *lib. 4. de fide, c.14.* Quòd ſi Tertullianus *lib. contra Iudæos*, & Chryſoſtomus *oratione 2. contra eoſdem*, nominant hoc ſacrificium ſpirituale, id faciunt, quia non eſt victima terrena, ſed cœleſtis, & ſacrificatur non materiali gladio, & igne, ſed modo ſpirituali, videlicet benedictione & conſecratione ſupernaturali. Similiter ſi D. Auguſtinus *lib.2. contra litteras Petiliani. c.86.* Tertullianus *lib.4. contra Manichæos*, & Hieronymus *in cap. 1. Malachiæ*, hunc locum explicant de ſacrificio laudis & orationis in Eccleſia Gentium, non ob id verum & proprium ſacrificium excludunt. Cum enim legant cum Septuaginta, *Incenſum offertur nomini meo & ſacrificium mundum*, vt per ſacrificium, Euchariſtiam, ita per incenſum rectè orationem ſumpſerunt. Conſtat igitur ex diuinis oraculis verum propriumque ſacrificium in euangelica lege, & Gentium Eccleſia

ſuturum fuiſſe. Idémque ex nouo Teſtamento clarè patet; cùm enim in eo habeamus & ſacerdotes propriè dictos, *ad Hebræos c.5. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* Et 1. *ad Tim.4. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij. Ad Tit.* 1. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Actorum* 13. *Miniſtrantibus autem illis Domino, &c.* Déque eis meminit Dionyſius *lib. de eccl. hierar.c.*1. *&* 3. Tertullianus *lib. de præſcr. hæret. c.*42. Auguſtinus *lib.*20. *de Ciu. c.*10. Chryſoſtomus *ſex libris de ſacerdotio.* & altare. 1. *ad Cor.*10. *Nonne qui edunt hoſtias participes ſunt altaris.* &, *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & dæmoniorum. Ad Hebr.* 13. *Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſeruiunt.* Vt omittam cánonem 3. Apoſtolorum, Dionyſium *de eccl. hier.c.*3. Tertullianum *lib. de oratione c.*10.14. Euſebium *lib.*1 *demonſt.c.*6. Nazianzenum *oratione* 2 *contra Iulianum*, Chryſoſtomum *Hom.*20. *in* 2. *ad Cor.* Auguſtinum *lib.*8. *de Ciu.cap. vltimo*, qui de altari ad ſacram Euchariſtiam offerendam meminerunt. Neceſſe eſt etiam in Eccleſia eſſe verum propriúmque ſacrificium, cùm ad hoc vtrumque illud referatur, vt patet *ad Hebræos c.*5. *&* 8. Idemque euidenti ratione confirmatur: nam Euangelij lex rectam inclinationem naturæ humanæ perficere debet, ei autem valde conueniens eſt (ſi non ſimpliciter præceptus) vſus externi & ſenſibilis ſacrificij, vt communis nationum omnium, quæ ſine ſacrificio ſenſibili non fuerunt, conſenſus docet, & ſuadet ſuperiùs *n.*6. allata ratio D. Thomæ; ergo cùm etiam animo & corpore conſtemus in lege gratiæ, in vnum Chriſtianæ religionis corpus coagmentati, cur Deum rerum omnium autorem, non tantùm animo, ſed etiam peculiari, ſenſibili, proprióque ſacrificio, ſine quo nulla eſt, aut fuit vmquam reſpublica conſtituta, tamquam ſummo totius hominis cultu, non colamus, teſtemur noſtram ſeruitutem, placemus iratum adhuc peccantes in lege gratiæ, habeamus gratias pro beneficiis acceptis, iiſque maioribus, quam quibus Patres veteres potiti ſunt, & ſupplicemus pro conſequendis? Certo igitur certius conſtat ex dictis, quod probandum ſumſimus, Chriſti Eccleſiam ſine viſibili & propriè dicto ſacrificio non eſſe. Quod cùm nullum aliud in Eccleſia ſit quàm Miſſæ, aut à Chriſto inſtitutum, quippe qui de hoc ſolo dixerit: *Hoc facite in meam commemorationem*; aut à Patribus agnitum, cùm Apoſtoli *can.* 3. dicant, *Si quis Epiſcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini alia in ſacrificio ſuper altare offerat, vtpute mel aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra conſtitutionem Domini faciens congruo tempore deponatur.* Clemens *lib.* 6. *conſt.c.*23. *Qui pro ſacrificio cruento rationale & incruentum ac myſticum ſacrificium inſtituit, quod in mortem Domini per ſymbola corporis & ſanguinis ſui celebratur.* Iuſtinus dialogo cum Tryphone: *Omnia ſacrificia, quæ ſuo nomine facienda Ieſus Chriſtus tradidit, id eſt, in Euchariſtia panis & poculi, quæ in omni loco à Chriſtianis fiunt, præoccupatione vſus ſibi grata eſſe teſtatur.* Irenæus *lib.* 4. *c.* 32. *Eum qui ex creatura panis eſt accepit, & gratias egit, dicens: Hoc eſt corpus meum. Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo offert mundo Deo.* Auguſtinus *lib.*1 *contra aduerſ. leg. & Proph.c.*20. *lib.de ſpiritu & littera c.*11 *lib.*3. *de Bapt.* [illegible] *c. vltimo. lib.*8. *de Ciuit. c. vltimo. lib.*10. *c.*20. *lib.*17. *c.*20. docet, hoc [illegible] & ſingulare ſacrificium legis gratiæ, quod veteribus omnibus ſacrificiis ſucceſſit, *lib.*20. *c.*21. ſcribit: *Sacrificamus Deo illo duntaxat ritu quo ſibi ſacrificari*

oyicari

crificari noui Teſtamenti manifeſtatione præcepit. Idémque docet Cyprianus *ſer. de cœ-
na Domini.* Ambroſius *in c.*10. *epiſtolæ ad Hebræos*, Primaſius & Theophylactus
ibidem, Chryſoſtomus *in Pſal.*95. Leo *ſerm.*8. *de Paſſione*. S.Thomas 3.*p.quæſt.*73. &
Theologi 4.*d.*12.*&* 13. aut admiſſum à Concilio Epheſino, vt habet *can. neceſ-
ſariè.de conſecr. d.*2. Nicæno II. *act.* 6. *tom.*3. Tridentino *ſeſſ.* 22. *initio. & c.*1.2.5.6.
Tolet. 11.*c.*5. Senonenſi *decreto* 11.& aliis. Fateri igitur neceſſe eſt, in Miſſa ve-
rum propriúmque ſacrificium offerri. Neque verò id Apoſtolo repugnat, vt
obſtrepit Caluinus *lib.*4.*inſtit. c.*18. Lutherus *lib.de abroganda Miſſa priuata*, Bren-
tius, Kemnitius, & alij Nouatores, cùm *in epiſtola ad Hebræos* dicit, in Eccleſia
vnicum eſſe ſacerdotem Chriſtum qui non moriatur, vt veteris legis ſacerdo- 1.
tes, ſed in æternum maneat. *cap.* 7. vnicam item oblationem qua Chriſtus ſe- .
mel ſe pro peccatis obtulit, & vnica illa oblatione conſummauit in æternum
ſanctificatos. *cap.*9. *&* 10. in lege veteri repetita fuiſſe ſacrificia ob eorum im-
perfectionem, quòd non poſſent perfectos facere, & auferre peccata: at in
noua, quia horum ſit facta remiſſio, per vnicam oblationem Chriſti in cruce,
iam non eſſe oblationem pro peccatis. *cap.* 10. voluntariè etiam peccantibus 4.
nobis poſt acceptam notitiam veritatis non relinqui pro peccatis hoſtiam, ſed
terribilem expectationem iudicij. *cap.* 10. Ex quibus aduerſarij confici putant
nihil opus eſſe ſacrificio Miſſæ, cùm Chriſtus oblatione crucis omnium pec-
cata deleuerit: Miſſámque irrogare iniuriam ſacrificio crucis, quaſi non fue-
rit ſufficiens ad iniquitatis ſordes abluendas, ſed adhuc alio egeamus ſa-
crificio, idcóque euertatur crux cùm erigitur altare. Toto tamen falluntur
cœlo. D. enim Paulus, vt etiam dicemus *cap.* 11. §. 2. non loquitur niſi de
cruento ſacrificio, quo ſe obtulit Chriſtus in cruce ad omnium peccata de-
lenda, niſi per nos ſtaret, vt Scholaſtici omnes 3. *diſtinct.* 19. S.Thomas 3.*p.
quæſt.*49. Gloſſa, & Turrecremata *de conſecrat.diſtinct.*2. *can. ſemel.* Caſtro *v.Miſſa.*
Lindanus *lib.*4. *Panopl.c.*51.52. Salmeron *tom.*9. *tract.*31. Ribera *in epiſtola ad He-
bræos*, Valentia, Bellarminus, Suarez & cæteri docent. Ob id paſſio Chri-
ſti in genere cauſæ vniuerſalis ſalutis noſtræ quoad ſufficientiam, eſt ex ſe
perfectiſſima, & infiniti valoris ad peccata omnia commiſſa & commit-
tenda delenda; ſicut ſi à medico fiat medicina qua poſſint quicumque
morbi ſanari, etiam in futuro, vt vtar exemplo diui Thomæ 3.*p. quæſt.*49. *ar-
tic.*1. Quod patet: nam *ad Rom.*3. dicitur, *Quem propoſuit Deus propitiationem per
fidem in ſanguine ipſius. Ad Titum c.* 2. *Dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret
ab omni iniquitate. Ad Epheſ. c.*5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro* .
*ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipſe ſibi
glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam.* Ioannes *epiſtola* 1. *c.* 1.
Et ſanguis Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato. & *c.*2. *Et ipſe eſt propitiatio pro
peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* & *Apoc. c.*1.
Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Vult enim Deus quan-
tum eſt in ſe, in Chriſto crucifixo ſibi mundum reconciliare, iuxta illud 2. *ad
Cor.*5. *Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis
delicta ipſorum.* Non vult tamen vt paſſionis fructus quoad efficaciam deriuet
ad homines, niſi certis & determinatis mediis illis applicetur, vt communis
docet conſenſus Scholaſticorum 3.*d.*19. *&* 20. S.Thomæ ac eius interpretum
3.*p.q.*49. & Auguſtini *in lib. ſententiarum Proſperi.* Idque ſuadet ratio. Cauſa enim
vniuerſalis applicari debet ad ſingulos effectus per cauſas particulares, cùm
ex Ariſtotele ſol & homo generent hominem. Et ideo etiam fructus paſſionis

Chriſti participari & applicari determinatis mediis; ob id de Baptiſmo dicitur *Marc. c. vltimo. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* De pœnitentia *Lucæ* 24. *Vt prædicaretur in nomine eius pœnitentia, & remiſſio peccatorum.* De confeſſione *epiſtola* 1.*Io. c.*1. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra.* De Euchariſtia *Ioan. c.* 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* De obſeruatione mandatorum Dei *ad Hebræos c.* 5. *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ.* Idémque fateri debent aduerſarij, cùm & ipſi nolint paſſionem Chriſti omnibus prodeſſe, ſed tantùm quibus applicatur per Baptiſmum, prædicationem verbi, fidem qua quis credat ſibi remitti peccata. Huiuſmodi eſt etiam Miſſæ ſacrificium, quo paſſionis Chriſti ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum, applicatur, vt ait Concilium Tridentinum *ſeſſ.*22.*c.*1.& qui ſemel moriendo mortem vicit, quotidie recidiua delictorum per hæc ſacramenta corporis & ſanguinis ſui, peccata relaxat, vt loquitur Paſchaſius *lib.de corpore & ſanguine Domini,c.*9. Non igitur crucis ſacrificio detrahimus, vt garriunt Nouatores anathemate percuſſi à ſacro Concilio Tridentino *ſeſſ.*22. *can.*4. ſed extollimus, cùm ſacrificij incruenti

Ad 1. virtutem ex cruento crucis pendere ſentiamus. Atque vt ſingulis reſpondeamus, non negat D. Paulus nunc eſſe in Eccleſia plures ſacerdotes, qui ſummi ſacerdotis Chriſti ſint miniſtri, offerántque altaris ſacrificium: cùm paulo ante ex eodem *ad Heb.*5.*epiſtola* 1.*ad Tim.*4. *ad Tit.*1. *& alibi*, eſſe in Eccleſia Chriſti ſacerdotes oſtenderimus, ſed ſolùm negat eſſe plures independentes, vt in lege veteri, in qua v.g. Eleazar independens erat ab Aarone, & æquè principalis, quod in lege euangelica non eſt. Nam ſi Petrus, v.g. Deum populo reconciliat, id non facit virtute & ſacrificio ſuo, ſed ſacrificio Chriſti, quo & ipſi Deus placatus eſt, & ideo miniſter Chriſti eſt: immo quia Chriſtus ſacerdos eſt in æternum, & ratio ſtatus in quo nunc eſt, non exigit, vt per ſeipſum exequatur amplius quomodolibet munus ſacrificandi, licèt adhuc pro nobis interpellet, *ad Heb.* 7. *ad Rom.*8. qua de re plura Nazianzenus *oratione* 4. *de Theologia*, Auguſtinus *tr.*102.*in Io.& in Pſal.*29. Theophylactus *in c.*5.*ad Hebr.* S. Thomas 4.*d.*15.*q.*4.*art.*6. Sotus *in cap.*8.*ad Romanos.* Conſequens eſt, vt per ſuos miniſtros id exequatur toto tempore vſque ad conſummationem ſeculi, quod æternum dicitur, vt Theophylactus, Oecumenius, & Anſelmus colligunt *ex cap.*5.*epiſt.ad Hebr.* & Cyprianus *ſerm.de cœna Domini*; & ratio docet ne ſcilicet otioſa ſit æternitas ſacerdotij Chriſti: ſed hac de re longior ſermo erit

Ad 2. *lib.*2.*c.*3. Similiter dum dicit Chriſtum ſemel ſe obtuliſſe, & oblatione illa conſummaſſe ſanctificatos, loquitur de ſacrificio Crucis, quo redemtionis noſtræ pretium ſufficientiſſime ſolutum eſt, cùm illius vita eſſet infinitæ excellentiæ. Ideóque legimus *epiſt.*1. *Io.c.*2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantùm, ſed etiam totius mundi.* Quare non egemus nouo redemtore ad acquirendum pretium redemtionis, neque vt idem ipſe iterum ſeſe offerat morti, contrà quam in lege veteri eſſet, cuius ſacrificia cùm non poſſent ex ſe delere peccata, neceſſarium fuit aliud ſacrificium perfectionis ſacerdotis, mors ſcilicet Chriſti, quæ conſummauit in æternum ſanctificatos, quoad ſufficientiam redemtionis, etſi quoad efficaciam propter noua peccata egeamus non quidem alia hoſtia, cùm eadem omnino ſit oblata à Chriſto in cruce, & quæ offertur in altari, ſola offerendi ratione diuerſa, cùm non cruentè, vt in cruce factum eſt, ſed incruentè nunc offeratur, vt docet Chryſoſtomus,

ſoſtomus *Hom.2.in 2.ep.ad Timoth.& in epiſt.ad Hebr.c.5. &* 8. Ambroſius, Theophylactus,& Primaſius *in ep.ad Hebr.c.9.* Cyprianus *lib.2.ep.3.* Auguſtinus *lib.20. contra Fauſtum.c.*18. Greg. *lib.4.Dial.c.*58. *& Hom.*37.*in Euang.* Algerus *lib.1. c.*16. & Conc.Trid.*ſeſſ.22.c.2.*ſed ſolùm eiuſdem hoſtiæ applicatione per oblationem incruenti ſacrificij Miſſæ, & alia media. Ad id quod dicitur de repetitione hoſtiarum propter imperfectionem, reſpondeo ſingulis annis in die expiationis Pontificem obtuliſſe, alios & alios numero differentes vitulos, & hircos; quia numquam immolabat hoſtiam, quæ vim haberet remittendi peccata, cùm ad hoc requireretur dignitas infinita. Si enim habuiſſent talem hoſtiam veteres, ceſſaſſent offerre, & ſemel mundati nouam hoſtiam non quæſiuiſſent: ſed ſolum ſi de nouo peccaſſent, quæſiſſent eiuſdem hoſtiæ participationem. Nos verò ſemel ſacrificio cruento Chriſti, quo ſufficiens & ſuperabundans pretium redemtionis noſtræ Deo ſolutum eſt, mundati, non egemus altero redemtore, aut vt idem iterum moriatur Chriſtus, vt pretium redemtionis noſtræ quæratur. Sed ſi de nouo peccamus, egemus ſolùm noua eiuſdem hoſtiæ applicatione, vt fit per oblationem ſacrificij incruenti Miſſæ, & ſimilia alia media. Idem dicendum eſt ad vltimum: cùm enim in nulla alia re fiduciam habere poſſimus ſalutis noſtræ præterquam in Chriſto crucifixo, ſi à Chriſto recedimus, & tali hoſtia frui nolumus, vt faciebant qui ad Iudaiſmum iterum deficiebant, fruſtrà alium Meſſiam, qui pro nobis patiatur, vel vt denuo patiatur Chriſtus, expectamus. Vt enim ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, ſic & Chriſto ad omnium peccata delenda, ſemel tantùm patiendum fuit, vt dixit *c.* 9. Itaque cùm nulla alia ab hac quam habent, quàmque habere poſſunt, ſi vti velint, hoſtia relinquatur, eis formidanda eſt expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumtura eſt aduerſarios: non igitur negat D.Paulus incruentam oblationem eiuſdem Chriſti ſemel paſſi, qua nobis paſſionis fructus denuo applicetur, ſed cruentam, qua redimamur. Euincimus igitur contra Nouatores fieri in Miſſa verum ac propriè dictum ſacrificium, ſacræ ſcilicet Euchariſtiæ. *Ad 3.* *Ad 4.*

8. Idem verò ex iuramento Dei colligimus, facto *Pſal.*109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Quem locum de ſe explicat idem Chriſtus Dominus *Matth.* 22.& D. Paulus *ad Hebr.c.*7. nullusque alius fingi poteſt præter Chriſtum, cui æternitas ſacerdotij conueniat. Ibi enim iureiurando teſtatur Deus, Chriſtum ſacerdotem (vtique verum) eſſe in æternum, ſecundùm ordinem & ritum Melchiſedech, quòd ſcilicet in functione ſacerdotalis muneris, & ſacrificio idem poſtea Chriſtus vſurpauerit, etſi excellentiori modo, quod Melchiſedech Deo antea offerre conſueuerat; in eo enim conſiſtit ritus & ordo ſacrificij vtriuſque, ex communi conſenſu Patrum, Cypriani *lib.2. epiſt.3. aliàs* 63. Auguſt. *lib.17.de Ciu.c.17. lib.1. contra aduerſ. leg. & Proph. c.20. in Pſal.* 33. *concione 2.& in Pſal.* 109. Hieron. *epiſtola 17. nomine Paulæ & Euſtochij ad Marcellam, vt migret Bethlehem. & epiſt. 126. ad Euagrium. & in c.26. Matth.* Clementis Alexand. *lib.4 Stromatum,* Ambroſij *in c.7.ad Hebr.& lib. 4.de ſacram.c.3.* Euſebij *lib.5. demonſtr. c.3* Epiphanij *hæreſi* 55. Caſſiodori *in Pſal.* 109. Theodoreti *ibidem,* Damaſceni *lib.4.de fid.c.14.& comm.in Gen.c.12.* Paſchaſij *opuſc.ſuper illud Matthæi 26.Cœnantibus autem eis* Theophylacti *in c.5.ad Hebr.* Iſidori *lib. de vocatione gentium.c.26.* & aliorum. Quamuis etiam in aliquibus aliis fuerit ſimilitudo inter Chriſtum & Melchiſedech.v.g.vt quòd etiam Melchiſedech dicatur ſine Patre, Rex iuſtitiæ, Rex pacis, &c. quæ tamen non ſpectant ad *Hebr.7.*

ritum & morem ſacrificij, & ſacerdotij, in quo, eo loco ponitur ſimilitudo, quod oportuit Caluinum & Nouatores aduertere. At ritus ſacerdotij Melchiſedech, vt conſtat *ex Gen. c.*14. fuit oblatio panis & vini hoſtiæ ſine ſanguine, factæ in ſacrificio in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ. Et de qua idem Abraham cum ſociis participauit; quæ enim Deo ſacrificata erant, apud veteres veſcebantur, non tantùm ſacerdotes, ſed etiam alij religionis & lætitiæ cauſa. *lib.*1.*Reg.c.*9. *Neque enim comeſturus eſt,&c.*& 16. *Sanctificauit ergo,&c.* Ioſepho *lib.*8.*Antiq.c.*2. etiam apud Gentiles. *Deut.*32. *De quorum victimis,&c.Num.* 25. *Quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua, &c.* Virgilio *lib.*8. *Æneidos.* Quare idolothytis veſcentes reprehenduntur.*Act.*15.*Et abſtineatis vos,&c.* quos 1.*ad Cor.* 10. D.Paulus vocat participes menſæ, & bibentes calicem dæmoniorum. Videndus Tiraquellus in Alexandrum ab Alexandro *lib.*4.*c.*17. Talem autem fuiſſe ritum ſacrificij Melchiſedech conſtat, tum quia Patres citati & reliqui omnes, exceptis Nouatoribus, ita explicant locum *Gen.* 14. *At verò Melchiſedech proferens panem & vinum, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi, benedixit, &c.* tum quia fruſtrà diceretur: *Erat enim ſacerdos Dei altiſſimi*, niſi quod de pane & vino præmiſerat, pertineret ad ſacerdotale munus ſacrificandi; tum quia nuſquam legimus Melchiſedech ſacrificium obtuliſſe, ſi id non præſtitit *Gen.c.*14. Fruſtrà igitur dictum erit Chriſtum ſecundùm ordinem Melchiſedech ſacerdotem in æternum futurum, cùm ordo ille & ritus ſciri non poſſit. Immo cùm videamus Abel, Noe, Aaronem, & alios, cruentas hoſtias oues & boues mactaſſe, idem etiam de Melchiſedech ſuſpicari quis poſſet. Vnde Chriſtus non magis ſacerdos erit ſecundùm ritum Melchiſedech, quàm cæterorum. Quòd enim dicatur Melchiſedech ſine patre, ſine matre, & genealogia, Rex iuſtus & pacis, iam dixi eſſe extra rationem ritus ſacerdotij, in quo ponitur ſimilitudo Chriſti & Melchiſedech. Quare etiam oblatio Chriſti panis & vini, corporis ſcilicet, & ſanguinis eius, ſub ſpecie panis & vini in vltima cœna inſtituta, & præcepta Apoſtolis, & Eccleſiæ vniuerſæ tradita, cùm numquam aliàs ſecundùm ordinem Melchiſedech Chriſtum obtuliſſe legamus, verum ſacrificium erit. Vnde Cyprianus *loco citato* ait: *Nam quis magis ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem?* Et Concil.Trident.*ſeſſ.*22. *c.*1. *Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe* (Chriſtus) *in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc noui Teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, vt ſumerent, tradidit, & eiſdem eorùmque in ſacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent præcepit. per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.* Et ſi antiquorum Rabbinorum ante Chriſti Domini aduentum, libet ſententiam exquirere, hoc idem teſtatum habemus à Rabbi Moyſe Hadarſan *Gen.* 14. *Futurum* (inquit) *eſt, vt Meſſias inſtituat ſacrificium panis & vini ſecundùm ritum Melchiſedech, atque ipſe ſit placenta tritici in terra, & panis propoſitionis, quod ſacrificium numquam ceſſet.* Et à Rabbi Pinechas, qui ait, *in c.*28. *Non* futurum vt temporibus Meſſiæ ſacrificia cuncta ceſſent, remaneat tamen ſacrificium panis & vini ſecundùm ordinem Melchiſedech, id eſt Regis iuſtitiæ, qui eſt Meſſias totius mundi Rex. Plures alios reperies apud Ioannem Garetium *initio lib. de Euchariſtia.* Petrum Galatinum, Thomam Bozium *lib.* 14. Coſmam Magalianum *in fine ſectio.*2. *in* 5. *capit. Ioſue.* & alios. Itaque neceſſe eſt actionem illam, in qua Deo à delectis miniſtris hæc eadem præcepto & ritu Chriſti offeruntur, verum legitimúmque ſacrificium

dum continere, eiuſmodi autem actio Miſſa nuncupatur.

Et ſanè ſi quæ de ſacrificij natura à nobis ſuperiùs diſputata ſunt, rectè ſtatuta cenſeantur, vt certè cenſenda ſunt, idem omnino conuincunt. Cùm enim verum ſacrificium nihil aliud eſſe poſitum ſit, quàm oblationem externam rei permanentis certo ritu in Dei honorem & cultum conſecratæ, & immutatæ, à legitimo miniſtro in proteſtationem eius ſupremi dominij, & ſubiectionis noſtræ, idque totum in actione Miſſæ reperiatur, cùm res, quæ externis & permanentibus ſpeciebus panis & vini continetur (ſiue illa ſit ſubſtantia panis & vini, vt ſomniant Nouatores, ſiue verum corpus & ſanguis Chriſti, vt re- *Lib. 1. c.* uera eſt, vt aliàs probaturi ſumus, cùm nunc tantùm contendamus in Miſſa ve- *4.* rum ſacrificium Deo offerri, nihil modò definientes quidnam hoc ſacrificio of- *Lib. 4. c. 11. & 14.* feratur) à delecto per conſecrationem miniſtro certo ritu, nempe oblatione, benedictione, conſecratione, eleuatione, fractione, mixtione, & conſumtione in Dei honorem, & ſeruitutis noſtræ proteſtationem, offeratur & immutetur: conſequens eſt vt in eadem actione, & officio Miſſæ verum ſacrificium Deo offeratur. Confirmatur, quia in lege naturæ in ſacrificio Melchiſedech panis & vini, *Gen.* 14. & in lege ſcripta *Exod.* 29. *Panis quoque, &c. Leuit.* 2. *Anima cùm obtulerit, &c. Leuit.* 7. *Omne ſacrificium ſimile, &c. Num.* 7. *Vtrumq; plenum, &c.* Oblatio ſimilæ oleo conſperſæ Deo facta in figura mortis futuræ Chriſti, fuit verum ſacrificium: cur igitur non etiam nunc oblatio & ſacrum factum rei panis & vini ſpecie contentæ in memoriam paſſionis prætcritæ Chriſti iuxta eiuſdem præceptum cenſeatur verum ſacrificium? Ipſe certè Auguſtinus *in lib. ſent. Proſperi*, & refertur *de conſecr. d.* 2. *can. cùm frangitur*, ipſam ſpeciem panis, quæ in Miſſa adhibetur, vocat hoſtiam, quæ eſt victima in ſacrificio adhiberi ſolita, quod deinde nomen communi approbatione omnium receptum eſt, atque retentum.

10. Chriſti etiam Domini verba & factum inſtitutionis idem docent: nam Chriſtus in vltima cœna, & non tantùm in cruce ſe in ſacrificium ſub ſpecie panis & vini, iuxta prophetiam Dauidis citatam *Pſ.* 109. Deo Patri obtulit. Etenim, vt notat Paſchaſius *opuſc. in illud Matthæi, Cœnantibus autem eis.* & Beda *in cap.* 22. *Lucæ*, habetur *Lucæ* 22. *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur. & epiſt.* 1. *Corinth.* 11. *Quod pro vobis frangitur*: nam Græcè eſt κλώμενον. Vnde & S. Marcus *in Liturgia*: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum.* De calice autem *Lucæ* 22. *Pro vobis effunditur*, Græcè ἐκχυνόμενον. & additur *Matth.* 26. *Pro multis in remiſſionem peccatorum.* vt etiam Marcus *loco cit. Qui pro vobis & multis effunditur & diſtribuitur in remiſſionem peccatorum.* Cùm igitur tempore præſenti (ne ad ſacrificium tantùm crucis futurum Kemnitius & Herbrandus referant) dicatur, datur, frangitur, effunditur, nempe Deo cui gratias egerat; atque etiam non dicatur, datur aut effunditur vobis, vt diceretur, ſi tantum eſſet ſacramentum, quod ſumenti tantùm prodeſt, ex communi doctrina S. Thomæ 3. *p. quæſt.* 78. *art.* 3. & aliorum Theologorum: ſed pro vobis & pro multis in remiſſionem peccatorum neceſſe eſt fateri, ſe etiam tunc, & non in cruce tantùm, Deo obtuliſſe pro Apoſtolis præſentibus, & multis abſentibus, incruentè in ſacrificium in remiſſionem peccatorum, ſeu propitiatorium; quaſi immolationi veteris Agni paſchalis eſu conſumti, qui typus fuit huius ſacrificij, *ex* 1. *Corinth. c.* 5. Tertulliano *lib.* 4. *contra Marcionem*, Gregorio Nazianzeno *oratione* 2. de Paſchate, Cypriano *lib. de vnitate Eccleſiæ*, Hieronymo *in c.* 26. *Matth.* Auguſtino *lib.* 2. *contra epiſt. Petiliani, c.* 37. Heſychio *lib.* 2. *in Leuit.* Gregorio *Hom.* 22. Beda *in c.* 22. *Lucæ*, Ruper. *lib.* 2. *in Exod. cap.* 6. Paſcha-

ſio *opuſculo citato*, iam immolationem noui & immaculati Agni paſchalis ſubrogaret. Quod egregiè expreſſit Gregorius Nyſſenus, dum *oratione* 1. de reſurrectione ait: *Chriſtus, qui poteſtate ſua cuncta diſponit, non ex proditione ſibi impendentem neceſſitatem, non Iudæorum quaſi prædonum impetum, non, inquam, Pilati ſententiam expectat, vt eorum malitia ſit communis hominum ſalutis principium & cauſa, ſed conſilio ſuo anteuertit, & arcano ſacrificij genere, quod ab hominibus cerni non poterat, ſeipſum pro nobis hoſtiam offert, & victimam immolat, ſacerdos ſimul exiſtens, & Agnus Dei ille, qui tollit peccata mundi: quando id præſtitit? Cùm corpus ſuum diſcipulis congregatis edendum & ſanguinem bibendum præbuit, tunc apertè declarauit Agni ſacrificium iam eſſe perfectum: nam victimæ corpus iam non eſt ad edendum idoneum ſi animatum ſit. Quare cum corpus edendum, & ſanguinem bibendum diſcipulis exhibuit, iam arcana & non aſpectabili ratione corpus erat immolatum, vt ipſius myſterium peragentis poteſtati collibuerat.* Non diſſimilia habet D. Clemens *lib.* 8. *conſtit. c.*17. *At quod ipſe tunc obtulit, nos etiam eius præcepto parentes in Miſſa facimus, dictum eſt enim* Lucæ 22. Hoc (*vniuerſa ſcilicet quæ præmiſit*, accepit panem, benedixit, fregit, &c.) facite in meam commemorationem. Non dicit ſolùm, *manducate, bibite*, ſed *facite*, quod eſt, facite corpus meum quatenus pro vobis & pro multis frangitur, & immolatur in remiſſionem peccatorum; nempe vos pariter conſecrate, & offerte ſeu ſacrificate corpus meum in remiſſionem peccatorum, idque in mei commemorationem. Vt rectè obſeruat etiam Caiet. *tom.* 3. *tr.* 9. *c.* 3. & multo antè Dionyſ. *c.* 3. *de eccleſ. hier.* vbi (*hoc facite*) exponit, cœleſtem hoſtiam litate, vt etiam Cyprian. *lib.* 2. *ep.* 3. *alias* 63. ſacrificate, & offerte. & Anſelm. *in* 1. *ad Cor. c.* 11. *Vos* (inquit) *Sacerdotes facite, id eſt, ex pane corpus meum per myſtica verba conſecrate in memoriam paſſionis meæ, vt recogitetis eam, dum illud ſacrificium obtuleritis.* Idémque clariùs patet de ſanguine. Nam dicitur 1. *Corinth.* 11. *Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite quotieſcumque bibetis in mei commemorationem*, id eſt, quoties vobis bibendus erit hic ſanguis, vos (Apoſtoli) illum conſecrate & offerte in mei memoriam. Præſertim cum, *facere*, non tantùm apud prophanos autores, Virgilium *in Ecloga* 3. Macrobium *lib.* 3. *Saturn. c.* 2. Athenæum *lib.* 14. *c.* 3. Plut. *lib.* 8. *qq. conuiualium c.* 8. Ciceronem *pro Murena*, & alios, ſed etiam in Scriptura diuina, *Leuit.* 9. *&* 15. *Numer.* 6. *lib.* 3. *Reg. c.* 18. *Oſeæ* 2. *Lucæ* 2. *& alibi*, ſignificet, *ſacrificare.* Quare nos etiam in Miſſa Deo ſacrificium offerimus, cùm id facimus quod Chriſtus fecit, & faciendum præcepit. Vnde Oecumenius *in c.* 5. *epiſtolæ ad Hebr.* explicans illud, *Tu es ſacerdos in æternum*, ait: *Non ad ipſam, quæ à Deo ſemel* (in cruce videlicet) *facta eſt, hoſtiam & oblationem dixit, in æternum, ſed ad noſtri temporis ſacerdotes inſpiciens, per quos Chriſtus & ſacrificat & ſacrificatur, quique in myſtico illo conuiuio, & cœna ſacerdotij huius tradidit formulam.* & Chryſoſtomus *Hom. de proditione Iudæ. Sicut illa vox quæ dicit*, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, *ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem operante natura, ita & vox illa*, Hoc eſt corpus meum, *ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ vſque ad hodiernum diem, & vſque ad Chriſti aduentum præſtat ſacrificio firmitatem.* Denique Clemens *lib.* 8. *conſtit. c. vltimo. Primus igitur natura Pontifex vnigenitus Chriſtus, qui non ſibi ipſi honorem arripuit, ſed conſtitutus eſt à Patre, qui propter nos homo factus, & ſpirituale ſacrificium offerens Deo & Patri ſuo ante paſſionem nobis ſolis præcepit hoc facere, quamquam præſentes nobiſcum eſſent [illegible] qui in ipſum crediderant. Sed non omnino omnes qui creati ſacerdotes [illegible] pontificium honorem conſequuntur.*

Idem denique docuerunt Apoſtoli. Nam D. Andreas ſe quotidie immacu- 11.

latum

licum agnum ſacrificare dicebat, de hoc incruento ſacrificio loquens, vt ex
illius vita, Rabano, & Algero conſtat. S. Iacobus frater Domini in Liturgia 1.
ait: *Placeat tibi Domine, vt nos miniſtri ſimus tui noui Teſtamenti, ac ſacrificij imma-
culatorum tuorum myſteriorum, & admitte nos accedentes ad ſanctum tuum altare, &c.*
Item: *Domine miſerere noſtri, quandoquidem veneramur & tremimus, cum tuum ſa-
crum altare accedendum eſt, & offerendum hoc ſacrificium verendum, & incruentum pro
peccatis noſtris, & pro us, quæ populus pro ignorantia admiſit.* & denuo: *Offerimus tibi
Domine hoc ſacrificium venerandum & incruentum.* S. Marcus *in ſua Liturgia* de hoc
eodem ſacrificio, quod vocat rationalem & incruentam oblationem, inter-
pretatur locum Malachiæ: *In omni loco offertur incenſum, & ſacrificatur, &c.* Et
cùm accedit ad conſecrationem ait: *Fac ô Deus, vt plenum quoque ſit hoc ſacrifi-
cium benedictione tua per aduentum ſanctiſſimi ſpiritus tui, quia ipſe Dominus & Deus
& ſummus Rex noſter Ieſus Chriſtus nocte qua tradebatur, &c.* Idem Concilia, vt 2.
Nicenum I. *can.* 14. Epheſinum *in epiſt.* 2. Cyrilli ad Neſtorium *tom.* 1. *c.* 14. Syno-
dus ſexta Trullana *c.* 32. Neocæſarienſis *can.* 1. Carthag. III. *c.* 24. Carthaginenſis
IV. *can.* 84. Toletana I. *can.* 5. Toletana XI. *c.* 14. Toletana XII. *c.* 5. Nicena II. *actio-* 3.
ne 6. *tom.* 3. Florentina *in decreto vnionis*, Tridentina *ſeſſ.* 22. *c.* 2. *& can.* 1. Idem ſum-
mi Pontifices, vt Clemens *de conſecr. d.* 1. *can. Hic ergo.* Anacletus *ibidem. can. Epiſco-
pus.* Alexander *can. nihil. de conſecr. d.* 2. Felix I. *epiſtola* 2. Syluester & Euſebius
can. conſulto. de conſecr. d. 1. Innocentius I. *epiſtola ad Exuperium*, Siricius *epiſtola ad
Himerium. c.* 7. Iulius I. *can. cùm omne. de conſecr. d.* 2. Leo *epiſtola ad Dioſcorum Ale-
xand.* vt reliquos omittamus. Idem denique antiquiſſimi Patres, Ignatius *epiſt.* 4.
ad Smyrnenſes, Hippolytus martyr *lib. de conſum. mundi.* Tertullianus dum *lib.* 4.
contra Marcionem, canit:

Namque ſuo ſocios homines ſibi ſanguine fecit,
Atque ſacerdotes voluit ſui corporis eſſe,
Ipſe patris ſummi perfectus iure ſacerdos.

Si enim ſacerdotes corporis illius ſunt, oportet ipſius corpus hoſtiam &
ſacrificium eſſe. S. Laurentius apud Ambroſium *lib.* 1. *off. c.* 41. Quò (ait) *ſacer-
dos ſancte ſine diacono properas? numquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueueras;
quid ergo in me diſplicuit, Pater? numquid degenerem probaſti? experire certè idoneum
ne miniſtrum elegeris, cui commiſiſti dominici ſanguinis diſpenſationem.* Iuſtinus *dia-
logo cum Tryphone.* Irenæus *lib.* 4. *c.* 32. Cyprianus *ſerm. de cœna, & epiſt.* 63. Atha-
naſius *q.* 34. *ad Antiochum.* Ambroſius *in Lucam. c.* 1. *& epiſtola* 33. *in orat.* 1. *præ-
parat. ad Miſſam.* Auguſtinus *lib.* 17. *de Ciuit. c.* 17. 20. *lib.* 4. *de Trin. c.* 14. *in Pſ.*
33. *lib.* 2. *qq. euang. quæſt.* 3. Chryſoſtomus *Hom.* 17. *in epiſtola ad Hebr. Hom.* 18.
in Matth. Hieronymus *in c.* 26. *Matthæi, & epiſt.* 150. *ad Hedibiam, q.* 2. Gre-
gorius *lib.* 4. *dialog. c.* 58. Iſidorus *lib.* 6. *Etymol. c.* 19. Emiſſenus *ſerm.* 5. *de Paſchate*,
Euſebius Cæſarienſis *lib.* 1. *demonſt. c.* 10. Heſychius *lib.* 2. *in Leuit.* Cyrillus *ca-
tech. myſt.* 5. Oecumenius *in c.* 7. *ad Hebr.* & alij, cum Doctoribus omnibus ſcho-
laſticis, & iis qui ex inſtituto contra Nouatores hac de re diſſeruerunt.

12\. Obiicienti autem Caluino, fruſtrà igitur fuiſſe Chriſtum crucifixum, cùm
iam per illud cœnæ ſacrificium (niſi fruſtrà velimus oblatum) conſu[illegible]a-
uerit ſanctificationem noſtram, ſe Patri pro nobis offerens. Reſpondemus
nequaquam Chriſtum illo ſacrificio conſummaſſe noſtram redemtionem,
vt rectè Lindanus, Ribera in [illegible]. 10. *ad Heb* V[illegible]. *de Chriſto mediatore.* Suar. *d.* 74.
& cæteri Theologi docent; alioqu[illegible]dum de cæteris eius actio-
nibus, quæ ex ſe ſ[illegible]fficientes erant ad infinitam ſatisfactionem, cùm eſſent ſup-

poſiti infiniti; & ſi Chriſtus voluiſſet, potuiſſent nobis redemtionem operari, qua de re S.Th.3.*p.q.*34.*art.*3. Voluit enim Chriſtus præcedẽtes actiones omnes, & oblationem cœnæ, quaſi pendere, ita vt non haberent effectum conſummatum, nec inuenirent nobis redemtionem, antequam cum eius morte coniungerentur, vt colligitur ex illo *Iſaiæ* 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* & paulo pòſt: *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quòd tradiderit in mortẽ animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro transgreſſoribus rogauit. & Io.*12. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Lucæ* 24. *Nónne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* & *ad Coloſſ.* 2. dicit D. Paulus Chriſtum in cruce deleuiſſe chirographum quod erat contrarium nobis, & affixiſſe cruci. Neque tamen ob id fruſtrà ſe obtulit in cœna, ſed tum vt ſacrificium nouæ legis Eccleſiæ ſuæ traderet, & ſacerdotes inſtitueret Apoſtolos, eorúmque ſucceſſores, ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. tum vt copioſa apud eum eſſet redemtio noſtra, vt etiam dicendum eſt de cæteris eius actionibus, paſſionibus, & morte ipſa, cùm potuerit vna actione, vel lacryma aut gutta ſanguinis nos redimere. Obiicienti eidem ſecundò, in Miſſa nullam eſſe realem occiſionem & mactationem, ne dicamus Chriſtum quotidie ſacerdotum manibus occidi, ſed ad ſummum eſſe repræſentationem occiſionis & mactationis, oblationíſque Chriſti in cruce, iuxta illud, *Hoc facite in mei commemorationem.* in reali autem ſacrificio requiri realem mactationem, & occiſionem hoſtiæ, cùm dicatur *ad Hebr.* 9. *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Reſpondemus cum aliis nobilibus Theologis, certum eſſe in Miſſa non iterum occidi Chriſtum, vt conſtat ex ratione ſtatus beatitudinis in quo eſt Chriſtus, *& ex c.* 9. *&* 10. *epiſt. ad Hebr.* ideóque non immolari cruentè Chriſtum, ſed ſolum incruentè, vt rectè docent S. Iacobus, & Marcus *in Liturgiis*, Clemens *lib.* 6. *conſt. c.*23. *& lib.* 8. *c.*5. Cyrillus *in epiſtola citata ad Neſtorium*, ſexta Synodus Trullana *can.*32. Auguſtin. *de conſecr. d.*2. *can. ſemel*, Gregorius *ibid. can. quid ſit*, Paſchaſius *ibid. can. iteratur.* Concilium primum Nicænum apud Gutrhebertum *lib.* 1. *de vero corpore & ſanguine Chriſti in Euchar.* & Trident. *ſeſſ.* 22. *c.*2. Itémque certum, eſſe ibidem repræſentationem cruenti ſacrificij crucis, vt patet ex præcepto Chriſti *Lucæ* 22. *&* 1. *Corinth.* 11. Negamus tamen ſolam eſſe repræſentationem ſeu imaginem paſſionis, & non ſimul eſſe verum & reale ſacrificium: vt ex definitione ſacrificij explicata conſtat, & definit Concilium Tridentinum *ſeſſ.*22. *can.*3. Non enim naturæ ſacrificij repugnat, vt vnum ſit figura & imago alterius, cùm legis veteris ſacrificia imagines fuerint futurorum, vt docet Tertullianus *lib. contra Iudæos. c.*5. Auguſtinus *lib.*20. *contra Fauſtum. c.*18. *lib.*10. *de Ciuit. c.*20. *lib.*3. *de Bapt. c. vltimo,* Chryſoſtomus *in Pſ.*95. Damaſcenus *lib.*4. *de fid. c.*14. Heſychius *in c.*8. *Leuit.* Emiſſenus *ſerm.* 5. *de Paſchate* ſi illius eſt. Reperitur igitur in ſacrificio Miſſæ vtraque ratio, nempe & eſſe verum & reale ſacrificium, & ſimul eſſe imaginem & repræſentationem alterius ſacrificij, ſcilicet paſſionis Chriſti. Ideo optimè D. Auguſtinus *lib.* 20. *contra Fauſtum. c.* 18. ait: *Vnde iam Chriſtiani peracti eiuſdem ſacrificij memoriam celebrant ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti.* & Euſebius *lib.* 1. *demonſt. c. vltimo. Ceſſarunt ſacrificia animalium, quia iam venit oblatio pretioſa pro toto genere humano oblata, quæ eſt Chriſtus, qui iuſſit, vt per commemorationem ſuæ paſſionis ſacrificaremus Deo.* & Chryſoſtomus *Hom.* 17. *in epiſt. ad Hebr. Offerimus ſed ad recordationem facientes mortis eius, &*

Pſ. 92.

*Cano Caſalio. Bellarm. Ribera Valent. Suarez Azor. Salmerone tom.*9. *tract.* 31. *ad.*5.

ipſam

ipſam hoſtiam offerimus nunc, qua tunc eſt oblata. & Gregorius *lib.4. dialog.c.58.* Hinc ergo penſemus quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra paſſionem vnigeniti filij ſemper imitatur. Negamus pariter in reali ſacrificio requiri realem hoſtiæ occiſionem. id enim ſolum verum eſt in ſacrificio cruento, in quo res viua ſub forma rei viuentis ſacrificatur, vt v. g. Agnus aut vitulus; eius enim immutatio in morte conſiſtit: non autem cùm res eſt inanima, aut ſub forma rei inanimæ, v. g. panis aut thuris, tunc enim non requiritur mors, ſed conſumtio illi conueniens. Quia igitur in Miſſa Chriſtus res quidem viua eſt, & in ſe, & quantum ad repræſentationem, verum offertur ſub ſpecie panis & vini rerum inanimatarum, requiritur tantùm conſumtio pani & vino conueniens: mors autem tantùm myſtica & repræſentata, iuxta quam ſanguis, quantum ad verborum formam, ſeparatim conſecratur à corpore: non autem mors realis, & effuſio realis ſanguinis, de qua tantùm loquitur D. Auguſtinus *epiſt. 120. & in Pſ. 39.* cùm negat Chriſtum immolari in ſacrificio Miſſæ; cùm hoc ſacrificium non ſit cruentum, ſed incruentum: vt ex D. Iacobo, Clemente & aliis paulo antè dicebamus. Nec ſit poſſibile Chriſtum rediuiuum, & immortalem, iterum mori, *ad Rom. 6.* Denique cùm D. Paulus *ad Hebr. 9.* dicit, ſine ſanguinis effuſione non fieri remiſſionem, loquitur de lege veteri, in qua nullum erat ſacrificium pro peccato ſine ſanguinis effuſione; præterquam quòd etiam hîc eſt effuſio ſanguinis Chriſti, & quantum ad effectum, cùm vis huius ſacrificij pendeat ex effuſione ſanguinis in cruce, & quantum ad myſticam effuſionem, dum ſanguis diſtincta forma conſecratur ſeparatim à corpore, & corpus à ſanguine: & quantum ad effuſionem ſanguinis ſub ſpecie vini in ore ſumentium, vt docet D. Gregorius *lib. 4. dialog. c.58.* & Auguſtinus ſeu Paſchaſius *de conſecr. d.2. can. cùm frangitur.*

Quìdnam Deo in hoc ſacrificio immoletur. CAP. IV.

SVMMARIVM.

1. *Quod propriè in Miſſæ ſacrificio Deo offertur, non eſt panis & vini ſubſtantia, materia tranſiens, ſed corpus & ſanguis Chriſti ſacrificationis terminus, vt ex Chriſti inſtituentis verbis, Patribus, Conciliis ac ratione concluditur.*
2. *Cur Chriſtus Dominus noluerit immolari, vt exiſtit in propria ſpecie, ſed tantùm ſpeciebus ſacramentalibus velatus.*
3. *Quomodo ipſæ ſpecies ſacramentales ſe habeant reſpectu termini ſacrificij.*
4. *Qua ratione ipſa etiam panis & vini ſubſtantia dici poſſit in Miſſa offerri Deo.*

1. QVia verò neceſſe eſt in omni ſacrificio adeſſe rem quæ immoletur, iuxta illud *Geneſis c. 22. Ecce ignis & ligna, vbi eſt victima holocauſti?* & *ad Hebr. 5. Omnis Pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur, vnde & neceſſe eſt, & hunc habere aliquid quod offerat;* & ſatis apertè id conſtat ex definitione ſacrificij, vt meritò dixerit D. Auguſtinus vnum è quatuor in omni ſacrificio neceſſariis eſſe id quod offertur. Quærendum nunc quìdnam ſit id, quod in Miſſæ ſacrificio Deo immolatur? Cùm enim in celebratione Miſſæ panis & vinum, & corpus & ſanguis Chriſti adinueniantur, dubitari poteſt an id quod Deo ſacrificatur, panis ſit, & vinum, an potiùs corpus & ſanguis Domini, præſertim cùm panis *Lib. 4. de Trin. c. 14.* 1.

panis & vini ſacrificium, vocetur à S. Martiali *epiſtola ad Burdegal. c.3.* Alexan-
drino *epiſtola 1. ad omnes orthodoxos*, Iuſtino *Apolog. 2. & dialogo cum Tryphone.*
Irenæo *lib.4. c.32.* Cypriano *lib.2. epiſt.3. aliàs 63.* Auguſtino *lib. 17. de Ciuit. c.5.*
& in Pſ. 37. Fulgentio *lib. de fid. ad Petrum. c.19.* Euthymio *in Matth. cap. ſito 64.*
Haymone *in c.5. epiſt. ad Hebr.* Et in Miſſa ante conſecrationem dicatur: *Suſci-*
2. *pe ſanctè Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hoſtiam, &c. & orate fra-*
3. *tres, vt hoc meum ac veſtrum ſacrificium, &c.* Idémque videatur ratio ſuadere cùm
Chriſtus ſit ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, *Pſal.* 109.
4. qui *Geneſis c.*14. panis & vini obtulit ſacrificium. Nec non & id ſacrificari di-
catur quod ſubiicitur ſacrificandi actioni, & non terminus, qui inde reſultat,
vt agnus viuus, & non cineres. Quare etiam hic panis & vinum, quæ ſuppo-
nuntur ſacrificationi, & non corpus & ſanguis Chriſti terminus in quem illa
5. conuertuntur; & denique quia id, quod à legitimo miniſtro, ſacerdote vi-
delicet, in Dei honorem ex prophano ſacrum & benedictum factum, muta-
tur & deſtruitur, verè ſacrificari dicatur, ex definitione ſacrificij tradita *cap.*
præcedenti. huiuſmodi autem eſt panis & vinum, quæ præmiſſa benedictione,
in corpus & ſanguinem Chriſti mutantur. Quare meritò ſacrificari dicentur.
quæ ſanè ratio adeò preſſit Gaſparum Caſalium *lib.1. c. 20. de ſacrificio Eucha-*
riſtiæ, vt dixerit in Miſſa duo eſſe ſacrificia, alterum panis & vini, alterum cor-
poris & ſanguinis Chriſti.' Sed vt res explicetur clariùs, ante omnia ſtatuen-
dum eſt, cum Nicolao Cabaſila Græco autore, qui anno 1250. vixit, *in Li-*
turgia c. 32. Bellarm. *lib. 1. de Miſſa. c.*27. Franciſco Suarez *diſp.* 75. *ſect.* 2. *&* 5.
Leſſio 2.2. *quæſt.*81. & aliis, in ſacrificio legis euangelicæ attendi potius, Deó-
que principalius offerri, terminum ſacrificationis, quàm materiam ex qua fit
ſacrificium; cùm tamen in cæteris ſubiecta materia maximè ſpectetur, & ex
ea ſacrificij dignitas colligatur, vt Salomonis ſacrificij *lib.2. Paralip. c.*7. ex mul-
titudine arietum & boum immolatorum. Ratio diuerſitatis eſt, quia in cæte-
ris terminus eſt priuatiuus, mors videlicet & deſtructio animantis intenta in
Dei honorem, & non aliquid poſitiuè melius & Deo gratius re, quæ macta-
tur. At in ſacrificio legis euangelicæ materia, panis & vinum, habet ratio-
nem termini à quo, & materiæ tranſeuntis, cùm nihil eius præter accidentia
remaneat, ſed in melius, nempe in Chriſti corpus & ſanguinem mutetur. Ter-
minus verò ad quem ſacrificationis, quippe quæ Chriſtum Dominum ponat
ſub ſpeciebus ſacramentalibus, eſt poſitiuus, infinitæ dignitatis, ſummè Deo
gratus, magis ad eius cultum pertinens, & maximè intentus; ideo Deo offer-
tur principalius quàm materia ſuppoſita actioni ſacrificandi, panis & vini ſub-
ſtantia, materia tranſiens, & veluti terminus à quo, non per ſe intentus. Quo
poſito dicendum eſt in Miſſa id quod per ſe & propriè Deo ſacrificatur, eſſe
Chriſti Domini corpus & ſanguinem, ſacrificationis terminum, non propriè
1. materiam, cùm non præſupponantur, ſed per conſecrationem fiant: quod pa-
Luca 22. tet, tum ex Chriſti verbis & inſtitutione: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis*
Mat. 26. *frangitur.* &, *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis & multis effunditur.* Loquebatur au-
1. Cor. 11. tem de eo quod per ſe & propriè in noua lege Deo ſacrificandum præſcribe-
bat. Quare corpus & ſanguis Chriſti eſt id quod in hoc ſacrificio per ſe &
propriè ſacrificatur Deo. Quo ſanè argumento tamquam validiſſimo vſi ſunt
etiam Patres Concilij ſecundi Nicæni *actione* 6. Ideo & D. Paulus 1. *Cor.*5. *Etenim*
Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur in azymis ſinceritatis & verita-
tis. Loquebatur autem D. Paulus, vt docet D. Ambroſius *in cap. 1. Luca*, & alij,
de

de hoc eodem ſacrificio. Ob id neceſſe eſt vt Chriſtus ipſe ſit, qui in hoc ſa-
crificio immolatur,& poſt immolationem eſt epulum,& noui ſacrificij Agnus.
Tum ex conſenſu Patrum: nam S. Martialis Chriſti diſcipulus, *epiſtola ad Bur-* 2.
degal. c.3. nos in ara ſacrificata, Chriſti corpus & ſanguinem in vitam æternam
Deo offerre, ſcribit. Ignatius ei proximus *epiſtola ad Romanos: Non* (inquit) *co-*
medam eſcam corruptionis, neque voluptates huius mundi deſidero, panem cœleſtem, pa-
nem vitæ, qui eſt caro Ieſu Chriſti filij Dei viui, qui natus eſt in nouiſſimo ex ſemine Da-
uid, & Abrahæ, & potum volo ſanguinem eius, qui eſt dilectio incorruptionis, & vita
æterna. Loquebatur autem de participatione huius, de quo agimus, ſacrificij
Alexander Papa, qui eadem vixit ætate, etſi paulo poſterior, *epiſtola 1. cap. 4.*
Nihil (inquit) *in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Chriſti. Nec vlla*
oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit, quæ Domino pura conſcientia offerenda eſt,
& pura mente ſumenda, atque ab omnibus veneranda; & ſicut potior eſt cæteris, ita po-
tiùs coli & venerari debet. Cyrillus Hieroſolymitan. *catech. myſtag. 5. Chriſtum* (inquit)
pro peccatis noſtris mactatum offerimus. Chryſoſtomus *Hom. 24. in 1. ad Cor.* cùm di-
xiſſet in veteri Teſtamento Deum brutorum ſanguinem ſuſcepiſſe, ne Iudæi
idolis ſacrificarent, ſubdit: *Hic autem in eo quod eſt longè horribilius & magnificen-*
tius, ſacram conſtituit operationem, vt qui & ipſum mutarit ſacrificium, & pro cæde bru-
torum, ſeipſum iuſſerit offerri. Hieronymus ſcribens ad Damaſum de filio prodigo:
Vitulus (ait) *ſaginatus, qui ad pœnitentiæ immolatur ſalutem, ipſe ſaluator eſt, cuius quo-*
tidie carne paſcimur, cruore potamur. & paulo pòſt: *Hoc conuiuium quotidie celebratur,*
quotidie pater filium recipit, ſemper Chriſtus credentibus immolatur. Quem ſequutus
Auguſtinus *lib. 2. qq. euang. c. 33. Et iſta epula atque feſtiuitas nunc celebratur per or-*
bem terrarum Eccleſia dilatata atque diffuſa. Vitulus enim ille in corpore & in ſanguine
dominico & offertur Patri, & paſcit totam domum. Et eodem libro dicit, ideo Domi-
num leproſo mundato dixiſſe: *Vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus,* quia non-
dum eſſe cœperat ſacrificium ſanctum Sanctorum, quod corpus eius eſt. *lib. 22.*
de Ciu. c. 10. Ipſum verò ſacrificium corpus eſt Chriſti. & *lib. 29. contra Fauſtum c. 18. Vnde*
iam Chriſtiani peracti eiuſdem ſacrificij memoriam celebrant ſacroſancta oblatione & par-
ticipatione corporis & ſanguinis Chriſti. Paulinus Nolanus *epiſt. 5. ad Seuerum. Ipſe enim*
Dominus hoſtia omnium ſacerdotum eſt, qui ſemetipſum pro omnium reconciliatione Patri
libans victima ſacerdotij ſui, & ſacerdos ſuæ victimæ fuit. Euſebius Emiſſenus *Hom. de S.*
Blandina, loquens de B. Photino. *Ac poſt dominici corporis ſacrificium prophanis tri-*
bunalibus nouam de ſe hoſtiam Chriſto oblaturus, infertur. & *Hom. 5. de Paſchate. Ad*
cognoſcendum & percipiendum ſacrificium veri corporis (Chriſti) *ipſa ſe roboret potentia*
conſecrantis. Cyrillus Alexandrinus *in declaratione Anathematiſmi vndecimi. San-*
ctum ac viuificum incruentúmque in Eccleſiis celebramus ſacrificium, non hominis alicuius
nobis ſimilis, & communis, corpus & ſanguinem eſſe quod proponitur credentes, ſed magis
tanquam proprium viuificantis Verbi corpus & ſanguinem accipimus. Communis enim ca-
ro viuificare non poteſt. Heſychius explicans illud *Leuit. 4. Et ducet illum* (nempe
vitulum) *ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram Domino,* ait: *Propter quod non ſolùm*
dicebat (Chriſtus) *poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum*
ſumendi eam; ſed & præueniens ſemetipſum in cœna Apoſtolorum immolauit. Proclus
Patriarcha Conſtantinopolitanus *in lib. de traditione diuinæ Liturgiæ. Per has igitur*
preces Spiritus ſancti aduentum expectabant (Apoſtoli) *vt eius diuina præſentia propoſi-*
tum ſacrificium panem & vinum aqua permixtum, ipſum illud corpus, & ſanguinem ſal-
uatoris noſtri Ieſu Chriſti efficiat. S. Eligius *Hom. 8. quæ eſt de filio prodigo. Epula* (inquit)
iſta nunc in Eccleſia per totum orbem dilatata celebrantur: quotidie enim in ſancta Eccleſia

vitulus iſte ſacerrimus Deo Patri per ſacerdotes offertur. & in vitam æternam paſcit percipientes : quia cùm quotidie immolatur, ſemper integer permanet, & immaculatus. & diuus
Theophylactus *in c. 5. Lucæ : Vide quòd cum aliquis fuerit purificatus, tunc denique*
dignus eſt offerre Domino donum iſtud, hoc eſt, immolare & ſacrificare Chriſtum. Deni-
que ne nimij ſimus, Rupertus Abbas *lib. 2. in Exod. c.6. Iam in anguſtia paſſionis*
agonizans (Chriſtus) *prius propriis manibus Deo patri ſemetipſum immolauit, acci-*
piens panem & vinum, mira atque ineffabili ſanctificationis potentia transferens hæc in
3. *corporis & ſanguinis ſui ſacramentum.* Tum ex Conciliis, Nicæno primo apud
Guttheberturn *lib.1.de veris.corporis & ſanguinis Chriſti in Euch.triſtia,*& Alphonſum
Piſanum Societatis Ieſu *lib.3.de Concilio Nicæno: Quin potiùs cogitatione noſtra ſurſum*
erecta intelligamus fide, poſitum eſſe in ſacra illa menſa Agnum illum Dei, qui tollit peccata
mundi, incruentè à ſacerdotibus immolatum, & pretioſum ipſius corpus & ſanguinem nos
verè ſumentes, credere hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola. & *in fragmentis Concilij can.*
14. *aliàs* 18. *Peruenit ad ſanctum Concilium quòd in locis quibuſdam & ciuitatibus*
preſbyterij Diaconi ſacramenta porrigant. hoc nec regula nec conſuetudo tradit, vt qui of-
ferendi ſacrificij poteſtatem non habent, iis qui offerunt corpus Chriſti tradant. Nicæno ſe-
cundo *act. 6. Legas quouſque voles, numquàm inuenies, neque Dominum, neque Apo-*
ſtolos, neque Patres incruentum illud ſacrificium, quod à ſacerdote offertur, imaginem di-
xiſſe, verum ipſum corpus & ipſum ſanguinem (Chriſti.) & ſubdit : *Si Baſilius &*
Eiſtathius imaginem corporis Chriſti, panem & vinum dixerunt, de pane & vino ante
conſecrationem, non poſt conſecrationem id dixiſſe, cùm tunc ſit corpus & ſanguis Domi-
ni, & inſaniant, qui aliter aſſerunt. Concilium Toletanum XII. *can.5. Ergo* (ait)
modis omnibus tenendum eſt, vt quotieſcumque ſacrificans corpus, & ſanguinem Ieſu
Chriſti Domini noſtri in altario immolat, toties perceptionis corporis & ſanguinis Chriſti
ſe participem præbeat. Tridentinum item *ſeſſ. 22. c.2. Et quoniam in hoc diuino ſacri-*
ficio quod in Miſſa peragitur, ille idem Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui
4. *in ara crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit, &c.* Tum denique ratione, quia ſi eſſet
ſacrificium panis & vini, euangelicum ſacrificium non eſſet nobilius ſacrifi-
ciis veteris legis, ſed multo ignobilius, cùm animantia pane & vino rebus
inanimis nobiliora cenſeantur. At eſſe multo nobilius docet D. Paulus *ad*
Hebr. 7. Cyprianus *ſerm. de cœna Domini*, Clemens *lib.6. conſtit. c.22.23.* Cyrillus
Hieroſolymitanus *catech.* 4. Chryſoſtomus *in Pſ. 95. & Hom. 24. in 1. ad Corinth.*
Euſebius *lib. 1. demonſt. c. vltimo.* Hieronymus *in c.ad Titum*, Ambroſius *lib.4. de*
ſacr. c.5. Auguſtinus *lib. 6. c.5. & lib. 20.c.1. contra Fauſtum, & lib.17.de Ciuit. c.20.*
Cyrillus Alexand. *in Io.c.6.* Damaſcenus *lib.4.c.14.* Euthymius *in c.26. Matth. ſiue*
verò 64. & Concilium Tridentinum *ſeſſ.22.c.1.*

Offertur igitur in hoc diuino ſacrificio Chriſtus ſacrificationis terminus, 2.
1. non quidem vt exiſtit in propria ſpecie, id enim minus conueniens erat, tum
quia, vt ait Algerus *lib. 1. de ſacram.altaris.c.7.* nimis crudele fuiſſet, more beſtia-
rum Chriſtum in propria ſpecie immolari, nec mitiores videremur Iudæis, qui
eum crucifixerunt, vnde dum vellemus in Deum eſſe deuoti, in eumdem eſſe-
2. mus crudeles. tum quia impediretur perceptionis commoditas horrore voran-
di humanum corpus, vt habet Ambroſ. *lib.4.de ſacram.c.4.* Auguſtinus apud Gra-
tianum *de conſecr.d.2.can.vtrùm.* Gregor. *ibi.can.quid ſit.* Cyrill. Alex. *ep.ad Caloſyrium*
Epiſcopum, & apud D. Thomam *in catena,c.22. Lucæ.* Damaſcenus *lib.4. de fid.c.14.*
Remigius Antiſiodorenſis *in canone,* Theophyl. *in c.26. Matthæi,in cap.24. Marci,*
& in c.6. Ioannis, Anſelmus *lib.de ſacramento corporis Chriſti.* Algerus *lib.1.c.7.* Eligius
Hom.8.in cœna Domini. Bernardus *ſer.de cœna.* S. Edmundus Cantuarienſis *in ſpeculo*
Eccleſiæ

Eccleſiæ c.25. Et Stephanus Heduenſis *lib. de ſacramento altaris. c.17.* ſed offertur velatus ſpeciebus ſacramentalibus. Ideo Cyprianus *ſerm. de cœna Domini.* *Panis* (inquit) *iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro, & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita in ſacramento viſibili, ineffabiliter diuina ſe infudit eſſentia.* Emiſſenus citata *Homil.5. de Paſchate. Verè vnica & perfecta hoſtia fide æſtimanda non ſpecie, nec exteriori cenſenda viſu, ſed interiori affectu.* Cyrillus Hieroſolym. *catech.4. myſtag. Nam in ſpecie panis dat nobis corpus, & in ſpecie vini dat nobis ſanguinem, vt cùm ſumſeris, guſtes corpus & ſanguinem Chriſti.* Et iterum: *Hoc ſciens & pro certiſſimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti: & vinum quod à nobis conſpicitur, etſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur, non tamen vnum ſed ſanguinem eſſe Chriſti.* Chryſoſt. *Hom.83 in Matth. & 60. ad pop. Antioch. Quoniam ergo ille dixit:* Hoc eſt corpus meum, *nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus & oculis intellectus id perſpiciamus. Nihil enim ſenſibile (id eſt, ſenſui iudicandum) traditum nobis à Chriſto, ſed rebus quidem ſenſibilibus, omnia verò quæ tradidit, inſenſibilia ſunt.* Proſper *in lib. ſententiarum. Caro eius eſt, quam forma panis opertam in ſacramento accipimus, & ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus.* Idémque docet Concilium Later. ſub Innoc. III. Florentinum & Tridentinum *ſeſſ.13. c.1.* Tum 3.
quia ad fidei noſtræ meritum plurimum confert. Si enim (vt Algeri verbis vtar) pane mutato nihil omnino viſibile remaneret, minueretur fidei meritum, pro tam manifeſto veritatis experimento. Idem antea docuerat Lanfrancus *lib. de veritate corporis Chriſti contra Berengarium.* & Adelmanus *epiſtola ad eundem Berengarium.* Quare vt in lege veteri Deus ante arcam voluit prætendi velum, *Exod.26.*
ita in noua ante viuentem Dei arcam, Chriſti ſcilicet corpus & ſanguinem, in hoc ſacrificio atque ſacramento, panis & vini ſpecies, ad fidei exercitium & meritum, & ad diuinæ charitatis aſcenſionem. vt enim quondam Moſes ſuper *Exod.34.*
faciem velamen poſuit, ne populus ab eius colloquio auerteretur, ita Chriſtus diuini ſplendoris radios ſpeciebus panis & vini contegit, ne à diuino conuiuio auertantur fideles, ſeu vt alter Iacob alienis indumentis, panis ſcilicet & vini, te- *Gen.27.*
ctus, non quidem petiturus, ſed daturus de rore cœli benedictionem humanos ſenſus lateret. Sed cur ſub panis & vini ſpeciebus ſit inſtitutũ, dicemus *lib.4. c.11.*

3. Ex his ſequitur ipſas etiam ſpecies, ex quibus vnà cum corpore Chriſti fit vnum compoſitum ſacramentale, ex D. Bonauentura 4. *d.* 8. *in expoſitione litteræ,* S. Thoma 4. *d.8. q.1. art.1.* Caiet. 3. *p. q.75. art.1. in fine.* Ledeſma 1.4. *q.14. art.1.* Victoria *in ſumma. num.* 152. Alano *lib.1. de Euch. c.5.* & cæteris, intrinſecè etiam pertinere ad terminum ſacrificationis. Atque licèt ſecundariò, quod minus dignæ ſint, quàm corpus Chriſti, ſed ad illud ſe habeant, veluti accidentia animantis ſacrificati, reſpectu ſubſtantiæ principaliter oblatæ, offerri etiam Deo, cum ratione illarum hoc ſacrificium ſit ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſit ſenſibile, & in cibum & potum ſumi poſſit. Videndus Irenæus *lib.4. c.34.* vbi fatetur Euchariſtiam duabus rebus conſtare, terrena & cœleſti. per terrenam intelligens ſpecies ſacramentales panis & vini, per cœleſtem verò glorioſum & deificum Chriſti corpus. Et Auguſt. *lib. de catech. rud. c.26.* & apud Algerum, & Gratianum *de conſecr. d.2.* Atque Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis *lib. de Euchariſtia,* docent ſacrificium Eccleſiæ duobus confici, viſibili ſacramentorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine. Hinc colligimus integrum conſecrationis ſeu ſacrificationis terminum, eſſe Chriſti corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini, vt dicebamus.

At quid dicemus de ſubſtantia panis & vini, ſeu materia ſubiecta, numquid 4.
& ipſa in Miſſa Deo offertur? Omnino meo iudicio dicendum eſt cum Soto 4.
Valent. lib. 1. de Miſſa. c. 8. d. 13. q. 2. art. 1. Bellarmino *lib. 1. de Miſſa. c. 27.* Suarez *diſp. 75. ſect. 1.* Henriquez *lib. 9.* c. 33. & aliis offerri, quicquid in contrarium aliqui viri graues aſſerant,
1. vt ad ſecundum dicam; tum quia id habet expreſsè D. Iuſtinus *Apologia ſecunda pro Chriſtianis,* dicens: *Tum ſurgimus omnes, & comprecamur, concluſiſque noſtris precibus panes, vt iam dixi, viniumque & aqua offeruntur. tum is qui primum locum tenet, eodem modo preces gratiarúmque actiones pro virili mittit, populúſque benedicit, dicens: Amen. & ex iis, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt, vnuſquiſque participat.* Et Origenes *lib. 8. contra Celſum. Cum precibus* (ait) *& gratiarum actionibus, pro beneficiis*
2. *acceptis oblatos panes, iam per precationem corpus ſanctum factos, edimus, &c.* tum quia loca Liturgiæ id videntur conuincere, cùm dicitur: *Suſcipe ſancte Pater, &c.* vbi etiam præcedens rubrica, ait, ſacerdotem accipere patinam cum hoſtia, quam offerens dicit: *Suſcipe, &c.* Idem habet de oblatione calicis, eadémque ſæpius ibidem appellantur oblata. & in Canone habemus: *Quam oblationem tu Deus in omnibus, &c.* ergo antequam fiat corpus & ſanguis Chriſti, iam ſunt oblata. Offeruntur igitur, non tamen vt ſacrificium abſolutum, ſed vt ſacrificij perficiendi materia; ſunt enim materia ex qua tranſiens, cùm per tranſubſtantiationem in Chriſti corpus & ſanguinem conuertantur, nulla earum parte remanente, vt docet Concilium Lateranenſe *can. 1.* Romanum ſub Gregorio VII. in confeſſione Berengarij, apud VValdenſem *tom. 2. de ſacram. c. 43.* Florentinum, & Tridentinum *ſeſſ. 13. c. 4. & can. 1.* ideo non remanent in termino, ſed tranſeunt; ſecus ac in cæteris ſacrificiis fieret, cùm materia ſuppoſita actioni ſacrificandi, ſeu caro, quæ fuerat animalis viui, poſt mortem & ſacrificium, eadem eſſet. Neque obſtant quæ initio allata ſunt,
Ad 1. etenim Euchariſtia panis appellatur. tum quia externa ſpecie panis videtur, vt Angeli viri vocantur *Gen.* 18. tum quia paulo antè panis erat, ſicut *Io. 2.* vinum aqua vocatur: *Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factam, &c.* tum quia ex pane & vino, tamquam materia, tranſeunte tamen, fit, vt etiam *Geneſis 2.* Eua os Adam dicitur, & homo dicitur puluis. tum quia vt panis reficit, quo
Ad 2. modo etiam Manna dicitur panis, ſicut & alij cibi. Quòd ſi dicatur offerri panis & vinum, diximus offerri non vt ſacrificium, ſed vt materiam ſacrificij, ſeu non offerri panem ſimpliciter, ſed vt conſecrandum & tranſmutandum in cor-
Valētia. pus Chriſti; quamquam aliqui viri eruditi exiſtimant eam oblationem non referri ad præſentem ſubſtantiam panis & vini, ſed ad mox futuram ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti ſub illis ſpeciebus, quam animo iam conci-
Ad 3. pimus. & ideo dici: *Suſcipe ſancte Pater, &c.* Chriſtus autem dictus eſt ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, & non ſecundùm Aaron, quia inſtituit ſacrificium incruentum, & ſub ſpecie panis & vini, vt Melchiſedech panem & vinum Deo ſacrificauit, quamuis in termino ſacrificationis panis & vini ſubſtantia non remaneat, ſed corpus & ſanguis Chriſti, vt rectè explicat Cypr. *lib. 2. ep. 3. aliàs 63.* Euſeb. *lib. 5. dem. c. 3.* Hieron. *ep. ad Marcellam,* vt migret Bethlehem.
Ad 4. *& qq. in Gen.* explicans *cap. 14.* & Primaſius *in cap. 5. ep. ad Hebræos.* Diximus etiam initio huius capitis ex Nicolao Cabaſila & aliis, in ſacrificio euangelico potius attendi terminum ſacrificationis, quàm materiam; cùm ille ſit poſitiuus ſummæ dignitatis, Deo maximè gratus, ac per ſe intentus; deſtructio verò materiæ ſuppoſitæ non ita per ſe grata & intenta. quod in aliis ſacrificiis non
Ad 5. accidit. Tandem dicimus panem & vinum propriè non ſacrificari. Si enim panis

nis & vinum ita fierent ex prophano ſacrum, vt manerent, verè ſacrificarentur: vt cùm mactabatur ouis, quæ quoad partes corporales eadem remanebat mortua, quæ fuerat viua; neque enim in tranſmutatione putamus fieri reſolutionem vſque ad materiam primam. At panis ſacratus non manet, ideo propriè non ſacrificatur, ſed potiùs id, quod ex pane factum eſt, vt dicebamus cum Cabaſila *c.*32. Bellarmino *lib.*1 *de Miſſa c.*27.& aliis. Quare etiam non ſunt in Miſſa duo ſacrificia, ſed vnicum; cùm res altera habeat ſolùm rationem termini à quo, altera termini ad quem eiuſdem ſacrificationis: ſicut mutatio termini à quo & ad quem, non ſunt duo, ſed vnus motus.

In qua Miſſæ actione ratio ſacrificij ſit poſita. CAP. V.

SVMMARIVM.

1. *Euangelici ſacrificij ratio, in qua Miſſæ actione ſit ponenda, autorum ſententiæ diuerſæ referuntur.*
2. *Eligitur quæ cæteris videtur probabilior, confirmatur, & ſoluuntur, ſi quæ videntur officere, ibique ex accidenti oſtenditur, Chriſtum Dominum ſuum etiam corpus & ſanguinem in vltima cœna ſumſiſſe.*

1. INter Catholicos difficultas eſt non leuis, in quánam Miſſæ actione ratio ſacrificij ſtatuenda ſit. Vt enim certum ſit in Miſſa eſſe plurima, quæ ſacrificij rationem non habent, cùm neque Chriſtus Dominus in vltima cœna adhibuerit, nec initio vſurparent Apoſtoli, orationem tantùm Dominicam primis illis temporibus conſecrationi adiicere ſoliti, ex D. Gregorio *lib.*7. *ep.*63. Hugone de S.Victore *lib.*2.*de ſacramentis p.*2.*c.*8. Remigio *lib.de officio Miſſæ*, & Iſidoro *lib.*1.*offic.diu.* vt alibi dicemus, cuiuſmodi ſanè ſunt preces, recitatio Epiſtolæ & Euangelij, multíque pij ritus, & cæremoniæ, in quibus ſaluari nullo modo poteſt ſuperiùs expoſita ſacrificij ratio: ita valde controuerſum eſt, in quánam actione Miſſæ ſacrificij noſtri ratio & eſſentia ſit conſtituenda. Et quidem Alanus *lib.*2.*c.*18. Sebaſtianus Perez *de Euchariſtia c.*11. Suarez *d.*25.*ſect.*4. Leſſius 2. 2.*q.*81. cum aliis viris eruditis, in conſecratione ponendam cenſent, tum quòd S.Ambroſius *in Pſal.*39. Cyprianus *ſerm. de cœna*, Cyrillus Hieroſolym. *catech. myſtag.*5. Nyſſen. *or.*1.*de reſur.* Chryſoſtomus *Hom. de prodit. Iudæ*, Gregorius *lib.*4. *dialog.c.*58. Concilium Toletanum XII. *c.*5. Theophylactus *in c.*5.*ad Hebr.* & 1.
alij Patres, conſecrationem vocant immolationem & mactationem, tum quia 2.
conſecratio videatur ſufficiens mactatio, & ſacrificatio myſtica, dum ſub ſpecie panis Chriſti corpus ex vi verborum ſeorſim conſecratur à ſanguine, & ſub ſpecie vini ſanguis ſeparatim à corpore, quaſi ſanguis & anima ſeparata ſit à corpore: tum quia ex Ambroſio *Pſal.* 38. Chryſoſt. *Hom.*2. *in ep.*2. *ad Timoth. &* 3.
*Hom.*83.*in Matth.* & Emiſſeno *Hom.*5.*de Paſchate*, & communi ſententia, in ſacrificio noſtro principalis offerens eſt Chriſtus; ergo in illa actione eſſentia illius erit, quæ fit in perſona Chriſti, & verbis eius, cuiuſmodi eſt conſecratio. maximè cùm implicitè ibidem contineatur etiam oblatio, idque cedat in externum cultum Dei, eiuſdémque excellentiæ proteſtationem, ex inſtitutione Chriſti & intentione conſecrantis. tum denique quia id videatur ſentire ſanctus Thomas, dum 3.*p.q.*82.*art.*4.*ad* 1. dicit conſecrationem Euchariſtiæ, non 4.
autem Chriſmatis aut alterius materiæ eſſe ſacrificium. & *q.*83.*art.*4. per conſe-

crationem peractum eſſe ſacrificium, deinceps verò Eccleſiam petere, vt illud
ſit Deo gratum, & ſumentibus cæteriſque omnibus fructuoſum. Ioannes
Eckius *lib.3.de ſacrificio.c.9.* Clitouæus *lib.2.contra Lutherum.c.16.* Tapper. *art.16.*&
Roffenſis ponunt in oblatione, non quidem, quæ conſecrationem præcedit,
1. cùm nondum ſit victima offerenda, ſed quæ ſubſequitur; quia ſacrificium ſit
actio qua res ſacra Deo offertur, ideóque eius ratio in oblatione ponenda ſit.
2. Accedit quia conſecratio eſt tantùm effectio ſeu præparatio victimæ offeren-
dæ, cùm ſe habeat ſicut Incarnatio, quæ non fuit ſacrificium cruentum Chri-
3. ſti, ſed præparatio materiæ, ſeu victimæ ſacrificandæ. Adde oblationem Eu-
chariſtiæ in Paraſceue ſacrificium vocari ab Eccleſia in Liturgia illius diei,
cùm ait: *In ſpiritu humilitatis, &c.* & tamen illo die non conſecratur. Albertus
4.d.13. Ledeſma *1.4.q.22. art.4. ad finem.* Bannes & alij in conſumtione à ſacer-
dote ex officio facta, non vt eſt vſus ſacramenti, ſed vt perfecta conſummatio
oblatæ victimæ; etſi vt conditiones præſupponat conſecrationem, & oblatio-
1. nem, vel etiam ab alio factam; quia in Paraſceue celebretur ſacrificium per
ſolam conſumtionem ſpeciei panis pridie conſecratæ, & oblatæ, & ſæpe ab
2. alio; & quia ſola conſumtio ſatis ſignificet Chriſti mortem, iuxta illud *1. Co-
rinth.11. Quoties manducabitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annun-
ciabitis*, & ſimul etiam reſurrectionem, in cuius etiam memoriam fatetur ſa-
cerdos ſe ſacrificium offerre: nam per conſumtionem ſpeciei corporis & ſan-
guinis intra ſtomachum ſacerdotis ſumentis reuniuntur. Alij non in vnica tan-
tùm actione, ſed in pluribus eſſentiam noſtri ſacrificij ponunt. Scotus enim *4.
d.13.q.2.* Gabriel *ibidem q.1.art.3.* & Io.Azor *lib.10.c.19.q.1.* ſentiunt poſitam eſſe
in conſecratione & oblatione, quòd hæ duæ actiones ſint neceſſariæ, & ſuffi-
ciant ad perfectam rationem ſacrificij, cùm adſit victima, & oblatio eiuſdem.
Sotus *4.d.13.q.2.art.1. & lib.9.de iuſtit.q.2.art.2.* Couarruuias *cap. Alma mater.§.5.
num.6.* Viguerius *c.16.§.3.verſu 11.* Thomas Beauxamis *ſerm.9. de paſſione*. Henri-
quez *lib.6. c.9.* Bellarminus *lib.1. de Miſſa. c 27. lib.2.c.10. obiectione 9.* Sebaſt. Bar-
radius *tom.4.lib.3.c.6.* & alij, in conſecratione, oblatione, & conſumtione, quia
cum victima & illius oblatione, debeat eſſe immutatio ſeu conſumtio eiuſdem.
Melchior Canus denique *lib.12. de locis theolog. c.13.§. Quartò verò.* in conſecra-
1. tione, oblatione, fractione, & conſumtione. tum quia S.Thomas *2.2. q.85.q.3.*
dicat, ſacrificium propriè dici cùm circa res oblatas aliquid fit, vt cùm panis
2. frangitur & comeditur. tum quia etiam fractio deſignat Chriſti in cruce diſru-
ptionem & immolationem; idcóque per eam fiat circa rem oblatam aliquid ſa-
crum, quod ſanè ſpectat ad rationem ſacrificij. Eiuſdem opinionis videtur Gre-
gorius de Valentia *lib.1. de Miſſa. c.2.* etſi enim ſolùm nominet conſecrationem,
fractionem, & ſumtionem, exiſtimo tamen ſub his etiam oblationem include-
re ſaltem in actu exercito, cùm ſacrificium ſit oblatio. Idémque ſenſit Nico-
laus Cabaſila *in Liturgia c.8.* etiamſi loco Latinæ fractionis, more Græco ponat
ſignationem lanceolæ in panis ſpecie, in modum crucis, & punctionem in la-
tere dextro. Idem Melchior Canus, mixtionem etiam corporis & ſanguinis
eſſe de integritate ſacrificij probabile iudicat, iuxta ea, quæ *eodem capite, §. ſed
quia ſacramentarij,* antea docuerat.

Nobis verò omnium optima videtur opinio Soti, Couarruuiæ, Bellarmini 2.
& aliorum ponentium ſacrificij euangelici rationem, conſtituendam in conſe-
1. cratione, oblatione & conſum[illegible] ab offerente facta. Primò quidem, quòd
non pauciores, nec plures actio[illegible] ad intrinſecam rationem ſacrificij oblati à
Chriſto

Chriſto in cœna pertinentes videamus. Etenim ſubſtantiam panis & vini in ſuum corpus & ſanguinem conſecratione mutauit. cúmque id fecerit in Dei honorem, Deo ſimul obtulit, & ipſe cum Apoſtolis ſumſit, vt docet Tertullianus *lib.4. contra Marcionem.c.*40. Chryſoſtomus *Hom.*83. *in Matth.* Euſebius Emiſſenus, ſi eius eſt, *Homilia* 5. *de Paſchate*, qui ad hoc propoſitum exponunt illud *Lucæ* 22. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Hieronymus *epiſtola* 50. *ad Hedibiam,& in c.*26.*Matth.* Heſychius *in Leuit.*8. Theophylactus *in c.*26. *Matth.* Euthymius *in Lucam* 22. Gloſſa *in lib. Ruth c.*3. ídque confirmant ex eo, quòd ſanguinem bibiſſe videtur, iuxta illud, *Amodo non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat*, ideóque etiam corpus ſumſiſſe. Ex Scholaſticis verò idem docet S. Thomas 3.*p.q.*81. *art.*1. *& q.*84.*art.*7. *ad* 4. *& opuſc.*60.*c.*14. Alenſis 4.*p.q.*44. *in* 1.*&* 2. Bonauentura 4.*d* 9.*art.*1.*q.*4. Richardus 4.*d.*11.*art.*4.*q.*1. Albertus 4.*d.*12.*art.*15. Gabriel *in can. lect.*37. Sotus 4.*d.*12. *q.*2. Ledeſma *q.*22. Canus *loco citato.* VValdenſis *tom.*3.*tit.*4.*c.*43. Clitouæus *lib.*2. *de Miſſa.c.*21. Tabiena *Euchariſtia* 4. Viguerius *de Euch.verſ.*18.*litt.E,& verſu* 19.*lit. C,* Turrianus *tr.*1. *de Euchariſtia.* Henriquez *lib.*8.*c.*35. Suarez *diſput.*75.*ſect.*2.& alij; decebat enim, vt rectè loco citato argumentatur Chryſoſtomus, vt inſtructor conuiuij, & ipſe de eodem, cum conuiuis participaret, & ſacrificans de ſuo ſacrificio. eóque maximè ne diſcipuli humanæ carnis & ſanguinis eſum horrerent, niſi ipſe prior veſceretur; cùm prius multi propter ſola verba, ſcandalum paſſi fuerint. Deinde 2. verò quia Melchiſedech panis & vini ſacrificium figura, vt docet Cyprianus *epiſt.*63 *ad Cæcilium*, Ambroſius *lib.*5.*de ſacram.c.*1. Clemens Alex. *lib.*4. *Stromatum*, Chryſoſtomus *Hom.*35 *in Geneſim*, Arnobius *in Pſal.* 109. Hieronymus *in cap.*26. *Matth.*& alij, ſacrificij incruenti Chriſti ſacerdotis in æternum ſecundùm ordinem illius, Deo oblatum, & à Melchiſedech (vt communis erat mos participandi de oblato ſacrificio, vt diximus *c.*3. *num.*8.) atque Abrahamo eiúſque militibus (etſi antea abundè communibus cibis paſtis, *ex fine eiuſdem c.*14. *Gen.*) vt de conuiuio ſacrificij ob ipſorum victoriam oblati, participarent, conſumtum eſt,vt res Deo in ſacrificio oblata conſumtione immutaretur, iuxta dicta *c.* 3. Quare etiam in noſtro non tantùm viuum panem & vinum,corpus ſcilicet & ſanguinem Chriſti, ſed etiam eiuſdem oblationem & conſumtionem, vt adſit mutatio debita ſacrificio, adeſſe oportere cenſendum eſt. denique hæ tres 3. actiones omnino videntur eſſentiales; conſecratio quidem, tum ex rationibus primæ ſententiæ, tum quia de ratione noſtri ſacerdotij eſt poteſtas conſecrandi, cùm character ſacerdotalis primò ad conſecrationem corporis Chriſti ordinetur, ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*23.*c.*1. *&* 4.ergo etiam actio, ob quam primò datur poteſtas, nempe conſecratio, primariò erit de ratione ſacrificij, cùm ſacerdotium ſit propter ſacrificium. tum quia ſine hac Chriſtus offerri non poſſet, non enim eſſet ſub ſpeciebus panis & vini. Oblatio verò, tum quia ſine oblatione nullum ſacrificium ſubſiſtere poſſit, cùm ſit eius genus. tum quia ſacerdos victimam, corpus ſcilicet & ſanguinem Chriſti, in Dei altari conſtituat, in proteſtationem diuinæ excellentiæ, noſtræque ſubiectionis, quod eſt re ipſa, & in actu exercito, offerre. Neque enim neceſſaria eſt oblatio verbis expreſſa, ſeu in actu ſignato ad rationem ſacrificij, vt Bellarm. Suarez & alij rectè docent.cùm neque Chriſtum in ſacrificio aut cruento crucis,aut incruento cœnæ, neque ſacerdotes alios antiquos legamus ſacrificando dixiſſe: Ego offero aut ſacrifico, ſicut neque neceſſe eſt, cùm quis alteri honoris cauſa caput aperit, dicat: Ego te honoro, cùm actus ipſe reuerentiæ per ſe id explicet;

Matth. 26. *Marc.*14.

ideo hîc etiam ſatis eſt actio offerendi, qua fit victima in altari præſens, implicitè coniuncta cum conſecratione. Quamquam neque in ſacrificio noſtro deſit verbalis & in actu ſignato, ad excitandum magis affectum noſtrum, & oſtendendum conſenſum totius Eccleſiæ in ſacrificij oblatione; dum poſt conſecrationem in canone dicitur: *Vnde & memores nos Domine, &c.* id tamen potius ad integritatem ſacrificij, quam eſſentiam pertinere conſtat, quicquid aliqui ſen-

Henriquez lib. 9.c.9.§.3.

ſerint; cùm initio Apoſtoli ad conſecrationem ſolam dominicam orationem adhibuerint, ex Gregorio *epiſtolarum lib 7.ep.63*. Conſumtio denique à ſacerdote facta, non vt eſt vſus ſacramenti, & populo communis, ſed vt perfecta conſumtio, & immutatio victimæ oblatæ; tum quia reale ſacrificium realem immutationem requirit, vt diximus *c.* 3. & patet ex ſacrificiis veterum, alioquin Iſaac ob colligationem & erectionem gladij, Abraham, non ſolùm voluntate, ſed re ipſa (licèt defuerit realis occiſio) ſacrificaſſet. At hîc nulla eſt alia deſtructio realis victimæ præter ſumtionem, qua Chriſtus victima perfe-

Leuit.3. Exod.29.

cte immutatur, & amittit eſſe ſub ſpeciebus ſacramentalibus, & reſpondet combuſtioni neceſſariæ holocauſto. Neque enim ſufficit immutari ſubſtantiam panis & vini, cùm hæc non ſint res oblata, ſed Chriſtus; ſicut neque ſufficit mactatio myſtica quatenus ſanguis ſeparatim à corpore conſecratur, aliàs non eſſet reale ſacrificium, ſed figura & imago realis ſacrificij. tum quia ſi ſumtio non eſt de eſſentia; ergo ſine illa ſacrificium erit perfectum. Quare obligatio ſumtionis, qua tenentur ſacerdotes ſumere quoties conſecrant, cùm neque ex præcepto aliquo diuini poſitiuo, quod nuſſibi reperitur, neque ex intrinſeca obligatione perficiendi ſacrificium naſcatur, non eſſet de iure diuino. quod licèt ſenſerit Hadrianus 4.*q.*6. *de Euchariſtia*. Maior 4.*d.*9. *q.*3. & aliqui alij, nimis tamen durum videtur; cùm Concilium Toletanum XII. celebratum anno 681. *c.* 5. dicat eos, qui ſacrificantes non edunt, reos eſſe dominici ſacramenti. & paulo pòſt, quaſi id repugnet naturæ ſacrificij, ſubdit: *Nam quale erit ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur.* Vt etiam *in Leuit. c.6.* dicitur. *Sacerdos qui offert* (ſcilicet hoſtiam) *comedet eam in loco ſancto in atrio tabernaculi.* Vnde Rupertus *ibidem cap. ſuo* 32. ait, neceſſarium eſſe eſum Euchariſtiæ. & D. Auguſt.*lib.*17. *de Ciu.c.*5. dicit, manducare panem, quod eſt in nouo Teſtamento, ſacrificium Chriſtianorum eſſe. Itémque Concilium Neocæſarienſe *c.*13. offerre vocat communicare. Idémque videtur ſentire S.Thomas 3.*p.q.*80. *art.*12.*ad* 3.*& q.*83. *art.*6. *ad* 3. dum dicit: *Si caſu aliquo, vt veneno aut lapſu in calicem animalis venenoſi, non poſſint ſpecies ſumi, iterum conſecrandum, vt perficiatur ſacrificium. At ſi ſumtio non eſſet eſſentialis, iam perfectum eſſet ſacrificium.* Ex quibus non

Ad 1. ſententia.

difficile ſolui poſſunt quæ ab autoribus primæ ſententiæ obiiciebantur. Rectè enim Patres conſecrationem appellant immolationem, licèt non ſit realis occiſio, quam vera immolatio ſignificat, quia eſt immolatio myſtica, quatenus ex vi verborum ſeparatim corpus, & ſeparatim ſanguis, in quo ſolet reſidere vita, conſecrantur: vt intelligamus vtriuſque præſentiam eſſe per modum occiſi; non excludunt tamen oblationem, cùm illa actio fiat in Dei honorem, & ſuper altare Dei ponantur oblata. & conſumtionem conuenientem, nempe ſumtionem, cùm Chriſtus ſit ibi per modum panis & vini, vt perficiatur immolatio.

Ad 2.

Similiter ad alterum dicimus deeſſe conuenientem victimæ immutationem & deſtructionem, ſine qua ſacrificium eſſet imperfectum, vt etiam ex doctrina S.Thomæ dicebamus. Quod ſubiiciebatur de Chriſto principali offerente, veriſſimum eſt; præcipua enim actio eſt conſecratio. hæc autem fit verbis Chri-

ſti,

ſti, cùm ea perficiatur victima, dum per tranſubſtantiationem panis & vini in
corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus ſacramentalibus conſtituitur Chriſtus, vt
ſumi poſſit, requiritur tamen deinde deſtructio victimæ, ſeu conſumtio. Nec
obſtat quòd conſumtio non videatur fieri in perſona Chriſti. licèt enim non
immediatè ipſe per ſe manducet, & conſumat ſacrificium, dici tamen poteſt
conſumere, quia ad conſumendum tradit; ſicut dicitur ſe in ſacrificio Crucis
ſacrificaſſe, quia ſe obtulit occidendum, etſi non ſe occiderit, & in veteri holo-
cauſto dicebatur ſacerdos cremare victimam, quamuis ſacerdos ſolùm ſubiice-
ret ignem, qui deinde comburebat, vt rectè docuit Bellarminus *lib. 1. de Miſ-* *Ad 4.*
ſa. c. 27. S. Thomas verò ibi ſolùm ſignificat conſecrationem eſſe principalem
actionem, qua victima (quæ etiam ſacrificium dicitur) efficitur præſens, & re-
ipſa Deo offertur; etſi debeat tandem ſumi, iuxta eius opinionem 3. *p. q.* 80. *art.*
12. *& q.* 83. *art.* 6. Quæ etiam autores ſecundæ ſententiæ afferunt non multum *Ad 1. ſecundæ*
negotium faceſſunt, quia etſi ſacrificium ſit oblatio, requiritur tamen tamquam *opinio-*
differentia, vt ſit cum immutatione rei in Dei honorem, &c. Neque verum eſt, *nis.*
vt docet etiam Suarez *ſect.* 4. conſecrationem eſſe præparationem materiæ, ſed *Ad 2.*
eſt eſſentialis actio, eáque præcipua ſacrificij, cùm non ſit materia, ſed terminus
ſacrificationis, ideo non debet ſupponi præcipuæ actioni ſacrificandi tempore
vel natura; quare non valet proportio de incarnatione, cùm ibi Chriſtus, vt ho-
mo viuus, fuerit materia ſacrificij cruenti, hîc autem, vt eſt ſub ſpeciebus, ſit
terminus. Confirmatur, quia, vt initio capitis diximus, D. Cyprianus, Nyſſenus,
Chryſoſtomus, Ambroſius & alij Patres, conſecrationem ipſam immolatio-
nem & mactationem vocauerunt: non igitur eſt præparatio materiæ, vt incar-
natio reſpectu ſacrificij cruenti, ſed actio præcipua ſacrificij. vnde etiam S. Tho-
mas & communis ſententia negat fieri in Paraſceue, vel in Quadrageſima apud
Græcos, exceptis aliquibus diebus, ſacrificium, dum ſcilicet fit officium ex præ-
ſanctificatis. & vt etiam reſpondeatur ad tertium argumentum ſecundæ opinio-
nis, in quo hac de re agitur. In Paraſceue propriè non offertur ſacrificium, ex *Ad 3.*
Innocentio I. *epiſt.* 1. *c.* 4. Concilio Tolet. XVI. celebrato anno 693. *can.* 8. Rabano
in inſtitutione c. 67. Hugone de S. Victore *lib.* 3. *miſcell. c.* 43. S. Thoma 3. *p. q.* 83. *art.* 2.
ad 2. Richar. 4. *d.* 13. *art.* 2. *q.* 2. Maiore 4. *d.* 12. *q.* 2. Durando *lib.* 6. *rationalis c.* 77. *num.*
34. Gabriele *lect.* 14. *in can. vt patet*, cùm non fiat quicquam in propria Chriſti
perſona. quare tunc ſacrificium latè ſumitur pro victima ſeu hoſtia conſecrata,
pertinétque vt pars ad ſacrificium præcedentis diei. Neque enim decebat vt eo
die quo præſens fuit Chriſti ſacrificium in cruce, adeſſet ſacrificium memoria-
le. Quod etiam dictum velim ad primum argumentum Alberti. Ad alterum *Ad 1. & 2. Alb.*
enim reſpondeo ſumtionem reſpondere combuſtioni holocauſti, & quia hæc
non fuit tota eſſentia illius ſacrificij, ita neque ſumtio eſt tota eſſentia noſtri,
etſi ipſa quoque poſſit denotare mortem & reſurrectionem Chriſti. Immo ſi
hac de cauſa ipſa eſt de eſſentia, eadem de cauſa erit etiam de eſſentia conſecra-
tio quæ idem ſignificat, vt nihil de oblatione dicam. Scotus autem omiſit con- *Ad Scotum.*
ſumtionem quam neceſſariam ſacrificio diximus. Canus denique fruſtrà fra- *Ad Canum.*
ctionem vel etiam mixtionem addit, cùm ſit quid accidentale: vnde ſi contin-
gat omitti, vt ſi decidat hoſtia in calicem, perfectum eſt ſacrificium, teſte eo-
dem D. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad* 6. qui *q.* 85. non eſt ſibi contrarius, ſolùm enim
vult oblationem, vt ſacrificium dici poſſit, continere etiam actionem aliquam
ſacram, v.g. vt frangatur, manducetur. Quam ob cauſam nos etiam ſumtionem
requirimus, ſed negamus fractionem hîc eſſe de eſſentia, quia Chriſtus eam

non adhibuerit, vt myſticam actionem, cùm fregerit ſolùm, vt diſcipulis diſtribueret, vt conſtat ex contextu Euangelij, & docet Auguſtinus *epiſt. 69. ad Paulinum, q. 5.* & fortè etiam præceſſit conſecrationem, etſi rectè Eccleſia ad maiorem declarationem myſteriorum cenſuerit adhibendam, ſicut etiam mixtionem: vt ſentit Clemens *lib. 8. c. 12. aliàs* 17. Tertull. *lib. 4. contra Marcionem. c.* 40. Sotus 4. *d.* 11. *q.* 1. *art.* 2. Bonau. & alij, vt dicemus *lib. 4. c.* 11.

An Miſſæ ſacrificium vtramque ſpeciem neceſſariò requirat. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1. *An ad integram ſacrificij euangelici rationem vtraque ſpecies panis & vini requiratur, an verò altera tantùm ſufficiat.*
2. *Num ſit id præceptum iuris diuini, an verò tantùm eccleſiaſtici.*
3. *Poſsitne ſummus Pontifex diſpenſare, vt vbi non reperitur aut conſeruatur vinum, vel alia grauiſſima de cauſa in ſola ſpecie panis celebretur.*

NVnc illud conſequenter quærendum eſt, num ad rationem euangelici ſacrificij vtraque ſpecies, panis ſcilicet & vini, neceſſariò requiratur, an altera tantùm ſufficiat? Qua in re illud omnino contra quoſdam ſtatuendum eſt, ſi de facto, alterius tantùm ſpeciei conſecratio aut ſacrificatio fieret, illam conſecuturam ſuum effectum, ſeu facturam aliquid ſacrum in Dei honorem, nempe Chriſtum Dominum ſub illa ſpecie, ex D. Bernardo *epiſtola 69. ad Guidonem*, Innocentio III. *lib. 4. c. 17. &* 23. Cæſario Heiſterbachenſi, qui eadem vixit ætate *lib. 9. c. 27.* S. Thoma 4. *d. 8. q. 2. art. 2. epiſtola 2. &* 3. *p. q. 78. art. 6.* Soto 4. *d. 9. q.* 1. *art.* 1. Gabriele *lect.* 53. Durando Paludino, & aliis Scholaſticis, *in 4. & in 3. parte.* S. Thom. *q.* 78. & ratio id docet, quia conſecratio vnius ſpeciei eſt actio abſoluta independens ab altera futura, vnde Chriſtus ante calicis conſecrationem dixit de ſpecie panis: *Hoc eſt corpus meum.* & Eccleſia *cap. ſanè. de celebratione Miſſarum*, iubet hoſtiam ante calicis conſecrationem adorari. In illa tamen vnica ſpecie, non haberetur integra ratio euangelici ſacrificij, cùm vtriuſque materiæ ſacrificatio ſit de neceſſitate præcepti: vt patet, tum ex Gelaſio *de conſecrat. d. 2. can. comperimus.* vbi docet diuiſionem vnius eiuſdémque myſterij ſine grandi ſacrilegio peruenire non poſſe, & Innocentio III. *lib. 4. c. 17. &* 23. vbi dicit, Deum grauiter offendere, qui alteram ſpeciem omittit. quod etiam ſenſit diuus Thomas 3. *p. quæſt.* 74. *quæſt.* 80. *art.* 12. *ad* 1. *&* 2. *& quæſt.* 83. *art.* 6. Caietanus 3. *p. quæſt.* 80. *art.* 12. *ad* 3. Syluester *v. Euchariſtia.* 1. *q.* 5. Ledeſma *q.* 15. *artic.* 1. Soto 4. *diſtinct.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 1. Claudius Sainctes *repet.* 10. *c.* 3. Petrus Caniſius *de ſacramento Euchariſtiæ. c.* 8. Gregorius de Valentia *tom. 4. diſt. 6. quæſt.* 10. *punct.* 4. Bellarminus *lib. 4. de Euchariſtia. c. 22. &* 24. Suarez 3. *p. diſp.* 43. *ſect.* 2. *&* 3. *& diſp.* 75. *ſect.* 6. Petrus Ledeſma *tr. de ſacram. Euchariſtiæ.* tum quia, vt argumentatur S. Thomas *quæſt.* 80. *art.* 12. & colligitur etiam ex D. Ambroſio *in epiſt. ad Hebræos*, & habetur *de conſecr. d. 2. can. in Chriſto.* Hoc myſterium ita eſt incruentum ſacrificium, vt tamen de eius eſſentia & intrinſeca ratione ſit expreſſa & perfecta repræſentatio & exemplum ſacrificij Chriſti in cruce peracti, iuxta illud: *Hæc*

Lucæ 22. Matth. 26.

Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis. & 1. *Cor.* 11. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, &c.* Hoc autem non fuit ſine ſanguinis effuſione, & morte corporis; ergo hæc etiam expreſſa illius imago, continere debet ſeparatam myſticam corporis mortem, & ſeparatam ſacramentalem ſanguinis effuſionem; cùm ſola ſpecies panis exactè non repræſentet Chriſtum vt mortuum, niſi in altera parte conſpiciatur ſanguis vt effuſus; & ſimiliter ſpecies vini non repræſentat exactè Chriſtum vt immolatum, cùm ſolus ſanguis non ſit victima. quare talis repræſentatio non eſſet expreſſa & integra repræſentatio, ſed implicita & ex diſcurſu intelligentis. Vt igitur ſit expreſſa repræſentatio, & non tantùm aliquod ſignum, ſeu indicium, quod etiam faciebant ſacrificia veteris legis, propter quod dicitur Chriſtus occiſus ab origine mundi, neceſſe eſt, vt ſeparatim ex vi verborum corpus & ſeparatim ſanguis conſecretur, & offeratur. tum quia Melchiſedech, ſacerdotis Chriſti figuram præferens, panem & vinum in ſacrificij euangelici typum obtulit, ideo etiam in hoc, vtramque ſpeciem adeſſe oportet. tum quia vtramque obtulit Chriſtus.

2. Sed maior difficultas eſt, an tale præceptum ſit iuris diuini, an tantùm eccleſiaſtici, & humani. Et quidem Maior 4. *d.*9. *q.*3. *ad* 5. Hadrianus *quæſt.* 6. *de Euchariſtia,* Claudius Sainctes *repet.* 10. *c.* 3. Tapper *art.* 15. Io. Heſſel *lib. de vtraque ſpecie,* Angelus *Euchariſt.* 1. *num.* 20. Tabiena *Euchariſt.* 1. *num.* 20. Piſanella *Euchariſt.* 2. *num.* 12. Nauarrus *cap.* 25. *manualis.num.* 91. exiſtimant, ex præcepto Chriſti ſolam conſecrationem panis requiri, vini autem eſſe ſolùm iuris canonici, ſeu eccleſiaſtici. Ratio eſt, quia ſi eſſet iuris diuini, id colligeretur, vel ex Chriſti facto ſeu inſtitutione; vel ex illo: *Hoc facite in mei commemorationem*, vel ex præcepto aliquo ſcripto, vel denique traditione. Sed primum dici non poteſt; tum quia Chriſtus tunc multa fecit, vt conſecrationem in azymis, & poſt cœnam, & communicauit aſtantes, quæ tamen non ſunt de iure diuino. ob id licèt Chriſtus conſecerit in vtraque materia, non infertur tamen neceſſariò, calicis conſecrationem eſſe etiam de iure diuino: tum quia in vnica ſpecie offertur totus Chriſtus, & ſignificatur eius paſſio, cùm ex eo quòd ex vi verborum conſecratur corpus ſine ſanguine, ſignificatur per paſſionem fudiſſe ſanguinem. tum quia Auguſtinus *lib.* 3. *de conſenſu Euang. c.* 25. Heſychius *lib.* 2. *in Leuit.* Theophylactus *in Lucam,* & alij, exiſtimant Chriſtum poſt reſurrectionem, in Emaus *Lucæ* 24. cùm agnitus eſt in fractione panis, confeciſſe ſub vnica ſpecie panis. Neque ſecundum, quia ſolùm datur poteſtas offerendi, & diſtribuendi, non præcipitur tamen iure diuino fieri ſub vtraque ſpecie. Non tertium, nec quartum, cùm id nullibi conſtet. At verò S. Thomas 3. *p. quæſt.* 74. *art.* 1. *ad* 2. *& quæſt.* 80. *art.* 12. *ad* 3. Innocentius III. *lib.* 4. *de myſteriis Miſſæ. c.* 23. Paludanus 4. *d.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 1. Marſilius 4. *quæſt.* 6. *art.* 1. Argentina *ibidem*, Ledeſma *quæſt.* 15. *art.* 1. Caietanus 3. *p. quæſt.* 80. *art.* 12. *quæſt.* 1. *verſ. tertiò, & in reſp. ad* 3. Sotus 4. *d.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 1. Sylueſter *Euchariſtia* 1. *quæſt.* 5. Gabriel *in can. lect.* 10. *litera d.* Hoſius *in confeſſ. Polonica. c.* 40. Valentia *tom.* 4. *d.* 6. *q.* 10. *p.* 4. Bellarminus *lib.* 4. *de Euchariſtia. c.* 22. *&* 24. Suarez *diſp.* 43. *ſect.* 3. *& diſp.* 75. *ſect.* 6. Azor *lib.* 10. *c.* 19. *quæſt.* 2. rectiùs ſentiunt vtriuſque ſpeciei ſacrificationem eſſe de iure diuino. tum ex rationibus factis paulo antè ad oſtendendum euangelicum ſacrificium vtramque ſpeciem neceſſariò requirere, ſunt enim ſumtæ ex illius intrinſeca ratione, & conſequenter iuris diuini, præſertim ex verbis & factis Chriſti qui in vtraque materia obtulit, & præcepit eodem modo

 fieri:

fieri: *Hoc facite in mei commemorationem*, quæ ita annectuntur calici, ſicut corpori; & licèt in illis detur poteſtas conſecrandi, tamen etiam præcipitur, vt faciant quod ipſe fecit, qui ſub vtraque ſpecie confecit, idque ſemper ſeruauit Eccleſia. *de conſecr.d.2. can.* 2. 3. 4. 6. 7. 10. 11. tum quia ſicut in lege veteri cùm plures actiones præcipiebantur in oblatione ſacrificij, vt occidere, cremare, vel res plures in eodem ſacrificio offerre, dici non poterat vna, & non alia, eſſe de iure diuino, aut non omnes eſſe de eſſentia ſacrificij; ita etiam in hoc caſu noſtro. tum quia ſicut quando propoſitis mandatis legis populo, fœdus inter Deum & populum ſancitum eſt, *Exod.*24. ſolemni ſacrificio ſanguis fœderalis & pacificæ victimæ immolatæ aſperſus eſt in populum, illis verbis: *Hic eſt ſanguis teſtamenti quod mandauit ad vos Deus*, ita etiam cùm poſt promulgationem noui mandati, *Io.*13. *Nouum mandatum do vobis, vt diligatis inuicem*, nouum teſtamentum firmandum fuit, ſolemni ſacrificio, in quo non tantùm corpus victimæ fœderalis Chriſti Domini, verumetiam ſanguis à victimæ corpore ex vi verborum ſeparatus, inueniri debuit, eóque aſpergi aſtantium diſcipulorum pectora. Hoc enim à Moyſe præfiguratum fuiſſe in eo ſacrificio, indicat ipſemet Chriſtus, cùm poſt conſecrationem ſui corporis tamquam victimæ iiſdem pæne verbis, *Matthæi* 26. *Marci* 14. vſus, quibus Moyſes dixit de calice: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis & multis* (vt hæredes in teſtamento inſtitutos exprimeret) *effundetur in remiſſionem peccatorum*. vt ſcilicet, quia ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio, *ad Hebr.* 9. indicaret ad hunc effectum ſacrificium inſtituere, quòd illam effuſionem repræſentaret per ſeparatam ſanguinis à corpore conſecrationem. Vnde meritò Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem: In calicis* (inquit) *mentione teſtamentum conſtituit ſuo ſanguine obſignatum.* vt etiam aduerterunt Chryſoſtomus, & Theophylactus *in cap.*26.*Matthæi*, Ambroſius 1. *ad Corinth.* 11. & Beda *in c.*22. *Lucæ.* qua etiam de re *lib.*4.*c.*11. *num.*29. erit ſermo. Quare ad argumentum primæ ſententiæ reſpondendum eſt, licèt non omnes circumſtantiæ, quæ in cœna contigerunt, ſint præceptæ, cùm aliquæ fuerint accidentales, ſubſtantia tamen & integritas ſacrificij præcepta eſt, cùm de iure diuino & naturali ſit, vt Deo offeratur integrum, & perfectum, vti inſtitutum eſt; idque colligendum partim ex verbis & factis Chriſti in inſtituendo, partim ex traditione; cúmque in vnica ſpecie non ſit perfecta repræſentatio paſſionis Chriſti, licèt ſub illa ſit totus Chriſtus, non eſt ſacrificium perfectum, ſed ſolùm inchoatum. Sicut ſacrificia veteris legis præcepta comburi, inchoata tantùm & non eſſentialiter perfecta dici poterant occiſa, & nondum combuſta victima. Quod autem de pane in Emaus dicitur, aut non fuit Euchariſtia, ſed panis communis, quem manibus fregit, vt diſtribueret, vt docet Hieronymus *lib.*2. *contra Iouinianum*, Euſebius Emiſſenus *Hom. in* 2.*feria Paſchæ*, S. Thomas 3. *d.*21. *quæſt.* 2. *art.* 2. Liranus in Lucam, Oecumenius & Beda; aut ſi fuit, vſus eſt Chriſtus extraordinaria poteſtate, quæ nobis non conuenit.

Vide lib. 4. c.11.ſ. 29.

3. Porrò an in regione, in qua vinum haberi, aut conſeruari non poſſit, aut alia grauiſſima de cauſa ſummus Pontifex diſpenſare poſſit, vt ſacerdos celebret in ſola ſpecie panis, valde etiam controuerſum eſt, cùm non tantùm ij, qui ſentiunt ſacrificationem ſub vtraque ſpecie eſſe iuris canonici, de quibus *num.* 2. ſed etiam plures ex iis, qui docent eſſe iuris diuini, putent Papam poſſe diſpenſare, vt Albertus *tract. de corpore Chriſti apud Turrecrematam, can. comperimus. de conſecr. d.*2. apud Sotum 4. *d.*12. *quæſt.*1.*art.*12. & apud D.Antoninum

3.*p. tit.* 13. *c.*6. §.1. Gabriel. *in can. lect.* 53. *dubio* 3. Thomam Sanchez *de matrim.*
*tom.*3.*lib.*8. *diſp.*6. *num.* 6. Alphonſum Salmeron. *tom.*9. *tract.*14.*&* 35. Henriquez
*lib.*8. *c.*13. idque exiſtimant ob tantorum autoritatem virorum probabile Azor
*lib.*10.*c.*19. *q.*2. & Suarez *diſp.* 43. tum quia diſpenſat etiam in multis aliis iu- 1.
ris diuini, vt iuramento, voto, confirmatione per ſimplicem ſacerdotem,&c.
tum quia talis diſpenſatio non eſſet ſuper ſubſtantia, materia ſcilicet, & for- 2.
ma ſacramenti, vel ſacrificij, ſicut eſſet v. g. ſi conſecraretur aqua, & offerre-
tur, id enim fieri non poteſt,*ex can.*3.*Apoſtolorum.* Cypriano *lib.*2.*epiſt.*3. *aliàs* 63.
Concilio Aurelianenſi IV.*c.*4. Antiſiodorenſi *c.*9. Florentino,& Theologis,ſed
ſolùm eſſet circa vſum, quia non applicaretur forma materiæ. Diſpenſare au-
tem poteſt Eccleſia in vſu, ſi ei videatur expedire fidelium vtilitati, ex Conci-
lio Tridentino *ſeſſ.*21. *c.*2. vt ſanè videtur, ne tot populi priuentur Euchariſtia,
& iugi præſentia corporis Chriſti, ſub vna ſaltem ſpecie. ideóque melius ſit
imperfectum habere ſacrificium, quàm nullum. tum denique, quia fertur In- 3.
nocentius VIII. anno 1490. id Noruegiis permiſiſſe, vt ait Volaterranus *lib.*7.
*c.*4. ex quo deſumſerunt deinde Onuphrius Panuinus *in breui chronico*, Scholia-
ſtes *ad chronicum Euſebij*, Claudius Sainctes *repet.*10.*c.*3.*&* 4. & Ruardus Tapper.
art. 14. At verò Paludanus 4. *d.* 11. Ledeſma *quæſt.* 15. *art.*1. Syluester *Euchariſt.*
1. *quæſt.*5. Sotus 4. *d.*9. *quæſt.*1. *art.*1.*&* *d.*12. *q.*1. *art.*12. Hoſius *in confeſſione Poloni-*
*ca. c.*40. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.*10. *p.*4. Suarez *diſp.* 43. *ſect.* 4. Bellarm. *lib.*4.
*c.*24.Petrus Ledeſma *tract.de Euchariſt.* & alij, rectiùs exiſtimant multo probabi-
lius eſſe, Papam non poſſe diſpenſare; quia Eccleſia non poteſt facere, vt ſa-
crificium non offeratur integrum & perfectum ex omnibus, quæ ad eius eſ-
ſentiam & ſubſtantiam pertinent, vt eſt confectio in pane & vino, cùm non
minus immutabilis & conformis inſtitutioni diuinæ eſſe debeat ritus ſacrifi-
cij, quàm ſacramentorum; aliàs ſi admittatur talis diſpenſatio in iure diuino,
nihil omnino cenſendum erit immutabile, cùm etiam in aliis talis cauſa acci-
dere poſſit, vt v. g. deeſſe in regione aliqua oleum, idcóque fieri poſſe diſpen-
ſationem, vt extrema vnctio detur in alia materia, cùm non ſit maior ratio in
vno, quàm in alio; cùm & ſacrificium & ſacramentum ſint æquè ex inſtitutio-
ne diuina, ſi admittatur diſpenſatio in vno, admitti debeat in altero. Et vt
reſpondeamus argumentis prioris opinionis, dicimus Papam non poſſe pro- *Ad* 1.
priè diſpenſare in iure diuino tollendo eius obligationem, ſed ſolùm deter-
minare id quod continebatur ſub voto, iuramento promiſſorio, &c. non am-
plius contineri, mutatis circumſtantiis; ſicut cùm Princeps in lege humana
diſpenſat, non facit vt ſubditus non obtemperet legi, quod eſſet contra ius
diuinum de obediendo ſuperioribus, ſed ſolùm, vt quod erat lex in eo caſu
ceſſet.Ita hîc Prælatus id quod antè cadebat ſub obligatione deliberationis vo-
luntatis humanæ non valentis omnia circumſpicere, & videre, hîc & nunc,
non eſſe amplius congruam materiam iuramenti, voti, &c. ex S. Thoma 2.2.
*quæſt.*88. *art.*10. *ad* 2. *&* *q.*89. *art.*9. *ad* 1. Soto *lib.*7. *de iuſt. quæſt.*4.*art.*1. *&* *can.ſunt*
quidam, *&* *can.contra ſtatuta.*25.*q.*1. Sic etiam niſi conſtaret de iure diuino factam
fuiſſe aliquam exceptionem de miniſtro confirmationis, Papa non poſſet di-
ſpenſare, ſed inſtitutio diuina fuit vt confirmationis miniſter ordinarius eſſet
Epiſcopus, poſſet tamen in eius locum Papa, ſi expedire iudicaſſet, ſubſtitue-
re ſimplicem ſacerdotem. Quare id non eſt per modum diſpenſationis,ſi enim
vellet ſubſtituere diaconum, non poſſet, ſed per exceptionem factam in inſti-
tutione. Ad alterum dicimus iuxta doctrinam Caietani 3.*p.q.*80. *art.*12. *quæſt.*1. *Ad* 2.
ad 3.

ad 3. & aliorum, id procedere quando vſus non eſt præceptus. Sacrificationis autem ritus ſub vtraque ſpecie præceptus eſt, & pertinet ad eſſentiam; continet enim modum ſacrificandi, cui intrinſecè eſt annexum, vt ſi fieri non poteſt vti perſcriptus eſt, omittatur potius, quàm mutetur. Sicut ritus & modus conſecrandi ſacerdotes, ita ſeruandus eſt, vt ſi ſeruari non poſſit, omitti potius debeat conſecratio, quàm alium ritum excogitare. Tandem quod ſpectat *Ad* 3. ad Innocentium VIII. Raphaëlis Volaterrani verba falſitatem ſonare videntur, cùm dicat Innocentium permiſiſſe ſine vino calicem ſacrificare. quod ſanè ſummus Pontifex concedere non poteſt: vt coram Alexandro VI. concluſum eſſe teſtatur Armilla & Tabiena *v. Euchariſtia.* & meritò, vt paulo antè dicebamus, *ex can.* 3. *Apoſtolorum,* Cypriano *epiſt.* 63. & aliis. Neque etiamſi (vt emendauit Onuphrius) diceret, Innocentium permiſiſſe ſine vino ſacrificare: vt idem ſit, ac ſub vnica ſpecie, id videtur credibile Bellarmino *lib.* 4. *de Euchariſtia. c.*24. & Suarez *diſp.*43. *ſect.*4. & liberè id vmquam factum negant Sotus *lib.*7. *de iuſtit. quæſt.*4. *art.*1. & Io. Azor *lib.*10. *c.*19.*q.*2. & hoc ſanè tempore in illis regionibus, ne minimum quidem huius rei veſtigium extat, eóque vinum infertur, & conſeruatur, non tantùm pro ſacrificio, ſed etiam pro communi potu, vnde corruit totum fundamentum hiſtoriæ Volaterrani in propoſita difficultate.

An Miſſæ ſacrificium vnum ſit, an plura. CAP. VII.

SVMMARIVM.

1. *An cùm duæ ſint in Miſſa conſecrationes, altera panis in corpus Chriſti, altera vini in eiuſdem ſanguinem, & in Dei honorem vtrumque offeratur & conſumatur, vnúmne, an potius duo dici debeant ſacrificia.*

NOn quærimus hoc loco an ſint in Miſſa duo ſacrificia, alterum panis & vini, quæ ſunt materia tranſiens, alterum corporis & ſanguinis Chriſti terminus ſacrificationis, id enim ſuprà *cap.* 4. diſputauimus. Sed illud nunc quærimus, cùm duæ ſint conſecrationes, altera panis in corpus Chriſti, altera vini in ſanguinem eiuſdem, & vtrumque in Dei honorem oblatum, vnúmne an potiùs duo cenſenda ſint ſacrificia? Sunt qui putent, ſicut ſunt duæ conſecrationes, ita duo eſſe ſacrificia; quia in qualibet earum æqualis reperitur ratio ſacrificij; cùm per vtramque fiat æqualis mutatio creaturæ in rem infiniti valoris, & Deo offeratur; & æquè vtramque Chriſtus adhibuerit, & dixerit, vt fieret in memoriam ſuæ paſſionis. Sed communis Doctorum opinio docet vnicum eſſe ſacrificium, tamquam ex duabus partibus corpore & ſanguine, duabus conſecrationibus confectis. ita Ruardus Tapper. *art.* 16. Gaſpar Caſalius *lib.*1. *c.* 20. Azor *lib.*10. *c.*19. *q.*4.5.6. & colligitur ex doctrina Innocentij *lib.* 4.*c.*21. D. Bonauenturæ *part.*6. *Breuiloquij.c.*9. S. Thomæ, & Caietani 3.*p.quæſt.*80. *art.*12. vt etiam *q.*74. *art.*1.*&* *q.*76. *art.*2. Gabrielis *lect.*53. Soti 4.*d.*12.*q.*1.*art.*12. tum quia hoc ſacrificium eſt vnica quædam repræſentatio expreſſa, ſacrificij cruenti: hæc autem non fit in vnica ſpecie, ſed in vtraque ſimul, vt expreſsè repræſentetur corporis, & ſanguinis ſeparatio. Vnicum igitur erit ſacrificium ex vtriuſque ſpeciei oblatione; tum quia vnica eſt hoſtia perfecta, quæ immolatur, & offertur, per vtriuſque ſpeciei confectionem; ergo & vnicum ſacrificium.

ficium. Confirmatur ex analogia veterum ſacrificiorum, cenſebatur enim vnicum ſacrificium immolatio victimæ, & eiuſdem ſanguinis effuſio: vt etiam Cyprianus *ſerm. de cœna Domini*, Ambroſius *lib. 5. de ſacramentis. c.* 1. & alij Patres, & Eccleſia, *in can. Miſſæ*, de ſacrificio Melchiſedech in pane & vino tamquam vnico ſacrificio loquuntur; tum quia *Malach.* 1. dicitur, *Offertur nomini meo oblatio munda*, & non oblationes, vt diceret, ſi duo eſſent ſacrificia: tum quia ſicut duæ conſecrationes panis & vini, vnum ſacramentum conſtituunt tamquam vnum quoddam diuinum epulum, cùm ex cibo & potu conſtet alimentum perfectum, ita eædem duæ partes in vnum ſacrificium conueniunt, quod in cibo & potu ſpirituali conſiſtens, Deo offertur. Quare reſpondendum eſt rationi aduerſariorum, licèt in ſingulis conſecrationibus inchoëtur aliquid ſacrum, quod offeratur Deo, ſingula tamen non offeruntur vt integrum ſacrificium, & per modum totius, à Chriſto inſtituti, & perfecti ſacrificij, ſed per modum partis; cùm non repræſentetur expreſsè, vti ex inſtitutione Chriſti repræſentari debet, cruenta Chriſti mactatio; non ſecus ac ſi in ſacrificiis antiquis cùm præcipiebatur animal interfici, & cremari, non eſſet impletum vtrumque, ſed primum ſolùm: nam fuiſſet tantùm inchoatum, & non eſſentialiter perfectum ſacrificium.

Sacrificium Miſſæ quale ſit. CAP. VIII.

SVMMARIVM.

1. *Quotuplicia ſint veteris legis ſacrificia, tum ratione materiæ, tum formæ, ac finis.*
2. *Euangelicum ſacrificium, illorum loco ſuccedens, eſſe pariter euchariſticum, ſeu gratiarum actionis.*
3. *Itémque propitiatorium (etſi diuerſo modo ac ſacramenta) & ratione culpæ, qua in re eſt peculiaris difficultas, an venialia abſque alio actu, per ſe immediatè delere poſſit, & ratione pœnæ debitæ peccatis, ſiue pro viuis ſiue pro defunctis iuſtis offeratur.*
4. *Poſtremò eſſe etiam impetratorium, & bonorum ſpiritualium, etſi ſaluti expediat, etiam temporalium.*

1. SAcrificia veteris legis vel ratione materiæ oblatæ, alia victimæ ſeu hoſtiæ dicebantur, cùm ſcilicet immolabatur res viua, cuiuſmodi ex volatilibus erant tantùm columba, turtur, & paſſer, ex quadrupedibus, bos, ouis, & capra, animalia omnia manſueta & inuentu facilia: alia immolationes, cùm videlicet offerebatur res inanima ſolida, vti erant ſimila, farinæ pars optima, panis in clibano, ſartagine, aut craticula coctus, thus & ſal: alia libamenta, cùm de rebus liquidis, oleo, vino, aqua fiebat ſacrificium. de quibus omnibus agitur *Leuit.* 3. 4. 5. 6. 7. 14. Ita ratione formæ, qualis in ſacrificiis eſſe poteſt, aliud, teſte D. Hieronymo *in c. 56. Iſaiæ*, & S. Thoma 1. 2. *q.* 103. *art.* 3. dicebatur Holocauſtum, id eſt, totum combuſtum, in quo præcisè tota victima in Dei honorem comburebatur, quod etiam eadem ratione *Holocautoma* vocabatur. Aliud hoſtia pro peccato, cùm offerebatur ſacrificium pro expiatione peccati, & propitiatione diuini Numinis, in quo pro perſonarum & delictorum varietate, victimas varias eſſe oportebat. *Leuit.* 4. 5. 6. eiúſque pars cremabatur,

reliquum cedebat in ſacerdotum cibum, dummodo non offerretur pro peccato ipſius ſacerdotis, aut totius populi, cuius etiam pars eſt ſacerdos, tunc enim igne totum conſumebatur. *Leuit.* 7. quòd non deceret, vt veniret in ſacerdotum vſum, quod pro eorum peccato offerebatur, vt nihil vitioſi in eis remaneret. Aliud denique hoſtia pacifica, quæ partim cremabatur in Dei honorem, partim manducabatur, tum à ſacerdotibus, tum ab offerentibus. Duæ tamen erant pacificorum ſpecies, quædam enim offerebantur pro beneficio iam accepto, & debebant ipſomet ſacrificij die conſumi, quædam pro beneficio accipiendo, & hæ poterant etiam in craſtinum manducari. *Leuit.* 3. *&* 7. Omnium ſacrificiorum præſtantiſſimum ex D. Thoma erat Holocauſtum, & in eo mas ſolùm, & non fœmina, vt in reliquis, offerri potuit. tum hoſtia pro peccato; deinde hoſtia pacifica pro beneficio accepto; denique pro beneficio accipiendo. obligamur enim maximè Deo deferre honorem ob ipſius maieſtatem, & excellentiam, tum ob offenſam in ipſum commiſſam, deinde ob accepta ab ipſo beneficia, poſtremò ob beneficia ſperata. A fine denique diuidebantur ſacrificia, & aliud dicebatur euchariſticum, & complectebatur ſacrificia in honorem Dei, & gratiarum actionem pro beneficio in communi, & in particulari accepto: vnde comprehendebat holocauſtum & hoſtias pacificas ad agendas gratias pro beneficio iam adepto: aliud impetratorium in futuro, quales erant hoſtiæ pacificæ ſecundi generis; aliud denique propitiatorium pro peccatis præteritis, & illorum pœnis, qualis erat hoſtia pro peccato: de quibus ſingulis accuratè inter cæteros egit noſter Franciſcus Ribera *toto lib.* 4. *de templo.*

His ſacrificiis, ex D. Auguſtino *lib.* 17. *de Ciuit. c.* 20. ſucceſſit in lege euangelica ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti, hoſtiæ viuæ, Deóque acceptiſſimæ, *Iſaiæ c.* 56. *Malachiæ c.* 1. *&* 3. ſub panis & vini ſpecie oblatum, excellentiſſimo modo vetera omnia complectens, & in infinitum excedens; quod non tantùm eſt ſacrificium in Dei honorem, laudis & gratiarum actionis, ex Dionyſio *de eccleſ. hier. c.* 3. *p.* 3. Chryſoſtomo *Hom.* 24. *in* 1. *ad Corinth.* Auguſtino *lib. contra aduer. leg. & Proph. c.* 18. & Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *c.* 2. ſed etiam propitiatorium pro peccatis, & pœnis, & impetratorium. maius enim à filiis, quàm à ſeruis ſacrificium offerendum fuit, vt rectè dixit Irenæus *lib.* 4. *c.* 34. verùm cùm hæc noſtri temporis Nouatoribus minus probentur, qui, vtcumque concedant eſſe ſacrificium euchariſticum, pernegant tamen contra decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.* 22. *c.* 2. *& can.* 3. eſſe propitiatorium, & impetratorium, breuiter ſingula demonſtremus. Et quidem euchariſticum eſſe ſacrificium, facile, ſi negent, conuincemus, cùm in Dei honorem, & pro gratiarum actione beneficiorum acceptorum offeramus, vt fuit prædictum *Pſ.* 115. *Salutaris calicem, & hoſtiam laudis*, corpus ſcilicet, & ſanguinem eius, de quo Pater teſtatus eſt: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,* & *Malachiæ* 3. *Et placebit Domino ſacrificium Iuda & Hieruſalem, ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui*; vbi Propheta intelligit per Iudam Chriſtianum populum Deum verè confitentem, & per Hieruſalem Ciuitatem ſanctam Romanam ſedem caput eccleſiaſticæ Hierarchiæ, cuius ſacrificium maximè Deo placet, ſicut dies ſeculi & anni antiqui, nempe ſicut ei placebant ſacrificia, quæ olim ſancti Patres offerre conſueuerant, iuxta ſanctæ Eccleſiæ preces illas in canone Miſſæ: *Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ.* 2.

Non

Non quidem quòd euangelicum ſacrificium ſolùm æquè Deo placeat, vt vetera ſacrificia; cùm & offerens principalis, Chriſtus ſacerdos in æternum, miniſterio ſacerdotum noui Teſtamenti, quos purgandos & conflandos tamquam aurum igne charitatis prædicit, & res oblata idem ipſe Chriſtus Dominus, in infinitum magis acceptus ſit Deo: ſed, *ſicut*, id eſt, iuxta correſpondentiam, vt Liranus & Ribera *ibidem* exponunt, rei figuratæ ad figuram; cùm vetera illa ſacrificia hoc vnum legis euangelicæ memoriale ſacrificij cruenti Chriſti, quo mundus redemtus eſt, & Deus ſummè glorificatus, præfigurarent. Qua de cauſa immediatè ante appellarat ſacrificium in iuſtitia. & *c.*1. oblationem mundam, qua nomen eius in Gentibus glorificaretur. quæ explicans Euſebius *lib.* 1. *demonſt.c.vltimo*, ait: *Sacrificamus igitur Deo altiſſimo ſacrificium laudis, ſacrificamus Deo plenum & odorem ſpirans & ſacroſanctum ſacrificium, ſacrificamus nouo more, ſecundùm nouum Teſtamentum hoſtiam mundam.* & Auguſtinus *lib.* 1. *contra adu. leg. & Proph. c.*20. *Eccleſia per ſucceſſores Apoſtolorum immolat in corpore Chriſti ſacrificium laudis.* vt etiam vocat Eccleſia *in can. Miſſæ*, verbis illis: *Memento Domine, famulorum famularúmque tuarum, &c.* Eóque pertinet paſſionis commemoratio ex Chriſti præcepto, quæ, Origene teſte, *Hom.*13. *in Leuit.* poteſt ſola Deum hominibus propitium reddere, vt hoc eximio cultu & ſacrificio redemtionis noſtræ, Deo quas maximas poſſumus, agamus gratias.

3. Propitiatorium quoque eſſe pro peccatis conſtat. tum quia id præfigurarunt 1.
antiqua ſacrificia pro peccato, quæ ex D.Auguſtino *q.*57. *in Leuit.* peccata etiam expiabant, vt conſtat *ex Iob c.* 1. *Offerebat holocauſta per ſingulos, dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, &c.* & 42. *Sumite ergo vobis ſeptem tauros, &c.* & *Leuit. c.*4.5.6.7. præſcribuntur varia ſacrificia pro diuerſis peccatis expiandis, ex offerentium tamen in Chriſtum fide, cuius illa ſacrificia erant proteſtationes, & ideo figuræ & typi euangelici ſacrificij, quo iniquitates & crimina remittuntur.
tum quia *ad Hebr.*5. vniuerſaliter de ſacerdotibus dicitur: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumtus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis*; quare etiam id valebit de ſacrificio euangelico. tum 2. 3.
quia in particulari de hoc eximio dixit in inſtitutione Dominus, *Lucæ* 22. & Paulus 1. *Corinth.* 11. *Quod pro vobis & pro multis traditur, & effunditur in remiſſionem peccatorum.* Quare meritò cenſuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.*22. *c.*2. & *can.* 3. eſſe verè propitiatorium ſacrificium, eóque crimina & peccata etiam ingentia dimitti. Quod & multo antea dixerat Alexander I. *epiſt.* 1. *ad orthodoxos. Talibus* (inquit) *hoſtiis delectabitur, & placabitur Deus, peccatáque dimittet ingentia.* quem ſequutus Iulius I. *epiſtola ad Epiſcopos Ægypti*, & poſt trecentos pæne & quinquaginta annos Concilium Bracarenſe III. *can.* 1. *Cùm omne* (inquit) *crimen atque peccatum oblatis Deo ſacrificiis deleatur, &c.* Iuſtinus quoque *in dialogo cum Tryphone*, & Damaſcenus *lib.* 4. *c.*14. hoc ſacrificio ſcelera ſordéſque peccatorum expiari teſtantur. Baſilius, & Chryſoſtomus *in Liturgiis*, & Hieronymus *in c.*1. *epiſt. ad Titum*, offerri pro peccatis noſtris, & populi. Gregorius *lib.* 4. *dial. c.*58. *Hæc namque ſingulariter victima ab æterno interitu animam ſaluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per myſterium reparat.* Origenes *Hom.* 13. *in Leuit. Si redeas ad illum panem qui de cœlo deſcendit, & dat huic mundo vitam; illum panem propoſitionis, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine eius: & ſi reſpicias ad illam commemorationem, de qua dicit Dominus:* Hoc facite in meam commemorationem, *inuenies quòd iſta eſt commemoratio ſola quæ propitium facit hominibus Deum*, Ambroſius (vt alios omittam recenſitos à Lindano *lib.*4. *Panopl.*

Bellarmino *lib.2. de Miſſa. c.2.* Valentia *lib.1. de Miſſa. c.5.* Suarez *diſp.79. & aliis)* *in exhortatione ad virgines*, ait, per hanc ſalutarem hoſtiam aboleri peccatum mundi. rationemque ſubdit idem Concilium Tridentinum, quòd vna eadémque ſit hoſtia, idémque offerens ſacerdotum miniſterio, qui fuit in ſacrificio Crucis, cuius fructus per hoc vberrimè percipiuntur, ſola offerendi ratione diuerſa, cùm hoc incruentè fiat. Ob id ſicut illa oblatio Deum propitium reddere potuit, ita etiam hæc. Quæ ſanè ratio indicat, ex vi huius ſacrificij ſeu virtute victimæ, & hoſtiæ oblatæ, & non tantùm ex merito & pietate ſacerdotis offerentis, ſacrificium eſſe propitiatorium, non ſolùm ei qui offert, ſed iis etiam pro quibus offertur, non ponentibus obicem: vt etiam docuit S. Thomas *3. p. q.79. art.5. & 7. & in 4. d.12. q.2. art.2. & d.45. q.2. art.1. queſtiuncula 3. & art.3. queſtiuncula 1. ad 3.* Gabriel *in can. lect.57.* Couarruuias *cap. Alma mater. p.1. §.5. num. 6.* Sotus *4. d. 13. q. 2. art. 1.* & alij. quod etiam ex inſtitutione colligitur; cùm dictum ſit, *Pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, aliàs non magis fructuoſa nobis eſſet oblatio huius ſacrificij, quàm ſi quiſpiam ex ſua deuotione pro nobis Chriſti paſſionem aut communionem propriam offerret, ac nobis applicaret, quod à communi ſenſu alienum eſt. Aduertendum tamen eſt, ex eodem D. Thoma *locis cit.* Durando *4. d. 12. q.4.* Maiore *4. d. 12. q.1.* Soto *4. d.13. q.2. art.1.* Salmerone *tom.9. tract. 31.* Turriano *lib.1. pro canon. Apoſt. c.24.* Caſalio *lib.2.* Bellarmino *lib.2. de Miſſa. c.4.* Franciſco Arias *de imit. Chriſti. tract. 4. c. 8.* immo ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. c.2.* non eſſe quidem propitiatorium, vt cauſam proximam, eo modo, v.g. quo ſacramentum Baptiſmi, aut pœnitentiæ, quæ immediatè efficienter ritè ſuſcipientes iuſtificant, contra quam voluit Catharinus *opuſc. de ſacrificio Miſſæ, & in epiſt. ad Hebr. c. 10.* ſed iis pro quibus offertur impetrando ſufficientem diſpoſitionem, nempe donum contritionis, & pœnitentiæ, quo ad ſacramentum accedere velint, & ſic per illud recipiant primam gratiam, & remiſſionem peccatorum. Cùm enim hoc ſacrificium non habeat maiorem vim quàm ſacrificium Crucis, ſed iſtius virtus ex illo dependeat: nam dictum eſt *ad Rom. 3.* Deum propoſuiſſe Chriſtum propitiatorem in ſanguine ipſius; ideóque omnis efficacia ſacrificij incruenti fundetur in merito & ſatisfactione Chriſti in cruce paſſi, vt *loco cit.* docet Concilium Tridentinum, ſacrificium verò Crucis immediatè non iuſtificauerit, alioquin omnes homines continuò iuſti effecti fuiſſent, ſed tantùm meritoriè & impetratoriè; ſequitur neque Miſſæ ſacrificium ex ſe vt cauſam proximam peccatori primam gratiam conferre, ſicut neque gratiæ augmentum, cùm ad hoc inſtitutum fuerit Euchariſtiæ ſacramentum, & non ſacrificium, ex S. Thoma *3. p. q.79. art.4. & 5.* Soto *lib.4. d.11. q.2. art.5.* Suarez *diſp. 79. ſect. 4.* Henriquez *lib.9. c.13.* & aliis. ob id ex ſe ſacrificium hoc tantum habebit vim expiandi peccata, non ponenti obicem, per modum impetrationis; immediatè autem & vt cauſa proxima, ea tollent ſacramenta ad hoc inſtituta. Ex his tamen non licet inferre, ergo ſolùm eſſe ſacrificium impetratorium, & non etiam propitiatorium, cùm præter alia bona, quibus immediatè ij, pro quibus offertur, donantur peccatori, etiam non ponenti obicem, Deus eo placatus donum pœnitentiæ concedat, quo lethalia peccata deleantur; & ſic mediatè peccatori propitiatur Deus, vt cum D. Thoma, Durando, & aliis citatis, docet etiam Albertus Pighius *contr.5.* & Io. Azor *lib.1[illegible] c.20. q.3. & 7.* Quæri etiam poteſt an venialia in iuſtis immediatè & proxim[illegible] ſine vllo alio pœnitentiæ actu, Miſſæ ſacrificio pro illis oblato, deleantur,

an

an ſolùm quod à Deo donum impetretur, quo explicitè vel tacitè de illis doleant; atque ob id remiſſionem conſequantur, vt de mortalibus dictum eſt. Generales enim locutiones Sanctorum, quæ habentur *de conſecr. d.2. can.vtrium. c.iteratur.c.quid ſit ſanguis.& in Concilio Tridentino ſeſſ.22.c.1.&* 2. S.Thoma 3.*p.q.*79. *art.*7. & 4. *d.*12. *q.*2. *art.*2. quibus quotidiana aut venialia peccata dicuntur hoc ſacrificio deleri, vtramque expoſitionem recipiunt; & quidem Melchior Canus *lib.*12. *de locis theolog. c.*13. *ad* 2. Henriquez *lib.*9. *c.*13. Corduba, & alij putant per ſe immediatè, ſine alio actu deleri, Durandus verò 4.*d.*12. *q.*4. Caîetan. *opuſc.de celebratione Miſſæ. c.*2. Albertus Pighius *lib.*2. *c.* 5. 6. Lindanus *lib.*4. *Panopl.c.*51 *& ſeq.* Ayala *de tradit.*3.*p.conſid.*9. Franciſcus Arîas *de imitatione Chriſti. tr.*4. *c.*8. ſolùm mediatè, quatenus eo impetratur à Deo donum, vt de illis doleant; quia cùm huiuſmodi culpæ minuant ſuo modo Dei amicitiam, & ſanctitatis perfectionem, vt proportionato modo remittantur, conueniens ſit, vt anima per aliquem virtutis actum, veniali culpæ quoquo modo repugnantem, perficiatur, iuxta doctrinam ſancti Thomæ 4.*d.*12.*q.*2.*art.*2. *quæſtiuncula* 1. Alij denique, vt Suarez *d.*75. *ſect.* 5. Azor *lib.*10. *c.*20. *quæſt.*4. Martinus Fornarius *lib.* 2. *inſtit. diſt.*1. *c.*8. & plerique omnium optimè exiſtimant ſi illi, pro quibus offertur ſacrificium, aliquo modo etiam offerant pro ſuorum venialium remiſſione, & propitiatione, vt v. g. ſi curent ad hoc fieri ſacrificium, conſequi remiſſionem immediatè, cùm non careant voluntate repugnante culpæ veniali; ſi verò ſolùm pro illis offeratur, ipſis de hoc nihil cogitantibus, non conſequi remiſſionem, niſi mediante aliquo actu, quo de illis doleant, vt autores ſecundæ ſententiæ aſſerebant. Denique idem ſacrificium ex ſua inſtitutione eſt etiam pro offerente, & pro quibus offertur propitiatorium, ratione pœnæ debitæ culpis remiſſis, ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*22.*c.*2.*& c.*3. S.Thoma 3.*p.q.*79.*art.*5.*&* 7.Durando 4.*d.*12.*q.*4.Caſtro, *Miſſa hæreſi* 3.Ledeſma *q.*23.*art.* 5. *&* 7.Soto 4.*d.*11.*q.*2.*art.*5.*& d.*13.*q.*2.*art.*1. Viguerio §.3. Bellarmino *lib.*2.*de Miſſ. c.*4.Suarez *d.*79.Franciſ.Arias *loco citato.*Azor *lib.*10.*c.*20.*q.*5.Henriquez *lib.*9.*c.*13. Catechiſmo Romano *c.de Euchariſtia*, & aliis; & ratio id docet. tum quia hoc etiam pertinet ad perfectam rationem ſacrificij propitiatorij, cùm in peccato ſint duo, macula culpæ, & reatus pœnæ, qua de re S.Thomas 3.*p.q.*22.*art.*3.tum quia Chriſtus nullum ſacramentum inſtituit per ſe ad hunc effectum expiandi pœnam peccatis poſt Baptiſmum dimiſſis debitam, quare id concedendum fuit ſacrificio, vt copioſa eſſet noſtra redemtio. Porrò in his, pro quibus tantùm offertur, ſiue viuis, ſiue defunctis, de quibus infrà, huiuſmodi pœnæ remiſſio tanta erit, quantam ex ſua miſericordia taxauit Chriſtus. Etſi enim res, quæ offertur, ſit in ſe infiniti valoris, oblatio tamen noſtra cùm ſit ab hominibus, ſuppoſitis finitis, non habet niſi taxatum & finitum effectum, vt rectè D. Thomas 3.*p.q.*79.*art.*5.*& in* 4.*d.*45.*q.*2.*art.vltimo.* Sotus 4.*d.*11. *q.* 2. *art.* 5. Bellarminus *lib.*2.*de Miſſa.c.*4.vt *capite ſequenti* dicemus. In iis verò, qui ſimul etiam offerunt, augetur pro vniuſcuiuſque affectu & deuotione. Quare tanta eſſe poteſt alicuius deuotio, vt virtute huius ſacrificij fiat pleniſſima ſatisfactio, ex eodem D. Thoma 4.*d.*12.*q.*2.*art.*2.*epiſtola* 3. Soto 4.*ſent.d.*11.*q.*2.*art.* 5. & aliis citatis.

4. Poſtremò conſtat eſſe etiam ſacrificium impetratorium, ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 2. *& can.*3.tum quia non debet huic ſacrificio denegari, quod antiquis ſacrificiis pacificorum conceſſum fuit. *Leuit.*7 *lib.*2.*Regum vltimo. lib.*1.*Eſdræ* 6.*lib.*2. *Machab.c.*3. cùm omnes differentias hoſtiarum contineat, ex D. Chryſoſtomo *in Pſalmo* 95. & S.Leone *ſerm.* 8. *de paſſione*, non ſecus ac anima rationalis, quæ

nobiliſſimo modo in ſe continet omnem gradum formæ; tum quia ex dignitate tanti ſacrificij & obſequij Deo acceptiſſimi, non poteſt non inuitari eiuſdem clementia ad concedenda poſtulata, quæ diuino eius honori non repugnant. Vnde mediante hoc ſacrificio niſi obicem ponamus, à Deo per modum impetrationis obtinere poſſumus, non ſolùm bona ſpiritualia, vt perſeuerantiam in bono, liberationem à tentatione, aliaque auxilia gratiæ, vt colligimus ex D.Clemente *lib.*8.*conſtit.c.*18.Chryſoſtomo *lib.6.de ſacerdotio,* Conc.Tridentino *ſeſſ.*22.*c.*2.Colonienſi *p.*7.*c.*27.Bellarmino *lib.*2.*de Miſſ.c.*6.Suarez *d.*79.*ſect.*4. Azor. *lib.*10.*c.*20.*q.*7.Henriquez *lib.*9.*c.* 13. & aliis, ſed ſi expediant ad ſalutem, etiam temporalia. Vt enim oratione à Deo iuſtè hæc peti poſſunt, & impetrari, ex D.Auguſtino *epiſt.*121.*c.*6.*ad Probam*, S.Thoma 2.2.*q.*83.*art.*6.*&* 15. cum Scholaſticis *in* 4.*d.* 15. Gloſſa *Clementina* 1. *de rel. & ven. ſanct.* Nauar. *de oratione c.*19. *num.*161. Bellarm. *loco citato. c.*3. Suarez *tom.*2. *de orat. lib.*1. *c.*15. & aliis, quod & apertè conſtat *ex Prouerb.* 30. *Sed tantum victui meo tribue neceſſaria*, & *Gen.*28. *Si Dominus fuerit mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſúſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum*; & *oratione Dominica* iuxta expoſitionem Chryſoſtomi *Hom.*20.*in Matth. & in Pſal.*127. Baſilij *in qq. compendio explicatis. q.*252. Nyſſeni *lib.d orat. Dominica,* Theodoreti *in c.*4.*ep. ad Philippen.* & aliorum; ita etiam ſacrificio, cùm ſit realis quædam & non verbalis oratio. Quare rogat D.Iacobus *in Liturgia*, vt oblatio huius ſacrificij ſit in abolitionem peccatorum, atque animarum ac corporum renouationem. Et Cyprianus *ſermone de cœna*, dicit, proficere huiuſmodi ſacrificium ad totius hominis vitam, & ſalutem, & ſimul eſſe medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates. In particulari ſolitum hoc ſacrificium offerri pro tranquillitate & pace, conſtat ex D.Clemente *lib.*8.*conſtit.c.*18.19.Cyrillo *catech.myſt.* S.Auguſtino *ep.*59. *ad Paulinum.* Ambroſio *lib.6.de ſacramentis.c.vltimo.* Euſebio *lib.* 4. *de vita Conſtantini. c.* 45. & Liturgiis, Iacobi, Marci, Baſilij & Chryſoſtomi. Pro infirmorum ſanitate, & incolumitate aliorum, ex Chryſoſtomo *Homil.*77. *in Io.* Clemente & Cyrillo *loco citato.*vita D. Anſelmi, & Canone Miſſæ. Pro liberatione Energumenorum, ex eodem diuo Clemente *lib.*8. *c.*8. *&* 18. Proſpero *lib. de prædict. Dei. c.*6. Pro expiatione domorum ab infeſtatione dæmonum, ex Auguſtino *lib.*22. *de Ciuitate, c.*18. Pro detentis in carcere ac vinculis, & ſeruitutem ſeruientibus, ex Gregorio *Hom.*27. *in Euang. & lib.*4. *dialog. c.*57. Metaphraſte *in vita S. Ioannis Eleemoſynarij,* referentibus vinctos beneficio Miſſæ, quæ pro eis quaſi mortuis celebratur ab Angelo eo die ſolui ſolitos, Clemente *lib.*8.*c.*18. *citato.* Beda *lib.*4. *hiſt. Angl.c.*22. Lindano *lib.*4. *Panopl.c.*55. & Baronio in annum 679. Pro aëris ſalubritate, Clemente *lib.*8.*c.*19. Baſilio *in Liturgia.* Pro fructibus terræ,& piſcatione, Chryſtomo *Hom.*18. *&* 21. *in Acta, & Hom.*77.*in Ioan.* Clemente *loco citato,*& Liturgia Iacobi & Baſilij. Pro cæteris neceſſitatibus, & indigentibus auxilio aliquo, ex Clemente, & Cyrillo *locis citatis*, Baſilio *in Liturgia*, Concilio Cabilonenſi II. *c.* 39. & Tridentino *ſeſſ.*22. *c.*2.*& can.*3. perſpicuè patet. videatur & Alphonſus Salmeron *tom.*9.*tr.*33.

De

De ſacrificij Miſſæ valore. CAP. IX.

SVMMARIVM.

1 *Sacrificium Miſſæ ab Eccleſiæ miniſtro oblatum, etiam ex opere operato non eſſe infiniti valoris intenſiuè, vt plerique arbitrati ſunt, ſed tantum finiti.*

2. *Explicatur valor ex opere operantis, & ex opere operato, qui diuiditur in generalem, ſpecialem, & medium.*

3. *Extenſiuè verò medius valor, finitus quoque cenſendus eſt.*

4. *Generalis autem & ſpecialis, in eo infinitus extenſiuè dici poteſt, quòd quilibet integrum fructum percipere poteſt, tum ratione ſatisfactionis, tum ratione impetrationis, dummodo ij pro quibus offertur ſacrificium, ſint etiam coofferentes, aliàs verò ſecus.*

Oratio cæteris paribus efficacior eſt ad impetrandum ſpecialiter, & in particulari facta, quàm in communi.

Impetrationis gradus ſacrificij, & orationis quomodo inter plures participes diuidatur.

1. SEquitur vt videamus num hoc ſacrificium ex opere operato, valorem, ſeu efficaciam finitam habeat, vel infinitam. & quidem ſi de ea intenſiuè loquamur, Præpoſitiuus apud Medinam *Codice de oratione q.*20. Herueus *quodlibet.*10.*q.*13. Ruardus Tapper *art.*16. Caietanus 3.*p. q.* 79. *art.* 5. & fuſiùs *opuſc. de celebratione Miſſæ q.*2. Canus *lib.* 12. *de locis c.* 13. *ad* 10. Petrus Soto *in inſtit. tract. de Eucharistia, lect.* 7. Corduba *lib.* 1. *q.* 3. *opinione* 5. *concl.* 3. Syluester *v. Miſſa* 1. *q.* 9. Petrus Nauarrus *lib.* 2. *de reſtit. c.* 2. *numero* 259. 260. tribuunt huic ſacrificio, quoad ſufficientiam, valorem infinitum, illa ratione moti, quòd hoc ſacrificium ſit infinitum ex parte rei oblatæ, corporis ſcilicet, & ſanguinis Chriſti, infiniti pretij, cùm ſint hypoſtaticè perſonæ Verbi coniuncta, & ex parte offerentis principalis, ſcilicet eiuſdem Chriſti, ex Ambroſio *lib.* 1. *offic. c.* 48. Chryſoſtomo *Hom.* 2. *in* 2. *epiſt. ad Timoth.* Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *c.* 2. perſonæ infinitæ, Deóque Patri infinitè gratæ, cui nihil derogare debet miniſtri imperfectio; ſicut neque famulus, per cuius manus dominus eleemoſynam largitur, quidquam de eleemoſyna, ſua indignitate, imminuit. Ideo D. Auguſtinus 1. *q.* 1. *can. intra. & de conſecr. d.* 2. *can. vtrùm.* Paſchaſius *lib. de corp. & ſang. Domini, c.* 12. Algerus *lib.* 3. *c.* 8. Guitmundus *lib.* 3. Innocentius *lib.* 3. *c.* 5. & S. Thomas 3. *p. q.* 82. *art.* 6. nihil à bono maius, nihil à malo minus, offerri docuerunt. At verò S. Thomas 4. *d.* 45. *q.* 2. *art. vltimo.* Bonauentura *eadem d. art.* 2. *q.* 3. Palud. *q.* 2. *art. vltimo.* Durand. *q.* 3. Rich. *art.* 2. *q.* 3. Scotus *quodlib.* 20. *art.* 1. & 3. Hadrianus *quodlib.* 8. *art.* 3. Gabriel *in can. lect.* 26. 27. Medina *tr. de orat. q.* 20. Sotus *lib.* 9. *de iuſtit. q.* 2. *art.* 2. & *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 1. §. *Ad hæc operæpretium.* & §. & *ideo.* Couar. *cap. Alma mater. p. p.* §. 5. Panormitanus *c. fraternitatem de ſepult. numero* 4. Turrecremata *can: non mediocriter. de conſecrat. d.* 2. Tabiena *v. reſtitutio.* §. *vltimo.* Salmeron *tom.* 9. *tr.* 31. *obiectione* 5. & *tr.* 33. Toletus *lib.* 2. *inſtit. c.* 6. & 8. Bellarminus *lib.* 2. *de Miſſa c.* 4. Azor *lib.* 10. *c.* 20. Bernardus Diaz *in inſtitut. ſacerd. p.* 2. *c.* 27. Antonius Honcala *tr. hac de re,* Martinus de Frias, *peculiari etiam tr. de hac quæſtione.* Nauar. *in Manuali cap.* 25. *num.* 92. & alij, rectiùs exiſtimant licèt Chriſtus hoſtia, & principalis offerens ſeu ſacerdos, ex ſe habeat dignitatem infinitam, quippe qui ſit perſona diuina, ſacrificium tamen à ſacerdote Eccleſiæ miniſtro oblatum (neque enim ſacrificium dicit ſolum ſacramentum

corpo

corporis, & ſanguinis Chriſti, ſed complectitur etiam, vt aliàs diximus, actio-
1. nem ſacerdotis) eſſe valoris finiti. tum quia ad infinitatem valoris ſacrificij
præter infinitatem hoſtiæ & principalis offerentis, requiritur etiam infinitas
ipſius immediati offerentis, à quo fit oblatio, cùm honoris exhibitio maximè
ſumat valorem, & dignitatem ex perſona exhibente; quippe cùm eo maior
cenſeatur, quo à digniori perſona exhibetur; ſicut econtra offenſio & iniuria
à perſona offenſa, vt etiam vidit Ariſtoteles *lib. 5. eth. c. 5.* qua de re *lib. 4. c. 4. §.
1.* dicetur; quare ſi perſona offerens ſit finita, finitus erit valor, infinitus au-
tem, ſi perſona, quæ exhibet, ſit infinita, vti fuit in vtroque ſacrificio Chriſti,
cœnæ, & crucis, cùm fuerit ſuppoſiti infiniti, ideóque ſecundùm eſſe morale,
licèt non in eſſe rei, fuit actio infinita, & Deo Patri infinitè grata, ex S. Tho-
ma 3. *p. q.* 1. *art.* 2. & communi doctrina. quare cùm in ſacrificio noſtro imme-
diatus offerens Eccleſiæ miniſter, ſit perſona dignitatis finitæ, valor etiam ſa-
crificij finitus erit. Confirmatur exemplo Principis, qui licèt legato alterius
Regis nomine petenti, plura conceſſurus ſit, quàm concederet, ſi vti priuatus
peteret, multo tamen plura concederet Regi proprio ore petenti, & ſine me-
dio oratore. vt omittam ex principiis Philoſophiæ cauſas particulares, & pro-
ximas ſolere limitare, & modificare cauſas vniuerſales, & remotas, vt idem
ipſe Caietanus docet *p. p. q.* 14. *art.* 13. *q.* 19. *art.* 8. *q.* 115. *art. vltimo.* Itémque
actum hominis iuſti, licèt ſit ex motione inhabitantis Spiritus ſancti, ex S. Tho-
ma 1. 2. *q. vltima, art.* 3. non mereri præmium infinitum. Ideo non mirum ſi
oblatio offerentis immediati, ſit valoris finiti, quamuis hoſtia & offerens non
immediatus, ſint dignitatis infinitæ, cùm actio illa immediatè non producatur
2. à ſuppoſito diuino, ſed humano. tum quia aliàs fruſtrà ad eumdem effectum. v.
g. ſatisfactionem, multiplicarentur ſacrificia, poſſemúſque vnico ſacrificio
euacuare totum Purgatorium, quod eſt contra communem ſenſum fidelium
3. pro ſe & ſuis plures Miſſas poſtulantium. tum quia Miſſa cuiuſlibet ſacerdotis,
æquaret ſacrificium Chriſti in cruce, contra communem ſententiam Scoti, Ga-
brielis, Soti, Bellarmini & aliorum, quod non alia de cauſa non repetitur, ni-
ſi quia fuit infiniti valoris, & acquiſiuit ſufficiens pretium pro dimittendis o-
mnibus peccatis; quare ſi hoc etiam eſſet infiniti valoris, non repeteretur. Quòd
ſi Chryſoſtomus *Hom. 2. in ep. 2. ad Timoth.* Algerus *lib. 1. de Euch. c. 16.* & alij,
dicunt hanc oblationem nihil minus illa habere, id intelligunt de re contenta,
& non reſpectu valoris. Confirmatur quia in iis, pro quibus offertur ſacrifi-
cium, ipſi tamen ſimul non offerunt, quòd dormiant, v. g. aut nihil de hoc
cogitent, vel pro defuncto, qui hac de re nihil ordinauit, & ſacerdos ſponte
offert, & ſimul eſt malus, nihil eſſet quo poſſet taxari effectus, ac limitari, vt
ex Caietani & ſequacium ſententia taxatur in iis, qui ſimul etiam offerunt, ex
maiori vel minori affectu ad ſacrificium, quare ſaltem in iis eſſet effectus & ef-
ficacia infinita. Quod ſanè argumentum adeò premit Petrum Nauarrum *nume-
ro* 285. 286. vt dicat ſolum Deum ſcire quid futurum ſit in eo caſu; & debet
etiam premere Syluestrum *v. Miſſa. 1. q. 9. verſ. ſed circa prædicta*, qui dixit taxa-
ri ab effectu Eccleſiæ, quæ id ordinauit; non enim tollit difficultatem, cùm
ſupponamus ſua voluntate ſacerdotem offerre: præterquam quòd, cùm Ec-
cleſia multo magis Deo grata ſit, quàm quilibet particularis ſacerdos etiam bo-
nus, omnino abſurdum ſit ex indiſpoſitione miniſtri mali defunctum plus lucra-
4. ri quàm ſi miniſter bonus eſſet, & Eccleſia ordinaret. tum quia liceret ſacerdo-
ti pro vno ſacrificio, ſexcentas pitantias, vt vocant, accipere, à totidem Miſ-

ſam

ſam expoſcentibus; cùm quilibet ex valore illo infinito, capere poſſet quantum opus haberet, quod ſcandalum generaret; ſed hac de re poſtea. tum denique quia ſacramentum Euchariſtiæ, in quo etiam eſt idem Chriſtus perſona infinita, habet etiam effectum ex opere operato limitatum, & finitum, ex S. Thoma *4.d.45.q.2.art.vltimo,* & Soto *lib.9. de iuſt.q.2. art.2.* At non eſt maioris efficaciæ, & valoris, vt eſt ſacrificium, quàm vt eſt ſacramentum; ergo etiam vt ſacrificium habebit valorem & efficaciam limitatam & finitam. Nam res quæ continetur in ſacrificio non eſt conſideranda vt ens quoddam naturale operans ſecundùm ſummum gradum virtutis ſuæ; ea enim ratione poſſet omnium infidelium conuerſionem promereri, & beare omnes damnatos, & alia ſimilia facere, quæ ſapienter non facit: ſed conſideranda vt ens liberum quod tantum operatur & valet, quantum ipſe valere voluit, ſecundùm ſapientiam ſuam, nempe finitè. Ideo hæc limitatio, vt fit etiam in puerorum Baptiſmo, & aliis ſacramentis, non aliunde prouenit, quàm ex voluntate Chriſti inſtituentis, qui voluit his mediis applicari nobis finitum tantùm & limitatum fructum ſuæ paſſionis, vt rectè Auguſtinus *in lib.ſent.Proſperi.* S.Thom.*3.p.q.49.* Scholaſtici *3.d.19.20.* Salmeron *tom.9. tr.33.* Gabriel, Bellarm. Henriquez, cum aliis tradiderunt, vt hac ratione magis frequentaretur hoc ſacrificium, & religionis cultus in Dei honorem conſeruaretur. Vnde valoris & efficaciæ reſtrictio in oblatione miniſtri, eſt ex ipſiuſmet inſtituentis voluntate, quod non accidet in eo qui ſui domini eleemoſynas diſtribuit, vt autores primæ ſententiæ obiiciebant.

2. At ſi ſermo nobis ſit de infinitate valoris, & efficaciæ extenſiuè, nempe an ſacrificium pro multis oblatum tantumdem ſingulis valeat, atque valet vni, ſi pro eo ſolo offertur, licèt cuilibet finitè tantùm intenſiuè proſit (non enim repugnat eamdem cauſam producere plures effectus eiuſdem gradus & intenſionis, & candelam æquè duobus inſeruire atque vni tantùm faceret, ſi ſolus adeſſet) diſſenſio grauis eſt inter Theologos. Atque vt res clariùs pateat illud primò ſtatuendum eſt, nos hîc non agere de valore ex opere operantis, qui videlicet pendet ex meritis & bonitate ſacerdotis, ſed de valore ex opere operato, nempe qui debetur operi ex inſtitutione Chriſti, iuxta illud, *Qui pro vobis & pro multis effundetur, &c.* & abſque reſpectu ad merita operantis. qua de re Paſchaſius *lib. de corpore & ſanguine Chriſti.c.12.* S. Thom.*4.d.45.* & alij: verùm ex Scoto *quodlib.20.* Hadriano *quodlib.8.art.3.* Medina *Cod. de orat. quæſt.3.* Gabriele *lect.25.26.* Paludano *4.d.45.q.2.* Maiore *ibidem.* Gerſone *p.3. alphab.77.* Corduba *lib.1.q.3.* Ledeſma *1.4.q.20. art.5.* Couar. *cap. Alma mater.p.p.§.5.n.5.* Nauarro *in Manuali.c.25.n.92. & 111.* Suarez *diſp.79.* Toleto & aliis, diſtinguendus eſt triplex fructus ſeu portio valoris Miſſæ, generalis, ſpecialis, & media. Generalis eſt, quam Eccleſia, cuius nomine offert ſacerdos, vt docet Paſchaſius *loco citato.* Sotus *4.d.13.q.2.art.1.* & alij, & colligitur ex doctrina D.Auguſtini *in q.9. veteris Teſtamenti.q.46.* & profitetur ſacerdos in canone Miſſæ, vult vt ſacerdos applicet, pro Papa, Regibus, Epiſcopo, totáque Eccleſia militante, & pugnante, & non poteſt non applicare, ex Angelo *v.Miſſa.§.52.* Toleto *lib.2.inſtit.c.8.* Corduba, Nauarro, Azore, & aliis. cùm totum corpus nutriatur ex cibo in ſtomachum ingeſto, vt innuit etiam Concilium Tridentinum *ſeſſ.22. c.6.* & dicatur, *ad Hebr.c.7.* debere ſacerdotem offerre pro populo. & *in Pſal.118. Particeps ego ſum omnium timentium te*; & denique ſit Eccleſiæ miniſter. Specialis eſt, quæ debetur tum ſacerdoti ſacrificanti, qui numquam eam alteri applicare cogitur, cùm & ipſe egeat huiuſmodi auxilio, immo exiſtimat Scotus *quodlib.20. art.9.*

ipſum eam alteri applicare non poſſe, quamuis rectiùs Sotus 4. *d.*11. *q.*2. *art.*5. *&* *d.*13.*q.*2.*art.*1. Nauar. *c.*25.*Manualis num.*92.*&* 111. & Maior 4.*d.*45. doceant oppoſitum, tum cæteris coofferentibus, vt ſunt qui inſeruiunt, adſunt, capellam inſtituerunt, dederunt ad hoc idem eleemoſynam, vel alio modo ſunt cauſa vt offeratur, de quibus *in canone* dicitur, *& omnium circumſtantium, quorum tibi,&c.* Media denique eſt, quæ relinquitur applicanda arbitrio ſacerdotis, ſibi, aut alteri, vni, aut pluribus. Poteſt autem vnus & idem variis rationibus lucrari plures ex his partibus, vt v.g. quia dedit eleemoſynam ad hoc, & quia adeſt, vel quia offert pro ſe, vt docet Nauarrus *citato num.* 111. valorem generalem, & ſpecialem. Sotus 4.*d.*13.*q.*2.*art.*1. appellat fructum ex generali applicatione, ſeu oblatione ſacrificij alij, vt Suarez *d.* 79. *ſect.* 12. fructum, qui debetur offerentibus. quidam, inter quos Henriquez *lib.*9.*c.*17. quatenus ſacerdos eſt cauſa vniuerſalis, & gerit vicem Chriſti. Medium verò Sotus vocat ex ſpeciali intenſione, & voluntate ſacerdotis. Suarez, qui debetur iis, pro quibus offertur, & ipſi non ſimul offerunt. Henriquez, vt ſacerdos eſt cauſa particularis.

Quibus poſitis reſpondetur propoſitæ difficultati, ſi loquamur de fructu 3.
medio, valorem eſſe finitum etiam extenſiuè; ita vt ſi pro multis illa pars offeratur, ſiue vna tantùm & communi intentione, vt vult Angelus,& Caietanus, vt v.g. cùm offertur pro quatuor, aut pro collegio, vel ciuitate, ſiue diuerſis intentionibus ſpecialibus, iuxta opinionem Syluestri *v.Miſſa.*1. *q.*9. fructus ſatisfactionis minuatur in ſingulis. quo fit, vt vnuſquiſque minus capiat, quàm ſi pro vno tantùm ſacerdos obtuliſſet. Exempli cauſa,ſi ſacrificium fiat pro defunctis,ſi pars illa media vni ſatisfaceret pro pœnis vnius anni,ſi applicetur tribus,cæteris omnibus paribus, non ſatisfaciet ſingulis pro pœna vnius anni,ſed quatuor tantùm menſium. Ita Scotus,Hadrianus,Medina,Palud.Maior,Couarr. Ledeſma, Nauarr. Panormitanus, Turrecremata *locis citatis.* Gabriel *in canone, lect.*25.*&*26.*&* 56.57. Valentia *lib.*2.*de Miſſa.* Salmeron *tom.*9.*tr.*33.*prop.*3. Suarez *d.*79. Bellarminus *lib.*2. *de Miſſa.c.*4. & alij, quicquid in contrarium teneat Præpoſitiuus, Canus, Caietan. Sylueſt. & Angelus *locis citatis* in priori opinione.
1. Probatur, tum quia videtur opinio S.Thomæ 4. *d.*45. *q.*2. *art.*4. *quæſtiunc.*2. vbi ait: *Magis valet ſuffragium alicui quod pro eo ſingulariter fit, quàm quod fit pro eo communiter, & pro multis aliis. Sic enim effectus ſuffragij diuiditur ex diuina iuſtitia inter*
2. *eos pro quibus fit.* tum, vt rectè argumentatur Medina, quia ſacerdos non poteſt maiorem fructum applicare aliis, quàm illi obueniret, ſi eam quoque partem ſibiipſi applicaret. Vnde ſi vnius anni, v.g. ſatisfactionem lucraretur, tantumdem ſolùm vni aut pluribus applicare poteſt, non ita vt ſinguli eodem gradu & ſatisfactione donentur, ſed vt inter omnes gradus ille diuidatur: aliàs valde reprehendendi eſſent de negligentia ſacerdotes, qui cùm vna Miſſa etiamſi diuerſis intentionibus eſſet applicanda, iuxta Syluestrum multis opitulari poſſent æquè, atque vni pro quo dicunt, vni applicarent, & non multis. Confirmatur: quia vt non poteſt ſacerdos illo eodem ſacrificio ſibi iterum applicare alteram ſatisfactionem annuam, ita applicatam vni, non poteſt eam iterum applicare alteri, aut pluribus: nam diuerſitas ſubiectorum eſt omnino per accidens reſpectu multiplicationis fructus, ideo ſi aliis poteſt, ſibi etiam appli-
3. care iterum poterit, & econtra, ſi non poteſt ſibi, nec alteri poterit. tum quia ſacerdos vnico ſacro poſſet ſatisfacere pluribus obligationibus, vt inſtitutioni capellæ, & eleemoſynæ ad hunc effectum datæ, & non vni tantùm, ſed etiam

ſexcentis. quod licèt Caietanus & Angelus cum ſectatoribus abſurdum haud indicent, repugnat tamen communi opinioni Theologorum Scoti, Gabr. Palud. Medinæ, Maior. Nauar. Soti, Suarez, Toleti, & citatorum, & Roderico *tom.* 1. *q.* 43. *art.* 16. repugnat rationi. ſi quis enim promiſit ſingillatim tribus aureum, vel duabus de cauſis vni duos, non ſatisfaceret obligationi dando vnum pro duobus oneribus, aut vnum omnibus: repugnat communi ſenſui Eccleſiæ, & fidelium, qui ſibi particulariter Miſſas applicati petunt: repugnat denique diuino cultui, vt notauit etiam Viguerius *c.* 16. §. 3. *verſ.* 16. & alij, cum illum imminuat. Neque enim fideles de ſacrificiorum multitudine ſolliciti eſſent, ſi vnico obtinere poſſent, & lucrari quicquid opus habent. & econtra materiam præbet cupiditatis ſacerdotibus, quæ quàm longè ab eis abeſſe debeat, docet *canon. verum. & canon. bonorum. d.* 47. & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *in decreto de obſeru. & vit. in celeb.* Obiicienti verò *canone, non mediocriter. de conſecr. d.* 5. haberi ex D. Hieronymo: Cùm pro cunctis animabus Pſalmus, aut Miſſa dicitur, nihil minus, quàm ſi pro vno quolibet eorum diceretur, accipitur; reſpondemus cum D. Bonauentura, Durando *in* 4. Turrecremata *citato canone, non mediocriter*, & Medina *loco cit.* D. Hieron. loqui de merito offerentis, qui non minus meretur id faciens pro multis cum animi quiete, quàm ſi pro quolibet magna cum anxietate offerret. Et confirmatur, quia ibi Pſalmus confertur cum Miſſa, qui etiam fatentibus aduerſariis, ex opere operato non eſt valoris infiniti. vel certè ſi contentiosè velis loqui de iis pro quibus offertur, dicendum eſt cum Soto *lib.* 9. *de iuſtit. q.* 2. *art.* 2. non minus prodeſſe ſingulis pro quibus offertur, vnitis in charitate, quoad gaudium; quia non minus gaudium ſingulis ingenerat quàm ſi ſinguli iuuarentur, licèt non æquè iuuetur quiſque quoad ſatisfactionem, quàm ſi vnus ſolus participaret fructum, cùm ille valor non applicetur vnicuique illorum integer, ſed inter eos diuidatur.

4. Sin verò loquamur de valore generali & ſpeciali, ſeu ex generali applicatione oblationis, vt loquitur Sotus, aut debito iis, qui & ipſi ſuo modo cum ſacerdote offerunt, dicimus eum poſſe eſſe quodammodo infinitum extenſiuè, ideſt, omnes & ſingulos ſi per ipſos non ſtet, percipere poſſe integrum fructum ſatisfactionis, ac ſi vnus tantùm eſſet, vt non tantùm Caietanus, Sylueſter, Petrus Nauarrus, & ſequaces tenent, ſed etiam Scotus, Gabriel *locis citatis*, Sotus 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 1. Toletus *lib.* 2. *inſtit. c.* 8. Suarez *diſp.* 79. vbi docet id à nemine poſſe negari, & alij. & videtur etiam ſententia D. Thomæ 3. *p. q.* 79. *art.* 5. & 7. Probatur, tum quia vt quiſque eamdem hoſtiam offert cum aliis offerens 1. per Eccleſiæ miniſtrum ac ſi offerret ſolus, ita & fructus qui ex tali oblatione applicatur, idem eſſe debet, ac ſi ſolus offerret; neque enim concurſus aut deuotio aliorum illi præiudicare debet, ſed potiùs ex opere operantis augere fructum, cùm ex concurſu plurium offerentium, oblatio fiat moraliter maioris exiſtimationis, & cæteris paribus Deo gratior, vt rectè docet Sotus 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* ... & *lib.* 9. *de iuſtit. q.* 2. *art.* 2. Caiet. *opuſc. de celeb. Miſſæ, q.* 2. Couar. *cap. Alma mater. p. p.* §. 5. *n.* 8. Sylueſter, Suarez & alij; quia cumulatæ preces facilius exaudiuntur, & charitas, quæ maior eſt in pluribus quàm in vno, valorem auget, & ſacrificium redditur celebrius. tum quia aliàs qui miniſtraret vel intereſſet Miſſæ in magna parochia aut Miſſæ ſolemni, in qua multi adſunt, mino- 2. rem fructum perciperet, quàm in Miſſa ſolitaria, aut cui pauci adſunt, quod eſt abſurdum, & contra Eccleſiæ mentem, quæ magis commendat publicas & ſolemnes Miſſas, quàm ſolitarias, *de conſecr. d.* 1. *can. & hoc attendendum. & can. ſi*

quis etiam extra parochias, & Concilium Tridentinum *ſeſſ.22. in decreto, de obſeru. in*
celebr. Miſſarum. De pluribus autem ſacerdotibus conſecrantibus eamdem mate-
riam, dicemus *lib.2.c.5.n.5.* an ſinguli integrum fructum ex opere operato poſſint
capere. Si ſit autem ſermo non de ſatisfactione, ſed ſolùm de impetratione,
cum ſuprà dixerimus ex hoc eodem ſacrificio, per modum impetrationis poſſe
nos plura beneficia conſequi, vel etiam ipſi, pro quibus offertur, offerunt, vel
non offerunt: ſi offerunt, exiſtimo cum Caiet. *loco cit.* Suarez *diſp.79.* Henriquez
*lib.9.c.*17.§.5. & aliis, non minus prodeſſe ſingulis ex multis Miſſam offerenti-
bus, quàm ſi vnus tantùm offerret; atque ita hoc modo valorem eſſe extenſiuè
infinitum, quòd omnes ſi per ipſos non ſtet, integrum fructum percipere
1. poſſint, quia vniuſ oratio & deuotio, alteri præiudicare nõ debet, vt paulo
antè diximus etiam de ſatisfactione: ſola enim concomitantia in orationibus,
earum valorem non impedit, cùm & multiplicentur opera, & Deus ob ſuam
infinitam liberalitatem æquè paratus ſit ad Petri petitionem exaudiendam ſiue
ſit ſola, ſiue ſit coniuncta cum oratione & petitione Pauli. Poteſt autem quiſ-
que pro re optata faciliùs impetranda, cum ſua oratione coniungere etiam ſa-
crificium. Licèt enim proprium ſit orationis impetrare, cùm & eius ſit petere;
2. ſacrificium tamen facit vt à Deo faciliùs exaudiatur. Accedit quia impetratio
non innititur noſtris meritis, ſed liberalitati Dei, quæ non minuitur ex largi-
tione alteri facta. Atque etiam id quod à ſingulis offertur, poteſt ex ſe multis
& ſingulis à Patre impetrare poſtulata; cùm filius ſit Deo infinitè gratus. Si
non offerunt, impetratio minor erit in ſingulis ex multis pro quibus offertur,
vt ſi fiat pro mille, vel pro ciuitate, regno, aut collegio, quàm ſi pro vno
tantùm illorum offerretur, ex S.Thom. *4.d.45.q.2.art.9. quæſtiunc.2.* Soto *quodlib.*
20. Couar. *cap. Alma mater.p.p.§.5.n.9.* Gabriele *lect.27. litt. L.* Soto *lib.9. de inſtit.q.2.*
art.2.concl.2.& 3. Nauarro *in Manuali. c.25.n.92. &* 111. *& cap. quando. de conſecr.*
d.1.not.11.num.77. Suarez *diſp.79.ſect.12. dicto* 3. quicquid ſentiat Petrus Nauar.
1. Caietanus & aſſeclæ. tum quia, vt docet Gabriel, tunc poſſet quis primam
gratiam quibuſcumque peccatoribus non difficilius impetrare quàm vni, cùm
2. ad hoc non requiratur ſatisfactio, & ſolutio pœnæ, ſed ſola impetratio. tum
quia ſicut pœnæ minores æquant vnam maiorem, quæ non relaxatur niſi per
opus ſatisfactionis magnum, vel per plura minora illi æqualia, ita in impe-
tratione multorum bonorum aut vnius magni plus requiretur, quàm pro im-
petrando minori. Multo autem maius eſt impetrare ſingulis ex multis tantum-
dem, quàm id impetrare vni illorum tantùm. Quare vel non exaudietur pro
3. multis, aut certè non tantumdem ſingulis atque vni tantùm impetrabit. tum
quia ſacrificium non impetrat niſi vt coniungitur orationi, vt dictum eſt, cùm
eiuſdem virtutis ſit impetrare, cuius eſt petere: ſacrificium autem faciliùs
exaudiri faciat, ex D.Gregorio Nyſſeno *orat. 2. in orationem Dominicam.* Oratio
autem cæteris paribus efficacior eſt ad impetrandum in particulari & ſpecia-
tim facta, v.g. pro Petro, quàm ſi generatim fiat pro tota ciuitate, cuius ciuis
eſt idem Petrus. Vnde ſacerdos dum orat pro vno, plus ei prodeſt, quàm ſi
eum ſub generali intentione includeret, vt docet S.Thomas *in add.q.71.art.13.*
Hadrianus *quodlib.8.* VValdenſis *tom.3. de ſacramental.c.105.* Concilium Conſtan-
tienſe *ſeſſ.8.contra VVicleſum,* Nauar. *de oratione. not.19.n.98.* Sebaſtianus Perez *lib.*
de ſacrificio.c.26. Suarez *tom.1. de relig. lib.1.de orat.c.13.* & alij; ídque, vt docet Sco-
tus, & Gabriel, *locis cit.* Nauar. *in enchiridio de orat.c.20.n.48.* Medina *Cod.de orat.q.21.*
Couarr. *cap. Alma mater. p.p.§.5.n.9.* Azor *tom.1. lib.9.c.33.q.7.* & Suarez *tom.1.*

de

de relig. lib. 1. *c.* 27. quia vt oratio impetret requirit proportionem cum re poſtulata: nam eadem oratio, cæteris paribus, non æquè impetrabit rem difficilem, ac facilem, maiorem ac minorem, & eadem ratione non æquè multis, ac vni; quia hoc ipſo res poſtulata eſt maior, & conſequenter variatur proportio requiſita. Ex quo etiam fit, vt effectus impetrationis non ſit ſemper infallibilis. Quare efficacior erit oratio pro vno ſpeciatim facta, quàm ſi fiat pro illo vt continetur in multitudine pro qua immediatè fit oratio, ſiue etiam oblatio. Non igitur tantum impetrabunt ſinguli ex multis, ac ſi pro vno tantùm illorum offerretur. Ob id Eccleſia orat & offert pro priuatis hominibus ſpeciatim, & pro rebus particularibus obtinendis. At ſi tantumdem prodeſſet ſingulis oratio pro multis, ſemper generatim pro omnibus oraret, tum verò ille gradus impetrationis diuidatur inter participes, in partes æquales, vel inæquales, exiſtimo cum Couarruuia ſoli Deo rem notam, in cuius liberalitate fundatur impetratio. Quid ſi oratio fiat quidem pro multis, oretur tamen ſpeciatim pro ſingulis? Reſpondet rectè Suarez tunc vnamquamque orationem habituram ſuam vim impetrandi, quam haberet ſola; cùm ſola concomitantia valorem & efficaciam non impediat (ſi tamen eaſdem morales circumſtantias habeat) & Deus percupiat omnibus benefacere. Quo ſanè ſenſu poſſet ſaluari opinio Caietani, & ſectatorum, non autem abſolutè, vt ex hactenus diſputatis facilè conſtare poteſt.

Quibus de cauſis fuerit à Chriſto Domino hoc diuinum myſterium inſtitutum. CAP. X.

SVMMARIVM.

1. *Fuiſſe hoc diuinum myſterium inſtitutum, vt haberet Eccleſia militans excellentiſſimum ſacrificium ad Deum placandum.*
2. *Vt eſſet diuini amoris argumentum.*
3. *Itémque dominicæ paſſionis memoriale perpetuum.*
4. *Animarum fidelium ſpiritualis cibus, & opiparum conuiuium.*
5. *Vt haberemus aduerſus peccatorum morbos, & venenum, paratum antidotum.*
6. *Eſſetque futuræ gloriæ pignus & arrha.*

1. SEd iam de cauſis, quibus tantum myſterium eſt à Domino inſtitutum, diſſeramus. Et primò quidem id factum eſt, vt noua Eccleſia militans præſtantiſſimum munus ac ſacrificium haberet, quo Deum tum propter eius excellentiſſimam maieſtatem, tum ob collata in nos ipſos beneficia, honore ſummo coleremus; continet enim, vt antea diximus, ſacrificium, ſupremum cultum latriæ ſoli Deo debitum, & proteſtationem eius ſummi dominij, & noſtræ ſubiectionis, eumdémque non tantùm ex opere operantis, vt olim in veteri Teſtamento fiebat, verumetiam ex opere operato, nobis propitium ac placabilem redderemus, vt Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *c.* 1. S. Thomas *opuſc.* 58. *c.* 1. & 3. Gabriel *in can. lect.* 53. & cæteri Theologi docent. Etenim cùm religio quælibet Deum externo aliquo & ſenſibili ſacrificio veneretur, quaſi interioris ſacrificij ſymbolo; id multo conuenientius facere debuit nouo aliquo & peculiari ſacrificio euangelica, omnium præſtantiſſima, vt argumen *Cap. 3.*

gumentatur D. Paulus *in epiſt. ad Hebr. c.7.8.9.10.* legales namque hoſtiæ oblationes, holocautomata, & pro peccato, non placuerunt Domino, quòd vmbram futurorum bonorum lex contineret, non res ipſas; quare numquam potuit accedentes, perfectos facere, cùm eſſet impoſſibile ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata, Chriſti tantùm æterni ſacerdotis, ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſanguine delenda. Vnde & prius abſtulit teſtamentum, vt ſtatueret poſterius, vt idem D. Paulus ſubiicit *c.* 10. in quo veritate collata, ceſſarent vmbræ, & abolitis pecudum ſacrificiis, ad tempus ſeruis datis, tamquam rerum meliorum ſignis, incruentum holocauſtum corporis & ſanguinis Chriſti æterno Patri à filiis offerretur. Quare D. Auguſtinus *lib.6. contra Fauſtum, c.5. Et ipſa*, inquit (ſacrificia veteris legis) *figura noſtra fuerunt, & omnia talia multis & variis modis vnum ſacrificium, cuius nunc memoriam celebramus, ſignificarent; vnde iſto reuelato, & ſuo tempore oblato, illa de agendi celebritate ſublata ſunt.* & *lib. 20. c. 21. Huius ſacrificij caro & ſanguis, ante aduentum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur, in paſſione Chriſti per veritatem reddebatur; poſt aſcenſum Chriſti per ſacramentum memoriæ celebratur.* De hoc vno ſacrificio vaticinatus eſt Malachias *c.3. Placebit Domino ſacrificium Iuda*, quòd ſcilicet ex Matth.*c.1.* & D.Paulo *ad Hebr.* 7. ex illius tribu fuerit Chriſtus, ſummus ſacerdos noui Teſtamenti. & *Eccli.35. Sacrificium iuſti acceptum eſt, & memoriam eius non obliuiſcetur Dominus.* Quare rectè Alexander I. *epiſt.* 1. *c.* 4. *Nihil* (inquit) *in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Chriſti, nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit.* & eadem de cauſa Dionyſius *lib. de eccl.hier.c.3.* Eccleſiam noſtram eſſe mediam inter Synagogam, & cœleſtem Ieruſalem; ideóque vtriuſque participem, cùm, quæ in lege veteri adumbrata fuerunt, re ipſa habeantur in noua, ſed non adeò clara & perſpicua, vt habentur in cœlis.

Præterea vt eſſet eius ſummi in nos amoris argumentum: nam, vt ait D. 2.
Ioannes *c.* 13. *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Cùm enim Deus initio naturam noſtram ſimilitudinis vnione, ſibi copulaſſet, hominem creans ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, *Geneſis c.1.* eundémque deinde gratiæ & charitatis vnione ſibi arctiùs deuinxiſſet, iuxta illud *Oſeæ c. 11. Et ego quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, & neſcierunt quòd curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis:* poſtea vnione illa mirabili, qua ſeipſum naturæ noſtræ ineffabiliter coniunxit, atque hypoſtaticè vniuit; qui enim Deus natura eſt, verè homo factus eſt, ita vt verus Deus ſimul & homo ſit; his diuinus amor non contentus, ſciens Ieſus iam veniſſe horam, vt tranſeat de hoc mundo ad Patrem, vt amoris ſui euidens argumentum daret, nec vllo vmquam tempore à nobis abeſſet, inexplicabili conſilio, & quod omnem naturæ ordinem & conditionem ſuperat, admirabilem hanc ſacramentalem reperit vnionem, de qua, eodem D. Io. teſtante *c.6.* dixit Dominus, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* vnde rectè Chryſoſtomus *Homil. 61. ad pop. Antioch. & Hom. 45. in Io. Cùm enim* (ait) *ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cum capite vniretur; hoc enim amantium maximè eſt.* Et Cyrillus Alexandrinus *lib. 11. in Io. c.26. Origo igitur & via, qua Spiritu ſancto participamus, & Deo vniti ſumus, Chriſti myſterium eſt: omnes enim in illo ſanctificamur; vt igitur inter nos & Deum ſingulos vniret, quamuis corpore ſimul & anima diſtemus, modum tamen adinuenit conſilio Patris & ſapientiæ ſuæ congruentem; ſuo enim corpore credentes per communionem myſticam benedicens, & ſecum, & inter nos, vnum nos corpus efficit.* & *lib.4.*

c.17.

c.17. dixerat: *Sicut enim ſi quis liquefacta ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat neceſſe eſt: ita ſi quis carnem & ſanguinem Domini recepit, ita cum ipſo coniungitur, vt Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inueniatur.* Simile apud Matth. comperies. *Simile eſt,* inquit, *regnum cælorum fermento, quod acceptum abſcondit mulier in farinæ ſatis tribus. Sicut paruum,* ait Paulus, *fermenti totam maſſam fermentat, ſic paruula benedictio totum hominem in ſeipſum attrahit, & ſua replet gratia; & hoc modo in nobis Chriſtus manet, & nos in Chriſto. verè enim totum fermentum in totam maſſam pertranſit.* Hæc Cyrillus. Meritò itaque Vrbanus, vt habetur *in Clem. vnica de reliq. & vener. ſanct.* huiuſmodi Chriſti amorem & charitatem vocat, exuberantem, tranſcendentem omnem plenitudinem largitatis, & excedentem omnem modum dilectionis. & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *c.*2. docet in hoc myſterio Chriſtum diuini amoris ſui diuitias effudiſſe. *Ergo* (inquit) *ſaluator noſter diſceſſurus de hoc mundo ad Patrem, ſacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum.* Nec ſanè maius beneficium optare potuimus, quàm Chriſtum hominem factum, cruci affixum, & conſidentem ad Patris dexteram, ita largiri ſe nobis, vt eiuſdem corpore & ſanguine nunc etiam veſcamur, illíque media Euchariſtia incorporemur. Ex parte enim rei donatæ (etſi non ex parte modi, quippe cùm vnio beati cum Deo ſit melior, eo quòd ſit inamiſſibilis) nullum maius, aut honorificentius donum excogitari potuit; cùm datum ſit donum diuinæ perſonæ, ídque tanta charitate, & amore, vt reſpectu humanæ Chriſti voluntatis excedat Angelorum & Sanctorum ſimul omnium amorem; reſpectu verò diuinæ, ſit infinitus, & præterea etiam æternus; cùm voluerit Dominus ab æterno tantum donum ſuo tempore nobis dare. Quamobrem ſi tantopere admiratus eſt mundus Arthemiſiæ Cariæ Reginæ erga defunctum virum Mauſolum dilectionem, quòd eius pretioſis liquoribus dilutos cineres paulatim ebiberit, viuúmque eſſe voluerit extincti coniugis ſepulchrum, vt Aulus Gellius *lib.*10. *c.*18. & alij ſcripſerunt; quantopere decet, nos ſuſpicere, & intimo cordis affectu venerari adeò exuberantem ac tranſcendentem omnem dilectionis modum Chriſti amorem; cùm nos ſeruos eius, quinetiam inimicos, ſua diuina carne & ſanguine ſaginarit? Profectò haud minus verè de huius myſterij diuini inſtitutione, quàm de eiuſdem incarnatione & morte pro noſtra ſalute dici poteſt, præclarum illud D. Bernardi, *De Deo triumphat amor.* *Ser. 54. in Cant.*

3. Inſtituit quoque Dominus, vt ſuæ pro ſalute noſtra ſuſceptæ paſſionis, eſſet memoriale perpetuum, ipſomet dicente, *Luca* 22. *Matth.* 26. *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.* & D. Paulo 1. *ad Cor.* 12. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Sicut enim olim præclara illa Iudith, in deuicti Holofernis memoriam, & anathema obliuionis, tanti à Deo ſuſcepti beneficij, in donariis domini illius ſuſpendit conopæum, vt ex eiuſdem hiſtoria *c.*16. conſtat; ita Chriſtus, vt ſuæ paſſionis in nos collati beneficij, perpetuò in Eccleſia vigeret memoria, ac perennis gratiarum actio, viuam ſpirantémque ſuæ paſſionis imaginem, diuinæ Euchariſtiæ myſterium inſtituit: ſuis enim beneficiis veluti penſionem quamdam, appoſuit Deus memoriæ ac gratiarum actionis præceptum. Placet hæc audire ex D. Gaudentio *ſerm.*3. *qui eſt de manducatione Agni paſchalis,* qui ait: *Voluit enim beneficia ſua permanere apud nos, voluit animas pretioſo ſanguine ſuo ſemper ſanctificari per imaginem propriæ paſſionis, & ideo diſcipulis fidelibus mandat,*

quos primos & Eccleſiæ ſuæ conſtituit ſacerdotes, vt indeſinenter iſta vitæ æternæ myſteria exercerent, quæ neceſſe eſt à cunctis ſacerdotibus per ſingulas totius orbis Eccleſias celebrari, quouſque iterum Chriſtus de cœlis adueniat, quo & ipſi ſacerdotes & omnes pariter fidelium populi exemplar paſſionis Chriſti ante oculos habentes quotidie, & gerentes in manibus, ore etiam ſumentes ac pectore redemtionis noſtræ indelebili memoria teneamus, & contra venena diaboli dulcem medicinam ſempiterni tutaminis conſequamur. Verùm cùm Chriſti paſſio ſummis doloribus ac cruciatibus plena fuerit, iuxta illud *Iſaia c.* 53. *Deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vnde nec reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit; & nos reputauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum.* & illud Ieremiæ *Thren.c.*1. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus.* Cur eiuſdem paſſionis memoriale dulce ac ſuaue epulum eſſe voluit? multo enim conuenientius memoriale videri potuit, aut noſtri ſanguinis viciſſimè venis emiſſio: vt fiebat in circumciſione, aut comeſtio amari vel acerbi alicuius edulij, vt Hebræis mos fuit, in memoriam accepti beneficij Ægyptiacæ liberationis comedere cum Agno paſchali amaras lactucas agreſtes, an illud voluit, vt ſuam eximiam in nos charitatem declararet, quippe qui nobis ſuauia & dulcia dederit, ſibi verò elegerit acerbum & amarum? An vt intelligeremus quanto cum gaudio pertulerit, pro ſalute noſtra, paſſionem & mortem, ſecundùm illud *Lucæ* 12. *Baptiſmo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur.* quare & Titus Boſtrenſis explicans illud *Lucæ* 22. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum. Per hæc,* inquit, *diſertè ſignificat, ſe non inuite, ſed magno cum deſiderio crucis ſupplicium, pro mundi ſalute ſubire. Quaſi igitur à nobis beneficium acciperet, nos conuiuio excipere & munerare voluit.* An vt diſceremus experientia illius legis iugum eſſe ſuaue? An vt qui per cibum vetitum debilitati cecideramus, nouo & pretioſo ineſcati, frequenter manducantes, contra tentationes omnes firmaremur, teſtante Propheta *Pſ.*22.*Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me?* Et quidem non indiget Chriſtus memoria noſtra, etſi velit nos ſui amoris, acceptorúmque beneficiorum meminiſſe; optat enim illorum recordatione nos in ſui amore quammaxime incaleſcere. Sed cur inquies? An quòd ita deceat iuſtiſſimúmque ſit, cùm Deus ſit ſummum bonum, primum principium, vltimúſque finis noſter, ac rerum omnium cæterarum? An quòd ſimilitudo voluntatum coniunctionem & amicitiam foueat? Vnde & Ariſtoteles *lib.*9.*Eth.* docuit, propter diſſimilitudinem, amicitiam diſſolui, & D. Hieronymus *in c.*7. *Michææ, Amor* (inquit) *aut pares accipit, aut facit.* An quia cùm amor transformet amantem in rem amatam, vt Plato, Dionyſius *lib.de diu.nom. c.*4. aliíque ſapientes ſtatuerunt, amans ſibi quodammodo moriatur; cúmque ex altera parte nihil omnino perire cupiat, amans ne prorſus intereat, in amato viuere velit, quod non niſi per redamationem, ſuíque memoriam fit, vt philoſophatur Marſilius Ficinus in conuiuio Platonis? Verùm quæres iterum, cur voluerit Dominus in ſuæ paſſionis memoriam verè ac realiter ſeipſum donare, & ſub memoriali ipſo latere, cùm ad hoc ipſum ſufficeret quodcumque ſignum? An vt doceret quanti à ſe fieret, quantíque à nobis facienda eſſet eius paſſio, quod etiam *Thren.* 3. indicauit illis verbis: *Recordare paupertatis meæ, & tranſgreſſionis meæ, & abſynthij, & fellis.* Scilicet paupertatis, quam pro nobis pertulit viuens, & moriens, deſcenſus de cœlis ad terras, atque eius amariſſimæ atque acerbiſſimæ paſſionis. An vt pro nobis negligentibus de hoc tanto, cæteríſque omni

omnibus beneficiis Deo Patri ſibíque ipſi debitas ageret gratias: qua de re *lib.4. c.11. §. 33.* dicetur. An quòd in ſui abſentia viſibili, inuiſibiliter voluerit nobiſcum permanere, promiſit enim: *Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* Quod præclarè expreſſit illis verbis Fulbertus Carnotenſis *epiſt.1 ad Adcodatum. Defectum noſtræ fragilitatis miſeratus* (Dominus) *aduerſus quotidianas noſtræ prolapſionis offenſas, ſacrificij placabilis nobis prouidit expiamenta, vt quia corpus ſuum, quod ſemel pro nobis offerebat in pretium, paulo poſt à noſtris viſibus ſublaturus fuerat in cœlum, ne ſublati corporis fraudaremur præſenti munime, corporis nihilominus & ſanguinis ſui pignus ſalutare nobis reliquit, non inanis myſtery ſymbolum, ſed compaginante Spiritu ſancto corpus Chriſti verum, quod quotidiana veneratione ſub viſibili creaturæ forma, inuiſibiliter virtus ſecreta in ſacris ſolemnibus operatur.* Manſit igitur ſuas delitias reputans eſſe cum filiis hominum in hoc ſacramento, quaſi ſui amoris throno: ciúſque præſentia nobis terra facta eſt cœlum, ait enim Chryſoſtomus *Hom. 24. in prima ad Corinth. Dum in hac vita ſumus, vt terra nobis cœlum ſit, facit hoc myſterium.* De Salomonis throno dictum eſt *lib. 3. Reg. c. 6. Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis*; idem veriſſimè affirmari poteſt de hoc admirabili amoris Chriſti throno. in eo etiam throno gloriæ in cœlis admirabiliori, quòd vt Chriſtus in cœleſti throno gloriæ ſedeat, non eſt iam opus nouo miraculo; at verò multa magnáque mirabilia facienda ſunt, vt ſedeat in throno ſui amoris. dictum eſt enim *Pſ. 110. Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.* Ideóque cùm mirabile fuerit Deum incarnari (redemtionis enim opera admirabiliora ſunt creationis operibus) mirabile, famam, ſitim, æſtum, & frigus, tolerare; mirabile, pro ſalute noſtra, tolerare alapas, ſputa, & irriſiones; mirabile denique, non tantùm pro amicis, verumetiam pro inimicis mortem, & mortem crucis ſuſtinere; memoriale mirabilium omnium inſtituta eſt Euchariſtia amoris Chriſti thronus. Quare rectè D. Bonauentura *tract. de interiori homine. p.1. c.11. Et ideo hoc eſt memoriale totius dilectionis ſuæ, & quaſi compendium quoddam omnium beneficiorum ſuorum, quod nobis reliquit, incarnationis, redemtionis, glorificationis, & iuſtificationis figuram includit.* Hoc idem vehementer admirans B. Laurentius Iuſtinus *ſerm. de Euch.* ait: *Tantæ ſiquidem dignitatis, tantæque excellentiæ eſſe probatur, vt in eo ipſa etiam angelica natura miretur, veneretur ſub accidentibus Chriſtum, diuinam in ſacramento maieſtatem colat, gaudeátque vehementer eſſe cum hominibus Deum. Ecce,* inquiunt inter ſe, *tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt, & ipſe cum eis erit eorum Deus.* Planè nobiſcum eſt Deus, remotus tamen per ſpeciem, propinquus verò per fidem, & præſens per ſacramentorum ſui corporis & ſanguinis veritatem. Ob eamdem ipſam cauſam, Eccleſiam monet Iſaias *c. 12. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.* decuit enim vt Chriſtus ſibi tantis laboribus, ampliſſimo regno Eccleſiæ acquiſito, amoris ſui throni prærogatiua Eccleſiam honeſtaret.

4. Itémque, vt eſſet fidelium animarum cibus. *Accipite,* inquit *Lucæ 22. & manducate, hoc eſt corpus meum.* & *Io. c. 6. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* cuius explicans effectus Concil. Trid. *ſeſſ. 13. c. 2. Sumi,* inquit, *voluit Chriſtus ſacramentum hoc, tamquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur, viuentes in vita illius, qui dixit:* Qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Et ſane cibus hic menſas omnes ſuperat. tum magnitudine doni, cùm cibus apponatur Deus ipſe. 1.
Vnde Tertullianus *lib. de reſurr. carnis. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, & anima de Deo ſaginetur.* Et ſingulis integer, non diuiſus, aut

 diminu

diminutus. vt, veluti Eliſeus alter *lib. 4. Reg. 4.* noſtris, ſuis ſingulis iunctis membris, perfectam vitam impartiret. Atque eodem temporis momento in-
2. numeris in locis, ne quiſquam abſentia priuaretur. tum conuiuantis maieſtate, cùm inſtitutor conuiuij ſit ipſa diuina omnipotentia, & ſapientia. *Tota,* inquit Auguſtinus *epiſt. 3. ad Voluſianum, ratio facti eſt potentia facientis.* & Chryſoſtomus *Hom. 60. ad pop. Antioch. Non ſunt humanæ virtutis, hoc eſt, potentiæ opera propoſita; qui tunc fecit in illa cœna, idem nunc ea quoque facit.* & Ambroſius *lib. 4. de ſacram. c. 4. Sermo Chriſti hoc conficit ſacramentum, nempe ſermo is, quo facta ſunt omnia.* Iuſſit Dominus, & factum eſt cœlum, terra, maria; iuſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt; vide quàm operatorius ſit ſermo Chriſti, ipſe dixit, &
3. facta ſunt. tum conuiuarum multitudine, quippe cùm non tantùm nouem virorum millia, vt in Alexandri Magni conuiuio contigiſſe docet Arrianus *lib. 7.*
Eſth. c. 1. *de rebus geſtis Alexandri*, neque vnius tantùm regni homines, vt in Aſſueri conuiuio factum eſt, ſed fideles omnes vocentur ad hoc epulum. *Iſaiæ c. 25. Faciet Dominus exercituum omnibus populis, in monte hoc conuiuium, &c.* quinetiam Regum omnium Imperator, & Dominus, voluit eſſe vnus ex conuiuis, & de
4. Euchariſtia participare, vt alibi docuimus. tum temporis diuturnitate, cùm non tantùm ſex menſes, vt illud Aſſueri, ſed vſque ad mundi finem duratu-
5. rum ſit hoc conuiuium: vt 2. *lib.* probauimus. tum vtilitatis fructu, cùm dignè ſumentes ſingulares conſequantur effectus. in ſpirituali enim vita nutriuntur, augentur, roborantur, vt ex pane Eliæ huius figura conſtat, dicente Scriptura *lib. 3. Reg. c. 19. Et ambulauit in fortitudine cibi illius vſque ad montem Dei.* nec mirum, cùm conuiuium hoc factum in monte Sion, ſit conuiuium illud, de quo vaticinans Iſaias *c. 25.* vocat conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ: pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ; in eo enim comeditur pinguiſſimus & medullatus agnus immaculatus plurimam afferens gratiæ & deuotionis pinguedinem. Quam ob cauſam idem Iſaias *c. 55. Audite* (inquit) *audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra, & bibitur vinum lætificans cor hominis, in vindemia ex botris defecatiſſimum, ac dulciſſimum expreſſum,* de quo dictum fuerat olim *Pſal. 22. Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* plura dicemus hac de re *lib. 4. c. 27.* aliáque vide-
6. ri poſſunt apud D. Thomam *opuſc. 58. c. 6. & 24.* tum adſtantium aulicorum ſplendore, & numero; cùm innumeri aſſiſtant ſacrificanti ſacerdoti adiuuantes Angeli. *Taceant,* inquit D. Iacobus *in Liturgia, omnes mortales ſtent cum metu & tremore, nihil terrenum cogitent: Rex enim regum Chriſtus veniet, vt mactetur, & detur in cibum fidelibus; eum verò chori Angelorum antecedunt.* Chryſoſtomus *Hom. de diu. menſa & iudicio. O miraculum myſticæ menſæ, tam magnificè inſtructæ in qua Agnus Dei pro te mactatur, ſed quem aſſiſtunt Cherubim, deſcendunt Seraphim, qui ſex alis præditi, vultus demittunt, vbi omnes Angeli cum ſacerdote, pro te legationem obeunt.* Ac denique Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus, *Hoc* (inquit) *ſacrificium aſtantibus Angelis & eorum præſidio conficitur;* & Elias Cretenſis *in primam orat. S. Gregorij Nazianz. num. 125. Minimè ſanè diffitendum eſt quin Angeli ſanctæ menſæ aſtent, eam vt olim monumentum, in quo dominicum corpus conditum erat, vndique cingente.* Sed hac de re vberior erit ſermo *lib. 4. c. 11. n. 22.*

Vt haberemus aduersùs peccatorum morbos, & venenum, paratum medicamentum, & antidotum, vt notauit etiam D. Thomas *3. p. q. 79. art. 6. & opuſc. 58. c. 24.* & per ſe ſatis indicatur illis verbis Domini *Io. 6. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de* 5.
cœlo

cœlo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Quare Cyprianus *ſermo. de cœna. Panis iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolemni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutémque proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates exiſtens.* Et cùm in naturalibus etiam, cibi aliqui ſint morborum medicina, vt conſtat apud Plinium *lib. 8. c. 32. de ceruorum carnibus; febrium enim*, ait, *morbos hoc animal non ſentit, & huic timori medetur, vnde factum eſt, vt principes fœminæ, quæ omnibus diebus matutinis carnem eam guſtare ſolitæ erant, longo æuo caruerint febribus*; quid mirum ſi diuina Chriſti caro ſit peccatorum medicina, atque antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur, vt loquitur Concilium Tridentinum *ſeſſ.13. c.2.* cùm & prædixerit Dauid *Pſal. 22. Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus omnes, qui tribulant me.* & *Pſal. 102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas*; & dixerit D. Iacobus *c. 1.* de diuino Verbo incarnato: *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* An non decuit, vt ſicut olim *Gen.2.* Deus in Paradiſi medio arborem vitæ poſuit, quæ humido radicali deperdito mederetur, vitáque humana produceretur incolumis; ita eodem modo eadem ſumma bonitas in medio Eccleſiæ hunc vitæ æternæ cibum ſtatueret, qui noſtris languoribus ac morbis mederetur? An non etiam Manna Iſraël datum, *Exod.16. Num. 11.* panis medicinalis fuit, & corporalium infirmitatum antidotum, adeò vt toto illo tempore non fuerit in tribubus eorum infirmus, *Pſal.104.* at hoc diuinæ Euchariſtiæ figura fuit: debuit igitur hæc morbis ſpiritualibus mederi. quod etiam in inſtitutione promiſit Dominus, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quare licèt cœleſtis hic panis non ſit inſtitutus ad peccatum originale, aut mortale delendum, ſeu conferendam primam gratiam, ex Concilio Tridentino *ſeſſ.13. c.2. & 5.* idque meritò, cùm cibus ſupponat vitam; auget tamen indignè ſumentibus gratiam, dum nos Chriſto vnit, vt decretum eſt in Concilio Florentino, qua aucta faciliùs inimicis impugnantibus reſiſtitur, ſicut & aucto calore naturali ſtomachi noxij humores faciliùs concoquuntur, ne obſint; illuminat intellectum, & concupiſcentiam ſanat; quæ præclarè teſtata habemus apud Cyrillum *lib. 4. in Io. c. 17. Sedat*, inquit, *cum in nobis maneat Chriſtus, ſæuientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.* idémque teſtatur D. Thomas *3. p. q. 79. art. 6. ad 3. & opuſc. 58. c. 1. & 6.* A nobis igitur cœleſtis hic panis ſumtus, mirabiles in animis noſtris operatur effectus, noſtris medetur languoribus, præclaras Chriſti virtutes communicat, charitatem, humilitatem, obedientiam, patientiam, caſtimoniam, zelum animarum, cæteráſque omnes; quia vt factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, ita nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem, ideo qualis cœleſtis Chriſtus, tales & cœleſtes ſunt eius diuinam carnem manducantes. quod etiam præclarè expreſſit Theophylactus *in c.6. Io.* verbis illis: *Non nudi hominis caro eſt, quæ manducatur, ſed Dei, quæ deificare valet, vtpote contemperata Deitati.* Sed hac de re nobis recurret ſermo *lib.4. c.27.*

6. Denique vt eſſet promiſſæ futuræ gloriæ pignus, quod etiam tradidit D. Thomas dum *in opuſc. 57.* ſcribit: *O ſacrum conuiuium in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* & Concil. Trid. *ſeſſ.13. c.2. Pignus præterea* (ait) *id eſſe voluit* (Chriſtus) *futuræ noſtræ gloriæ & perpetuæ felicitatis*: & euidenter colligitur ex illo *Io. 6. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ideo vti hominibus mos eſt gemmam, aut aliud

aliquid pro pignore dare, quo contrahentes certi reddantur, ſe ſuo tempore conuentam rem, aut pecuniam accepturos; ita Dominus, vt nos certos faceret, debito tempore promiſſam felicitatis gloriam intraturos, hoc diuinum pignus, omni pretioſius gemma reliquit. Notat verò D. Thomas *in 2. ad Cor. c. 1.* duo in pignora conſideranda eſſe. primum quidem quòd tanti ſaltem valeat, quanti res pacta & conuenta; alterum quòd ſpem faciat habendæ rei promiſſæ ſtatuto tempore. quod ſane vtrumque in Euchariſtia gloriæ futuræ pignore continetur. Etenim & tanti valet, quanti gloria, cùm Deum ipſum contineat. Ob id nec Pater aliquid maius dare potuit, aut ſibi magis carum, & acceptum, cùm det filium vnigenitum ſibi in potentia, ſapientia, ac bonitáte æqualem, vti fit inter Principes, cùm pacis obſides dantur primogeniti; nec filius aliquid maius ſeipſo ſacramentalibus ſpeciebus cooperto; cùm in ipſo includantur omnes tituli & iura ſaluationis noſtræ, ac ſanguis noſtræ redemtionis, pretium. de quibus *in epiſt. ad Coloſſ. c. 1. & ad Romanos c. 8.* &, niſi per nos ipſos ſtet, certiſſimam
1. ſpem facit ſumentibus, cum Dei timore, & pietate, conſequendæ gloriæ. tum quòd efficaciſſima media obtinendæ beatitudinis hoc ſacramentum contineat; dum præteritorum delictorum remiſſionem confirmat ad diuinam menſam admiſſio, quæ ſignum eſſe ſolet magnæ familiaritatis, & amoris; dum à futuris culpis præſeruat, iniecto cupiditatibus, fræno, aucta gratia, confirmatiſque viribus ſpiritualibus, dum perſeuerantiam vſque ad mortem tribuit in gratia, ideoque liberat à prima morte culpæ, & à ſecunda condemnationis, & ſuo tempore à tertia, nempe morte corporis per reſurrectionem. vnde veriſſimè dictum eſt *Io. 6. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in*
2. *æternum.* tum quòd in nobis æternæ gloriæ veluti radicem, & fontem aquæ ſalientis in vitam æternam, ingenerat. nempe vnionem cum Chriſto, vt vbi caput eſt, ſint etiam membra: & charitatem Spiritus ſancti, qui eſt pignus hære-
Io. 4. ditatis noſtræ, *ad Epheſios c. 1. & 2. Cor. 1.* vt enim venit Chriſtus in mundum, vt nobis Spiritum ſanctum daret, ita nunc ſacramentalibus ſpeciebus coopertus in nos venit, vt diuino ſpiritu nos repleat. Porrò S. Thom. *in c. 1. epiſt. ad Epheſios,* ſcribit, ſignificantius charitatem, arrham futuræ gloriæ dici, quàm pignus, quòd pignus aliud ſit à re pro qua datur, & quòd reddatur poſt conuentam rem acceptam, arrha verò non aliud ſit à re pro qua datur, nec reddatur, quia datur de ipſo pretio, quod non eſt auferendum, ſed complendum. quare pariter cum nobis in hoc ſacramento communicetur ſpiritus charitatis, & dilectionis, quæ eſt quædam particularis & imperfecta participatio diuinæ charitatis, quæ non eſt auferenda, ſed perficienda in cæleſti felicitate, ſignificantius arrha quàm pi-
3. gnus æternæ gloriæ, hoc diuinum ſacramentum dicetur. tum quòd ille ipſe in cibum & potum nobis hîc detur, qui datur in gloria, etſi vſui noſtro conditus ac præparatus. Audiamus D. Bernard. *ſer. de cœna qui incipit, panem Angelorum. Gratulare ſponſa, gaude incomparabiliter, præſidemem habes & rectorem ſponſum in præſentis exilij militia. Pignus habes, arrham tenes, quibus feliciter ſponſo vniaris in patria. Glorioſa & amabilis ſponſa, in terra ſponſum habes in ſacramento, in cælis habitura es ſine velamento. & hic, & ibi veritas, ſed hic palliata, ibi manifeſta, &c.* Vnde Chryſoſt. *Hom. 60. ad pop. Antioch. Veniat in mentem tibi quo ſis honore dignatus, qua menſa fruaris. Ea namque re nos alimur, quam Angeli videntes, tremunt, nec abſque pauore, propter fulgorem, qui inde reſilit, adſpicere poſſunt.* Cùm igitur ſit illius cæleſtis epuli principium, idémque omnino cibus, etſi adhuc velatus, æternæ gloriæ, certum pignus cenſendum eſt, & arrha.

Cur

Cur voluerit Chriſtus Miſſæ ſacrificium iterari. Cap. XI.

SVMMARIVM.

1. *Plures afferuntur ex Patribus cauſæ, quibus in Eccleſia Miſſæ ſacrificium iterandum fuit.*
2. *Sed huiuſmodi repetitionem nullo modo pugnare cum ſacrificij vnitate poſita à D.Paulo* ad Hebr. c.5. 6. & ſequentibus.

1. Sed cùm Chriſtus ſemel tantùm in carne paſſus, mundum ſua morte & paſſio-
ne ſaluarit, vt quid quotidie Miſſæ iteratur oblatio? Pluribus ſanè de cauſis 1.
iteratur, tum ſcilicet ex D. Gregorio *in Homilia paſchali,& can. quid ſit. de conſecr.*
d.2. Paſchaſio *lib. de corpore & ſanguine Chriſti. cap.9.* Stephano Heduenſi *lib. de*
*ſacram. altaris.c.*13. S. Thom. *opuſc. 66.c.3.* vt qui quotidie labimur, iuxta illud,
Septies in die cadit iuſtus. & 1. *Ioan. c.1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi*
nos ſeducimus. & *Matth.c.6. Dimitte nobis debita noſtra*; quotidie etiam releuemur;
quique moriendo mortem vicerat, medio hoc ſacrificio, quotidie relaxaret
recidiua delictorum. tum ex D. Ambroſio *in epiſt. ad Hebr. & can. In Chriſto. de* 2.
conſecr. d.2. vt quotidie beneficium paſſionis Chriſti recolatur vſque ad mundi
finem, iuxta illud D.Pauli 1. *Cor.11. Mortem Domini annunciabitis donec veniat.*
& *Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem.* Interim igitur dum Chriſtus ad
iudicium venit, quotidie hoc ſacrificio eius mors annuncianda eſt, vt diſcant
poſteri qua charitate nos dilexit Chriſtus; cùm ſeipſum pro nobis tradiderit.
tum quòd ſit non tantùm ſacrificium, ſed etiam animæ cibus, & potus, quo 3.
frequenter paſcendi ſumus, vt diximus; & teſtatur de calice agens beatus Lau-
rentius Iuſtin. *ſerm. de Euchar.* cùm ait: *Semel pro te datum eſt pretium, ſed poculum*
quotidie conſecratur, tibique apponitur, vt bibas, bibas, inquam, vt inebrieris, non vino,
in quo eſt luxuria, ſed amore, ſed exultatione, ſed iubilo. neceſſariò igitur frequenter
confici debuit, ne vmquam deeſſet, aut ne diu ſeruatus aceſceret, aut putreſce-
ret. qua de re dicendum erit *lib.4.c.29.* tum vt noua ſemper repleamur gratia, 4.
vnde Emiſſenus: *Vt dum perennis victima viuit in memoria, ſemper præſens ſit in gratia.*
noluit enim Chriſtus, vt ſuperiùs diximus, ex S. Thom. Gabriele, & aliis, his
mediis ſuæ paſſionis fructum nobis applicari niſi finitè; ideo frequenter iteran-
da fuerant. tum ex Algero *lib.1.* vt hac ſalutari victima participata contra tenta- 5.
tiones omnes muniamur. Si enim videat aduerſarius hoſpitium noſtrum occu-
patum, cœleſtis fulgore præſentiæ; intelligens locum ſuis tentamentis inter-
cludi per Chriſtum, fugiet. tum denique vt cultus religionis Chriſtianæ, quæ 6.
ſine ſacrificio eſſe non poteſt, in Dei honorem tanti myſterij frequentatione
conſeruaretur.

2. Porrò non pugnant hæc cum Apoſtolo *ad Hebr. c.5.6.8.9.10.* vt Lutheri & Caluini ſectatores latrant, cùm D. Paulus loquatur ibi de vnico ſacrificio cruento quo ſemel Chriſtus introiuit in ſancta, æterna redemtione inuenta; non de incruento quo illius fructus nobis applicatur, vt ſuperiùs *c.3.§.7.* diximus, & docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.22.c.2.* quod etiam innuens D. Ambroſius, *Quod nos,* inquit, *agimus, recordatio eſt ſacrificij* (cruenti) *illius, nec cauſa ſuæ infirmitatis repetitur, ſed noſtræ, quia peccamus, &c.* ſed reliqua in ſequentibus libris proſequemur.

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

LIBER SECVNDVS.

PRIMVM tantùm ex quatuor illis, quæ in omni ſacrificio conſideranda ſunt, ex D.Auguſtino *lib.4.de Trinitate. c.14.* ſuperiori libro explicauimus, quid videlicet in hoc diuino ſacrificio immoletur: iam deinceps tria reliqua, cui ſcilicet, pro quibus, & à quibus ritè poſſit offerri, diſputabimus. quibus, & aliqua, quæ neceſſariò ſacrificio accidunt, adiungemus, quæ ſunt etiam circumſtantiæ eius, qui ritè oblaturus eſt.

Sacrificium Miſſæ ſoli Deo offerendum. CAP. I.

SVMMARIVM.

1 *Nulli creaturæ ſed Deo tantùm, quòd eius ſupremæ excellentiæ, & ſubiectionis noſtræ ſignum, & proteſtatio ſit, ſacrificium legitimè offerri poſſe.*

2. *Deum in antiquis & nouæ legis ſacrificiis præcipiendis nulli ſuæ indigentiæ, aut neceſſitati, ſed tantùm offerentium vtilitati conſuluiſſe.*

3. *Cùm Deo ſacrificium offerendum dicimus, non tantùm in Deum ratione finis, ſed etiam obiecti, referendum ſacrificium intelligimus.*

4. *Nec ſolùm Deo Patri offerri putandum eſt, ſed communi deuotione ſimul etiam Filio, & Spiritui ſancto.*

SAcrificium, diuinus eſt honor, rectè ſcripſit D.Auguſtinus *lib.20. contra Fauſtum c.21.* & ante Auguſt.Arrianus *lib.4. de reb.geſtis Alexandri Magni.* Diuinæ enim tantùm maieſtati licere ſacrificium immolare, luce clarius conſtat, tum ex diuinis litteris, cùm ſcriptum ſit *Exod.22. Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino ſoli.* & teſtetur D.Paulus *ad Hebr.c.5.& 8.* in eum finem ſacerdotem inſtitutum eſſe, vt offerat Deo dona & ſacrificia; idémque probet vſus ſacrificiorum, quæ in diuina Scriptura referuntur; Abelis, Noë, Melchiſedechi, Abraham, Aaronis, & cæterorum; ex quibus intulit Auguſtinus *ep.49. quæſt.3.* 1.

*quæſt.*3. præclarum illud epiphonema. *Hinc intelligendum eſt, quàm ſit res antiqua ſacrificium, quod non niſi vni Deo vero offerri oportere, veraces & ſacræ litteræ monent.* tum ex naturali lumine, cùm nulla vmquam gens, nulla natio, eodem D.Auguſtino teſte *lib.*10. *de Ciuit. c.*4. niſi ei quem Deum aut ſciuit, aut putauit, aut finxit, ſacrificium offerendum cenſuerit. eſt enim ſacrificium, vt dicebamus *lib.* 1. *c.* 3. *num.* 6. proteſtatio diuini principatus, ſummæque ſubiectionis noſtræ. quòd, ex eodem D.Auguſtino *lib.*10. *de Ciuit. c.*19. & D.Thom. *lib.*3. *contra Gentes.c.*120. *&* 2.2.*q.*85. *art.*2. externa ſacrificia ſint veluti voces, & ſigna, quibus internum ſacrificium, officia, affectus, & ſubiectionem voluntatis noſtræ, primo omnium rerum principio, conſeruatori, & vltimo fini offerimus, & conſecramus. Quæ cùm ſoli Deo creationis noſtræ principio, operationis autori, & beatitudinis fini competant, eidem etiam ſoli erunt externa ſacrificia offerenda; niſi rei criminis læſæ maieſtatis eſſe velimus, ſignum honoris ſummi alteri quàm ſummo Principi deferentes. vt etiam contra Anaxarchum diſputat Calliſthenes apud Arrianum *lib.* 4. *de rebus geſtis Alexandri.* Minuitur enim & eius diuini principatus, & noſtræ erga illum ſeruitutis ac ſubiectionis opinio, atque exiſtimatio, ſi diuinus cultus alteri communicetur. Hoc enim ipſo definit huiuſmodi cultus religionis eſſe proprius, ac peculiaris Dei latria. Quare cùm D.Auguſtinus *lib.*20.*contra Fauſtum. c.*21. *vt etiam lib.*8. *de Ciu. c.vltimo, & lib.*22. *c.*10. dixiſſet nos quidem Martyres colere eo dilectionis & ſocietatis cultu, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, ſubdit: *At vero illo cultu, quæ Græcè latria dicitur, Latinè vno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam propriè diuinitati debita ſeruitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi vnum Deum: cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio ſacrificij, vnde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuipiam Martyri, vel cuipiam ſanctæ animæ, vel cuipiam Angelo.* & *ep.*49. *q.*3. *Neque* (inquit) *illinc excuſant impij ſua ſacrilega ſacra, & ſimulacra, quod eleganter interpretantur quid quæque ſignificent. Omnis quippe illa interpretatio ad creaturam refertur, non ad Creatorem, cui vni debetur ſeruitus religionis illa, quæ vno nomine latria Græcè appellatur.* Et S.Martialis vnus è ſeptuaginta duobus diſcipulis Domini *epiſtola ad Burdigalenſes. c.*3. *Sacrificium* (ait) *Deo creatori offertur in ara, non homini, neque Angelo.* Et quidem homines iuſtos oblata ſacrificia ſummè auerſatos docet D.Lucas cùm *Act.*14. de Paulo & Barnaba diſſerit: *Quod vbi audierunt Apoſtoli, &c.* vt etiam ſanctos Angelos feciſſe, Deóque ſoli deberi ſacrificia oſtendiſſe, teſtatur diuus Ioannes *Apoc.*19. *&* 22. Neque vmquam ſanè dæmon impia ſuperbia ab hominibus ſacrificia expetiiſſet, niſi ea Dei, quem æmulatur, propria eſſe cognouiſſet. Audiamus hac de re eumdem S.Auguſtinum *in citata epiſtola. Hoc ſane* (inquit) *nec in iſta breuitate prætereundum eſt, quod templum ſacerdotium, ſacrificium, & alia quæcumque ad hæc pertinentia, niſi vni vero Deo deberi noſſent, dij falſi, hoc eſt, dæmones, qui ſunt præuaricatores Angeli, numquam hæc ſibi à cultoribus ſuis, quos decipiunt, expetiiſſent.* & *lib.*4.*de Trin.c.*13. *Non intelligunt ne ipſos quidem ſuperbiſſimos ſpiritus, honoribus ſacrificiorum gaudere potuiſſe, niſi vni vero Deo, pro quo coli volunt, verum ſacrificium deberetur.* & *lib.*10.*de Ciuit. c.*19. *Sed nec ob aliud fallaces illi* (dæmones) *ſuperbè ſibi hoc exigunt, niſi quia Deo vero deberi ſciunt:* non enim re vera, vt ait Porphyrius, & nonnulli putant, cadauerinis nidoribus, ſed diuinis honoribus gaudent. Copiam verò nidorum magnam habent vndique, & ſi amplius vellent, ſibi ipſi poterant exhibere. Qui ergo diuinitatem ſibi arrogant ſpiritus, non cuiuſlibet corporis fumo, ſed ſupplicantis animo delectantur, cui dece-

*Diſput. contra Porph. Iamblicus lib. de myſt. Ægyp. c.*31.

pto

pro ſubiectóque dominentur, intercludentes iter ad verum Deum, ne ſit homo illius ſacrificium, dum ſacrificatur cuipiam, præter illum.

Porrò hæc haud ob indigentiam expetuntur à Deo, quippe cùm ſibi ipſi ſuf- 2.
ficientiſſimus cæterorum omnium ſit expers cupiditatis; vnde ipſemet *Pſal.49. Non accipiam* (inquit) *de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos; quoniam mea ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus, & boues,&c.* & *Iſaiæ c.1. Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? plenus ſum; holocauſta, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* & *c.43. Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me: non te ſeruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure, &c.* & *Ieremiæ 7. Holocautomata veſtra addite victimis veſtris, & comedite carnes: quia non ſum locutus cum Patribus veſtris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum, & victimarum.* Sed tantùm vtilitatis noſtræ gratia: vnde præclarè Philo *lib. de ſacerdotum honoribus*, agens de iis, quæ Deo offeruntur, ait: *Offerentium vtilitati proſpicitur; cùm enim aſſueſcunt ſemper alimenti partem Deo decidere, numquam in eius obliuionem veniunt; quare nihil in vita poteſt contingere felicius homini.* & Irenæus *lib.4. aduer. hær. c.22. Quoniam autem non indigens Deus ſeruitute eorum, ſed propter ipſos quaſdam obſeruantias in lege præcepit, pleniſſimè Prophetæ indicant.* & rurſus: *Quoniam non indiget Deus oblatione hominum, ſed propter ipſum, qui offerat, hominem, manifeſtè Dominus docuit, quemadmodum oſtendimus.* Auguſtinus etiam *epiſtola 49. quæſt. 3. Non quod illo*
Pſal.15. (nempe ſacrificio) *egeat Deus, cùm in iiſdem ipſis litteris apertiſſimè ſit ſcriptum:* Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges, *ſed quòd etiam in his, vel acceptandis, vel reprobandis, vel præcipiendis nō niſi hominibus conſulat. nobis enim prodeſt colere Deum, non ipſi Deo; cùm ergo inſpirat, & docet, quomodo homini colendus ſit, non ſolùm ſit a nulla indigentia facit, ſed noſtra maxima vtilitate.* Videndus hac eadem de re Lactantius Firmian. *in epitome diuin. inſtit. c.1.* S. Maximus *œconomicorum centuria 3. cap.7.* & S. Thomas *lib.3. contra Gentes. c.120.* Quæ cùm omni ſacrificio pio conueniant, maximè huius ſummi ſunt propria, quo Dominus hoſtia gratiſſima Patri pro nobis factus, eximiam charitatem in nos ſuam declarauit; prædictum enim de illo fuerat, teſte Irenæo *lib.4.c.32.* Tertulliano *lib.3. contra Marcionem*, Cypriano *lib.1. contra Iudæos. c.16.* & aliis, *Malachiæ c.1.* ab ipſomet Deo: *Ab ortu enim Solis, vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus; & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* de qua prophetia diſſeruimus pluribus *lib.1.c.3.* Offertur igitur Deo diuinum hoc & incruentum ſacrificium, cùm totus ſacer Canon, totáque Liturgia ad ipſum dirigatur, tamquam proprius eius cultus, atque latria; & noſtra tantùm, non item Dei vtilitate, quòd non tantùm eucharisticum, ſed etiam propitiatorium & impetratorium ſit, ex ſuperiùs *lib.1.* diſputatis. Quare Irenæus *loco citato. Sed & ſuis* (ait) *diſcipulis dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed vt ipſi, nec infructuoſi, nec ingrati ſint, eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc eſt corpus meum, & calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundùm nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo.* & *cap.34. Igitur Eccleſiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in vniuerſo mundo, purum ſacrificium reputatum eſt apud Deum, & acceptum eſt ei, non quod indigeat a nobis ſacrificium, ſed quoniam is qui offert, glorificatur ipſe in eo quod offert, ſi acceptetur munus eius.*

At verò cum ſacrificium Deo offerri dicimus, non ſolùm ſacrificium in 3.

Deum referri volumus, eo modo, quo v.g. ſcriptionem, aut concionem ſimileſque actiones in Deum referimus, quod dicit ſolùm rationem finis, ſed etiam ita Deo offerri, vt dicat etiam rationem obiecti, ſeu perſonæ, cui ſacrificium, tamquam donum exhibetur; idque non tantùm mediatè, vt rectè notatum eſt à D.Thoma 2.2. *q.85. art.3.* ſicut v.g. fit, cùm Deo in eius miniſtris ſoluuntur decimæ, ſed immediatè, proximè, & directè ipſimet Deo, in eius diuini principatus ac ſubiectionis noſtræ recognitionem, vt ex locis citatis D. Auguſtini *num.*1. facile colligere licet.

4. Non eſt autem putandum Patri tantùm, & Spiritui ſancto ſacrificium offerri, ſed etiam ipſi filio, vt rectè docuit S.Marcellinus martyr *epiſtola ad Salomonem*, qui cùm dixiſſet quoſdam errore deceptos aſſerere, ideo Patrem maiorem eſſe filio, quòd illi ſoli offerretur ſacrificium, ſubdit: *Quibus competens & congruum reddatur reſponſum, quia ſicut Patri ita etiam filio non ſolum Chriſtianis temporibus, verumetiam temporibus priſcis à ſacerdotibus variis multiſque modis probamus, ſacrificium oblatum fuiſſe.* quod deinde confirmat *ex Danielis c.3.* vbi de eo, qui cum tribus pueris erat in fornace, ſimilis filio Dei, dicitur: *Et ſicut holocauſtomata arietum & taurorum agnorúmque pinguium, ita fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo*, & ex *Pſalmo* 71. vbi de filio dicitur: *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei*; vt adimpletum eſt *Matth.c.2.* Vnde tandem concludit: *Sacrificium igitur, quod à Chriſtianis ſacris altaribus admouetur, non ſolùm Deo Patri, ſed etiam filio communi deuotione offertur: quoniam nec Patri ſine filio poteſt offerri, nec filio ſine Patre ſacrari.* S. etiam Fulgentius *lib. 2. ad Monimum*, rem exactè pertractans, cùm dixiſſet impiè facere, qui vnigenitum Dei filium Deum verum nec cum Patre glorificare conſentiunt, nec vno eodémque ſacrificio pariter honorari permittunt, id probat, tum ſacrificio Abrahami & Iacobi, qui non tantùm Patri, ſed etiam filio ſacrificium obtulerunt. *Quorum* (inquit) *amicorum Dei ſacrificio prorſus Eccleſiæ Catholicæ concordat oblatio, quæ ſic ſacrificat Patri, vt ſimul omni ſacrificet Trinitati*, tum ex prophetia Sophoniæ *c.3.* vbi ille ipſe, qui ſe expectandum in die reſurrectionis ſuæ præcipit, idem ſibi hoſtias ab omnibus Gentibus offerendas, dicit: *Vt cognoſceremus ſacrificium illud eſſe acceptabile Deo, quod communiter Patri, & filio, ſupplex offert, puráque fidelium deuotio.* tandem ſic concludit: *Si qui verò Catholici fideles huius ſacramenti nunc vſque videbantur ignari, deinceps ſcire debent omne cuiuſlibet honorificentiæ, & ſacrificij ſalutaris obſequium, & Patri & Filio & Spiritui ſancto, hoc eſt, ſanctæ Trinitati, ab Eccleſia Catholica pariter exhiberi, in cuius vtique vno nomine manifeſtum eſt ſanctum quoque Baptiſmum celebrari. Neque enim præiudicium filio, vel ſancto Spiritui comparatur, dum ad Patris perſonam precatio ab offerente dirigitur, cuius conſummatio dum filij, & Spiritus ſancti complectitur nomen, oſtendit nullum eſſe in Trinitate diſcrimen. Quia dum ad ſolius Patris perſonam honoris ſermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur; & cùm ad Patrem litantis deſtinatur intentio, ſacrificij munus omni Trinitati vno eodémque offertur litantis officio.* Hoc idem euidenter ratio demonſtrat: tum quia quorum vna eſt ſubſtantia, & vna ratio principij ad extra, & vnus finis, iiſdem omnibus exhiberi debet vna adoratio latriæ, & ſacrificium: tum quia ratione vnius ſupremæ naturæ, & voluntatis omnes tres ſunt vnus legiſlator, cuius præceptum tranſgreditur peccator, vnus finis à quo idem auertitur, vnus Dominus; qui primariò offenditur, conſequenter autem tres perſonæ, vt ſunt vnus Deus; quare etiam eadem omnium debet eſſe adoratio, latriæ cultus, ſacrificium, & ſatisfactio. Ideo Chriſtus dicitur 1. *ad Timoth.* 2. mediator Dei &

hominum, & non tantùm Patris, & Spiritus ſancti, & hominum. Quare diuus Auguſtinus *in Præfatione enarrationis ſecundæ in Pſal.* 29. *Quid eſt* (inquit) *mediatorem eſſe inter Deum & homines? non inter Patrem, & homines, ſed inter Deum, & homines? Quid eſt Deus? Pater & Filius & Spiritus ſanctus, inter illam Trinitatem & hominum infirmitatem, Mediator factus eſt homo.* Qui etiam *lib.* 10. *de Ciuit. c.* 20. ait: *Vnde verus ille Mediator in quantum formam ſerui accipiens, Mediator effectus eſt Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, cum in forma Dei ſacrificium cum Patre ſumat, maluit eſſe quàm ſumere.* & Cyrillus Alexandrinus *in defenſione* 10. *Anathematiſmi. Non vt maiori* (inquit) *offerat ſacrificium, ſed ſibi ipſi & Patri.* Concludamus igitur, neceſſariò communi deuotione Patri & Filio & Spiritui ſancto eſſe ſacrificandum.

Pro quibus ritè Miſſæ ſacrificium poſſit offerri. CAP. II.

SVMMARIVM.

1. *Diuinum Miſſæ ſacrificium, non tantùm ſumentibus, vt blaterant Nouatores, ſed aliis etiam, pro quibus offertur, prodeſſe.*
2. *Ideòque rectè atque etiam vtiliter, offerri pro viuentibus iuſtis, eorùmque neceſſitatibus.*
3. *Pariterque pro viuentibus peccatoribus non excommunicatis.*
4. *Pro excommunicatis enim publicè, id facere eccleſiaſtico præcepto prohibemur, ſecus ex probabiliori ſententia, ſi ſolùm in Memento oretur, priuato nomine.*
   Quid de excommunicato qui iam per veram contritionem Deo reconciliatus eſt, nec eſt amplius in mora petendæ abſolutionis.
5. *Pro Catechumenis etiam vtiliter ſacrificari.*
6. *Vt etiam pro Turcis, Paganis, aliiſque infidelibus non excommunicatis.*
7. *Quoad defunctos verò non eſſe ſacrificandum pro beatis, etſi piè rectéque inter ſacrificium offerendum, & nominentur & inuocentur.*
8. *Nec pro damnatis ſempiternis ignibus inferni.*
9. *Sed rectè pro animabus, quæ Purgatorij igne purgantur.*
10. *Et quidem vt ſuffragia & ſacrificia communia pro illis oblata, omnibus proſunt, ita particularia iis, quibus deſtinantur.*
11. *Porrò huiuſmodi ſacrificiorum ſatisfactionem pro animabus Purgatorij, certè & infallibiliter à Deo acceptari, probabilius videtur.*
12. *Inſinuatur denique quàm graues ſint pœnæ, quas in Purgatorio animæ patiuntur.*

MAlè omnino Lutherus *lib. de capt. Babyl.* & Kemnitius *in* 2. *par. Exam. Concilij Trid.* arbitrati ſunt, hoc diuinum ſacrificium illis tantùm prodeſſe, qui ſumerent, quòd alia ſacramenta, vt v. g. Baptiſmus vnius, non proſint alteri: oportuiſſet enim animaduertere rectè definitum à D. Thoma 3. *p. q.* 79. *art.* 7. cum cæteris Scholaſticis, Euchariſtiam non tantùm eſſe ſacramentum, quod ad ſuſcipientem ſanctificandum ordinatur, quo ſenſu dictum eſt in ſacro Miſſæ Canone: *Vt quotquot ex hac altaris participatione ſumſerimus, omni benedictione cœleſti, & gratia repleamur*; ſed etiam ſacrificium, quod non ſolùm ipſis offerentibus prodeſt, ex doctrina D. Pauli *ad Hebr.* 7. *Neceſſitatem habet quotidie prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, &c.* & antea *c.* 5. *Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis:* quippe qui & ipſe ſacerdos infirmitate circumdatus propitiatione & impetratione egeat; verumetiam iis pro quibus offertur, pro 1.

quibus

quibus ſatisfacere & impetrare poteſt. ex Concilio Trid. *ſeſſ.2. can.* 3. & Colonienſi *p.7.c.27.* Propter quod additum eſt in Canone Miſſæ: *Memento Domine famulorum, famularúmque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe, ſuíſque omnibus, &c.* (nam etiam coofferentes, nedum ſacerdos pro ſe,& aliis offerre ſuo modo poſſunt.) & *Lucæ 22. Marc.14. Matth.26.* ſcriptum eſt, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur, &c.* ídque omnibus ſacrificiis commune fuit; cùm id non tantùm accidat in lege gratiæ, ſed etiam in ſcripta, *ex Leuitico c.4.5.& 6. lib.2. Machab.c.3. lib.2. Eſdræ 6.* atque etiam lege naturæ, *ex Iob c.1.& 42.* quòd ea de cauſa eligatur, & conſtituatur ſacerdos, vt locis citatis docet S. Paulus, vt Deo offerat dona, & ſacrificia, pro ſuis & populi peccatis. Quare D. Iacobus *in Liturgia: Offerimus* (inquit) *tibi incruentum ſacrificium pro peccatis noſtris, & ignorantiis populi.* & Baſilius ac Chryſoſtomus pariter *in Liturgiis, Et offeramus ſacrificium hoc reuerendum ad abolenda delicta noſtra, & pro piaculo populi tui.* Verùm quia & viuentium & defunctorum plura ſunt perſonarum genera, videamus nun pro omnibus, an verò ſolùm pro aliquibus rectè ſacrificium poſſit offerri.

2. Et quidem pro fidelibus viuentibus iuſtis, eorúmque neceſſitatibus rectè & vtiliter offertur; tum quia ſunt præcipua membra Eccleſiæ militantis, pro qua vniuerſa peculiariter offertur ab eius miniſtro, ſacerdote videlicet, ideóque vt in homine præcipua membra, cor, caput, pectus, maximè de alimento ab ore ſumto & concocto à ſtomacho participant, ſic de hoc diuino ſacrificio maximè decet vt participent iuſti: tum quia propter gratiam ſunt maximè diſpoſiti, quare ſicut partes Lunę quæ magis diſpoſitæ ſunt,maius Solis lumen recipiunt, magíſque fulgent, cæteráque ſubiecta, quo magis diſpoſita ſunt, intenſiores agentis ſuſcipiunt qualitates, ita in caſu propoſito, iuſti de ſacrificio maximè participabunt: tum quia non debent amici Dei eo beneficio priuari, quo fruuntur etiam eius inimici: tum quia & ipſi valde egent auxilio diuino, ac viribus ſpiritualibus contra dæmonis tentationes, & ſæpe obnoxij ſunt temporalibus pœnis pro anteactæ vitæ peccatis,premuntúrque cæteris neceſſitatibus, in quibus muniuntur & leuantur oblatione tanti ſacrificij. Quare etiam pro infantibus baptizatis rectè offerri poteſt, cùm etiam hi capaces ſint fructus ſacrificij quantum ad impetrationem, etſi incapaces quoad propitiationem & ſatisfactionem beneficio Baptiſmi, ideóque pro iiſdem defunctis Miſſa fit tantùm exultationis. qua de re Alenſis *4.p.q.42. art. vltimo.* S. Thomas *4.d.45.q.2. art.2.* Palud. *ibidem.q.1.art.2.* Gabriel *lect.57.* Nauar. *de orat. not.19. & 22.* & Miſſell. *n.5. in nouis cap.53.*

3. Prodeſt etiam oblatum, fidelibus peccatoribus non excommunicatis, tum quia & ipſi ſunt Eccleſiæ, pro qua vniuerſaliter offertur, membra; tum quia in ſacro Canone dicitur offerri pro omnibus orthodoxis,atque Eccleſiæ catholicæ & Apoſtolicæ cultoribus: tum quia etiam pro malis oblatum eſt ſacrificium cruentum crucis: tum quia *ad Hebr. c.5.* dicitur ſacerdos, offerre pro peccatis ſuis, & populi, & *c.10. Vbi autem horum* (peccatorum) *remiſſio, iam non eſt oblatio pro peccato.* Idémque innuebant legis veteris ſacrificia pro peccato,quæ huius noſtri figura fuerunt, vt S. Fulgentius *lib.2. ad Monimum*, Cyprianus, Auguſtinus, & alij Patres tradiderunt. eodémque ſpecialibus auxiliis iuuantur ad conuerſionem, vt doleant de peccatis, velint accedere ad ſacramentum pœnitentiæ, vt per illud iuſtificentur, vt docet S. Thomas *4.d.12.q.2. art.2.q.2.* & Concilium Trid. *ſeſſ.22.c.2. Vincant tentationes irruentes, conſeruentur in fide, & ſpe,*

liberentur à peſte & improuiſo interitu, viténtque noua peccata; cùm vnum aliud ſecum trahere ſoleat. Quam ob cauſam Origen. *Hom. 23. in Numer. Qui ſemel* (ait) *intra ſe licèt paruum poſuerit fermentum* (peccati) *quotidie ſemetipſo nequior efficitur, atque deterior.* & Baſil. in illud *Iſaiæ 5. Væ qui attrahitis peccata, quaſi funiculo longo. Sicut* (inquit) *qui funes nectunt, aut iunceas ſtoreas, vt quod ſupereſt ex fune cœpto contorqueri, conſumatur, alterum ei attexunt, & interſerunt, quo funis longior euadat; ſic qui in profundo malorum feſtinant, priuſquam priori peccato ſit impoſitus finis, ſecundum adoriuntur.* Idémque Auguſtinus docet his verbis, *in Pſal. 130. Quomodo vt reſtis fiat longa additur ſpartum ſparto, id autem non rectum it, ſed torquetur; ſic addendo peccatum peccato, peccatum ad peccatum annectitur, & fit reſtis longa, qua ligentur manus, & pedes peccatoris, & proiiciatur in profundum; funiculis enim peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.* lib. 4. Eſdræ. c. 16.

Pro excommunicatis autem maiori excommunicatione, ſiue adhuc fidem retineant, ſiue amiſerint, quales ſunt Hæretici, & Apoſtatæ, quicquid olim fieret, iam publicè ſacrificium offerre non licet; quòd id fieri prohibuerit Eccleſia. *cap. à nobis. 2. & cap. ſacris. de ſententia excommunicationis.* cùm ſit vnus ex præcipuis effectibus excommunicationis, & ex S. Thoma *4. d. 18. q. 2. art. 1.* Soto *4. d. 22. q. 1. art. 1.* Couar. *cap. Alma mater. p. 1. §. 6.* Nauar. *de orat. not. 13. 14. 20. & in Manuali c. 27. num. 18.* Bellarmino *lib. 2. de Miſſa c. 6.* Suarez *diſp. 78. ſect. 2.* & communi ſententia. An verò priuatim id facere, peccatum ſit mortale nec ne, diſſentiunt autores. Negat Ledeſma 2. 4. *q. 23. art. 1.* Affirmant cæteri, quòd Eccleſiæ præceptum, ne pro ipſis ſacrificium offeratur, ſit de re graui, ideóque eius violatio culpam mortalem includat. Quærenti autem an poſſit ſacerdos in Memento abſque peccato meminiſſe etiam excommunicati, dicimus ſenſiſſe Ledeſmam & Sotum *locis citatis* non poſſe, quòd tota huiuſmodi viuentium commemoratio fiat Eccleſiæ nomine, quæ prohibuit, ne fiat. ſed oppoſitum probabilius docuiſſe Angelum, *v. Miſſa, num. 51.* Sylueſtrum *Miſſa 1. num. 8. & excommunicatio 1. num. 2.* Armillam *excommun. 1. num. 9.* Tabienam *excomm. 1. num. 5.* Nauar. *de orat. c. 19. num. 71.* Couar. *cap. Alma mater, p. p. §. 6. n. 4.* Maiolum *lib. 3. de irregul. c. 25.* Palacium 4. *d. 18. q. 3.* Suarez *diſp. 78. ſect. 2.* Azor *lib. 1. c. 22.* Bellarminum *lib. 2. de Miſſa. c. 6.* quòd numquam Eccleſia id prohibuerit, cùm precatio hæc fiat priuato nomine; immo poſſe etiam indirectè, dummodo ad Miſſam nihil addatur, per intentionem ſacerdotis pro conuerſione Hæreticorum ſacrificium offerre, directè tamen offerendo pro augmento Eccleſiæ, quæ inter Hæreticos verſatur, cùm augeri & pacificari in locis illis Eccleſia non poſſit, niſi conuertantur Hæretici, vt notauit Bellarminus, & Suarez. & in Miſſali habetur Miſſa pro extirpatione ſchiſmatis. ſed numquid excommunicatus qui iam Deo per veram cordis contritionem reconciliatus eſt, nec amplius contumaciter manet in mora petendæ abſolutionis, etſi nondum ſit abſolutus, capax ſit, & particeps communium Eccleſiæ bonorum? Negat Sotus *loco citato,* & fauet *cap. à nobis. 2. de ſent. excom.* vbi dicitur excommunicatum, quamuis per pœnitentiam de ſuo peccato dolentem, nondum tamen ab excommunicatione abſolutum, a conſortio & conuictu piorum remotum eſſe. Affirmant autem Richardus 4. *d. 18. art. 2. q. 2.* Ledeſma 23. *q. art. 1.* S. Antoninus *3. p. tit. 15. c...* Nauar. *de orat. c. 19. num. 68. & in Manuali c. 27. num. 18. & 36.* Couar. *cap. Alma mater. p. p. §. 6. num. 4. concl. 9.* Turrecremata *can. ſi quis Epiſcopus* 11. *q. 3.* ex præſumta Eccleſiæ intentione; cùm re ipſa iam ſit obediens Eccleſiæ filius, & per charitatem viuum Chriſti membrum. nec obſtare *cap. à nobis.* quòd ibi tantùm dicatur, per 4.

pœni

pœnitentiam nondum eſſe abſolutum, ſed abſoluendum eſſe ab Eccleſia. non dicitur autem an tunc ſit mens Eccleſiæ eum communibus ſuffragiis priuare. Immo pro huiuſmodi reſipiſcente excommunicato ſecretò offerri poſſe priuatim, ſine nominatione ob præſumtam Eccleſiæ mentem, tenent Couarruuias, & Nauarrus, quamuis Ledeſma neget. Quàm verò timenda ſit excommunicatio, docet S. Auguſtinus 11.*q.*3.*can.nihil.& can.omnis Chriſtianus*.& re ipſa expertus eſt, vt refert Petrus Damiani *lib.*2. *epiſt.* 15. Othò Imperator, qui cùm Adelaidem Italiæ reginam & commatrem ſibi deſpondiſſet, atque ob id à filio Epiſcopo Moguntino excommunicatus eſſet niſi reſipiſceret, contumax, cùm filium conieciſſet in carcerem, vbi aureis litteris Pſalterium deſcripſit; iterúmque denunciante filio in Quadrageſima niſi pœniteret, & ſatisfaceret in die Pentecoſtes, Deo rationem redditurum; dicto die, dum ſacris intereſſet, ex improuiſo expirauit. Miro etiam facto, vim excommunicationis latæ à Patribus in Hæreticos in Concilio Conſtantinopolitano ſexto, tempore Agathonis Papæ, nempe anno 680. confirmauit Deus aranearum telis eorum fallacias comparans; ſtatim enim ac in eos excommunicatio lata eſt, araneæ omnes cum ſuis telis ex fornice in medium deciderunt, vt teſtis eſt Paulus Diaconus, ſeu mauis Theophanes *lib.*18. & Sigonius *de Imp.occid.* Scribit quoque Petrus Damiani *lib.*1.*epiſt.*10. excommunicati hominis nuptiales panes, ne canes quidem dignatos comedere, vel attingere; eumdémque in cubiculo dormientem repente fulgure extinctum. Et D. Gregorius *lib.*2.*dial.c.*23. moniales quaſdam excommunicatas, non potuiſſe poſt mortem permanere in templo, ſed viſas foras exire.

5. Vtiliter etiam pro catechumenis offerri ſacrificium Miſſæ poteſt; vt conſtat ex Apoſtolorum inſtitutione apud Clementem *lib.*8.*conſtit.c.*18.& ex Chryſoſtomo *Hom. de Adam & Eua.* Auguſtino *epiſt.*109. *& lib. de dog. eccl.c.*30.& ex Ordine Romano, vbi deſcribitur tertium ſcrutinium catechumenorum, quod fiebat feria quarta, poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ. quo loco inſtituitur Miſſa propria pro catechumenis: & quia Eccleſia in canone Miſſæ, orat & offert pro omnibus fidelibus, in quorum numero catechumeni; cùm iam ſubſtantialiter ſint per fidem Eccleſiæ vniti, etſi nondum per actualem Baptiſmum characterem conſecuti; & ſæpe etiam per contritionem iuſti, & viua membra Chriſti. Prodeſt autem ex communi ſententia quoad impetrationem bonorum ſpiritualium, &c. neque enim Eccleſia pro eis oraret, & ſupplicaret, niſi eis poſſit impetrare. An verò ſi defuncti ſalui ſint, Miſſa pro eis oblata, ex opere operato ſatisfaciat, diſſident autores: nam Azor *lib.* 10. *c.*22. Suarez *diſp.*75. *ſect.*2. *&* 10. cum aliis, negant; tum quia improbabile videtur voluiſſe Chriſtum Dominum ad plures extendere fructum ſacrificij, quàm ſacramentorum; vnde cùm non fuerint participes Baptiſmi, nec eſſe poſſe ſacrificij: tum quia catechumeni non permittebantur aſſiſtere ſacrificio: tum quia Chryſoſtomus *Hom.*3. *in epiſt. ad Philip.* dicit hoc ſacrificium non poſſe offerri pro catechumeno defuncto. At verò Bellarminus *lib.*2.*de Miſſa.c.*6. Henriquez *lib.* 9. *c.* 15. cum aliis rectiùs diſtinguunt: catechumeni enim, alij ſunt tantùm audientes, qui ſcilicet audiunt Catechiſmum, ſed nondum petunt Baptiſmum; alij ſunt etiam competentes, qui ſcilicet iam Baptiſmum petunt, qua de re Turrianus *lib.* 2. *conſtit. Clem.c.*20. & Bellarminus *lib. de Baptiſmo. c.*25. & quidem primis illis defunctis non prodeſſe, iſtis autem poſterioribus, ſi caſu abſque Baptiſmo decedant, Miſſas pro eis oblatas, ex opere operato prodeſſe, cùm fidem habuerint, nec per eos ſteterit quin inſignirentur Baptiſmatis cha-

ractere, & ſint viua Chriſti membra. in qua ſanè ſententia eſt ipſe Ambroſius perſpicuè, cùm in oratione de obitu Valentiniani Imperatoris nondum baptizati, ſed qui miſerat ad accerſendum Ambroſium à quo baptizaretur, etſi interim occiſus fuerit, ait: *Nec nos quidem dubitemus de meritis Valentiniani, ſed iam credamus, vel teſtimoniis Angelorum quòd deterſa labe peccati ablutus aſcendit, quem ſua fides lauit, & petitio conſecrauit; credamus quia aſcendit à deſerto, hoc eſt, ex hoc arido & inculto loco, ad illas floridentas delectationes, vbi cum fratre coniunctus æterna vitæ fruitur voluptate. Beati ambo, ſi quid meæ orationes valebunt: nulla dies vos ſilentio præſcribit, nulla inhonoratos vos mea tranſibit oratio, nulla nox non donatos aliqua precum mearum connexione tranſcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo.* Hactenus Ambroſius. Quare D. Chryſoſtomus *de audientibus tantum catechumenis*, qui ex negligentia, & indeliberatione non petierunt baptizari, manifeſtè loquitur, eóſque deflet, quòd damnati ſint, & non de competentibus, qui poſſunt eſſe iuſti, & ſalui. quibus & opitulari poſſe indulgentias, per modum ſuffragij, ſentit Nauarrus *tract. de indulgentiis, not.* 18. *num.* 10. *&* 18. *& not.* 30. *num.* 13. *& not.* 31. *n.* 47. *ad finem*, & Manuel *in explicatione Bullæ cruciatæ.* §. 14. *num.* 6. ideo nullo modo eſt improbabile illis fructum ſacrificij oblati prodeſſe, cùm voto Baptiſmum ſuſceperint, nec ſteterit per eos quin re ipſa ſuſciperent.

Offerre quoque licet pro Turcis, Paganis, & aliis infidelibus non excommunicatis, vt conuertantur, ex Ledeſma 2. 4. *quæſt.* 23. *art.* 1. Nauarro *de orat. c.* 19. *num.* 72. 73. Sebaſtiano Perez *de Euch. c.* 23. Alano *lib.* 2. *c.* 31. Suarez *diſp.* 78. *sect.* 2. Bellarmino *lib.* 2. *de Miſſa. c.* 6. Henriquez *lib.* 9. *c.* 15. quicquid in contrarium docuerit Sotus *lib.* 9. *de iuſtit. q.* 2. *art.* 2. & Azor *lib.* 10. *c.* 22. tum quia, vt argumentatur S. Auguſtinus *epiſt.* 59. ſuadens offerre pro omnibus ſacrificium Crucis, pro omnibus oblatum eſt; ergo cùm Miſſa ſit illius commemoratio, pro omnibus etiam offerri poteſt. tum quia primis Eccleſiæ temporibus pro Regibus, & Principibus, qui tunc erant infideles, ſacrificabatur, ex Apoſtolorum traditione, vt patet ex Clemente *lib.* 8. *conſtit. c.* 18. Iuſtino *Apol.* 2. *pro Chriſtianis.* Tertulliano *lib. ad Scapulam, & in Apol. adu. Gentes. c.* 32. 39. Cœleſtino *epiſtola* 1. *c.* 11. Chryſoſtomo *Hom. de Adam & Eua. & Hom.* 6. *in* 1. *ad Timoth. c.* 2. & ibidem cæteri exponentes illa D. Pauli verba: *Obſecro igitur primum omnium, fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui ſunt in ſublimitate.* quod etiam de oblatione Miſſæ exponit S. Auguſtinus *epiſt.* 59. tum quia *lib.* 1. *Eſdræ c.* 6. legimus ſacrificatum pro vita regis Darij, & filiorum. & *lib.* 1. *Machab. c.* 12. pro Spartiatis. & *lib.* 2. *c.* 3. pro ſalute Heliodori. nec his repugnat quod ait Auguſtinus *lib.* 1. *de orig. animæ. c.* 9. *Quis offerat ſacrificium corporis Chriſti, niſi pro iis qui ſunt membra Chriſti?* quia re vera loquitur tantùm de defunctis, qui aut ſunt membra Chriſti, aut nullo modo eis ſacrificium prodeſt: vel ſi velimus eum loqui de viuis, reſpondendum eſt, cum D. Thoma 4. *d.* 12. *q.* 2. *art.* 2. *quæſtiuncula* 2. intelligi de membris Chriſti actu, vel potentia; cuiuſmodi ſunt etiam infideles dum viuunt, pro quibus oratur, vt per conuerſionem fiant membra actu. 6.

Sed iam de mortuis dicamus. Quorum primi occurrunt Beati, de quibus certum eſt, etſi rectè in Miſſa nominentur, & inuocentur, & ipſi quoque lætentur, ex S. Thom. *opuſc.* 58. *c.* 25. quòd non ab ipſis tantùm, ſed etiam à nobis Deo, cui ſoli ſacrificium offertur, de eorum victoriis agantur gratiæ, idque ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine, vt conſtat ex Liturgiis Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi, & ex Cyrillo *catech.* 5. *myſtag.* Epiphano *hæreſi* 75. Auguſt. *tract.* 84. *in Io.* 7.

in Io. lib. 8. *de Ciu, c.*27. *lib.* 22. *c.*10. *lib.* 20. *contra Fauſtum c.* 21. & Concilio Tridentino *ſeſſ.*22. *c.*3. qua de re dicemus *lib.*4. *c.*9. non tamen pro illis offerri, nec prodeſſe eis poſſe, vel ad delictorum expiationem, aut remiſſionem pœnarum, quæ illi feliciſſimo ſtatui repugnant; vel gratiæ & eſſentialis felicitatis augmentum, cùm non ſint ampliùs in via. vnde S. Auguſtinus *tract.* 84. *in Io. & ſer.*17. *de verbis Apoſtoli,* dicit, in ſacrificio memoriam quidem fieri eorum, ſed non orari pro ipſis. Et Innocentius III. *cap. cùm Marthæ. de celebr. Miſſæ.* Sanctos non indigere orationibus noſtris, quia cùm ſint perfecte beati, omnia illis ſuccedunt ad vota, éſtque communis Theologorum ſententia, vt Bellar. *lib.* 2. *de Miſſa.c.*8. Suarez *d.*78. *ſect.*3. Azor *lib.*10. *c.*22. & cæterorum.

8. Similiter non poteſt ſacrificium offerri pro damnatis æternis ignibus inferni, nec eis vtile eſſe, cùm eorum culpæ, & pœnæ ſint irremiſſibiles: vt expreſsè docet D. Auguſtinus *in Enchir. c.*109. 110. Cyprianus *lib.*1. *epiſt.*9. Gregorius *lib.* 34. *mor. c.*12. 13. *alias* 16. *& lib.* 4. *dial. c.*58. Damaſcenus *lib.*2. *de fid. c.* 4. Bernardus *ſerm.* 8. *in Pſal. Qui habitat.* Alenſis S. Thom. Bonau. Rich. 4. *d.*45. Abulenſis *lib.*4. *Reg. c.*4. *q.*57. Nauarrus *de orat. not.* 19. *num.*63. *& not.* 22. *num.*46. quicquid de pœnarum eorum alleuiatione per ſacrificia, & preces commenti ſint Gloſſa *in can. tempus* 13. *q.*2. Præpoſitiuus *in compendio Theologiæ*, Linconienſis *in ſumma Theol. in fine.* Altiſiodorenſis *lib.*4. *ad finem.* & Auguſtinus de Ancona *lib. de poteſt. Eccleſiæ.* Aliàs enim adeò multiplicari poſſent huiuſmodi ſuffragia, vt penitus tolleretur pœna; quod eſt contra æternitatem illius ſtatus. Eadem de cauſa prohibetur offerri pro his, qui ſibi ipſis manus conſciſcunt, & in peccato mortali notorio moriuntur, in Concilio Bracarenſi I. *c.*34. *& can. pro obeuntibus.* 13. *q.*2. Sed obiicies *lib.*2. *Machab. c.*12. oblatum eſſe ſacrificium pro mortuis in bello in peccato mortali, quippe qui contra legem, de donariis idolorum accepiſſent, vnde damnati erant. Reſpondemus in pœnam delicti periiſſe, ſed antè doluiſſe de peccato, ob id pro eis exiſtentibus in Purgatorio, non autem in inferno, fuiſſe ſacrificatum. Obiicies iterum D. Auguſtinum *in Enchir. c.*109. 110. dum agit de defunctis dicere, *Quibus autem proſunt ſuffragia, prodeſſe aut quòd plena ſit remiſſio, aut tolerabilior ſit ipſa damnatio*; quòd vltimum videtur dictum de damnatis, ſicut primum de his qui ſunt in Purgatorio. & Innocentium *cap. cùm Marthæ. de celebr. Miſſ.* ex mortuis quoſdam eſſe valde bonos, qui non egent ſuffragiis, quoſdam valde malos, qui non poſſunt iuuari, quoſdam mediocriter bonos, quibus ſuffragia proſunt ad expiationem, quoſdam mediocriter malos, quibus proſunt ad propitiationem. quod videtur conuenire damnatis, non ita malis: Reſpondemus, D. Auguſtinum loqui tantùm de iis, qui ſunt ad ignem Purgatorij, quaſi ad carcerem & exilium damnati, quorum aliqui ſuffragiis plenam liberationem conſequuntur, aliorum verò ſolùm mitigatur pœna. Sicut etiam Innocentius per mediocriter bonos intelligit eos, qui ſolum reatum pœnæ habent, per mediocriter malos, qui etiam culpam venialium habent, vt rectè explicant Sebaſtianus Perez *de Euchar. c.*24. & Bellarm. *lib.*2. *de Purgatorio c.* 18. verumetiam illud difficultatem facit, quòd ſcribat Damaſcenus *ſerm. pro defunctis*, S. Gregorium liberaſſe animam Traiani; ſed multis ſermo ille non videtur Damaſceni, inter quos Canus *lib.*11. *de locis Theolog. c.*2. Sotus *lib.*4. *d.*45. *q.*2. *art.*2. Medina *Cod. de orat.* Bellarm. *lib.*2. *de Purgatorio c.*8. Baronius *in annum* 604. præſertim cùm *lib.*2. *de fid. c.*4. Damaſcenus dicat hominibus id eſſe mortem, quod Angelis fuit caſus. & Gregorius ipſe *lib.*34. *moral. c.*13. docet expreſsè non poſſe orari pro infidelibus

fidelibus defunctis, ſicut nec pro diabolo; cùm in eadem æterna & irreuocabili damnatione ſint. Quòd ſi hiſtoria admittatur, reſpondendum erit cum S. Thom. 4. *d.* 45. *q.* 2. *art.* 2. Durando., & Richardo *ibidem.* Traianum ob præuiſas preces S. Gregorij non fuiſſe à Deo abſolutè & definitiuè damnatum, ſed tantùm ſecundùm eius demerita præſentia ibi punitum, & ob preces S. Gregorij priùs reſuſcitatum, baptizatum fuiſſe, iterúmque mortuum ſaluatum eſſe; quod & aliis contigit, ex eodem D. Thoma *in addit. q.* 71. *art.* 5. *ad* 5. Corduba *lib.* 1. *q.* 51. Ledeſma 2. 4. *q.* 16. *art.* 13. Nauarro *de orat. not.* 22. *num.* 43. Denique cùm Eccleſia in defunctorum Miſſis Deum orat, vt liberet animas de pœnis inferni, de profundo lacu, de ore leonis, ne eas abſorbeat Tartarus, &c. non loquitur de damnatis, ſed de his, qui in igne Purgatorij (qui idem eſt cum igni inferni) cruciantur; vt inde eos eripiat, & educat de profundo illo carcere, ne tartareæ pœnæ illæ diutius miſeros conficiant, ſacrificióque peracto, non relabantur in eaſdem pœnas: verùm S. Michaël, qui fidelium congregationi præeſt, plenè purgatas conſtituat ante diuinum conſpectum in Sanctorum patria: loquitur enim Eccleſia metaphoricè, non tamen ineptè, vt auſi ſunt dicere Ledeſma 2. 4. *q.* 16. *art.* 13. & Medina *tract. de orat. q.* 3. videndus Sotus 4. *d.* 45. *q.* 2. *art.* 2. & Azor *lib.* 10. *c.* 22. vel certè loquitur ſecundùm repræſentationem quamdam, quaſi in eo puncto eorum animæ à corpore recedant, ſicut cùm repræſentans Chriſti Domini aduentum dicit, *Rorate cœli deſuper, &c.* vt ſentit Suarez *diſp.* 83. *ſect.* 1. & Henriquez *lib.* 9. *c.* 16. *n.* 3.

Plurimum verò valet ſacrificium Miſſæ animabus Purgatorij, éſtque inter 9.
Catholicos certum, & de fide, ex Concilio Carth. III. *c.* 29. Carth. IV. *c.* 79. Bracarenſi I. *c.* 34. Cabilon. *de conſecr. d.* 2. *can. viſum.* VVormatienſi *c.* 10. Colonienſi *c.* 28. Tridentino *ſeſſ.* 22. *c.* 2. *& ſeſſ.* 25. *c.* 1. aſſerente etiam eſſe Apoſtolicam traditionem; quod etiam ſcripſit Chryſoſtomus *Hom.* 3. *in epiſtolam ad Philipp. & Hom.* 69. *ad pop. Antioch.* Auguſtinus *ſerm.* 32. *aliàs* 34. *de verbis Apoſtoli.* Iſidorus mox citandus. Rabanus *lib.* 2. *instit. c.* 44. Damaſcenus *orat. pro defunctis.* Beda *lib.* 4. *hist. Angl. c.* 22. & conſtat ex Liturgia D. Iacobi, Clemente *lib.* 8. *c.* 18. Dionyſio *de eccleſ. hier. c. vltimo.* Tertulliano *lib. de corona militis. & lib. de monogamia.* Cypriano *lib.* 1. *epiſt.* 9. Athanaſio *lib. var. qq. q.* 34. Ephrem *in orat. qua teſtamentum illius vocatur.* Nyſſeno *epiſt. ad Olimpiod.* Ambroſio *lib.* 2. *epiſt.* 8. & aliis, à quibus deinde per manus ad nos deuenit. Sed audiamus D. Hieronymum *in c.* 11. *Prouerb.* Notandum autem quòd etſi impiis poſt mortem ſpes veniæ non eſt, ſunt tamen, qui de leuioribus peccatis, cum quibus obligati defuncti ſunt, poſt mortem poſſunt abſolui, vel pœnis videlicet caſtigati, vel ſuorum precibus, & eleemoſynis, Miſſarúmque celebrationibus. cui ſubſcribit etiam Iſidorus *lib.* 1. *offic. c.* 18. verbis illis: *Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerre, vel orare pro eis, quia per totum hunc orbem cuſtoditur, credimus, quòd ab ipſis Apoſtolis traditum ſit. Hoc enim vbique Eccleſia tenet Catholica, quæ niſi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum ſpiritibus, vel eleemoſynam faceret, vel ſacrificium Deo offerret.* Eadem eſt communis ſententia Scholaſticorum omnium *lib.* 4. *ſent. d.* 45. & eorum, qui contra hæreſes ſcripſerunt. Nec ſanè mirum, cùm etiam *lib.* 2. *Machab. c.* 12. Iudas Machabæus iuſſerit pro mortuis ſacrificium offerre. Et ſimile argumentum ad hoc idem probandum ſumit D. Chryſoſtomus *Hom.* 41. *in* 1. *ad Corinth.* ex ſacrificio Iob. *Opitulemur* (inquit) *his fratres, memoriam pro ipſis* (defunctis) *faciamus. nam ſi Iobi illius liberos patris victima purgauit, quid dubitas à nobis quoque ſi pro dormientibus offeramus, ſolatium aliquod*

illis

illis acceſſurum? Gratificari Deus propter alios aliis ſolet. Quod Paulus hic oſtendit, *vt ex multis*, inquit, *perſonis pro dono in nos collato, per multos, gratiæ pro nobis agantur. Ne defatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipſis offerendo, communis totius orbis victima preces ſunt.* & Hugo de S. Vict. *lib. 2. de ſacram. fidei p. 16. c. 7.* cum D. Auguſtino miratur Ethnicos etiam in campis Elyſiis, non tantùm poſuiſſe, qui propriis meritis ſedes illas promeruiſſent, ſed eos etiam, qui promeruiſſent benefactis, vt alij ſui memores eſſent, amicorúmque meritis miſericordiam fuiſſent conſecuti, vt ſcripſit Virg. *lib. 6. Æneid.*

Quique ſui memores alios fecere merendo, &c.

Miſſarum celebratione S. Malachias à ſorore defuncta rogatus, eam liberauit. ex D. Bernardo *in illius vita, cap.* 4. Plures etiam idem conſecutos orationibus, ſacrificiis, & piis operibus, Monachorum Cluniacenſium, monaſterij S. Odilonis, eáque de re conqueſtos dæmones, conſtat ex vita Petri Damiani, apud Surium menſe Ianuario, ſed hac de re erit iterum ſermo *lib. 4. c. 20.*

10. Portò quia ſuffragia, & ſacrificia, quædam ſunt communia, quæ pro omnibus piis defunctis fiunt, vt v.g. quæ fiunt in die commemorationis omnium defunctorum, quædam particularia, vt quæ ab amicis & conſanguineis pro aliquo peculiariter offerri curantur: vt communia proſunt omnibus exiſtentibus in Purgatorio non ſolùm in ratione gaudij, quod commune eſt omni operi bono, cùm de eo omnes boni gaudeant, *Pſal.* 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te*: ſed etiam in ratione ſatisfactionis, cùm nulla ſit ratio, cur excludantur aliqui, eáque ſit communis Theologorum opinio *in 4. ſentent.* nec diſſentit D. Auguſtinus *lib. 21. de Ciu. c. 15. & in Enchir. c. 109. & lib. de cura pro mortuis, c. 1.* dum iis tantùm prodeſſe dicit, qui dum viuerent meruerunt, vt ſibi viuorum ſuffragia proficerent: cùm id ſufficienter meruiſſe cenſeantur, qui Dei gratia ita vixerunt, vt ſine peccato mortali deceſſerint, ex S. Thoma *in addit. q. 71. art. 2. & 3.* Soto 4. *d. 21. q. 2. art. 3. & diſt. 45. q. 1. art. 1. & 3.* Ledeſma 2. 4. *q. 29. art. 1.* Nauar. *de Indulg. not. 22. num. 39. & 46.* Corduba *lib. 5. q. 30.* Bellar. *lib. 2. de Purgatorio, c. 18.* Ita particularia non proſunt æquè omnibus; quicquid aliqui apud S. Thom. 4. *d. 45. q. 2. art.* 4. ſenſerint: ſed illi pro quo fiunt, ex D. Hieronymo *in c. 11. Prouerb.* vt ſuprà citauimus, Auguſtino *lib. de cura pro mort. c. 4.* Soto 4. *d. 45. quæſt. 2. art. 4.* Bellarmino *lib. 2. de Purgatorio, c.* 18. & communi ſententia. Idque ſuadet ratio, cùm huiuſmodi bonorum applicatio pendeat ex intentione applicantis, ſimiliſque ſit ſolutioni pecuniæ, quæ ſoluitur pro aliquo, quæ illi tantum valet. & quidem omni, pro quo fiunt; quod dixerim propter Caietanum, qui *tom. 1. opuſc. tract. 16. q. 5.* exiſtimauit, animas illas non iuuari, quæ negligentes fuerunt in iuuandis aliis, ſuffragiis ſuis. Ratio eſt, quia fundamentum communicationis ſuffragiorum, non eſt aliquod peculiare meritum, ſed ſtatus gratiæ, neque D. Auguſtinus *loco cit. de cura pro mortuis, & in Ench. c. 109.* ei fauet, vt Caietanus ſibi perſuadet, cùm per excluſiuam illam, *ſolis*, non excludat vllas animas Purgatorij, ſed damnatas. vnde *c. 4. eiuſdem lib. de cura pro mortuis*, dicit Eccleſiam ob id aliquando orare pro defunctis omnibus in genere, vt qui non habent amicos & propinquos, à quibus iuuentur, ſaltem habeant hæc communia ſuffragia.

11. Quærenti verò an huiuſmodi ſuffragia pro mortuorum ſatisfactione, acceptet Deus certe & infallibiliter, quaſi ex lege ſtatuta cum hominibus, an verò ſolùm ex miſericordia, dicimus, etſi Sotus 4. *d. 13. quæſt. 2. art. 1. & d. 19. quæſt. 2. art. 4.* Canus *lib. 12. de locis, c. 13. ad 9.* Corduba *lib. 1. quæſt. 3. opin.* 4. & aliqui

alij putauerint Deum ſolum ex miſericordia acceptare, quòd mortui non ſint amplius in poteſtate Eccleſiæ; oppoſitum tamen eſſe magis pium & probabilius, idque docet S. Thom. 4. *d.*45. *q.*2. *art.*3. *ad* 3. Albertus *art.*3. *ad* 6. Durandus *d.*12. *quæſt.*4. Petrus Soto *lect.*7. *de Euch.* Lindanus *lib.*4. *Panopl.c.*51. Couar. *cap. Alma mater. p.*1.§.5. *num.* 11. Nauarrus *de orat. not.*22. Bellarm. *lib.*2. *de Purgat. c.*18. Suarez *diſp.* 79. *ſect.* 10. Azor *c.*10. *c.*22. Barradius *tom.*4. *lib.*3. *c.*16. & ipſemet Sotus 4. *d.*21. *quæſt.*2. *art.*3. *in concl.*3. idque multo magis verum erit, ſi etiam cætera ſuffragia certò & infallibiliter animabus Purgatorij proſunt, vt etiam citati ſentiunt. quamdiu enim ſunt in Purgatorio, cùm nondum ad vltimum terminum peruenerint, ſunt aliqua ex parte viatores, quoad remiſſionem pœnarum, vel etiam culparum venialium obtinendam; ideo eo modo quo viatores ſunt, & nondum triumphantes, ad Eccleſiam militantem pertinent. Et licet non poſſit Eccleſia eos abſoluere à peccatis; poteſt tamen eos iuuare, quòd Deus ex inſtitutione ſua voluerit etiam pro his ſibi offerri ſacrificia, cùm ex Apoſtolorum traditione iuſſerit pro viuis & defunctis offerri.

De acerbitate autem pœnarum Purgatorij agens D. Auguſtinus *lib. de vera* 12.
& falſa pœnitentia, dicit, ſuperare truculentas Martyrum cruces,& dira tormenta. & *ſerm.*4. *de igne Purgatorij, qui eſt* 41. *inter ſermones de Sanctis.*& *lib.de pœnit.c.*18. excedere quicquid pœnarum in hoc ſeculo aut ſentire, aut videre, aut cogitare quis poteſt. Cui inſiſtens Cæſarius Arelatenſis *Hom.*8. *Sed dicet* (inquit) *aliquis: Non ad me pertinet quamdiu moras habeam, tantum vt ad vitam æternam perueniam. Nemo hoc dicat, fratres chariſſimi, quia ille ipſe purgatorius ignis durior erit, quàm quod poteſt pœnarum in hoc ſeculo aut videri, aut cogitari, aut ſentiri.* Autor epiſtolæ quæ habetur ſub nomine Cyrilli ad diuum Auguſtinum *tom.* 9. *operum ſancti Hieronymi*, quamuis eius non eſſe doceat Illuſtriſſ. Baronius *in annum* 420. quòd Cyrillus ante annos 30. iam obiiſſet. Inter cætera ait, ſibi confirmatum à quodam, qui reuixerat impoſitione Cilicij S. Hieronymi ſuper illius cadauere; ſi viuentes ſcirent pœnas Purgatorij, præoptaturos omnes ſimul pœnas, & tormenta pati vſque ad finem mundi, quas omnes homines, ab Adamo hucuſque pertulerunt, quàm vno die eſſe in Purgatorio, & minori, quæ illic habeatur, pœna torqueri. Quod viſum eſt incredibile Cæſario Heiſterbachenſi *lib.*12.*c.*35. 36. Plura hac de re videri poſſunt apud Gregorium Nyſſenum *in oratione catechetica*, Ioannem Climacum *cap.* 6. Ambroſium *in Pſal.* 118. *ſerm.*3. Gregorium *lib.*4.*dialog.c.*39.40.*&* *Pſal.*3. Petrum Damiani *epiſtola de miraculis ſui temporis.* S. Thomam 4. *d.*20. *quæſt.* 1. *art.*2.3.*p.* *q.*46. *art.*6. *ad* 3. Antoninum *p.p.tit.* 32. *c.*1.2.*p.tit.*13. *c.*43. *p.*3. *tit.* 18. *c.*5.*p.*4. *tit.*14. *c.*10. §. 4. Sotum 4. *d.*19. *quæſt.*3. *art.*2. Dionyſium Carthuſianum *de quatuor nouiſſimis, art.*47. Bellarminum *lib.*2. *de Purgatorio,c.*14. Suarez *tom.*2.*diſp.*33. *ſect.*2. Franciſcum Arias *de imit. Chriſti, tract.* 4. *c.*9. *& ſequentib.* Viguerium *de ſacramento pœnitentiæ. verſu* 32. Abulenſem *Paradoxo* 45. Nauarr. *commentario. cap. ſi quis enim. de pœnit. d.*7. Thomam de Kempis *in vita Gerardi Magni,* Chronica minorum *p.*2.*lib.*4.*c.*7.*item p.*2.*lib.*9.*c.*22. Surium *in vita S. Ramberti, menſe Februario.* Sed iam differamus de iis, qui diuinum hoc ſacrificium offerunt.

Vide etiã Bellarm. lib. de autor eccl.

An offerens principalis ſit Chriſtus Dominus. CAP. III.

SVMMARIVM.

1. *In ſacrificio Miſſæ principalem offerentem eſſe Chriſtum Dominum.*
2. *Quibus de cauſis Chriſtus veriſſimè dicatur offerre Miſſæ ſacrificium.*

1. PRimum locum inter offerentes obtinet Chriſtus, tamquam principalis offerens, vt docet *canon ſacerdos, de conſecr. d.* 2. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. *cap. firmiter*, Florentinum *in decreto Eugenij*, & Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.*1. *&* 2. cum ſcholaſticis Theologis, *in* 4. *d.*13. S. Thoma cum interpretibus 3. *p. q.*82. *art.* 7. *& q.*83. *art.*1. & probatur euidenter: tum quia Chriſtus ratione huius incruenti ſacrificij, aſſeritur *Pſal.*109. Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech; quod explicans D. Paulus *ad Hebr.*7. ait: Eo quòd maneat in æternum ſempiternum habet ſacerdotium, quo videlicet fungatur per ſuos miniſtros; ideoque vnus ſit, cui non ſuccedant alij, vt fiebat in veteri lege. vnde Oecumenius *in c.*5. *ad Hebr.* ait: *Neque enim de ea, quæ à Deo ſemel facta eſt oblatio, & hoſtia* (in cruce) *dixiſſet Apoſtolus, in æternum: ſed reſpiciens ad præſentes ſacrificos per quos medios Chriſtus ſacrificat, & ſacrificatur. qui etiam in myſtica cœna modum illis tradidit huiuſmodi ſacrificij.* & antea D. Auguſtinus *ſerm.* 11. *de Sanctis, qui eſt* 4. *de innocentibus. Quid honorabilius dici poteſt, quàm ſub illa ara requieſcere, in qua Deo ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ, in qua Dominus eſt ſacerdos, ſicut ſcriptum eſt:* Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. tum quia à ſacerdote conſecratio fit, non ſuo nomine, ſed vice & nomine Chriſti; vnde non dicit: Hoc eſt corpus Chriſti: ſed, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.* quæ expendens D. Ambroſius *lib.*1. *off. c.*48. *& in Pſal.* 39. ait: *Ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cuius ſermo ſanctificat ſacrificium, quod offertur.* & Chryſoſtomus *Hom.*60. *ad pop. Antioch. & Hom.*83. *in Matth. Non ſunt humanæ virtutis opera propoſita, qui tunc ipſa fecit in illa cœna, idem nunc ea quoque facit. Nos miniſtrorum tenemus locum, qui vero ſanctificat ea, & immutat, ipſe eſt.* Non diſſimilia habet *Homilia de proditione Iudæ.* Similiter Euſebius Emiſſenus *Hom.*5. *de Paſchate. Inuiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, verbo ſuo, ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens:* Accipite, & manducate. Hoc eſt corpus meum. Heſychius quoque *lib.* 6. in illud *Leuit.* 22. *Addet quintam partem cum eo, quod comedit, & dabit ſacerdoti in ſanctuarium*, ait: *Sanctificationem enim myſtici ſacrificij, & à ſenſibilibus ad intelligibilia tranſlationem, ſiue conſecrationem, ei, qui verus eſt ſacerdos, videlicet Chriſto, oportet dari, id eſt, ipſi de eis miraculum cedere & imputare; quia per virtutem eius, & prolatum ab eo verbum, quæ videntur, tam ſanctificata ſunt, quam cunctum carnis excedunt ſenſum.* Alcuinus etiam *in c.*6. *Io. Quando autem per manum ſacerdotis, corpus Chriſti accipis, non ſacerdotem, quem vides, ſed illum, quem non vides, attende, ſacerdos diſpenſator eſt huius cibi, non auctor.* Denique Paſchaſius *lib. de corpore Chriſti, c.*8. *Quam* (inquit) *terribile ſit indignè ad communionem accedere, debet quiſque cogitare, immo quàm terribile ſit ipſum corporis & ſanguinis ſacramentum, vbi pleniſſima virtus Chriſti accipitur, & neque ab alio quàm ab ipſo Chriſto Pontifice porrigitur, licèt viſibilis ſacerdos aſſiſtere, & ſingulis tribuere videatur.* Ad hoc idem propoſitum videri poteſt S. Germanus *in Theoria, initio,* & Algerus *lib.*3. *de ſacram. altaris, c.*10.

rum quia cùm hoc ſacrificium idem ſit cum ſacrificio Crucis modo incruento oblatum, vtrobique debet eſſe principalis offerens Chriſtus.

Quærenti verò quomodo Chriſtus in cœlo degens dicatur offerre, dicimus 2. non tantùm offerre, quatenus ipſe inſtituit, & præſcripſit ſacrificandi modum, vt putauit Scotus *quodlib.*20. Gabriel *lect.*26. & Corduba *lib.*1.*q.*3. cùm ratio præcipientis, & inſtituentis, diuerſa longè ſit à ratione offerentis; quippe cùm in veteri lege Deus ſacrificia præſcripſerit, & non obtulerit. Nec ſolùm quòd in commemorationem & memoriam Chriſti fiat. *Luca* 22.1.*Cor.*11. cùm hoc etiam dicat ſolùm cauſam exemplarem, & non offerentem. Neque tantùm ratione meriti, quòd omnis efficacia ſacrificij nitatur meritis Chriſti perſonæ dignitatis infinitæ, cùm id dicat ſacrificij effectum, non autem offerentem, ſacrificij cauſam efficientem. Nimis enim remotè his modis diceretur Chriſtus offerre. Sed offer-
1. re dicitur: tum quia ſacerdos tamquam Chriſti miniſter & legatus ipſum repræſentans, eiuſque vice Deo offert, vt ex conſecrationis verbis paulo antè dicebamus. quam rationem aſſignat S. Cyprian. *ep.*63. Auguſt. *lib.*10. *de Ciu.c.*20. S. Th.3.*p.q.*82.*art.*1.*&* *q.*83.*art.*1.*ad* 3. & Concil. Trid. *ſeſſ.*22.*c.*2. non ſecus ac ſi regis Hiſpaniæ mandato legatus eius quempiam aureo vellere donaret, principale agens diceretur, veréque eſſet Rex ipſe, legatus verò illius, minus principale.
2. tum quia ſua omnipotentia media humanitate, tamquam organo diuinitatis, concurrit ad tranſubſtantiationem. Quare Chryſoſt. *Hom. de prodit. Judæ. Cùm videris ſacerdotem offerentem, ne ipſum conſideres hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam.* Quam rationem tangit etiam S. Ambr. cum Euſeb. Emiſſ. paulo antè citato, & S. Gaudent. qui *tr.*2. *in Exod.* ait: *Ipſe naturarum creator, & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rurſus, quia & poteſt, & promiſit, efficit proprium corpus; & qui de*
3. *aqua vinum fecit, & de vino ſanguinem ſuum.* tum quia, vt placet nobilibus Theologis, maximè Suar. *diſp.*77.*ſect.*1. & Martino Fornario *in inſt. lib.*2.*tr.*1.*c.*8. Sicut Chriſtus pro nobis intercedit ad Patrem, vt conſtat *ad Rom.*8. *ad Heb.* 7. *&* 9. *&* 1. *Io.*2. *&* *Io.*14. *Ego rogabo Patrem, &c.* nempe poſt aſcenſionem; quod non ſolùm de oratione interpretatiua, ſed etiam expreſſa intelligunt Iuſtin. *q.*105. *ad Orthod.* Ambr. *in c.*8. *ad Rom.* Aug. *tr.*102. *in Io. & enarratione* 2. *in Pſ.*29. Cyrill. *lib.*11. *in Io. c.*9. Bernard. *ſer. de natiuitate B. Virginis*, Bonau. *opuſc.*39.*c.*98. S. Th. 4.*d.*15.*q.*4.*art.*6. *&* *lect.*4. *in ep. ad Heb.* Maldon. & Tolet. *in cap.*19. *Io. annot.*34. vbi alteram opinionem dicit eſſe improbabilem: ita etiam Patri cum ſacerdote miniſtro ſacrificium pro hominibus offert. Chriſti enim Pontificis noſtri ſacerdotium æternum decebat, vt non tantùm munus alterum, nempe pro nobis orare æternum eſſet; ſed alterum quoque, videlicet offerre, *ad Heb.*5. modò conuenienti & accommodato ſuo ſtatui præſenti, eſſet æternum; cùm id apertè cedat in maiorem æterni Patris gloriam, & non debeat æternus Pontifex vacare à nobiliſſimo munere offerendi; nec ei magis difficile ſit, quàm concurſus ad tranſubſtantiationem ſubſtantiæ panis, & vini in ſacrificiis ſingulis; ſummoperéque augeatur euangelici ſacrificij excellentia, quæ potiſſimum ab offerente principali dependet. Videndus Cyprianus *ſer. de cœna Domini*, & Chryſoſtomus *Hom.*17. *ad Hebræos.*

De altero offerente, ſcilicet Eccleſia militante. CAP. IV.

SVMMARIVM.

1. *Catholicam militantem Eccleſiam, non quidem vt ſacerdotem, ſed tamquam populum mediante ſacerdote membro ſuo nobiliſſimo, Deo Miſſæ ſacrificium offerre.*

2. *Idque*

2. *Idque, tum coniungendo ſua vota, & deſideria cum ſacrificante miniſtro, tum iubendò & cooperando vt ſacrificetur, tum adiiciendo ad ſacrificij ſubſtantiam, publicas preces & cæremonias.*

3. *Quare cùm Eccleſia ſit Chriſti dilecta ſponſa, eique gratiſſima, ex opere etiam operantis Deo gratiſſimum erit Miſſæ ſacrificium, eòque magis quo plures in Eccleſia ſanctitate florebunt.*

1. ALter offerentium, eſt ipſa catholica Eccleſia, quæ non quidem tamquam ſacerdos, ſed tamquam populus medio ſacerdote parte ſui nobiliſſima, Deo ſacrificium offert, ex Alcuino *lib. de diu.off.c.de celebr. Miſſæ.* Paſchaſio *lib.de corpore Chriſti.c.*12. Innocentio III. *lib.*3*.c.*5*.* & 6. Ruperto *lib.*2*.off.c.*5*.* & 7. S.Th. 3*.p.q.*80*.art.*12*. ad* 3*.* & *q.*82*.art.*6*.* & 7. Soto 4*.d.*13*.q.*2*.art.*1. & patet. tum ex Liturgia: nam in Canone dicitur: *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ quæſumus Domine, vt placatus accipias.* & inferiùs: *Vnde & memores Domine nos ſerui tui, &c.* tum quia populus per ſacerdotem, miniſtrum publicum & mediatorem pro populo ad Deum, offerre dicitur, iuxta illud *Exod.c.*5*. Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi in deſerto.* & *Numer.*28*. Hæc ſunt ſacrificia quæ offerre debetis, agnos anniculos, &c.* vtique per ſacerdotum miniſterium. Ob id D. Auguſtinus *in qq.veteris Teſtamenti. q.*46. docet, quamuis ſacerdos immolando proprio fungatur officio, illum tamen cuius nomine agit, dici ſacrificium offerre, imputaríque ei, cuius munera offeruntur. & S.Leo *ep.*81*. c.* 2. eodem loquendi modo, dicit eodem die feſto plures Miſſas dicendas, ne aliqua pars populi, ſi vnica tantùm ſit, ſacrificium offerre non poſſit. Quare meritò concluſit Irenæus *lib.*4*.c.*32*. Eum qui ex creatura panis eſt, accepit* (Chriſtus) *& gratias egit, dicens:* Hoc eſt corpus meum. *& calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundùm nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt; & noui teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo.* & Concilium Tridentinum *ſeſſ.*22*.c.*1. Chriſtum in vltima cœna nouum inſtituiſſe Paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum in memoriam tranſitus ſui, de hoc mundo ad Patrem. Similia habet Beda *in c.*22. Lucæ, & Anſelmus *in c.*26*.Matthæi.*

2. Offert autem Eccleſia, tum coniungendo cum ſacrificante ſacerdote ſua vo- 1.
ta, & deſideria; quoad eos quidem, qui ſacrificium fieri curarunt, vel inter-
ſunt, actualiter: quoad abſentes autem, qui nihil de ſacrificio cogitant, etſi
habitualiter exoptant offerri, habitualiter. tum cauſaliter iubendo & curando 2.
ſacrificari; vt contingit in inſtituentibus Capellam, ſuadentibus, & dantibus
ad hoc eleemoſynam. tum etiam adiiciendo ad ſacrificij ſubſtantiam, in eiuſ- 3.
dem honorem, & reuerentiam de ſuo publicas orationes, pióſque ritus, &
cæremonias, vt notat ſanctus Thomas 3*.p. quæſt.* 82*. loco citato,* & Sotus 4*.d.*13*.*
*quæſt.*1*.art.*6*.*

3. Vnde etiam fit, vt cùm Eccleſia ſit dilectiſſima ſponſa Chriſti, fiat etiam ex opere operantis Eccleſiæ huiuſmodi ſacrificium Deo gratiſſimum; eóque magis (quicquid in contrarium ſentiat Petrus Sotus *in inſtiu.tr.de Euchariſt.lib.*13. & Corduba *lib.*1*.q.*3*. opin.*5*. concl.*4.) quo plures iuſti, atque ſanctiores, tunc in Eccleſia florent. Cùm huiuſmodi valor, offerentium fidelium deuotioni, reſpondeat, vt docet Gabriel *in Can.lect.*26*.*27. Couarruuias *cap.Alma mater.p.*1*.§.*5. Sebaſtianus Perez *c.*27. Bellarminus *lib.*2*.de Miſſa.c.*4. Henriquez *lib.*9*.c.*17*.§.*3*.* & 4. Suarez *diſp.*79*.ſect.*11. Victoria *ſum.tr.de Euch.num.*91. Ideo cùm ſacrificium

Abel, de quo *Gen.c.*4. dicitur, *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, & ſacrificium Noë*, de quo habetur *Gen.*8. *Odoratúſque eſt Dominus odorem ſuauitatis*, quæ figura erant euangelici ſacrificij, ita ex offerentium deuotione Deo placuerint, licèt ex ſe haud grata eſſent, cùm ſcriptum ſit *Pſal.*39. *Sacrificium, & oblationem noluiſti.* & *Pſal.*50. *Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis.* quanto magis ex deuotione offerentis Eccleſiæ, euangelicum ſacrificium erit Deo gratum & acceptum; quamuis etiam ex ſe ſit illi gratiſſimum? Vt enim legimus *Prouerb.*15. ſicut victimæ impiorum ſunt abominabiles Domino; ita econtra, ſacrificia iuſtorum ſunt placabilia, *Eccleſiaſt.*35.

De offerente tertio, legitimo ſcilicet ſacerdote. CAP. V.

SVMMARIVM.

1. *Non omnes baptizati cenſendi ſunt ſacerdotes, & ſacrificium offerre poſſe, vt impiè Nouatores dogmatizant, ſed ij ſolùm qui ritè ſacerdotali charactere ſunt inſigniti.*
2. *Et quidem omnes etiamſi mali ſint, ſuſpenſi, excommunicati, degradati, heretici, quamuis id non licitè faciant.*
3. *Quorum etiam ſacrificium ex opere operato, non eſt minus fructuoſum, quàm iuſti, licèt ex opere operantis magna ſit differentia.*
   Quid de precibus, quæ inter ſacrificandum recitantur, vt preciſè dicuntur nomine Eccleſiæ.
4. *An plures ſacerdotes idem ſacrificium conficere poſſint eamdem materiam conſecrando.*
5. *Et an eo caſu vnuſquiſque illorum poſſit ex opere operato, integrum fructum ſacrificij percipere.*
6. *Sacerdotem animarum curam non habentem, ratione tantùm muneris ſui teneri quandóque offerre ſacrificium, probabiliſſimum videri.*
7. *Et quoties in anno ad vitandam culpam, id ei faciendum ſit.*
8. *Non enim quotidie celebrare tenetur, immo ſi quis ratione beneficij, aut capellæ, electus eſt ad quotidie celebrandum, ſi quando ob deuotionem, aut honeſtam aliquam cauſam omittat, non peccat.*
9. *Num quolibet die etiam in triduo vltimo hebdomadæ ſanctæ liceat ſacerdoti Miſſæ ſacrificium offerre.*
10. *Qua pœna debeat puniri, qui non ordinatus, celebrat.*

CORrupit more Harpyiæ impius Lutherus quicquid attigit, & ne ſibi aliquando eſſet diſſimilis, etiam in conſtituendo huius diuini ſacrificij miniſtro immediato, veritatis candorem inficere laborauit. Nam *lib. de capt. Babyl. lib. de Miſſa priuata, & lib. contra Bullam Leonis X.* omnes baptizatos mares & fœminas, viros & pueros, æqualem poteſtatem offerendi ſacrificium cum ſacerdote habere impiè ſcripſit. Sed eius deliramenta à Leone X. damnata ſunt, in Bulla contra eumdem edita. quòd is ſolus, qui in Eccleſia ritè ſacerdotio ordinatus ſit, ſacrificium offerre poſſit, ex Concilio Nicæno *can.*14. Laodiceni *c.*19. & 26. Lateranenſi ſub Innoc. III. *c.*1. Florentino *in inſtructione Armenorum*, & Tridentino *ſeſſ.*22.*c.*1.& *can.*2.& *ſeſſ.*23. *can.*7. Idque conſtat, tum ex diuinis litteris, *Iſaiæ c. vltimo*, vbi de euangelicis ſacerdotibus è Gentibus Apoſtolico miniſtr

miniſterio conuerſis ad Chriſtum, ſelectis, dicitur: *Et aſſumam ex eis in ſacerdotes, & leuitas, dicit Dominus.* non ſunt igitur ſacerdotes, baptizati omnes.
Ad Hebr.c.5. Nemo aſſumit ſibi honorem, niſi qui vocatus eſt à Deo tamquam Aaron. vt
ſcilicet ex hominibus aſſumtus pro hominibus conſtituatur, in his, quæ ſunt
ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia: vnde nec Chriſtus ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed accepit à Patre: non igitur ſacerdotes ſunt, qui-
cumque in Eccleſia ſunt. tum ex Patribus, Clemente *lib.2.conſtit.28.alias* 31. vbi 2.
dicit laicum, qui ſine ſacerdote ſacrificare tentat, nihil facere. & *lib.8. c.vltimo,*
ſcribit Chriſtum ad ſolos Apoſtolos, licèt adeſſent alij, dixiſſe: *Hoc facite,* eámque poteſtatem ab Apoſtolis ad alios Preſbyteros deriuatam eſſe. Dionyſio *de eccleſiaſtica hier.c.1. & 5.* aſſerente ſacra curare, & tractare, eſſe tantùm ſacerdotum, ſiue Epiſcopi ſint, ſiue Preſbyteri. Ignatio, qui *epiſtola ad Trallianos* ſcribit eſſe deteriorem infideli eum, qui aliquid facere audet circa altaris miniſterium, niſi fuerit Epiſcopus, vel Preſbyter. Iuſtino, qui *in dialogo cum Tryphone* monet, Deum non accipere ſacrificium niſi à ſacerdotibus. Hippolyto Martyre *in oratione de Antichriſto*, vbi Chriſtus ita ſacerdotes alloquîtur: *Venite Pontifices, & ſacerdotes, qui pretioſum corpus & ſanguinem meum quotidie immolaſtis.* Pontiano *epiſtola ad Felicem*, vbi ait: *De ſacerdotibus verò Domini, quos vos audiuimus contra prauorum hominum inſidias adiuuare, eorúmque cauſas portare, ſcitote vos in eo valde Deo placere, qui ſibi eos ad ſeruiendum aſciuit, & familiares in tantum ſibi eſſe voluit, vt etiam aliorum hoſtias, per eos acceptaret, atque eorum peccata donaret, ſibíque reconciliaret, ipſi quoque proprio ore corpus Domini conficiunt, & populis tradunt. quibus certè nihil clarius dici potuit.* Felix etiam IV. *epiſtola ad omnes Epiſcopos. c.1.* ſcribit: *Sicut non alij quàm Deo ſacrati ſacerdotes, Miſſas cantare, aut in altari ſacrificia offerre debent, ita nec in aliis, quam in ſacratis locis.* Heſychius dum *lib.2. in Leuit.* exponit illud *c.8. Aaron & filij eius illud rectè comedunt. Niſi enim* (ait) *Chriſtus rogatus ore ſacerdotum ipſe venerit, & cœnam ſanctificauerit, & initiauerit, ea, quæ aguntur, nullatenus ſacrificium dominicum fiunt.* D.Gaudentius *tr.2.in Exod.* dicit: *Dominus fidelibus diſcipulis mandat, quos primos Eccleſiæ ſuæ inſtituit ſacerdotes, vt indeſinenter iſta vitæ æternæ myſteria exercerent: quæ neceſſe eſt à cunctis ſacerdotibus per ſingulas totius orbis Eccleſias, celebrari.* Iſidor.*can.perlectis.d.25. Ad Preſbyterum pertinet ſacramentum corporis & ſanguinis Domini in altario Dei conficere.* S.Bernard.*ſer.de cœna. Nulli Angelorum, nullis ſpiritibus ſupernis, ſed hominibus, nec tamen omnibus, ſed ordini veſtro tantùm* (ſacerdotes alloquitur) *mandatum eſſe myſterij celebrationem in altari, quod Chriſtus fecit manibus ſuis in cœna paſchali.* Addamus ex recentioribus Græcis vnum Beſſarionem *lib.de ſacr. Euch. Eſt autem* (ait) *ad hac neceſſarius, & idoneus, & ſufficiens miniſter: ſufficiens autem eſt qui poteſtatem per conſecrationem habuit, & ſacerdos factus eſt. Nec enim à quocumque prolata eiuſmodi verba,* Hoc eſt corpus meum, *efficere poſſunt quod quæritur; immo verò nihil omnino poſſunt, niſi à ſacerdote proferantur. Eius rei ratio eſt quòd ita Deo placitum eſt, ita ordinauit.* Omittimus breuitatis cauſa D.Cyprian. *lib.1.ep.2.& 9.lib.3.ep.25. & tr.de ſingul.cler.* Tertullianum *in exhortatione caſtitatis*, Baſilium *lib.2.de Baptiſmo,c.8.* Chryſoſtomum *lib.3.& 6. de ſacerdotio, & Hom.6.in Matth.* Epiphanium *hæreſi* 79. D.Hieronymum *lib.contra Luciferianos.* Rabanum *lib.1.inſtit.c.6.* Paſchaſium *lib.de corpore & ſanguine Domini.c.12.* Guitmundum *lib.3. de ſacramento altaris.* Algerum *lib.3.c.8.* Anſelmum *in primam ad Cor.c.11.* Magiſtrum cum Scholaſticis, *4.d.13.* S.Thomam *3.p.q.82.art.1.* cæteróſque, qui contra hæreſes noſtri temporis ſcripſerunt, vt Tapperum *art.17.* Roffenſem *art.13.* Caſtrum *v.Sacerdos,* Victoriam *relect.2.de poteſtate Eccleſiæ.§.1.& 2.* Bellarminum *lib.1. de ſacramentis in genere. c.24.*

&

& lib.4. de Euch. c.16. Valentiam *lib.1. de Miſſa. c.4.* Suarez *diſp.63 ſect.3.* & alios ſexcentos, quos ad arguendam Lutheri inſaniam proferre poſſemus, ſed aga-
3. mus ratione. Apoſtoli multo ante Chriſti paſſionem baptizati ſunt, quippe cùm *Io.4.* ipſi baptizarent, ipſi priùs vtique baptizati, ex D. Auguſt. *ep.108.* & tamen offerendi facultatem non acceperunt niſi cùm inſtante paſſione, in vltima cœna, ordinati ſunt, verbis illis *Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem*, vt Concilium Tridentinum docet. Non igitur ſacerdotium Baptiſmum comitatur; nec in Baptiſmo datur, vt delirat Lutherus; ſed in ordinatione confertur,
4. vt ſentit Eccleſia catholica. Accedit euidens ratio S. Thomæ, quia hoc ſacrificium non niſi in perſona Chriſti offertur: at nemo poteſt in perſona Chriſti quicquam agere niſi per poteſtatem ab ipſo ei collatam; confertur verò in ſola ordinatione, tunc enim ſacerdos in gradu eorum ponitur, quibus à Domino dictum eſt: *Hoc facite in meam commemorationem*; ij igitur tantùm, qui ritè ſacerdotio ordinati ſunt, poſſunt in conficiendo hoc ſacrificio Chriſti vices ſuſtinere, & verè propriéque offerre. Cæteri autem, qui huiuſmodi ſacramentalem poteſtatem non acceperunt, licèt ſint baptizati, iuſti, & per charitatem vniti Chriſto, ſolùm ſpirituale ſacerdotium habent, ad offerendum ſpirituales hoſtias, de quibus tantùm agitur *1. Petri 2. ad Rom. 12. Pſal. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, &c.* vt rectè explicat S. Baſilius *lib.2. de Baptiſmo. c.8.* ex quo vnó potuiſſet Lutherus, ſi ſapere voluiſſet, ſuæ dubitatiunculæ ſolutionem addiſcere. Soli igitur ſacerdotali charactere inſigniti Deo ſacrificare poſſunt.

Omnes tamen, etiamſi mali ſint, ſuſpenſi, depoſiti, degradati, excommunicati, hæretici; hi enim omnes, etſi id licitè non faciant, verum tamen ſacrificium conficiunt, & offerunt. ex communi doctrina S. Thomæ *3.p.q.82. art.6.7.8. & in 4.d.13.* & ibidem Bonauenturæ *art.1.q.1.* Alberti *art.1.* Durandi *q.1.* Richard. *art.1.q.1.* Paludani *q.1.d.3.* Soti *q.1. art.8.* Victoriæ *de ſacram. Euch. n.92.* Gabrielis *lect.27.* quicquid in oppoſitum ſenſerit Magiſter *4.d.13.* Gulielmus Pariſienſis *orat. de ſacramento Ordinis.* Gratianus *can. quod quidam. 1.q.1.* Gloſſa *can.* 2.
1. *accedens. d.50.* patet; tum quia poteſtas offerendi, per characterem datur, ſacerdotalis autem character eſt indelebilis, ex Concilio Tridentino *ſeſſ.23.c.4.* quare etiam indelebilis erit poteſtas ſacrificandi, nulláque cenſura amitti poterit: vnde ſi applicetur debitæ materiæ, & debita intentione forma proferatur, va-
2. lidus erit effectus; licèt ſit cum eorumdem peccato. tum quia ſententia eſt D. Auguſtini *canone intra catholicam Eccleſiam. 1. q.1.* Paſchaſij *lib. de corpore & ſanguine Domini. c.12.* Algeri *lib.3.c.8.* Guitmundi *lib.3.* in miniſterio corporis & ſanguinis Domini nihil à bono maius, nihil à malo minus (reſpectu videlicet operis operati) ſacerdote perfici. Vnde Nicolaus ad conſulta Bulgaror. *c.17.* ait: *Non poteſt aliquis, quantumcumque pollutus ſit, ſacramenta diuina polluere.* Cui concordat *canon, non nocet. cum multis alijs. 1. q.1. & can. audiuimus. 24. q.1.* & Conci-
3. lium Tridentinum *ſeſſ.22.can.1.* Tum quia Eccleſia alioquin ſemper eſſet in magno periculo in recipiendis ſacramẽtis, & periculo in Miſſa idololatrandi. Quare, vt notauit S. Thomas *opuſc.59. c.7.* ſummæ dignationis diuinæ, ac pietatis, fideíque noſtræ certitudo & veritas in hac re demonſtratur. Si enim verè conſecrari non poſſet corpus Chriſti, niſi à iuſtis hominibus, cùm ſcire non poſſimus dum viuimus, quinam iuſti ſint, ſcire numquam poſſemus in hoc mundo, quando veraciter eſſet corpus Chriſti. Quod ſi D. Auguſtinus *lib.2. contra Creſconium. c.13.* & alij Patres, dicunt, vel extra Eccleſiam non eſſe verum ſacerdotium, aut ſacrificium, vel hæreticorum ſacramenta non eſſe rata; intelligunt

iam

iam tempore legis gratiæ ſolùm eſſe vnicum Deóque gratum Euchariſtiæ, Eccleſiæ Chriſti relictum ſacrificium: ordinationéſque, & ſacramenta collata non ſeruata eſſentiali forma, quam catholica præſcribit Eccleſia, eſſe inualida & nullius momenti.

3. Roganti verò horúmne ſacerdotum perditorum ſacrificium pro aliquo oblatum, alicuius ſit valoris, dicimus cum S.Thoma 3.*p.* *q*.82. *art*.6. Bonauentura 4.*d*.13.*q*.2.*art*.2. Scoto *quodlib*. 20. Gabriele *lect*.27. Petro Ledeſma *tr.de Euchar.* & communi ſententia, ex opere operato omnino fructuoſum eſſe, vt canon citatus, *intra Eccleſiam catholicam*, oſtendit. & *canone Dominus. ibid.* dicitur: *Memento ſacramentis Dei nihil obeſſe mores malorum hominum, quo illa vel non ſint, vel minus ſancta ſint.* & B.Nilus *in fragmento tractatus Parenetici: Non oportet* (inquit) *offendi propter ſacra quæ celebrantur ab improbo ſacerdote; eadem enim eſt oblatio, etſi habeat vitam impuram is qui offert.* Ideo non minus prodeſt, & fructuoſum eſt ex operato, quàm ſi à bono offerretur, pendet enim huiuſmodi valor ex inſtitutione & ordinatione Chriſti; nec creſcit, aut decreſcit pro qualitate miniſtri. At verò, quoad opus operantis, non tam fructuoſa eſt Miſſa mali, aut præciſi ſacerdotis, ſicut boni, cùm oblatio mali ſacerdotis ſit cum peccato, Deóque diſpliceat. habetur enim *Eccleſiaſtici* 34. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* Quare 1. *q*.1 2.*can*.92. dicitur: *Quanto ſacerdotes fuerint digniores, tanto faciliùs in neceſſitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.* qua de re S.Thomas 3.*p*.*q*.82.*art*.6. Sotus 4.*d*.13. *q*.2.*art*.1. Victoria *num*.91. Sin tandem valorem publicarum precum Miſſæ conſideres, prout præcise dicuntur nomine Eccleſiæ, ſi ſacerdos ſit quidem malus, ſed non ab Eccleſia præciſus per excommunicationem, depoſitionem, hæreſim, &c. ſententia eſt S.Thomæ *loco citato*, Toleti *lib*.2.*c*.8. Victoriæ *num*.91. Soti, & aliorum, earum valorem non minui prout fundantur in merito, & deuotione Eccleſiæ ob mores mali ſacerdotis; cùm etiam malus ſit Eccleſiæ miniſter, & eius nomine dicat; neque is cui mittitur aliquid ſoleat reſpicere per quem mittatur, ſed quid, & à quo mittatur; ſi verò ſit etiam præciſus, Sotus 4. *d*.13.*q*.1. *art*.8. dubitat an ſint fructuoſæ iis, pro quibus dicuntur, quatenus fundantur in eadem Eccleſiæ deuotione, & merito, non in dicentis affectu; quod licèt Eccleſia id illis prohibeat, non conſtat tamen illas irritare: poſtea verò *q*.2.*art*.1.concludit eſſe etiam fructuoſas; quod etiam ſentit Victoria *n*.92. Oppoſitum tamen docet S. Thomas (etſi eum conetur Sotus *art*.8. interpretari 3.*p*.*q*.82.*art*.7.*ad* 3. quem ſequitur Suarez *diſp*.77.*ſect*.2. quia Eccleſia nolit huiuſmodi præciſos, miniſtros ſuos eſſe, aut ſuo nomine orare; & Princeps iraſcatur ei, quem ſcit aliquid alterius Principis nomine falsò petere, exhibitíſque litteris falſum ſigillum impreſſiſſe.

4. Sed numquid poſſint plures ſacerdotes idem ſacrificium conficere, & offerre, conſecrando eamdem hoſtiam. Difficultas non eſt reſpectu materiæ, an vnus partem vnam.v.g. medietatem, alius aliam conſecrare & offerre poſſit: certum eſt enim ſi certam partem quiſque aſſumat conſecrandam, omnes conſecrare; quiſque enim reſpectu partis deſignatæ eſt integra cauſa; cúmque adſit materia, forma & intentio conſecrantis, ſequetur conſecrationis & oblationis effectus: ſi autem quiſque in confuſo intenderet conſecrare vnam partem, nulla fieret conſecratio, tum quia actiones circa particularia verſantur, tum quia pronomen, *hoc*, debet deſignare materiam particularem; tum ex communi ſententia Durandi, Paludani, Maioris, Richardi 4.*d*.11.Soti 4.*d*.13.*q*.1. *art*.2.

Syluestri *Euchariſtia* 2. Angeli *Euch.*1.*n.*26. Suarez *diſp.*43.*ſect.*6. Neque eſt difficultas ex parte formæ, cùm plures inter ſe verba formæ partiuntur; certum eſt enim, neque tunc quicquam fieri, cùm ex verbis diuerſorum miniſtrorum non componatur vna forma, vt docet Suarez *diſp.*61.*ſect.*3. ſed quæſtio eſt an ſi plures totam formam proferant ſuper totam hoſtiam, cum intentione conſecrandi, ſeu ſacrificandi, ſequatur effectus. Qua in re conſtat apud Theologos omnes 4.*d.*13. plures poſſe eamdem hoſtiam conſecrare, ſi ſimul proferant, & finiant
1. verba conſecrationis: tum quia non eſt maior ratio, cur vnus conſecret, &
2. non alius: tum quia habent legitimam materiam, proferunt legitimam for-
3. mam, cum legitima intentione conſecrandi omnes: tum quia id conſtat ex praxi Eccleſiæ Romanæ in ordinatione ſacerdotum, & conſecratione Epiſcoporum. At ſi non omnes ſimul finiant conſecrationis verba, ſed vnus priùs abſoluat, non conueniunt autores, an omnes eamdem conſecrent. Innocentius enim *lib.* 4.*de myſter. Miſſæ.c.*25. S. Thomas 3.*p.q.*82. *art.*2. Alenſis *q.*36. *in* 8. Paludanus 4.*d.*13.*q.*4.*art.*2. Ledeſma.1.4.*q.*22.*art.*2. Victoria *n.*88. Roſella *Euch.*3. Tabiena *Euch.*2.*n.*2. Syluester *Euchariſtia* 2. ſentiunt ſimul conſecrare omnes; quia, qui ordinantur, & ipſi verba conſecrationis proferunt, referentes intentionem ad illud inſtans, in quo Epiſcopus abſoluit formam, & non antè, vel pòſt. Albertus verò 4.*d.*13. Durandus *ibidem.q.*3. Maior *d.*11.*q.*2. Sotus 4.*d.* 13.*q.*1. *art.*2. Gabriel *lect.*6. Caietanus 3.*p.q.*82. *art.*2. & alij, aſſerunt tunc non omnes conſecrare, ſed eum tantùm qui priùs formam conſecrationis abſoluit:
1. tum quia prolatis per primum ſacerdotem verbis conſecrationis, non videatur eſſe in eius poteſtate ad tempus ſuſpendere verborum virtutem, & effectum; nempe vſquedum Epiſcopus abſoluat; etſi, quando præuenit in proferendo formam ipſum Epiſcopum, non habet intentionem conſecrandi tunc, nec poſtea, quando conſecrat Epiſcopus, conſecrare poterit, cùm non iam amplius
2. proferat conſecrationis formam: tum quia nimis durum ſit dicere, ſacerdotes proferentes verba poſt Epiſcopum, qui primus ipſorum protulit, conſecrare cum Epiſcopo, eo quòd intentionem habuerint relatam ad inſtans, quo Epiſcopus conſecrat; cùm ſola intentio, ſine verbis conſecrationis, nihil efficiat:
3. tum quia tunc non adhiberetur, vel præciperetur tanta diligentia in proferendis verbis, cum Epiſcopo præeunte. Quæ ſanè ratio valet etiam contra Angelum *Euch.*2.*n.*3. & Richardum 4.*d.*13.*art.*2.*q.*1. volentes ſolum Epiſcopum proferre conſecrationis verba formaliter; reliquos verò ſolùm materialiter in ſignum poteſtatis iam ſibi conceſſæ, & non cum intentione conſecrandi.

Porrò pluribus ſacerdotibus eamdem materiam conſecrantibus, idémque ſacrificium offerentibus, vt diximus fieri in ordinatione ſacerdotum & Epiſcoporum conſecratione, probabiliſſimum eſt vnumquemque integrum fructum ſacrificij ex opere operato percipere, vt docet Suarez *diſp.*79.*ſect.*12. cùm vnuſquiſque totum Chriſtum ſacrificet, & offerat, actione propria, ſufficienti, & independente ab alio: nihílque videatur referre quòd materia remota panis & vini, & ſpecies ſacramentales non multiplicentur; cùm valor ſacrificij ex his non pendeat, ſed à re oblata, Chriſto ſcilicet, qui vt non multiplicatur in ſingulis ſacrificiis, cum ſit idem in omnibus; ita neque refert in caſu propoſito, quòd ſacerdotes ſinguli ſuis ſingulis conſecrationibus eumdem Chriſtum numero ſacrificent, & offerant; cùm non agant, vt partiales miniſtri, vt fit cùm in Miſſa, cœpta conſecratione, prior ſacerdos deficit, & ſuccedit alter: ſed quilibet vt adæquatus & integer miniſter per ſe ſufficiens, & independens ab alio, conſe- 5.

conſecrat & offert. De aliis autem adſtantibus diximus *lib.1.c.9.*

6. Illud verò dubium eſt inter Doctores, an ratione muneris ſui teneantur ſacerdotes, etiamſi curam animarum, aut eccleſiaſticum beneficium, cui ſacrificandi onus ſit adiunctum, non habeant, aliquando celebrare. Alenſis 4.d.*q.* 51.*m.*2. Bonau. 4.*d.*12.*p.*2.*art.*2.*q.*2. Gabriel *lect.*87. Caietanus 3.*p.q.*82.*art.*10. in impreſſis ante Pium V. Ledeſma 1.4.*q.*23. Victoria *num.*94. Roſella *Euch.*3.*n.*33. exiſtimant etiamſi abſque iuſta cauſa abſtineat, non eſſe peccatum mortale numquam celebrare, ſi abſit ſcandalum; quòd hac de re nullus extet canon, aut præceptum. Oppoſitum tenet S.Thom.4.*d.*13.*q.*1.*art.*2.*q.*1.*ad* 2.*&* 3.*p.q.*82. *art.*10. Durandus 4.*d.*13.*q.*2. Richard. *ibid.art.*2. *quæſt.*1. Palud. *q.*2. Sotus *q.*1.*art.* 10. Maior *d.*12.*q.*.. S.Antoninus 3.*p.tit.*13.*c.*16.§.12. Angelus *Miſſa. num.*44. Sylueſter *Miſſa.* 1. *q.*7. Tabiena *v. communio. n.*12. Armilla *num.*14. Nauarrus *c.*25. *num.*88. Graffius *p.p.lib.*2.*c.*39. Salmeron *tom.*9.*tr.*41. Azor *lib.*10.*c.*24. Henriquez *lib.*9.*c.*23. & in eam, licèt non omnino certam, inclinat, & tamquam magis
piam & ſecuriorem dixit in praxi conſulendam Suarez *diſp.*80. *ſect.*1. tum ne in 1.
vacuum gratiam & munus receperint, vel talentum in ſudario abſconderint: 2.
tum quòd eligatur ſacerdos, vt offerat dona & ſacrificia: tum quòd huiuſmodi 3.
ſacerdotes rarò aut numquam ſacrificantes, vulgo habeantur perditæ vitæ. 4.
tum quòd *cap.dolentes.de celebr.Miſſ.* Concilium doleat eſſe, qui vix ter aut qua- *2.Cor.6.*
ter in anno celebret; quòd certè multo magis id faceret de numquam celebran- *Matth. 25.*
tibus, tamquam graue ſcandalum & præiudicium Eccleſiæ inferentibus; ibí- *Hebr.5.*
que Panormitanus & communiter Canoniſtæ ſentiunt eſſe peccatum mortale. Aliqui tamen Sancti humilitatis cauſa diu abſtinuerunt, ex Epiphanio *epiſtola ad Ioannem Hieroſolymitanum.*

7. Sed quàm frequenter ad huiuſmodi culpam vitandam eſt ſacrificandum? Nauarrus *c.*25.*num.*88. Henriquez *lib.*9.*c.*24.§.3. Suarez, Azor, Graffius *locis citatis,* exiſtimant, ſatis eſſe ſi ter, aut quater, ſiue continuatè, ſiue interruptè, id fiat, ſi ſcandalum abſit. Sotus, ſi in Natiuitate Domini, Paſchate, & Pentecoſte. Paludanus addit diem Aſſumtionis B.Virginis, & feſtum omnium Sanctorum. Maior his quoque adiicit diem corporis Chriſti, alij alios, vt videre eſt apud Antoninum 3.*p.t.*13.*c.*16.§.12. & Syluestrum *loco cit.* S. Thomas verò in communi dicit teneri ad celebrandum in præcipuis feſtis, in quibus laici communicare ſolent. Concilium Tridentinum *ſeſſ.*23.*c.*14. *de refor.* Epiſcopos monet, vt curent ſaltem diebus dominicis, & feſtis ſolemnibus, ab habentibus animarum curam Miſſam celebrari.

8. Illud certum eſt non teneri ſacerdotem quotidie id facere; cùm nec iure diuino, nec humano, id alicubi cautum reperiatur; quicquid ſenſerint aliqui Canoniſtæ, de quibus Sotus 4.*d.*13.*q.*2.*art.*2. & Syluester *Miſſa.*1.§.7. curare tamen debent Eccleſiarum præſides, vt in cathedralibus, parochialibus & conuentualibus Eccleſiis, quotidie celebretur, ob commune fidelium bonum. *ex cap.cum creatura.de Miſſarum celebr.* qua de re dicetur *c.*15. Quin etiam, qui ratione Capellæ aut beneficij, electus eſt ad celebrandum quotidie, ſi quando ob deuotionem, humilitatem, honeſtámve cauſam omittat, non peccat, ex Abbate *cap. conſuluiſti. de celebr. Miſſ. & cap. ſignificatum. de præbendis,* Imola *ibidem,* Angelo *Miſſa,num.*15. Syluestro *Miſſa.*1.*q.*7. Graffio *p.p. lib.*2.*c.*38. Azor *lib.*10. *c.*24.*q.*7. Suarez *diſp.*80.*ſect.*2. *dicto* 3.*&* *diſp.*86.*ſect.*1. & conſtat *ex dicto cap. ſignificatum.* Si tamen in inſtitutione capellæ aut beneficij diceretur, vt quotidie per ſe vel alium offerret ſacrificium, ſi ipſe impediatur, alterum ſuo loco ſubſti-

 tuet,

tuet, qui eo die celebret, cùm teneatur ſeruare onera rationabiliter impoſita a fundatore. ex Andrea Siculo *conſil.*33. *tom.*2. Marc. Antonio Cucho *lib.*5. *inſtit. tit.* 6. *de Miſſa.n.*26. Nauarro *c.*25 *n.*88.*&* 134. Syluestro *Miſſa.* 1.§.10. Suarez & Azor *locis citatis.*ſicut nec ſatisfaciet electus ad ſacrum faciendum in certo Oratorio, vel Capella, ſi alibi id faciat. Nauar.*c.*5.*de orat.n.*2.*&* 12.*& in Manuali c.*25. *n.*134. Syluester *Miſſa* 1.*q.*10. Azor *lib.*10.*c.*24.*q.*8. cùm non impleat fundatoris mentem, & voluntatem. Vide Couar. *in cap.cum eſſes,in* 1.*de teſtam.*

Sciſcitanti verò econtra, an ſacerdotes licitè toto anni tempore quotidie ce- 9.
lebrare poſſint; dicimus rem controuerti de vltimo triduo hebdomadæ ſanctæ. & quidem ſecluſo Eccleſiæ præcepto, vtiliſſimum eſt quotidie celebrare. Exemplo D. Andreæ, vt ex eius actis conſtat, Caſij Epiſcopi Narnienſis, de quo Gregorius *lib.*4. *dial.c.*56. *& Hom.*37. *in Euang.* S.Carpi ex Dionyſio Areopag. *ep.*8. Cypriani *epiſt.*54. Bedæ *Actor.*2. vbi, teſte Gabriele *lect.*87. *dub.*5. dicit, non legitimè impeditum omittentem quotidie ſacrificare, quantum in ſe eſt priuare beatam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos ſubſidio & gratia, exiſtentes in Purgatorio refrigerio, Eccleſiam ſpeciali Christi beneficio, & ſeipſum medicinæ remedio: eadem ad verbum repetit D. Bonauent. *in lib.de preparat. ad Miſſam,c.*5. Ideo eſt difficultas ſolùm ob Eccleſiæ præceptum. Et quidem in die cœnæ Domini, non licere ſingulis ſacerdotibus, ſed tantum Eccleſiarum Rectoribus, aut vices eorum ſubeuntibus, ſacrum facere, in quo ſacerdotes cæteri cum reliquo populo communicent, tenet Marcellus Francolinus *lib. de horis canon. c.*30. quòd illo die Chriſtus ſolus conſecrauerit & communicauerit Apoſtolos. At verò Sotus 4.*d.*13.*q.*2. *art.*2.*ad* 2. Maior 4.*d.*13.*q.*5.§. *dubitatur*, Angles *in floribus q.*8.*de valore Miſſe.c.vltimo.*Nauar. *c.*25 *n.*88. Azor *lib.*2.*c.*10.Suarez *diſp.*80. *ſect.*2. Henriquez *lib.*9.*c.*24.§.3. Graffius *p.p.lib.*2.*c.*39. Io. Gutierrez *in qq. canonicis.lib.*1.*c.*30. Petrus Ledeſma exiſtimant ſecluſo ſcandalo, maximè verò ſecretò licere omnibus ſacrificare; quia id nullo iure prohibeatur, nulláque ſit conſuetudo, quæ vim legis habeat. Etſi enim multi non ſacrificent, id accidit non quòd id malum putent, ſed vt celebrius ſit ſacrificium; & ob miniſtrorum multas illius diei occupationes circa confeſſiones, & ſepulcrum; multíque ſunt pij & religioſi ſacerdotes, qui ſacrificant priuatim. De die autem Paraſceue quicquid ſumma Confeſſorum dicat, certum eſt, neque publicè, neque priuatim, licere eo die offerre iure eccleſiaſtico, de quo Innocentius I. *ep.*1. *ad Decentium.c.*4. *& can.Sabbatum de conſecr.d.*2. Concil. Arauſicanum II. *can.vltimo,* Concil. Tolet. XVI. *can.* 8. quod iubens quotidie Miſſas aliquas pro Rege eiúſque coniunctis celebrare, addit, *excepto die Veneris ſancto*, cùm nullæ dicantur: ídque fieri ex Apoſtolica traditione, docet idem Concil. Arauſicanum & Burchardus *lib.*13.*c.*9. Idem conſtat ex S. Thom. 3.*p.q.*83. *art.*2. Rabano *in* [illegible] *c.*67. Durando *in Rationali lib.* 6.*c.*77. Turrecrem. *can.ſabbatum,*citato Syluestro, & Summiſtis, *v.Miſſa.* Nauar. *c.*25 *num.*88. Suarez *diſp.*80.*ſect.*2. Soto 4.*d.*13.*q.*2 *art.*2. qui ſentit eſſe peccatum mortale, eo die celebrare, vt etiam Gutierrez *loco citato.* Et ſanè etiam in lege veteri quando ſemel in anno ſummus Pontifex introibat in Sancta Sanctorum (vt fecit eo die
*Hebr.*9. Chriſtus Dominus per ſacrificium Crucis) reliqui ſacerdotes abſtinebant à ſacrificio: vnde conuenientiſſimè ſancta Eccleſia noluit eo die, quo Chriſtus Crucis obtulit ſacrificium, ab aliis offerri illius memoriale. neque enim præſente Rege requirenda eſt eius imago. Quoad Sabbatum ſanctum, Marcellus *loco citato num.*2.*&* 9.& Nauarrus *c.*25 *num.*88. exiſtimant eſſe peccatum mortale,

illo

illo die celebrare, niſi vnam publicam Miſſam, quæ olim in nocte dicebatur, ob *canonem, ſabbatum, de conſecr. d. 2.* vbi id vetatur, ſicut de die Paraſceue. At verò Sotus *loco cit.* Azor *lib. 2. c. 10.* (etſi *lib. 10. c. 24. q. 4.* videatur in hac re Sotum improbare) Suarez *diſp. 80. ſect. 2.* Henriquez *lib. 9. c. 24.* Pegna *ibid.* Gutierrez *loco citato,* Petrus Ledeſma, & alij propendent in eam ſententiam, vt iam id liceat priuatim, poſt Miſſam publicam, ſecluſo ſcandalo, ex aliqua rationabili cauſa, v. g. ad communicandum infirmum; quia anticipato iam tempore à veteri hora offerendi ſacrificij, & inchoante reſurrectionis gaudio, canon ille conſuetudine modificatus ſit; ideo cùm iam tunc publicam Miſſam facere liceat, ex rationabili etiam cauſa licere debeat, facere priuatim. quare etiam Micrologus *c. 53.* ait: *Poſt Baptiſmum preſbyteri demum poſſunt Miſſam, ſi neceſſe fuerit, priuatim celebrare, quia iam renati ſunt.*

20. Tandem difficultas eſt, quânam pœna debeat puniri, qui non ordinatus celebrat? Reſpondendum eſt cum Emanuele Roderico *tom. 2. quæſt. 28. art. 2.* in iure id non fuiſſe cautum, quòd veteres Patres haud exiſtimauerint, quemquam tantum facinus tentaturum. Abbatem tamen *in c. 1. de cler. non ord. miniſt.* ſentire pœna falſi puniendum, cùm eadem pœna puniatur qui ſe ſacerdotem fingit, ex Baldo *l. qui ſub pretextu. Cod. de ſacroſ. Eccl.* & Boërio *deciſ. 71. num. 9.* Bernardum Diaz *in pract. crim. c. 12.* & Salicetum pœna arbitraria; Gregorium XIII. anno 1574. peculiari Bulla, quæ habetur *in lib. Inquiſitionis Hiſpaniæ, tit. 12.* ſtatuiſſe ab Inquiſitoribus puniendum veluti crimen ſapiens hæreſim; quod his temporibus hæretici proferre audeant, ſacramentorum adminiſtratores poſſe eſſe ſeculares; ideóque celebrantes non ordinati, facto catholicam veritatem impugnent; Clementem tandem octauũm *in Bulla, quæ incipit, Etſi aliàs, data die prima Decembris anno* 1601. ſtatuiſſe, vt huiuſmodi criminis rei à iudicibus S. Inquiſitionis, & locorum Ordinariis, ab ordinibus eccleſiaſticis, ſi quos habent, degradati, tamquam Eccleſiæ miſericordia indigni, tradantur curiæ ſeculari, per ſeculares iudices meritis pœnis puniendi, vltimi ſcilicet ſupplicij; non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, & in corpore iuris etiam incluſis, quibus expreſsè & ſpecialiter derogat.

De requiſitis in ſacerdote ad ritè celebrandum ex parte animæ. CAP. VI.

SVMMARIVM.

1. *Sacerdos ſacrificaturus, ſit liber à cenſuris & pœnis eccleſiaſticis.*
2. *Careat conſcientia peccati mortalis, alioquin præmittat ſacramentalem confeſſionem.*
3. *Procuret excitare interiorem animi affectum, & deuotionem.*
4. *Num ante ſacrificij oblationem ſit neceſſaria recitatio officij diuini.*

1. CVm ſcriptum ſit *Eccl. c. 4. Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Domini,* quòd non niſi magna cum reuerentia ac pietate aggredienda ſint quæ ad Deum ſpectant; vt etiam teſtatus eſt Deus præcipiens Moyſi *Exod. 3.* ad rubum in quo apparebat Deus acceſſuro, vt calceamenta ſolueret; id multo magis præceptum eſſe videtur ſacerdoti accedenti non tantùm ad ſacrum locum, & tem-

plum, ſed ad templi Dominum, & ad Dei filium vnigenitum in ſacro altari incruentè ſacrificandum. Sibíque dictum putare debet quod Dauid de præparatione templi ædificandi dixit 1. *Paralip. c.29. Opus namque grande eſt, neque enim homini preparatur habitatio, ſed Domino Deo*; vt maiori adhibita diligentia in oblatione & ſumtione tanti ſacrificij, vberiores etiam fructus à Domino percipiat. Tria igitur in ſacerdote ritè ordinato ad ſacrificium offerendum prærequiri videntur, ex parte animæ. Primum vt liber ſit ab eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis; ne ad Chriſtum accedens, ſponſæ eius Eccleſiæ inobediens illum non placet, ſed multo magis irritet; non flectat ad miſericordiam, ſed ad iniuriam vlciſcendam prouocet; non conſequatur ſacrificio veniam, ſed ſacrilegio mereatur ſupplicium; non obtineat inſtar Hæmorrhoiſſæ, contractu diuini corporis, ſanitatem, ſed in vulnus retorqueat medicinam; eíque multo peius accidat, quàm quod olim indiſciplinatis illis in templo negotiantibus ſacerdotibus, ex ſententia D. Anacleti *epiſt.2.* Pij I. *epiſt.1.* & Iulij I. *epiſt. pro Athanaſio contra orientales Epiſcopos*, contigit; quos Dominus arrepto flagello eiecit de templo. Dixit enim Chriſtus D. Petro Eccleſiæ capiti, cæteríſque illius ſucceſſoribus *Matth.16. Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.* Poſſe tamen aliquando adhuc irretitum eccleſiaſticis pœnis celebrare facta confeſſione, aut habita contritione, ob mortis videlicet, vel infamiæ, aut ſcandali periculum, docuit Palud. *4.d.18.* Richardus *ibid. art.9. quæſt.4.* Sotus *4.d.13. quæſt.2. art.6. ad 2.* Caſtro *lib.2. de leg. pœn. c. vltimo.* Corduba *lib.1. quæſt.35. ad finem*, Victoria *num.* 101. Angelus *confeſſ.1. num. 10. & Euch.2. num.6.* Syluester *ibidem num.7.* Tabiena *Miſſa, num. 32. & excommunicatio, 1. num.6.* Armilla *excommunic. num.9.* Nauarr. *c.25. num.75. cap.27. num.239.* Henriquez *lib.13. c.21.* Azor *lib. 10. c.31. quæſt.6.* quidquid ſenſerit Couar. *cap. Alma mater. p.p. §.2. num.11.* & Medina *in inſtit. c.11.*

Matt. 9.

Alterum quod requiritur eſt, vt careat conſcientia peccati mortalis, vel ſi adſit, ante celebrationem neceſſariam confeſſionem præmittat, habita Confeſſarij copia, quantumcumque ſibi contritus videatur, vt definiuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.13. c.7. can.11.* & docent Scholaſtici. S. Thomas *4.d.17. quæſt.3. art.1. quæſtiuncula 4. quæſt.1. art. 11.* Scotus *4. d.9. quæſt.1. & d.17. art.2.* Gabr. *ibidem quæſt. 1. & lect.7. in canonem*, Durandus *4. d.17. quæſt.10.* Maior *d.17. quæſt.2.* Palud. *d.17. quæſt.2.* Antoninus *3. p. tit.14. c.4. §.3.* Adrianus *de confeſſ. quæſt.3.* Sotus *4. d.12. quæſt.1. art.4.* Suarez *diſp.66. ſect.3.* Couar. *cap. Alma mater. p.p. §.1. num.7.* Et conſtat ex D. Cypriano *lib. de lapſis, & epiſt.14.15.16.* Auguſtino *epiſt.118. c.3. & lib. de ſalutar. docum. c.33.* vbi ait: *Quando illud* (Eccleſiæ ſacramentum) *accipere debemus, antea ad confeſſionem & pœnitentiam recurrere debemus.* Anaſtaſio Synaita, qui *orat. de ſacra ſynaxi*, cùm deploraſſet quòd rapinis, ſceleribus, peccatorúmque multitudine cooperti, tantúmque aqua ablutis manibus, plures ad Euchariſtiam accederent, ait: *Adſis igitur quieto tranquilloque animo, Chriſto Domino per ſacerdotes, tua confitere peccata: quicquid egiſti mali, tu te damna, nec verecundare; eſt enim verecundia, quæ adducit peccatum, & eſt verecundia gratiæ.* D. Leone *epiſt. 91. c.2. & can. multiplex, de pœnit. d. 1.* Chryſoſtomo *Hom. 10. in Matth.* Paſchaſio *lib. de corp. & ſang. Domini, c.21.22.* Hugone *lib. de eccl. poteſtate, c.21.* vbi ait: *Audacter dico, ſi ante ſacerdotis confeſſionem quis acceſſerit ad corpus & ſanguinem Chriſti, reus erit corporis & ſanguinis Domini, quantumuis pœniteat, & vehementer doleat, & ingemiſcat.* Abbas etiam *in cap. de homine. tit. de celebr. Miſſ.* ait: *Nota ſingulariter hanc vltimam quæſtionem, & ex illa collige, quod ſacerdos non debeat celebrare, ſi ſciat ſe* 2.

eſſe

eſſe in peccato mortali, niſi prius confiteatur; nec ſufficit ſola contritio, vel propoſitum confitendi ex quo de præſenti poteſt confiteri, quod multi ſacerdotes malè obſeruant. Et per hoc dicit dominus Antonius de Butrio falſam eſſe opinionem eorum, qui dicunt ſufficere ſolam contritionem cum propoſito confitendi ſemel in anno. Idémque ratio ipſa docet, cùm diuino præcepto 1. *Corinth.* 11. quiſque teneatur probare ſeipſum, idéoque in huius rei ſignum Chriſtus *Io.13.* antequam diſcipulos communicaret, eorum pedes lauit; & in veteri Teſtamento *Exod.*19. minatur Dominus: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiam eos.* & *Leuit. c.8. Pontificis Aaron conſecratio incipit à lauacro ad puritatem in ſacerdote requiſitam, figurandam. Exodóque* 30. in figura eiuſdem. *Et Miſſa* (inquit) *aqua* (nempe in labro æneo) *lauabunt in ea, Aaron & filij eius, manus ſuas, & pedes, quando ingreſſuri ſunt in tabernaculum teſtimonij; & quando acceſſuri ſunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne fortè moriantur.* Eadémque de cauſa prohibebat Dominus immundos, panes propoſitionis manducare, & res ſacras contingere. quod explicans D. Baſilius *lib.* 2. *de Bapt.c.*3. *Grauiſſimum* (inquit) *ſupplicium in lege Deus aduersùs eos decreuit, qui cùm ſint immundi, ſancta contingere non verentur, & locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:* Dic Aaroni & filiis eius, ne polluant nomen ſanctum, quicumque illi mihi ſanctificantur. Ego Dominus, dic illis, in generationibus ipſorum: quiſquis hominum ab omni veſtro ſemine ad ſancta, quæcumque filij Iſraël Domino ſanctificantur, in immunditia ſua conſtitutus accedit, exterminabitur anima illius à facie mea. *Si tales minæ aduersùs eos poſitæ ſunt, qui temere ad ea ſacra accedunt, quæ ab hominibus ſanctificantur; quid dicendum eſt de eo, qui in tantum ac tale myſterium temerarius eſt?* pluráque alia diſſeruit *cap. præcedenti.* Denique ipſe Pontifex ſummus non niſi gemens, & afflicto corpore pro peccatis ſuis, & in die ieiunij, & pœnitentiæ, ac ſine ornatu veſtibúſque exultationis, in Sancta Sanctorum ingrediebatur, timens ne fortè exigentibus ſuis peccatis à Deo occideretur: vt pluribus docet Abulenſis *Exod.* 39. Qui etiam *eodem Exod. c.*24. *q.*15. ſcribit egreſſum Pontificem è templo conſueuiſſe exhibere conuiuium; quòd è Sancta Sanctorum exiiſſet incolumis. Quæ ſanè, quanto cum timore & pœnitentia ſacerdoti euangelico accedendum ſit, ad ſacrificandum Chriſti corpus & ſanguinem, demonſtrant. quod etiam innuens D. Iacobus *in Liturgia* ait: *Domine, miſerere noſtri, quandoquidem veneramur, & tremimus, cùm tuum ſacrum altare accedendum eſt, & offerendum ſacrificium hoc verendum.* Multo tamen grauius peccat ſacerdos ille, qui ne in peccato mortali celebret, ſimulat ſe conſecrare & conficere: vt habetur *cap. de homine, de celebr. Miſſ.* vbi rogatus Pontifex quid videretur de eo, qui celebrarat abſque cõſecratione, quòd ſciret ſe eſſe in peccato mortali. Reſpõdet: Cùm ergo falſa ſint abiicienda remedia, quæ veris ſunt periculis grauiora; licèt is, qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet grauiter, ſi ſe ingerat irreuerenter ad illud; grauiùs tamen videtur offendere, qui ſic fraudulenter illud præſumſerit ſimulare; cùm ille in ſolius miſericordis Dei manum incidat; iſte verò non ſolùm Deo (cui non veretur illudere) ſed populo quem decipit, ſe adſtringat: vnde rectè ſtatutum eſt *cap. tuæ, de cler. pereg.* & à Concil. Trid. *ſeſſ.*22. *decreto de obſer. & vitandis in celebratione Miſſæ, & ſeſſ.*23.*c.*16. non eſſe admittendos ad Miſſam celebrandam vagos & ignotos ſacerdotes, aut notoriè criminoſos; qua etiam de re Nau.*c.*27. *& lib.* 3. *conſil. tit. de celebrat. Miſſ. conſil.* 1. Emanuel Rodericus *num.* 153. *tom.*1. *quæſt.*43. *art.*18. Trottus *de perfecto cler. lib.*2.*c.*31.*num.*6. Ex quibus deberet Epiſcopis ſufficere licentia proprij Epiſcopi, vel Prælati; & ſi notus eſt, licèt alienus,

etiam

etiam ſine licentia poteſt admitti, *cap. tuæ, de clerico peregr.* vt igitur ad rem noſtram redeam debet ſacerdos omni pietate, & morum probitate, ſplendeſcere, vt dignè tantum ſacrificium peragat; cùm prædixerit Dominus *Malachiæ* 3. noui Teſtamenti ſacerdotes purgandos, & tamquam aurum conflandos, vt ſcilicet vndique perfecti ſint, dignéque Deo miniſtrent. Nec ſanè mirum, cùm etiam Plato naturæ lumine *lib. 4. de leg.* dixerit: *Bonum virum ſacrificare decet.* & *lib.10. de leg. & in Alcibiado* ſcripſerit, ſine animi puritate, Deum vota & ſacrificia non acceptare. Sed cùm hac de re iterum futurus ſit ſermo *lib.3.c.11. & lib.4. c.19. & 26.* concludamus modò cum D. Chryſoſtomo *lib. 6. de ſacerdotio,* luminis inſtar vniuerſum orbem illuſtrantis, ſacerdotis animum ſplendeſcere oportere. Porrò quibúſnam caſibus celebrare vel communicare liceat abſque præuia confeſſione poſt commiſſum peccatum mortale, cum ſola vera mentis pœnitentia, fusè diſputat Sotus 4. *d.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 4. & *d.* 18. *q.* 2. *art.* 4. Corduba *lib.* 1. *q.* 16. Sylueſter *confeſſio* 2. §. 2. Canus *lib.* 1. *de locis, c.* 5. Victoria *num.* 79. Salmeron *tom.* 9. *tract.* 39. Suarez *diſp.* 63. *ſect.* 4. Azor *lib.* 10. *c.* 31. Henriquez *lib.* 8. *c.* 46. nempe ſi imminet mors, & ſacerdos, vel laicus poſſit communicare, ſed non confiteri: ſi adſit alterius grauis neceſſitas, vt ſi occurrat ſacrum facere ad communicandum exiſtentem in articulo mortis: ſi quis nequit confiteri ſua peccata, & tamen citra grauem aliorum offenſionem, & ſcandalum, communionem, aut celebrationem omittere non poteſt, aut tempore Paſchæ non debet; ſi timeat confeſſarium, qui ſolus adeſt, non ſeruaturum ſigillum, ſi tamen habet alia mortalia, de quibus non timet, ea confiteri debet, ex Soto 4. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 3. & Suarez *loco cit.* Si habet quis caſum reſeruatum ſuperiori, quem adire non poteſt; nec facultatem petere abſoluendi ab alio; & tamen ad Euchariſtiam accedere debet, ſed etiam tunc ſi habet alia, confiteatur de illis. Si ſacerdos incepit ſacrum, vel laicus accedit ad altare vt communicet, & recordatur peccati mortalis non confeſſi, & non poſſit abſque ſcandalo priùs confiteri, licebit perficere, ex S. Thoma 3. *p. quæſt.* 83. *art.* 6. Bonau. *diſt.* 13. *in expoſit. litteræ.* Soto 4. *d* 13. *quæſt.* 1. *art.* 6. Nauarr. *c.* 21. *num.* 49. & *c.* 25. *num.* 76. Victoria *num.* 79. Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 16. Armilla *communico, num.* 28. Suarez *loco citato.* Quin immo ſecluſa etiam nota & ſcandalo. Victorias & Henriquez *loco cit.* exiſtimant licere ei, qui ſacrum incepit, vel laico, qui communicaturus acceſſit ad linteum etiamſi recordetur peccati à quo in confeſſione facta non fuit directè abſolutus, communicare & perficere, quia iuſtus accedit.

Tertium eſt præparatio ad deuotionem excitandam, cum dicat D. Chryſo- 3
ſtomus *Hom.* 83. *in Matth. & Hom.* 60. *ad pop. Nemo nauſeans accedat, nemo remiſſus, ſed excitati omnes, incenſi atque feruentes. Nam ſi Iudæi ſtantes calceati, & baculos in manibus habentes, cum feſtinatione comedebant, quanto magis nobis vigilandum eſt? Vigilandum igitur eſt, non enim paruum ſupplicium indignè communicantes expectat.* Et paulo pòſt: *Tanta igitur charitate, atque honore affecti ne torpeamus: non videtis quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt, qua preſſione papillis infigunt labia? non minore cupiditate nos quoque ad hanc menſam, & ad huius calicis ſpiritualem accedamus papillam; immo verò deſiderio quaſi lactentes pueri gratiam ſpiritus ſugamus.* Et *Hom.* 17. *in epiſt. ad Hebr. Sanctis hæc ſancta conceſſa ſunt. Hoc etiam diaconus inſinuat in illa hora vocans Sanctos ad communionem, dicens:* Sancta Sanctis, *ac ſi diceret; ſi quis non eſt ſanctus, non accedat. non ſimpliciter dicit à peccatis mundus, ſed ſanctus: ſanctum enim non mundatio peccati tantùm facit, ſed etiam præſentia ſpiritus, & bonorum operum opulentia. Si enim Rex Babylonius, ex captiuitate eligens iuuenes, honeſtos forma, & decoros facie*

elegit,

elegit; multo magis, & nos adſtantes menſæ regali honeſtos ſpecie animæ, eſſe oportet, ornatum habentes aureum, ſtolam mundam, calceamenta regalia, vultum animæ formoſum, oportet eam ornatu aureo circumdatam eſſe, cingulum veritatis habere. Et D. Baſilius *lib. de Baptiſmo: Oportet igitur accedentem ad corpus & ſanguinem Domini, ad rememorationem eius, qui pro nobis mortuus eſt, ac reſurrexit, non ſolùm purum eſſe a quouis inquinamento carnis ac ſpiritus, ne ad iudicium edat & bibat: ſed & euidenter oſtendere, & exprimere memoriam eius, qui pro nobis mortuus eſt ac reſurrexit.* Et ſanè vas in quo Manna (tanti myſterij figura) continebatur, non ſolùm mundum, ſed aureum oportuit eſſe, *ad Hebr. 9.* vt non tantùm purum, ſed etiam aureum deuotione & feruore ſpiritus cor eſſe oportere ſignificet, quod cœleſtem panem excepturum eſt. Dauid etiam *Pſal.* 18. teſtatur Deum in ſole poſuiſſe tabernaculum ſuum, is autem non tantum mundus eſt, ac nitidus, verumetiam inter omnia corpora pulcerrimus ac feruentiſſimus, quæ deuotionis & charitatis ſunt propria, communicantium cordi ſummè debita. Idémque ipſum expreſſum videmus in Chriſti corpore ſepeliendo, non enim tantùm in munda ſyndone componi Chriſtus voluit, verumetiam aromatibus condiri. Denique ſi Eſther cæteræque virgines ad Aſſuerum Regē ingreſſuræ non tantùm ſex prioribus menſibus myrtino oleo abſterſiuam ac purgatiuam vim habente, vngebantur; ſed ſex etiam poſterioribus, aromatibus vtebantur, muliebríque mundo ornabantur, vt terreno Regi placerent; certè multo æquius eſt ad Chriſtum Dominum acceſſurum, non ſolùm purum, verumetiam deuotione, cæteriſque animi virtutibus, ac decore ornatum eſſe & comtum. Hoc certe S. Carpi ſtudium fuit, qui, autore D. Dionyſio *epiſt. 8. ad Demophilum*, numquam ſacra myſteria aggreſſus eſt, quin priùs inter ſupplicandum, & orandum, ei ſacra & læta viſio apparuiſſet. Plura de huiuſmodi præparatione ad ſacrificium, & ſacram communionem, videnda ſunt apud S. Germanum *in Theoria*, Paſchaſium *lib. de corp. & ſang. Domini, c.* 21. 22. Algerum *lib.* 1. *c.* 22. Ephrem *de die iudicij, c.* 5. Proſperum *lib.* 1. *de promiſſ. c.* 37. 39. S. Thom. *opuſc. de ſacram. altaris.* Theodoretum, Rupertum, Aloyſium, Lippomanum *in c.* 12. *Exod.* differentes de præparatione manducationis Agni paſchalis, Nauarrum *de orat. not.* 22 *num.* 104. Ludouicum de Puenta *tom.* 2. *med.* 9. *de Paſſione Chriſti*, quæ eſt de inſtitutione Euchariſtiæ. Quare deplorat meritò Concilium Colonienſe *p.* 2. *c.* 9. & 10. ſacerdotum noſtri temporis audaciam, perditóſque mores, qui criminibus, etiam manifeſtis, contaminati, & non tantùm abſque deuotionis ac pietatis ſenſu, lucelli ac ſtipis cauſa, irreuerenter ſe ſacris ingerunt, audaciúſque irrumpunt in hæc ſacratiſſima myſteria, quàm facerent in profana. *Eſth. c.* 2.

4. Sed illud hoc loco explicandum eſt, an neceſſariò ante celebrationem ſit præmittenda tamquam præparatio quædam ſacrificij, recitatio diuini officij. Qua in re dicendum videtur poſſe ſacerdotem excuſatum ob infirmitatem à recitatione officij, celebrare, licèt nec dixerit, nec dicturus ſit officium, vt cum communi ſententia docet Sotus 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 2. *in fine & lib.* 10. *de iuſtitia, q.* 5. *art.* 4. *concl.* 2. Toletus *lib.* 2. *inſtit. c.* 14. Emanuel Sà *in Aphoriſmis, Miſſa, num.* 22. Azor *lib.* 10. *c.* 28. *q.* 18. Suarez *tom.* 3. *diſp.* 82. *ſect.* 1. *concl.* 1. Graff. *p. p. lib.* 2. *c.* 40. eò quòd ſæpe accidat, vt infirma valetudo iuſtam excuſationem præbeat omittendi officium, & nihil impediat quin ſacrum celebrare poſſit, & non ſit neceſſaria connexio inter officium & Miſſam. Eum verò, qui non excuſatur ab officio ſi ante dictum Matutinum cum laudibus celebret, non peccare mortaliter, quicquid in contrarium ſenſerit Paludan. 4. *d.* 13. *q.* 2. Ledeſma 2. 4. *q.* 16.

*art.*4. Antoninus 3.*p.tit.*13.*c.*4.§.4. Gabriel *lect.*11.*in can.* Hoſtienſis *ſum.de celebr.*
*Miſſ.*Tabiena *Miſſa. num.*6.Armilla *Hora,num.*18. Nauarrus *de horis.c.*3.*num.*70.
& *c.* 21. *num.*30. Maiolus *lib.*3.*de irreg. c.*34. Graffius *p.p.lib.* 2. *c.*40. Io. Stephan.
Durandus *lib.*3. *de ritibus,c.*24. Marcellus Francolinus *lib.de horis, c.*42.vbi plures
citat Canoniſtas. Azor *lib.*10. *c.*28. *quæſt.*17. Henriquez *lib.*9.*c.*24.§.7. Probatur,
1. tum quia multi graues & pij Doctores ita ſentiunt, vt Syluester *Miſſa* 1. *num.*
6. Sotus 4.*d.*13.*quæſt.*2. *art.* 2. *lib.*10. *de iuſtit. quæſt.*5. *art.* 4. Toletus *lib.*2. *inſtit.c.*1.
Emanuel Sà *Miſſa, num.*22. Emanuel Rodericus *tom.*1.*quæſt.*43. *art.*3.*& in ſum-*
*ma p.p.c.*244. Aragona 2.2. *quæſt.*83. *art.*12. *dub.*5. Ludouicus Lopez 2.*p. inſtruct.*
*c.*79. *&* 105. Carbo *lib.*9. *de leg. d.*9. Leonardus Leſſius *lib.*2. *de iuſtit.c.*37. Suarez
diſp. 82. *ſect.*1. *& tom.*2. *de relig. lib.*4.*c.*24. Victoria, Canus, & Pegna apud Hen-
riquez.& putat eſſe probabilem Valentia 2.2.*d.*6.*quæſt.*2.*de orat.p.*10. quare tutò
2. abſque peccato horum Doctorum opinionem ſequi licet, tum quia nullibi ex-
tat tale præceptum obligans ſub mortali; quamuis enim in Miſſali monea-
tur ſacerdos hac de re, nullum tamen præceptiuum verbum ponitur, vnde
conſilium ſolùm eſt, ſicut illud ibidem poſitum, vt antea vacet aliquantulum
3. orationi. tum quia recitatio diuini officij non eſt inſtituta vt ſit præparatio ad
4. Miſſam, ſed propter ſe, ob publicam orationem faciendam in Eccleſia. tum
quia non quælibet conſuetudo habet vim legis, & præcepti; illa enim tan-
tùm præceptum inducit, in qua non ſolùm conſideratur quid fiat, ſed etiam
qua ratione & animo fiat; in caſu verò prapoſito, à pluribus viris doctis &
timoratis, vt ex citatis patet, ſub ea ratione acceptata non eſt, vt credant
obligare ad mortale, ſicut ſolent dici Veſperæ poſt Miſſam, & tamen ſæpe
5. aliter fit ſine peccato.tum quia maior videtur connexio inter ipſas horas,quam
inter Matutinum & Miſſam, cùm horæ ſint eiuſdem rationis, & componant
vnum officium, non autem Miſſa & officium; ſed tranſgreſſio præſcripti or-
dinis horarum non eſt mortalis, vt ſi quis recitet ſextam ante tertiam,etiamſi
id faciat ex negligentia, ex Antonino 3.*p. tom.* 13. *c.*4.§.4. Angelo *hora. num.*18.
Nauarro *de horis c.*21. *num.*30.*& in Manuali c.*25. *num.*99.Armilla *hora,num.*7. Le-
deſma 2. 4. *quæſt.* 16. *art.*4.*dub.*3. Philiarcho *lib.*1. *c.*6. Graff. *lib.*2.*c.*52.Toleto *lib.*
2. *c.*13. Valentia 2.2. *d.*6.*quæſt.*2. *de orat. p.*10.Azor.*lib.* 10.*c.*10.*quæſt.*1. Suarez *loco*
citato, & Innocentio *cap. dolentes. de Miſſa celebr.* cùm illa inuerſio ſit materia le-
uis;ergo multo minus tranſpoſitio Miſſæ & Matutini,etiamſi concedamus eſſe
conſuetudinem. quæ ſi negetur neque erit veniale, vt vult Suarez, maximè ſi
adſit aliqua rationabilis cauſa, v. g. ne qui audituri ſunt diutius expectare co-
gantur, aut inſtet iter, &c. Ex quibus etiam liquet, multo minus eſſe mortale
celebrare ante recitatam Primam (quicquid ſenſerit Angelus *Miſſa,num.* 42.)
ex communi ſententia Syluestri *Miſſ.*1. *num.*6.Soti *lib.*10. *de iuſt.quæſt.*5.*art.*4. Ta-
bienæ *Miſſa,num.* 6. Nauarri *de horis, c.*3. *num.* 70. *&* *c.*21. *num.* 30. Graff. *lib.*2.*c.*4.
Henriquez *lib.*9.*c.*24. Antonini, & Ledeſmæ *locis citatis*.Immo neque veniale,ex
Azor.*lib.*10. *c.* 10.*quæſt.*5.*&* *c.*28.*quæſt.*20.& Suarez *loco citato*, ſi alioquin ſuo tem-
pore perſoluatur,cùm in officio priuato non ſit vllum præceptum, nec conſue-
tudo hac de re,nec res ſit tanti momenti.

De

De requiſitis in ſacerdote ad ritè celebrandum ex parte corporis. CAP. VII.

SVMMARIVM.

1. *Ad Miſſæ ſacrificij celebrationem neceſſariò prærequiri ieiunium; idque non tantùm eccleſiaſticum, verumetiam naturale.*
2 *Quare non licebit ſacerdoti non ieiuno conficere, etiam vt viaticum præbeat ægroto in mortis articulo: licebit tamen poſt ſumtum calic m, in quo aqua loco vini poſita fuerat, appoſitum vinum iterum conſecrare, & ſumere, vt etiam repertas reliquias poſt purificationem, vel ſi immineat grauis iniuria ſanctiſſimo ſacramento.*
3. *Poſt celebrationem aut communionem, nullum præcipitur ieiunium, etſi conſultius ſit adhuc aliquantulum producere.*
4. *Sacrificaturum vel communicaturum decet caſtitas, ſeu corporalis munditia, ſaltem ſpacio 24. horarum, ſæpe quidem ad vitandum peccatum, aliàs ad decentiam.*
5. *Abſit periculum non perficiendi, & irreuerentiæ, cum rationabili totius corporis munditia.*

1. IVre prærequiritur in celebraturo ſacerdote, tamquam corporis neceſſaria
diſpoſitio ieiunium; quicquid ſuo more garriat popinis aſſuetus Lutherus
lib. de abroganda Miſſa, cum aſſeclis. Id enim Apoſtolorum traditio ſtatuit, vt 1.
docet S. Baſilius *epiſtola ad Cæſariam Patritiam*, Nazianzenus *orat.* 40. Chryſoſt.
*Hom.*27.*in* 1.*ad Corinth.* Epiphanius *lib.*3.*contra hæreſes, in fine*, Auguſtinus *epiſt.* 118.
*c.*6. Iſidorus *lib.* 1. *off. c.*18. *& can. liquido; de conſecr. d.*2. D. Clemens *epiſt.*2. vbi id
à D. Petro ſe accepiſſe teſtatur, Abdias *lib.* 7. agens de D. Matthæo. Id Patrum 2.
autoritas probauit, & præter citatos, id habet Tertullianus *lib.*2.*ad vxorem.c.*5.
Cyprianus *lib.*2. *epiſt.*3. Chryſoſtomus *epiſt.*3 *ad Cyriacum Epiſcopum*, Ambroſius
ſerm. 8. *in Pſal.* 118. Gregorius Turonenſis *lib. de glor. martyr. c.* 86. vbi etiam refert diuinam vindictam in tranſgreſſorem. S. Eligius *Hom.*8. Beda *in c.*22. *Lucæ.*
Paſchaſius *lib. de corpore & ſang. Domini, c.*20. Algerus *lib.*2. VValfridus *c.*19. Anſelmus *in* 1. *ad Corinth. c.*11. Id Eccleſiæ præceptum ſtabiliuit: ſtatuit enim So- 3.
ter, qui vixit anno 175. *Ne tamen, quod naturæ langoris cauſa conſulitur, in præſumtionis perniciem vertatur, nullus poſt cibum, potúmque, ſiue quodlibet minimum ſumtum, Miſſas facere; nullúſque abſque patentis, moleſtiæ prouentu miniſter, vel ſacerdos cùm cœperit, imperfectè officia præſumat omnino relinquere. Si quis hæc temerariè præſumſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.* Idem habetur in Concilio Nicæno I. anno 325. in Concilio Carthag. III. anno 398. *can.* 29. *&* 48. in Africano anno 418. *can.*8. in Bracarenſi I. anno 563. *can.*16. Bracarenſi II. anno 72. *can.* 10. Matiſconenſi II. anno 588. *can.*6. in Antiſiodorenſi anno 590. *can.* 19. in Toletano VII. anno 646. *can.*2. quod etiam pœnam excommunicationis imponit ei, qui ſumto cibo vel potu quantumlibet minimo ſacrificat, & refertur *can. nihil.*7.*quæſt.*1. in Conſtantinopolitano VI. anno 680. *c.*29. Leone IV. anno 850. Hom. per prouincias ad Epiſcopos Miſſa, vt communicaretur ſubditis Presbyteris. *Vbi* (inqitit) *nullus Miſſam cantet ſolus, nullus ante Solis ortum, niſi in natiuitate Domini, nullus cantet eam niſi ieiunus.* in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.*13. anno 1415. vt omittam reli-

qua. Quod ſanè Eccleſiæ præceptum obligare ſub mortali, teſtantur Scholaſtici omnes 4.*d*.8. vt Scotus *quæſt*.3. Durandus *quæſt*.4. Paludanus *q*.2. Bonau.*art*.1. Richardus *art*.2.*q*.1. Carthuſianus *q*.4. Palacius *quæſt*. 5. Albertus *art*.10. *& diſt*.13. *art*.26. Alenſis 4.*p*.*quæſt*.52. Sotus *d*.12. *quæſt*.1. *art*.8. Angelus *Euch*.2. *num*.6. Syluester *num*.7. Tabiena *communio, num*.42. Id vniuerſalis conſuetudo totius orbis recepit, teſte D. Auguſtino *citata epiſt*. 118. Iſidoro *lib*. 1. *offic. c*. 18. S. Eligio *loco cit*. VValfrido *c*.19. Amalario *lib*. 3. *c*. 34. etſi quoad feriam quintam cœnæ Domini, alicubi quãdoque celebratum ſit poſt cœnam, vt patet ex Concilio III. Carthag. *c*.29. *& can. ſacramenta. de conſecr. d*.1. & Concilio II. Matiſconenſi, quod ſuo decreto abſtulit, & ſexta Synodo Conſtantinopolitana *c*. 29. Etſi enim Chriſtus Dominus poſt comeſtionem Agni paſchalis inſtituerit, id tamen obligationem non inducit, vt nos etiam poſt cœnam celebremus; ſicut neque quòd noctu celebrauerit, antea lauerit diſcipulorum pedes, & ſimiles circumſtantes adhibuerit; id enim factum eſt, ad oſtendendum vnam cœnam alterius fuiſſe vmbram, & figuram. Reliquit verò Eccleſiæ, vt ipſa ſtatueret quid in hac re ad Dei honorem faciendum arbitraretur, vt docet S. Cyprianus *lib*.2. *epiſt*. & Auguſt. *epiſt*.118. *c*.6. quod ſuadere debuiſſet Lutherum modeſtiùs agere *lib. contra Regem Angliæ*, nec Catholicos merè ſtolidos & fatuos appellare. cùm grauiſſimos Patres tanto antea, ipſius dubitatiunculam ſoluiſſe conſpiceret. Id denique ſuadet ratio, tum ob tanti myſterij reuerentiam & honorem. Vnde S. Auguſt. *loco cit. Ex hoc* (inquit) *placuit Spiritui ſancto, & in honorem tanti ſacramenti in os Chriſtiani prius dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi; & ideo per vniuerſum mundum mos iſte ſeruatur*. Audin Luthere? tum vt fideles occaſionem haberent diſcernendi inter cibum ſacrum & profanum, iuxta præceptum *Leuit*. 10. *Vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum*. tum vt quoquomodo ſe non omnino indignos fideles præberent tanto ſacramento hac qualicumque præparatione. Ob id diuus Chryſoſtomus *Hom*. 27. *in* 1. *ad Corinth*. ait: *Tu priuſquam accipias ieiunes, vt aliquo modo dignus communione videaris*. Audin denuo hæretice? tum quòd Chriſtus Dominus *Matth*. 6. docuerit priùs quærenda, quæ ad Dei regnum pertinent, vt etiam adiiciantur cætera; tum quòd quæ ieiuni agimus maiori prudentia & conſideratione agamus cæteris paribus, quippe qui liberi à vaporibus è ſtomacho ad caput elatis, tunc cordatiores ſimus; vnde etiam ille ſe ad Rempublicam capeſſendam ieiunum acceſſiſſe teſtatus eſt, quòd ieiunio mens vegetior fit, vt Cheremon Stoicus ſenſit, quem imitatus Seneca *epiſt*. 15. dixit, ciborum copia ſubtilitatem animi impediri. An non etiam Amphiaraus Ethnicus homo, natura ipſa edoctus, edixit vt ſacerdotes, qui reſponſa clarè reddere volebant, integrum diem à cibo, triduo à vino abſtinerent, vt Volaterranus *lib*.13. ſcripſit. Non igitur mirum ſi Eccleſia quoque ieiunium edixerit ad tantum ſacrificium acceſſuris. Porrò huiuſmodi ieiunium non tantùm eccleſiaſticum eſſe debet, ſed etiam naturale, contra quàm ſenſerit Godofredus, ita vt excludat, & cibum, & potum, & medicinam, réſque cæteras, etiamſi non nutriant, vt papyrum, vel ſtatim euomantur, vel fuerit in minima quantitate, vt ex Concilio Toletano VII. *c*. 2. dicebamus, & patet ex communi vſu, & ſententia S. Thomæ 3.*p*.*quæſt*.80. *art*. 8. Scoti 4. *d*.8. *quæſt*.3. Durandi *quæſt*.4. Gabrielis *quæſt*.2.*art*.3. Palud. *quæſt*.2. Antonini 3.*p*. *tit*. 13. *c*.6.§.8. Tabienæ *v. communio, numero* 42. *cap. ex parte, de Miſſ. celebr*. Gloſſæ *can. nihil* 1. *quæſt*. 7. Si tamen per modum cibi aut potus ſumatur: nam ſi per modum reſpirationis aliquid attrahatur,

attrahatur, vel deglutiatur per modum ſaliuæ. v. g. inter lauandum & abluendum os, aliqua ſtilla aquæ, aut iuris inter deguſtandum an ſapidum ſit, & ſtatim expuitur, vel intrauit in apertum os muſca, ex Tabiena *num.* 44. & Henriquez *lib.* 8. *c.* 50. vel traiicitur aliquid ſanguinis à capite aut dentibus defluentis, aut reliquiæ, quæ remanſerunt in ore ex præcedenti die, non violatur ieiunium naturæ, cùm id non ſit comedere vel bibere ex communi ſententia Theologorum, vt Paludani 4. *d.* 8. *q.* 2. Syluestri *Euchariſtia* 3. *q.* 6. Henriquez *lib.* 8. *c.* 50. Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 4. & aliorum. Eſſet tamen ſumtio noui cibi, impediretque celebrationem, ſi dum imus cubitum ſaccharum in os immitteremus, quod vſque ad initium ſequentis diei, vel poſt mediam noctem perduraret; eſſet enim, teſte Suarez loco citato, ſucceſſiua quædam cibi ſumtio. Eſt autem hoc naturæ ieiunium ſeruandum ab initio diei naturalis in quo celebrandum eſt. Computatur verò dies naturalis à media nocte in mediam noctem ſequentem: ideo ſi poſt mediam noctem ſumtum ſit aliquid, ſolutum erit ieiunium, & impedietur celebratio: ſi immediatè antè licèt non dormierit poſtea, nec cibum concoxerit, durat ieiunium, & licebit celebrare, ex D. Thoma & communi ſententia, quicquid in oppoſitum ſenſerit Gloſſa *can. nihil.* 7. *q.* 1. *& cap. ſi conſtiterit. de accuſat.* & Io. Beleth *lib. de diuinis officiis, c.* 51. qui idem negat, licèt ſacerdos comederit ante Veſperas, ſi poſtea dormire non potuit. Vbi verò non poteſt dies naturalis diſtingui à media nocte in mediam noctem, vt contingit ſub polo, ob longam Solis præſentiam, vel abſentiam, conſtituendi erunt dies proportionati noſtris ex motu cœli; æſtate quidem Solis, qui ſuper orizontem continuè circuit per aliquot menſes, ita vt vna circulatio diem conſtituat; hyeme cùm Sol non aſcendit ſuper orizontem, ex motu ſtellarum eadem proportione facto initio, à puncto, qui mediæ noſtræ nocti reſpondeat, & in quo etiam finiatur circulatio.

2. Roganti verò an liceat ſacerdoti non ieiuno conficere, vt præbere poſſit viaticum ægroto in articulo mortis conſtituto, dicimus contra Io. Maiorem 4. *d.* 9. *q.* 3. *ad* 5. non licere, ex communi ſententia Paludani 4. *d.* 8. *q.* 2. *art.* 1. Gabrielis *q.* 2. *art.* 3. Soti 4. *d.* 12. *q.* 1. *art.* 8. Victoriæ *n.* 83. Nauar. *c.* 21. *n.* 53. Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 5. Azoris *lib.* 10. *c.* 30. Henriquez *lib.* 8. *c.* 50. cùm non ſit minoris momenti hoc præceptum, quàm illud non celebrandi ſine ſacris veſtibus, aut celebrandi in pane azymo ſolo. & ita vſus communis interpretatur, & non ſit neceſſitas medij huius ſacramenti in infirmo, ſed ſolùm præcepti ſi poſſit; & Eccleſia prouiderit ad hunc effectum, vt ſemper aſſeruetur Euchariſtia. ex *can.* 14. Concilij Nicæni, *& canone Presbyter. de conſecr. d.* 2. Poteſt tamen ſacerdos, ſi loco vini in calice appoſita fuiſſet aqua, & ſumta, iterum vinum cum aqua apponere, & denuo conſecrare, & ſumere, vt dicemus *lib.* 4. *c.* 7. vt etiamſi ſumta purificatione reperiat reliquias, illas ſumere poteſt antequam ab altari diſcedat; ſicut ſi adhæſiſſet particula calici vel ori etiam ſumta purificatione, poteſt (vt etiam laici) iterum ad eam deglutiendam purificari, cùm, vt dicemus *lib.* 4. *c.* 29. hoc totum ordinetur ad ritè explendam ſuam functionem, quam ieiunus incepit, & nondum eſt terminata; vel ſi immineat ſacroſancto Chriſti corpori iniurioſa tractatio, & grauis irreuerentia, vt, v. g. ſi alioquin iniurioſè tractandum eſſet, aut comburendum ab infidelibus, poſſet ſacramentum adſeruatum in pyxide conſumere, etiam ſoluto ieiunio; quia quod pro eius reuerentia ſtatutum eſt, non debet obligare contra eiuſdem reuerentiam. Deni-

que in mortis etiam violentæ articulo, poteſt non ieiunus communicari, ſed hac de re *lib.4.c.28.*

Requiritur autem ieiunium vt diſpoſitio ſolùm ad celebrationem aut ſumptionem Euchariſtiæ, quibus perfectis ceſſat obligatio, ex S.Th. *3.p.q.80. art.8.* Antonino *3.p. tit.13. c.6.§.8.* Soto *4.d.12.q.1.art.8. ad 6.* Gabriele *4.d.8.q.2.art.3.* Sylueſtro *Euch.3.§.9.* Suarez *diſp.66.ſect.4.* Azore *lib.10.c.30.*& patet ex D. Chryſoſtomo *Hom.27.in 1 ad Cor.* vbi ait: *Quid igitur ieiunare oportet poſt eius acceptionem? non hoc dico, non cogo, licèt bonum ſit, non tamen compello, ſed admoneo.* Et ſanè niſi neceſſitas cogat, aliquantulum protrahendum eſſet, tum vt collectis animæ noſtræ viribus, cogitatione cum Chriſto, quem hoſpicio ſuſcepimus, verſemur; tum ne cum diuino cibo terrenum miſceamus; tum quòd antiquitus certis horis poſt ſumtam Euchariſtiam à cibo fideles abſtinerent, vt conſtat *ex ep.2.* D. Clementis ad Iacobum, & habetur *can. tribus gradibus. de conſecr.d.2.* etſi modò non obliget contraria conſuetudine abrogatus, eodem D. Thoma teſte. 3.

Sacrificaturum pariter corporalis munditia ac caſtitas decet: quod etiam Gentiles ipſi ſenſerunt. veteri enim Romanorum iure cauebatur: *Ad diuos adeunto caſtè, pietatem adhibento.* Et à Romanæ eloquentiæ parente M.Tullio dictum eſt, Dei cultum caſtiſſimum eſſe debere; pluráque hac de re videri poſſunt apud Alexandrum ab Alexandro *lib.4. c.17.* Tiraquellum *ibidem*, & Giraldum *lib.17.* Quare multo magis in vero Dei cultu id condecet. Ideo in lege veteri tempore vicis ſuæ, ſacerdotes ab vxoribus abſtinebant, vt docet Beda, & Theophylactus *in c.1. Lucæ*, & Abulenſis *lib.1. Paralip.c.24.q.25.* vt etiam,Philone teſte *lib. de Monarchia*, eodem tempore non domi ſuæ,ſed in domibus atrij templi habitabant, ne aliqua legali immunditia foris ſe contaminarent, qua inquinati miniſtrare non poſſent. Atque in caſtitatis ſacerdotalis figura. *lib.2. Paralip.c.4.* aquarum mare, ſeu æneum labrum abluendis ſacerdotibus ſacrificaturis proponitur, quòd inſignis mundities in ſacerdotibus flagitetur: vt etiam *Exod.30.* Non mirum igitur ſi in euangelicis ſacerdotibus, quibus ſacrificandi munus quotidie conceſſum eſt, & non quodcumque ſacrificium, aut quamlibet hoſtiam, ſed immaculatum Dei filium, exigatur ſingularis & perpetua quod ſanè præclarè expreſſit Innocentius I. *epiſt. 2. c. 9.* inquiens: *Si priſcis temporibus, de templo Dei ſacerdotes anno vicis ſuæ non diſcedebant, ſicut de Zacharia legimus, nec domum ſuam omnino tangebant; quanto magis ij ſacerdotes vel leuitæ pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſeruare debent, quibus non præterit dies, qua vel à ſacrificiis diuinis vel à Baptiſmatis officio vacent.* Addit & aliam eiuſdem rei cauſam Concil. Carthag. II. *can. 2.* nempe vt faciliùs pro populo ſupplicantes exaudiantur. *Condecet* (inquit) *ſacroſanctos Antiſtites, & ſacerdotes, necnon & leuitas, vel qui ſacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſuppliciter, quod à Deo poſtulant, impetrare; vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* & vberiùs paulo pòſt, nempe anno 482. Concilium Turonenſe I. *c.1.* *Si vniuerſis* (inquit) 4.

1.Cor.7. *fidelibus, ſecundum Apoſtolicam doctrinam, caſtitas cuſtodienda indicitur, vt qui habent vxores, ita ſint, quaſi non habentes, quanto magis ſacerdotes Dei ac leuitæ, diuino mancipati altari, cuſtodire debent, vt non ſolum cordis, verumetiam corporis puritatem ſeruantes pro plebe ſupplicaturi, preces illorum ad diuinum mereantur introire conſpectum?* & paulo infrà: *Cùm ergo laico abſtinentia imperetur, vt poſſit orationi vacans, & Deum*

1.Cor.7. *deprecans, exaudiri: quanto magis ſacerdotibus, & leuitis, qui in omni momento parati eſſe debent, in omni munditia & puritate ſecuri, ne aut ſacrificium offerre, aut baptizare, ſi id temporis neceſſitas popoſcerit, cogantur imparati, aut immundi? Qui ſi contaminati*

fuerint

fuerint carnali concupiſcentia, qua fronte excuſabunt, quo pudore vſurpabunt? qua conſcientia, quo merito exaudiri ſe credent? Eadem aſſertur cauſa a D. Ambroſio *in c.3. epiſt.1. ad Timoth.* cum enim dixiſſet, ſacerdotibus veteris Teſtamenti vxores eſſe conceſſas, quod rarò & per vices templo deſeruirent, non noſtris, quos quotidie neceſſe eſt præſtò eſſe Eccleſiæ, concludit: *Sacerdotes etiam die noctûque pro plebe ſibi commiſſa oportet orare. Mundiores ergo debent eſſe cæteris, quia actores Dei ſunt. Si enim plebis hominibus orationis cauſa ad tempus abſtinere ſe præcepit, vt vacent orationi; quanto magis leuitis, aut ſacerdotibus?* Similia habet Smaragdus Abbas *in diademate Monachorum, cap.*49. Sed omnium feliciſſimè hunc locum tractauit D. Auguſtinus qui cùm *lib. qq. vtriuſque teſtamenti mixtim*, quæſiſſet, cur ſi licet & bonum eſt nubere, ſacerdoti non liceat, ita reſpondet: *Quia debet mundior eſſe quàm cæteri, quia ſancta ſunt quæ adminiſtrat: nam ſicut ad comparationem lucernæ, tenebræ non tantùm obſcuræ ſed etiam ſordidæ ſunt; ad comparationem autem ſtellarum, lucerna caligo eſt; ad Solis verò comparationem ſtellæ nebuloſæ ſunt; ad Dei autem claritatem ſol nox eſt; ita & quæ ad nos licita & munda ſunt, ad Dei dignitatem quaſi illicita & immunda ſunt. Quamquam enim bona ſunt, Dei tamen perſonæ non competunt. Numquid non tunica mediocris hominis, quamuis munda, Imperatori tamen ſordida & illicita eſt? ſimiliter & veſtis communis Senatori? Ac per hoc Antiſtites Dei puriores eſſe debent quàm cæteri, quia & Chriſti habent perſonam & miniſtros Dei mundiores eſſe oportet. Nemo enim Imperatori miniſtrat niſi veſtimentis claris & mundis indutus. Deus autem quia clariſſimus eſt miniſtros eius natura magis quàm veſtibus mundos eſſe oportet.* Hactenus D. Auguſtinus. Porrò Eccleſiaſtici incontinentes quàm grauiter peccent, non obſcurè cognoſcent, ſi Petrum Damiani legant *lib.1.ep.6. lib.2.ep.10. lib.4.ep.3. ad Epiſcopum Taurinenſem*, vbi hac de re non minus grauiſſimè quàm fuſiſſimè diſputat. Lucius Papa & Martyr, adeò exhorruit altaris miniſtros, qui poſt ordinationem iterum cubile vxoris inuaderent, vt ſuo decreto ſanciuerit: *Sacrarij non intrent limina, neque ſacrarij portitores fiant, neque altare contingant, neque ab offerentibus holocauſti oblationem ſuſcipiant, neque ad dominici corporis portionem accedant, neque appropinquant.* Et in Concilio Toletano anni 597. ſtatutum eſt, vt ſiquis ex altaris miniſtris caſtitatem violauerit, non ſolùm excideret è gradu, ſed duro etiam manciparetur carceri. & anno ſequenti in Concilio Oſcenſi, de iiſdem decretum: vt non dubia, ſed ſincera caſtitate polleant, ne quouis modo de eis aliqua inhoneſta ſuſpicio poſſit ſuboriri. videatur etiam Syricius Papa *ep.4. §.9.* Miſerrimum omnino exitum incontinentis ſacerdotis apud caſtrum Lizinianum in agro Pictauienſi ſcribit Petrus Venerabilis *lib.1.c.25.* qui cùm fruſtrà ſæpius monitus fuiſſet à Monachis Boneuallis, quibus familiaris erat, in morbum incidit, & præſente Priore clamare cœpit: Succurre, ſuccurre, deprecare citò Dominum vt eripiat ab his leonibus hiante ore, & rictu feroci in me irruentibus; illius orationibus liberatus eſt. Sed poſt horam de aliis omnino rebus quàm de pœnitentia agens, iterum inclamauit: Feſtina, adiuua, ora, ſi fortè ab hoc etiam igne, qui de cœlo vt torrens inundans deſcendit, vt me in fauillam comburat, eripi valeam, & illius etiam orationibus ſanè euaſiſſet, nec pœniteret, mox raptus eſt in extaſim, & ad ſe rediens miſerabiliter ingemiſcens dixit: Ha, ha, ad iudicium æternum raptus ſum, &, heu, æterna morte damnatus ſum, traditúſque horrendis tortoribus igne inextinguibili perpetuò cruciandus. ecce ignita ſartago quam ad me fugiendum ſuccendunt, ceſſa, iam ceſſa orare pro me, nullatenus exaudiendus. Dicente verò Priore: Redi frater, redi ad cor, es adhuc viuus, Dei miſericordiam implora. ille adiecit: Tu putas me inſanire

inſaniæ, non inſanio, non. & dum hæc loqueretur gutta illius ignei humoris de ſartagine exiliens in eius manum, vidente Priore cutem & carnem vſque ad interiora oſſis conſumſit; ille verò acri gemitu: En, inquit, indubia rei probatio. & reflexa ceruice animam condemnatis ſpiritibus tradidit. De cæteris verò communicaturis D. Auguſtinus *ſer.* 244. *Quoties* (inquit) *ad Eccleſiam in aliqua ſolemnitate venitis, & ſacramenta Domini percipere volueritis, ante dies plures caſtitatem ſeruate; vt cum ſecura conſcientia ad altare Dei poſſitis accedere.* Similia habet *ſerm.* 2. *&* 252. *de tempore.* Grauis tamen difficultas eſt de diuturnitate puritatis ac nitoris: cùm enim non omnes aut celebraturi, aut communicaturi eadem puritate & caſtimonia fulgeant, ſicut nec ſtellæ omnes eodem lumine ſplendent, ſed plures poſt voluntarium caſum, legitimo cordis dolore, & confeſſione denuo reſurgant; alij actu licito cum coniuge congrediantur; aliqui inuiti corporalem patiantur immunditiam, an, & quamdiu ſinguli à diuinis myſterijs arcendi ſint. Et quidem ſi de fornicatione voluntariáque pollutione ſit ſermo, quidam apud Gabriel. *lect.* 10. Sot. 4. *d.* 12. *q.* 1. *art.* 7. & Victor. *n.* 81. inter quos videtur Palud. 4. *d.* 9. *art.* 10. Bonau. 4. *d.* 12. *q. vlt.* Viguerius *de Euchar. verſu* 22. *litt.* D immo etiam D. Thomas 4. *d.* 9. *q.* 1. *art.* 4. *&* 3. *p. q.* 80. *art.* 7. *in corpore,* vt interpretantur Gabriel *loco citato,* & Sylueſt. *Euch.* 3. *n.* 10. exiſtimant peccatum eſſe mortale intra 24. horarum ſpacium ad Euchariſtiam conficiendam, aut ſumendam accedere, etiamſi de peccato commiſſo contritus ſit, & legitimè confeſſus; & fauet Climacus *gradu* 15. vbi citat canonem Apoſtolorum, vt fornicatori non ſtatim, etiam poſt pœnitentiam, communicare liceat, etiamſi poſt pœnitentiam liceat prolapſis in hæreſim. Alij, vt Victoria *num.* 81. ſolùm eſſe veniale: cæteri autem rectiùs exiſtimant præmiſſa confeſſione, iam non eſſe peccatum, canone illo, ſi vnquam re vera fuit tale Eccleſiæ præceptum, conſuetudine abrogato: ſed ex ſola congruitate & decentia à celebratione & communione abſtinendum. Eſt opinio S. Thomæ *locis citatis,* vt exiſtimat Adrianus *quæſt. de Euch. quæſtiuncula* 4. Soti 4. *d.* 12. *q.* 1. *art.* 7. Ledeſmæ 1. 4. *q.* 21. *art.* 7. *dub.* 2. Syluestri *Euch.* 3. *q.* 10. Gabrielis *lect.* 20. Abulenſis *in c.* 4. *Matth. q.* 75. Michaelis Medinæ *de ſacrorum hom. continentia.* Caiet. *ſum. v. communicare, ad finem.* Cordubæ *lib.* 7. *q.* 7. Nauar. *c.* 21. *n.* 51. Angeli. *Euch.* 3. *n.* 28. 29. Suarez *diſp.* 68. Azor. *lib.* 10. *c.* 32. Henriquez *lib.* 8. *c.* 51. qui plures alios citat. tum quia nullum aliud peccatum, etiamſi grauius ſit, vt infidelitas, & blaſphemia, ſi legitimo cordis dolore & confeſſione expiatum ſit, impediat. tum quia immunditia & ſordes, mentiſque diſtractio non minus emergant ex licita coniugali copula quàm ex fornicatione & adulterio, voluntariáque pollutione: quare ſi in illa non impediunt neceſſariò, ita neque in iſtis neceſſariò, iam deleta per confeſſionem culpa. ſin autem de actu coniugali, ſub veniali eo die abſtinendum eſſe à communione, quo coniugem cognouit, ſentit D. Hieronymus *in Apolog. ad Pammachium pro libris contra Iouinianum, & lib.* 1. *contra Iouinianum, & ſuper Matth.* & refertur 33. *q.* 4. Auguſt. *ſer.* 216. 244. Theophilus Alexand. *reſponſ.* 5. *&* 13. Alb. 4. *d.* 12. Alenſ. Bonau. *ibidem.* tum quia *lib.* 1. *Reg. c.* 21. antequam panem ſanctificatum, qui figuram gerebat Euchariſtiæ, Achimelec daret Dauidi, & ſociis, quærit, an mundi eſſent à mulieribus. tum quia plures apud Liranum *lib.* 2. *Reg. c.* 6. inter quos etiam Humbertus *lib.* 4. *erudit. religioſ.* ſentiunt Ozam percuſſum à Deo, ob arcæ tactum, quòd nocte præcedente vxorem cognouiſſet. S. Thomas tamen 4. *d.* 19. *q.* 2. *art.* 2. dicit id paſſum, quia cùm ſolùm eſſet leuita, & non ſacerdos, auſus ſit arcam tangere. Alij autem intrinſecè quidem nullum eſſe peccatum

veniale

veniale, ob decentiam tamen regulariter conſulendum, eo die à communione abſtinere, ſi congreſſus fuit ſpontaneus, & voluptatis cauſa; ita S. Gregorius *lib.12. regiſtri,epiſt. vltima, quæ eſt ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum*, S. Thomas 3.*p.q.*80.*art.*7.*ad* 2. Maior 4.*d.*9. Victoria *n.*81. Soto 4.*d.*12.*q.*1.*art.*7. Suarez *diſp.* 66.*ſect.*2. Henriquez *lib.*8.*c.*51. quòd ſignum ſit, hominem parum eſſe diſpoſitum ad res diuinas tractandas, & valde diſtractum; & frequenter non fiet talis communio, ſine aliqua culpa veniali, & ſic explicandus eſt D. Hieronymus & Auguſtinus ac Theophilus Alex. ſic Concilium Elibertinum *de conſecr.d.*2. *can. omnes.* Cabilonenſe anni 813.*c.*46. S. Eligius *Hom.*16. & Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, *in epiſtola ad compreſbyteros*, volentes ante ſacram communionem tribus, quatuor, aut ſeptem diebus abſtinendum ab vxore. At ſi id factum eſt, non voluptatis gratia, ſed intentione generandæ prolis, quod ratione circumſtantiæ accidere poteſt, vt fuerit expediens, vel ſi reddendo debitum, & non petendo, nullam culpam continebit, & vnuſquiſque relinquendus eſt ſuo iudicio, vt communicet, vel abſtineat, ex D. Gregorio *loco citato.* & habetur 33.*q.*4.*can. vir cum propria.* D. Thoma *ſuprà cit.* cum reliquis. Similiter poſt Euchariſtiæ ſumtionem conueniens eſſet, vt eo die abſtineret; id tamen non eſt neceſſarium. Denique ſi loquamur de inuoluntaria, & ſine peccato pollutione, D. etiam Auguſtinus *ſer.*244. *de tempore*, ſcribit poſt nocturnam pollutionem communicare, peccatum quidem eſſe, paruum tamen, non capitale; idem videntur ſentire Gerſon *de celebr. conſid.*7. Alenſis, Albertus, Bonauent. *locis citatis.* Alij per ſe quidem nullum eſſe peccatum docent, conſilium tamen eſſe, & conſultius eo die abſtinere: vt S.Thomas 3.*p. q.*80. *art.*7. Sotus 4.*d.*12.*q.*1.*art.*7. Victoria *num.*81. Azor *lib.*10.*c.*31. Gloſſa *c.teſtamentum,& c.non eſt.d.*6. quia *Deut.*23. iubentur polluti in ſomnis manere extra caſtra vſque ad veſperam. Idémque Patres Carthuſienſes videntur ſentire, cùm ex Soto, noctu polluti mane non ſolùm non celebrent, ſed nec ad gradus quidem altaris accedant. Alij neque ex conſilio abſtinendum volunt, dummodo quis faciat quod in ſe eſt, vt deuotè celebret, vel communicet; nec ſe ad id minus idoneum ſentiat, quàm ſi non accidiſſet. Ita docet D. Iuſtinus Martyr *q.*11. *ad Gentes. Non eſt* (inquit) *æquum propter hanc inuoluntariam paſſionem abſtinere à myſteriis.* Dionyſius Archiepiſcopus Alexandrinus *epiſtola ad Baſilidem,in fine.* S. Gregorius *lib.* 12. *regiſtri,ep. vltima ad Auguſtinum Angl. Epiſcopum*, Theophilus Alexandrinus *reſp.*8. Suarez *diſput.*68. *ſect.* 2. quia huiuſmodi euentus corporalis, non pertinet per ſe ad bonitatem, vel malitiam moralem; maximè ſi Iubilæus, vel feſtiuitas, id faciendum ſuadeat; vel ſi id ex dæmonis malitia accidere videatur, vt ſæpius accidiſſe conſtat, ex collationibus Caſſiani; & B.Petro Cœleſtino diuinitus reuelatum eſt ne hac de cauſa celebrationem omitteret, ex Surio die 19.Maij, & Petro de Aliaco *in ipſius vita c.*8.Quòd ſi quis nondum ſedatus eſſet, & memoria adhuc turbaretur in ſomnio, vt in ſecularibus ſolet accidere, tunc locus eſſet prioribus opinionibus.

5. Tertia corporalis diſpoſitio celebraturi eſt, vt abſit periculum relinquendi ſacrificium imperfectum. Ideo excluduntur tamquam irregulares, qui morbo caduco, vertigine, & ſimilibus laborant. 12. *q.*7. *per totam.* Maiolo *lib.*2. *de irreg. c.*14. Nauar. *c.* 25. *num.*203. & communi ſententia Scholaſticorum, & Summiſtarum. Et abſit periculum vomitus, & irreuerentiæ; vt ratio ipſa dictat, & conſtat *ex can. ſi quis.de conſecr.d.*2. & S.Thom.3.*p.q.*83.*art.*6. Gabriele *lect.*88. Soto 4.*d.*13.*q.*2.*art.*6. Denique adſit rationabilis totius corporis munditiès, quæ

in cæteris etiam rebus quærenda eſt, vt etiam infrà *c.* 14. *num.* 9. *& lib.*3. *c.*5. *& lib.*4. *c.*2. dicetur. Solet enim externa mundities ſignum eſſe interioris hominis, ſicut externus corporis color, & decor, internam viſcerum valetudinem oſtendit; quam ob cauſam dixit D. Auguſtinus *in Pſalmum* 125. *Si volueris vt exteriora munda ſint, interiora mundato.* docétque Arrianus *lib.*4. *de doctr. Epicteti. c.*11. & Seneca *ep.*5. *Natura duce, nobis a ſordibus & illuuie abhorrendum.*

De requiſitis in ſacerdote celebraturo ex parte cultus externi. CAP. VIII.

SVMMARIVM.

1. *Decet celebraturum ſacerdotem tonſura, ſeu corona clericalis, ab Apoſtolis in Eccleſiam introducta, & quæ illius forma, & ſignificatio.*
2. *Item eumdem calceatum eſſe.*
3. *Talaribúſque ac decentibus veſtibus vſualibus indutum.*
4. *Pariterque ſacris non noua ſed veteri Eccleſiæ conſuetudine, eiſque honeſtis & mundis, & præſcripti coloris.*
5. *Atque etiam ab habente autoritatem benedictis, nec in profanos vſus conuertendis.*
6. *Eas verò fieri poſſe ex pretioſis veſtibus illuſtrium virorum ac fœminarum.*
7. *De earumdem numero.*
8. *De amictu.*
9. *De Alba.*
10. *De cingulo.*
11. *De manipulo.*
12. *De ſtola.*
13. *De caſula.*
14. *An ſit peccatum mortale non recitare in iis induendis, conſuetas preces.*

INdicitur ſacerdoti in Concilio Carthaginenſi IV. *can.* 34. Agathenſi *c.*20. 1.
Aquiſgranenſi *c.*1. Lateranenſi ſub Innocentio III. *c.*18. in Trident. *ſeſſ.*23. *de reform.c.*6. *&* 17. *extra de vita & honeſtate cler. c.*1. & Bulla Sixti V. quæ incipit, cùm ſacroſanctam; vbi grauiſſimas pœnas tranſgreſſoribus infligit, raſura clericalis à Nazaræis *Num.*6. accepta; à D. Paulo *Act.*21. & aliis Apoſtolis in Eccleſiam traducta, vt conſtat ex D. Dionyſio *de eccl. hier. p.*2. *c.*3. Aniceto Papa *epiſt. ad Gallos*, & habetur *d.*23. Chryſoſt. *in* 1. *ad Cor.*11. Germano *in Theoria*, Amalario *lib.*2. *c.*5. *lib.*4. *c.*39. Beda *lib.*1. *vitæ S. Patricij. & lib.*3. *hiſt. c.*26. *lib.*5. *c.*13. *&* 20. *&* 22. Iſidoro *lib.*2. *off. c.*4. Stephano Heduenſi *in prolog. lib. de ſacramento altaris*, Ruperto *lib.*2. *off. c. vltimo.* Hugone de S. Victore *in ſpeculo. c.*6. Magiſtro 4. *ſent. diſt.*24. Alberto *ibidem art.*14. S. Thoma *ibidem q.*3. *art.*1. *&* 2. Richar. *art.*2. Soto *q.*2. *art.*1. Sixto Senenſi *lib.*5. *biblioth. c.*244. Bellarmin. *lib. de Monachis, c.*40. Baronio, in annum 58. *num.*103. quos omnes citaſſe voluimus ex omni ætate, ne amplius ſuo more Nouatores contra ſacram coronam obſtrepant, additurì paulo pòſt alios. Eius autem forma non eſt qualis a Luciano *in conuiuio, & in epiſtola ad Saturnum* deſcribitur, nempe deraſio capitis, paucis capillis in criſtæ modum in vertice relictis; nec quaſi deturpabat formoſos & comatos adoleſcentes. Caius ex Suetonio *c.*35. abraſo occipitio; ſed circularis, vt regiam coronam decet. quòd hæc

hæc figura ſit omnium præſtantiſſima, vt ex Geometria conſtat,& pluribus do-
cet Iulius Cæſar Scaliger *exercitatione* 40. Porrò in Concilio Toletano IV. *c.*40.
eccleſiaſtici illi reprehenduntur, qui modicum tantùm circulum detondebant.
dicitur enim: *Omnes clerici vel lectores, ſicut leuitæ, & ſacerdotes detonſo ſuperiùs capi-
te toto inferius ſolam circuli coronam relinquant*; non ſicut hucuſque in Gallitiæ par-
tibus facere lectores videntur, qui prolixis, vt laici, comis, in ſolo capitis api-
ce modicum circuli tondent: ritus enim iſte in Hiſpaniis vſquehuc hæreti-
corum fuit. Sed mos iſte,exceptis Monachis, ſuſceptus eſt a clericis omnibus.
Probauit coronæ vſum diuinitus Deus, cùm eam in ipſa natiuitate S. Nicetio
Treuirenſi Epiſcopo impreſſit, quaſi extunc eum iam clericum deſignaret, &
in ſuam ſortem eligeret: vt in illius vita ſcribit Gregor. Turonenſis: *Et vindi-
cauit in raſos ad cutem Monachos ludibria, & irriſiones inter cætera commiſſa ſcelera ab
Africanis, Deus, tradita.* prouincia affligenda Barbaris, vt docet Saluianus *lib.*8.
de vero iudicio. Eſt autem clericalis corona inſtituta, tum ad ſignificandum ter- 1.
renas cogitationes, & curas, eccleſiaſticis abiiciendas; cùm pars hæreditatis
eorum Deus eſſe debeat. Vnde egregiè D.Auguſt. *lib.de contemtu ſeculi: Caput igi-* *Pſal.15.*
*tur radere ſignificat cogitationes terrenas & ſuperfluas à mente reſecare: quia ſicut capilli
non ſunt pars corporis, ſed quædam ſuperfluitas procedens à corporis humore; ſic bona tem-
poralia non ſunt nobis naturalia, ſed aliena & ſuperflua; vnde ſacerdotes minimam par-
tem capillorum in capite retinent, vt per eorum abraſionem ſe minimam terrenorum ſollici-
tudinem agere deſignent.* tum ex eodem Auguſtino *ibidem*: vt inter nos, & Deum 2.
nihil intereſſe, cœleſtiáque nos diligere & contemplari probaremus, capil-
lorum quaſi ablato velamine. tum ex Iſidoro,& S.Thoma *locis citatis*, quòd co- 3.
rona ſignum ſit regiæ dignitatis, quæ ſe diuino miniſterio mancipantibus de-
betur,iuxta illud, *Genus electum regale ſacerdotium*,vnde etiam Deo ſeruire regnare
ſit, vt dicit D.Greg. tum ex Steph. Heduenſi, & Eucherio apud Pierium Vale- 4.
rianum *lib.*32. vt eccleſiaſticis vitia, quæ continuè ſuccreſcunt & pullulant, &
capillis comparantur à D.Gregorio *lib.*1.*epiſt.*24. demonſtretur reſecanda. Tum 5.
ex S.Germano *in Theoria*, Beda *loco citato*,Amalario *lib.*4.*c.*39. Victoria *de ſacram.
ordinis,num.*240.in memoriam ſpineæ coronæ, quam pro nobis Chriſtus Domi-
nus geſtauit. tum denique ex eodem S.Germano, & Petro Epiſcopo Antioche- 6.
no *epiſtola ad Michaelem Cerularium Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſcripta anno*
1054. in honorem & gloriam ignominiæ à D.Petro paſſæ,qui à Chriſto Domi-
no ad prædicandum Euangelium miſſus, ab infidelibus ad ignominiam, capite
raſus eſt ,quam raſuram cùm aſpexiſſet Chriſtus, ei benedicens, ignominiam
in gloriam commutauit.déque ea intelligi poteſt quod de corona gratiarum di-
xit Ezechiel *c.*16. iuxta verſionem Hieronymi *lib.*13.*in Ezech. Coronam gratiarum
ſuſcipiet vertex tuus.* Et ſanè abraſionem capitis ludibrij cauſa fieri ſolitam, con-
ſtat ex Philoſtrato *in Apollonio Tyaneo. lib.*7. qui tonſus eſt à Domitiano; & in
Martyribus damnatis ad metalla apud D.Cyprianum *ep.*77. & ex Suetonio in
Caio. *c.*35.

2. Dubitari deinde ſolet de calceis, num videlicet ſacerdotem ſacrificaturum oporteat eſſe calceatum. Qua in re dicendum eſt, etſi in veteri Teſtamento ſacerdotes ſacrificarent diſcalceati, ideóque *Exod.*30. iuberentur manus & pedes lauare; & in fabrica templi, teſte Aria Montano *lib. de fabrica templi*, locus eſſet in quo ſacerdotes nudis pedibus incedentes, calefierent; in nouo tamen conſuetudo eſt, ne ſacerdos ſine calceis ad altare ſacrificaturus accedat. tum ob maiorem honeſtatem & decentiam diuini cultus. vnde *Cant.*7. pulcri dicuntur

filiæ Principis, Eccleſiæ ſcilicet, greſſus in calceamentis. tum quòd Agnus paſchalis, huius diuini ſacrificij figura, à populo calceato comederetur, *Exod.*13. *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus veſtris.* ſunt autem ſymbolum calceamenta continentis & aſperæ vitæ, teſte D. Gregorio Nazian. *orat.* 42.*num.*42. & Niceta *ibidem,* quæ veluti calceamenta ſpinarum cuſpidem perfringit, ac conterit delitiarum, impeditque ne peccatum ex tenui & obſcuro principio, ad interiora ſenſim illabatur; ſicque etiam fiat, vt ab iis qui calcaneum obſeruant, *Gen.*2. & quos calcare iuſſi ſumus, *Lucæ* 10. ſerpentes & ſcorpiones, minimè vulneremur. S. Gaudentius *tr.* 5. *in Exod.* per calceamenta quibus calceati præcipimur manducare agnum immaculatum & munire greſſus mentium noſtrarum contra frigus & ſpinas diaboli diuinatum Scripturarum cognitionem interpretatur, quia tutus non poteſt eſſe greſſus noſter niſi mandatis dominicis contegatur, vſquequo intremus in illam ſanctam promiſſionis Terram, quæ iuſtis eſt præparata. Eſaias Abbas *tr.* 22. promtum paratúmque animum ad omnia fugienda, quæ conſcientiam pungunt & maculant. Porrò Syluester *Miſſa* 1. Sotus 4.*d.*13.*q.*2.& Richardus exiſtimant eſſe præceptum. Tranſgreſſio tamen, ſi abſit contemtus, non eſſet mortalis, ex Emanuele Sà *ver. Miſſa num.*15. De Epiſcoporum autem ſandaliis, videatur Gregor. *can. peruenit. d.*93.*& lib.*7.*epiſt.*28. Innocentius III. *ep.ad Patriarcham Conſtantinopolitanum,* Bernardus *ep.*42. & S.Thomas *in add. q.*40. *art.*7. vbi de ſingulis ornamentis pontificalibus diſſerit.

Tenetur etiam ſacerdos cæterique ſacris initiati, clericalem habitum vſualem talarem, deferre, ex Concilio Matiſconenſi I. *c.*5. Romano ſub Zacharia *c.*3.*&* 21.*q.*4.*c. Epiſcopi.de vita & honeſtate cler. c.*1. Concil. Lateran. ſub Innocentio II. *c.*18. Trident.*ſeſſ.*22.*c.*1.*de refor. ſeſſ.*23.*c.*6.*&* 17.Bulla Sixti V. *cùm ſacroſanctam,* quæ graues pœnas continet, Summiſtis *v.clericus.* Et coloris ac formæ decentis, aliàs vtens diſcoloribus & bipartitis veſtibus ſuſpenditur. Nauarr. *c.*27. *num.*157.*& in cap. ſtatuimus. num.*28. Couar. *in pract. c.* 31. *num.*7. Bernardo Diaz *pract. c.*69. & Summiſtis *verb. clericus.* In Synodo Narbonenſi anno 589. ſancitum eſt: *Hoc regulariter definitum eſt, vt nullus clericorum veſtimenta purpurea induat, quæ ad iactantiam pertinent mundialem, non ad religioſam dignitatem.* & Synodo VII. *ex can. omnis.* 21.*q.*4. *Epiſcopi & clerici, qui ſe fulgidis & claris veſtibus ornant, ſi non ſe corrigant, contradendi ſunt Epitimio, id eſt, per hebdomadam ſuſpendendi,* vt etiam *ibidem can. nullus,* ex Synodo VIII. *& can. Epiſcopi.c.ſine ornatu.& c.præcipimus.* 3.

Sed alterum habet habitum Chriſtiana religio in vſu vitáque communi, alterum in ſacrificij miniſterio, vt rectè tradit D. Hieronymus *in c.*44. *Ezechielis.*& meritò, cùm etiam in veteri Teſtamento ſacerdos ſacrificium oblaturus, certis & à Deo præſcriptis veſtibus, *Exod.*28. *&* 31. vteretur. vnde Iuo Carnotenſis *ep.* 124. *Quòd ſi in ſacrificiis illis animalium, cum tanta reuerentia, ritus veſtimentorum erat obſeruandus, quanto magis in conſecratione corporis & ſanguinis, in quo conſiſtit, non tantùm emundatio carnis, vt in illis, ſed etiam ſpiritus?* Videmus quoque Reges & Magiſtratus in publicis actionibus, veſtitu non vulgari, & quotidiano, ſed alio auguſtiore vti, quo & ipſis reuerentia concilietur, & poteſtas eorum repræſentetur. Quare etiam decuit vt ſacerdos in hac publica totius Eccleſiæ actione, eáque præcipua, ſacrum & peculiarem 4.
1. habitum vſurparet; tum ad ſacrificij reuerentiam; tum ad paſſionem Chri-
2. ſti fontem omnium bonorum repræſentandam, idoneum: tum ex diui Hie-
3. ronymi ſententia *citato loco Ezechiel.* 44. vt Eccleſiaſtici communium veſtimento

mentorum depoſitione, & amictu ſacrorum, diſcant cum munda conſcientia, & virtutum ornatu ſacramenta diuina tractare; tum denique quòd id cedat in 4. maiorem Dei honorem, ſicut pretioſæ aulicorum veſtes, in Regis gloriam. Quare etiam Carolus Magnus, Sigeberto teſte, ad annum 795. ne Ianitores quidem, qui vltimi ſunt eccleſiaſtici ordinis, in communi habitu, in Eccleſia ſeruire patiebatur; ſed multo auguſtiore vti præcipiebat, ſuis ſumtibus. Neque eſt quòd hæc, quaſi recens inuentum, Nouatores irrideant; cùm de iis habeatur perſpicua mentio *in ep.*1. *Anacleti*, qui anno 110. ſub Domitiano vixit, vbi docet Epiſcopum ſolemnioribus diebus, oportere in diuinis officiis, ſecum habere diaconos, ſubdiaconos, alióſque miniſtros, ſacris indutos veſtimentis. Polycrates quoque, qui circa annum 200. vixit, narrat apud Euſeb. *lib.*5. *hiſt.c.*24. S. Ioan. ſacerdotem fuiſſe, & geſtaſſe Pontificale ornamentum, ſeu Petalon. Steph. item Papa, qui vixit, anno Domini 256. *ep.*1. *ad Hilar.* aſſerit veſtimenta eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, ſacrata eſſe debere, & honeſta, quibus Eccleſiaſtici tantùm vterentur in diuinis officiis, à cæteris verò ne tangenda quidem eſſe. S. Hier. circa annum 400. *l.cit.* diſtinguit habitum miniſterij diuini à communi, & *ep.*3. *ad Heliod. de obitu Nepotiani*, docet ſibi à Nepotiano morituro legatam veſtem, qua in miniſterio Chriſti vtebatur. & *lib.*1. *cont. Pelagium*, aſſerentem gloriam veſtium, & ornamenta, Deo eſſe contraria. *Quæ ſunt* (inquit) *rogo inimicitiæ contra Deum, ſi tunicam habuero mundiorem, ſi Epiſcopus, presbyter, & diaconus, & reliquus ordo eccleſiaſticus, in adminiſtratione ſacrificiorum, cum candida veſte proceſſerunt?* S. Greg. Magn. circa annum 610. inter cætera ornamenta Eccleſiarum Aug. in Britanniam miſſa, veſtimenta ſacerdotalia in diuino ſacrificio adhibenda, tranſmiſit, vt docet Beda *lib.*1. *hiſtor. c.*29. & Io. Diacon. *lib.*2. *c.*37. *eius vitæ*. Et S. Hildefonſus, qui vixit circa annum 665. de cœlo à beatiſſima Virgine ſacerdotali veſte donatus eſt; vt ex Iuliano Pomerio *in eius vita* conſtat, & Pet. Caniſ. *lib.*5. *de B. Virg. c.*20. Denique ſingula veſtimenta ſacerdotalia habentur & explicantur apud Alcuin. qui anno 804. obiit, VValfridum, qui eadem tempeſtate vixit *lib. de reb. eccl. c.*24. Amalarium circa annum 830. *lib.*2. *c.*16. & Rabanum, qui obiit anno 856. *lib.*1. *inſt. c.*14. Oportet autem eſſe nitida, & munda, *ex c. relinqui. de cuſtod. Euch.* cùm nimis abſurdum ſit in ſacris ſordes negligere, quæ dedecent etiam in profanis. Seruandus autem ſi poſſit præſcriptus in Miſſali color, cùm non minus contineat colorum diuerſitas myſteria, quàm fieret in veſtibus veteris ſacerdotis, teſte Phil. *lib.*2. *de monar.* Ioſeph. *lib.*6. *de bello, c.*6. & Abul. *in c.*28. *Exo. q.*1. color enim albus conſcientiæ puritatem diligenter nobis quærendam indicat, viridis ſpem, charitatem rubeus, violaceus & niger, mœſtitiam ac lacrymas, & varium etiam induceret Angel. *in vita beatæ Franciſ. Romanæ.* Et quidem Deus ſæpe miraculis abuſum ſacrarum veſtium vindicauit: nam refert Theod. *lib.*2. *c.*27. & Caſſiod. *in Tripart. lib.*5. *c.*37. Thymelicum, cùm ſaltaret ſacra indutus veſte, quam Conſtant. Imper. dono dederat Machario Epiſcopo, ad Hieroſol. Eccleſiam cohoneſtandam, Deo vindice corruiſſe & contractum interiiſſe. Aliud non diſſimile huius rei exemplum narrat Beda *lib.*4. *de Angl. hiſt. c.*29.

5. Sunt autem priùs ab Epiſcopo, vel habente autoritatem, vt ſunt multi Prælati regulares, *c.*1. *de ſupp. neg. prel.* de quibus Emanuel Rodericus *tom.*1. *quæſt.*19. benedicendæ, vt patet ex Stephano Papa *epiſt.*1. *ad Hilarium*, & habetur *can. veſtimenta, de conſecr. d.*1. & ex Pontificali, ac Eccleſiæ conſuetudine, etſi de cingulo fuerit controuerſia. Scotus enim 4. *d.*13. *quæſt.*2. & Rich. *ibidem* negant; affirmat autem Nauarr. *c.*25. *num.* 84. quòd in Pontificali etiam pro cingulo habeatur benedictio; benedictionem verò perdunt, cùm ira ſcinduntur, & cor-

rumpuntur: vt iam aptæ non ſint ad vſus, ad quos ſacratæ fuerant, ex communi ſententia. & quidem cingulum fractum, ſi neutra pars per ſe ſufficiat ad cingendum, amittere benedictionem, ſi altera ſufficiat illam retinere, docet Gloſſa *cap. quod in dubiis, de conſecr. Eccleſia vel altaris,* Summiſtæ *v. veſtis.* Paludanus 4. *d.*13. *quæſt.*2. *&* *d.*24. *quæſt.* 2. Suarez *diſp.*82. *ſect.*2. Henriquez *lib.* 9. *c.*29. Quamquam Emanuel Sà *v. Miſſa, num.* 12. dicit poſſe necti, ſi neutra pars ſufficiat. Poſſunt verò refici ex panno, aut filo non benedicto, *ex Gloſſa citata.* Paludano, Henriquez, Suarez, & Summiſtis *locis cit.* cùm acceſſorium ſequatur naturam principalis. Manipulus quoque pro ſtola deſeruire poteſt, & ſtola pro cingulo. ex Paludano, Suarez, Henriquez *locis cit.* Nauarro *c.*25. *num.* 84. Emanuele Sà *v. Miſſa,* Azore *lib.* 10. *c.*28. *quæſt.*9. Sylueſtro *v. benedictio, quæſt.*6. quòd ſint eiuſdem benedictionis, & non diſſimilis formæ. Denique non poſſunt, etiamſi laceræ ſint, conuerti in vſus profanos, *ex can. veſtimenta, de conſecr. d.*1. *&* *ex regula iuris in* 6. *quod ſemel,* *&* 19. *q.*3. *can. quæ ſemel.*

Huiuſmodi autem veſtes fieri poſſunt ex veſtibus illuſtrium virorum, & 6.
fœminarum, quidquid in contrarium ſenſerit Gloſſa *can. ad nuptiarum, de conſecr.*
1. *d.*1. Archidiaconus Zabarella, & Roſella; tum ex communi opinione Sylueſt. *v. corporalia, quæſt.*3. Angeli *ibidem, & v. veſtis.* Henriquez *lib.*9. *c.*29. Azor. *lib.* 10. *c.*28. *quæſt.* 9. Suarez *lib.* 1. *de relig. lib.* 3. *c.*8. *num.*5. Graffij *lib.* 2. *c.*41. & aliorum,
2. tum ex conſuetudine. Et certè ſancta Anthuſa, cuius natalis dies adnotatus eſt in Menologio Baſilij Imperatoris, die 17. Aprilis, filia impiiſſimi Conſtantini Copronymi, aureas ſuas veſtes, in Eccleſiarum ornamenta contulit, vt *in eodem Menologio* habetur. & Otho III. Imperator inſignem chlamydem, qua coronatus tegebatur, opere Phrygio omni Apocalypſi inſignita, altari S. Alexij Romæ in monaſterio SS. Bonifacij & Alexij decentiſſimè coaptauit, anno Do-
3. mini 1001. tum argumento, quia idolorum templa in Eccleſias conſecrata ſunt, vt conſtat de Pantheo Romæ, & aliis ex Gregorio *lib.*2. *dialog. c.*8. *& lib.*9. *epiſt.* 71. *ad Melitem,* Bellarmino *lib.*1. *de SS. beatitudine, c.*20. quare etiam veſtes profanæ Epiſcopali benedictione, in diuinum vſum conuerti poterunt. Nec valet argumentum Gloſſæ, non eſſe veſtes ſacras ob nuptiarum ornatum præſtanda, ne polluantur; ergo neque ex veſte domicellæ caſula, aut aliquis ornatus Eccleſiæ faciẽdus. Nam ſacra dum in profanos vſus conuertuntur polluuntur, profana autem conuerſa in Dei cultum, ſanctificantur. idémque argumentum, ſi quid valeret, probaret etiam idolorum templa in Dei Eccleſiam conuerti non poſſe. quare vti templa, ſic & veſtes ad ſacrum ornatum licitè conferuntur; quod etiam inſigni pietate factum eſt ante quinque annos à Sereniſſima Margarita Auſtr. Philippi III. Hiſpaniarum Regis vxore, tranſmiſſa ex Hiſpania nuptiali veſte Romam ad Eccleſiæ Societatis Ieſu ſacrum ornatum: vt etiam poſtea in teſtamento ſuo tres alias inſignes & præclaras reliquit in eumdem finem Collegio Salmaticenſi eiuſdem Societatis.

Iam verò veſtes ſacræ ſex numerantur communiter, nempe Amictus, Alba, 7.
Cingulum, Manipulus, Stola, & Caſula, ex Concilio Rhemenſi *c.*4. apud Burchardum *lib.* 2. *c.*50. & Coyacenſi *c.* 3. ſicut etiam ſex in veteri lege ſacrificantem Pontificem ornabant, *Exod.*28. Ioſepho *lib.*3. *antiq. c.*8. & Philone *lib. de vita Moſis.* etſi Leo IV. *Hom. ſeu epiſtola Miſſa per Prouincias ad Epiſcopos, vt recitaretur preſbyteris,* numeret tantùm quinque, cùm ait: *Nullus cantet ſine lumine, ſine amictu, ſine alba, ſtola, fanone, & caſula.* & ex D. Hieronymo *epiſtola ad Fabiolam,* nihil in his veſtimentis myſterio vacat. & *epiſtola ad Theophilum Alexandrum,*

ſcribit

ſcribit ſacros calices, velamina, & cætera altaris miniſterio deputata, in ma-
gno honore habenda eſſe. Eſſe verò ex eccleſiaſtico præcepto ſingulas veſtes
in ſacrificio adhibendas, conſtat *ex can. veſtimenta, de conſecr. d.1. & can. eccleſia-
ſtica. d.23.* vbi dicitur: *Proinde modis omnibus conuenit, vt quod quiſque percepit in con-
ſecratione honoris, hoc retineat etiam in oblatione.* Itémque ex conſuetudine, de qua
plura Onuphrius *lib. de interpretatione vocum eccleſiaſticarum. verſu, veſtes.* Caſſio-
dorus *lib.5. Tripart. c.37.* Ayala *de traditionibus, p.3.* & ex communi conſenſu Do-
ctorum, Scoti *4. d.13. quæſt.2.* Paludani *ibidem.* Antonini *3. p. tit.13.c.6.§.6.* Sylu.
v. Miſſa 1. & Summiſtarum *ibidem.* Nauar. *c.25. num.84. & c.27. num.242.* Caiet.
1.2 quæſt.96. art.4. Henriquez *lib.9.c.39.* Suarez *diſp.82. ſect.3,* & aliorum, exiſti-
mantium obligare ſub mortali. & certè maximum cenſeretur ſcandalum ſine
his celebrare; quamuis excuſandus eſſet à mortali, qui ex obliuione, v. g.
manipulum omitteret. ex Victoria *n.98.* Angelo *Miſſa, n.35. & 36.* & aliis. Sed
iam ſingulas in particulari explicemus.

8. Amictus qui ſuperhumerali Pontificis veteris Teſtamenti, tergum pectúſ-
que cingenti, reſpondet, veſtis eſt, quæ primùm caput, deinde collum vndi-
que cingit, atque humeros; & prout caput obtegit, ſignificat, tum ex Stepha- 1.
no Heduenſi *c.10.* Ruperto *lib.1. diu.off.c.19.* Innocentio III. *lib.1.c.35.* Durando
lib. 3. Rationalis, c.2. & D. Bonau. *in expoſitione Miſſæ*, Chriſtum magni conſilij Matth.
Angelum, ſacerdotum caput amictum humanitatis nube, veniſſe ad ſaluandas 26.
gentes. *Apocalypſ.c.10. & Iſaiæ c.19.* vel ex Gabriele *lect.* 11. Soto *lib.4. ſent.d.13.
quæſt.2. art.4.* & Graff. *lib.2.c.41.* Chriſtum à perfidis Iudæis in paſſione velatum.
tum fiduciam ac ſpem, qua debet ſacerdos ad ſacrificium accedere, iuxta illud 2.
D. Pauli 1. *ad Theſſal. 5. Induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpem ſalutis.* vt
etiam inſinuatur in oratione dum imponitur: *Impone Domine capiti meo galeam
ſalutis, &c.* & docet Sotus *loco cit.* tum nobis operiendum, præſertim inter ſacri- 3.
ficandum, caput ne circumquaque liberè proſpiciendo illicita cogitemus, ex
Durando *loco citato,* iuxta illud *Pſal.* 118. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* vt
enim dixit D. Gregorius, non eſt tutum intueri, quod non licet concupiſce-
re. Quatenus autem tegit collum, ex Amalario *lib. 2. c.4.* notat vocis quæ per
guttur & collum emittitur, cuſtodiam: vt verò diffluit per humeros, docet
nos onus Domini ferre, ex Soto, vel ex Hugone *lib.2. de ſacram. p.4.* Alenſi *p.4.
quæſt.26.* & Durando *loco cit.* operum fortitudinem. Et adſtringimus in modum
crucis, ante pectus, vel teſte Soto, vt nullas alias cogitationes quàm Dei, tunc
nos admiſſuros proponamus. Cui conſonat, quod D. Hieronymus *epiſt. ad Fabio-
lam,* quæ & de veſtibus ſacerdotis, explicans cur pectus & dextrum armum ani-
malium, quæ Deo offerebantur, darentur ſacerdotibus, dicit in pectore mun-
das cogitationes denotari. Vel certè ex D. Bernardo *in ſentent. v. veſtimenta.* Signi-
ficabitur ſapientia & ſcripturarum notitia oportere ſacerdotem plenum eſſe.
Quare Origenes *Hom.5. in c.7. Leuit.* explicans & ipſe cur pectuſculum cederet
ſacerdotibus: *Ego* (inquit) *puto, quòd ſi quis dicit ſe eſſe ſacerdotem Dei, niſi habeat
pectus ex omnibus membris electum, non eſt ſacerdos.* & paulo pòſt: *Quod ergo eſt ſacer-
dotis pectus, aut quale? Tale ego eſſe puto, quod plenum ſit ſapientia, plenum ſcientia, ple-
num omni diuina intelligentia. Et quid dico, intelligentia? Immo quòd plenum ſit Deo.* Cui
etiam conſentit D. Hieronymus *loco cit.* ſentiens ſignificare legis notitiam, &
dogmatum veritatem. Curet igitur ſacerdos cum D. Paulo nihil aliud ſcire
quàm Chriſtum, & hunc crucifixum.

9. Alba, vt appellatur à Concilio Carthaginenſi 4. *c.41.* & aliis, dicitur à Græ-
cis

cis ποδήρης, id eſt, *talaris*, eò quòd vſque ad talos deſcendat, ex Iſidoro *lib.19. Etymolog.c.21.* vulgò Camiſum dicitur; & reſpondet veteri tunicæ lineæ interiori ex byſſo. Laxior eſt, ex Amalario *lib.2. c.18.* & Innoc. *lib. 1. c.51.* quòd non acceperimus iterum ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed ſpiritum adoptionis in libertatem filiorum Dei. & ſimplicior, cùm illa ex duplici tela fieret, ex Ioſepho *lib.3. Antiq. c.8.* & D. Hieronymo *epiſt. citata ad Fabiolam*; noſtra verò è ſimplici, quòd ſacerdotem maximè deceat ſimplicitas; qui tam intus, quàm foris veritate veſtiri & ornari debeat. qua de re videndus D. Auguſtinus *lib. 2. de conſenſu euang. c. 30.* exponens illud, *Neque duas tunicas habeatis.* Significat autem
1. reſpectu Chriſti, tum veſtem albam, qua ab Herode ad illuſionem indutus eſt,
Luca 1. ex Durando *in Ration. lib.3. c.3.* & Gabriele *in can. lect.11.* tum ſummam eius in-
2. nocentiam ex D. Bonau. quippe qui 1. *Pet.2.* peccatum non fecerit, nec dolus
3. inuentus ſit in ore eius. tum reſurrectionis gloriam, quam nunciantes Angeli
in albis veſtibus apparuerunt, ex Stephano Heduenſi *c.10.* Reſpectu verò noſtri
1. tum nouitatem vitæ, in quam per Chriſtum tranſlati ſumus, abiecto pelliceo
veſtimento veteris Adæ, & Euæ, *Gen.3.* iuxta illud Apoſtoli *ad Epheſ.4. Deponite vos ſecundum priſtinam conuerſationem, veterem hominem, &c.* vt ſentit Rupertus
2. *lib.1. de diu. off.c.20.* Innoc. *lib.1.c.36.* & Durandus *lib.3.c.3.* tum candorem virtu-
tis & conuerſationis, quam æmulari debemus, ex S. Germano *in Theoria*, Ste-
3. phano Heduenſi *c.10. & oratione illa in induenda: Dealba me Domine, &c.* tum ſum-
mam iuſtitiam, quæ quòd vniuerſalis ſit virtus totum hominem ornare debet; eiúſque longitudo vſque ad talos ſacerdotis, in bono perſeuerantiam vſque ad finem vitæ indicat, ex D. Bernardo *in lib. ſententiarum, v. veſtimenta communia*, & Rabano *lib.1 inſtit.*

Cingulum reſpondens balteo veteris ſacerdotis, *Exod. 28.* in renibus albam 10.
conſtringit, ne diffluat, & ingreſſum impediat. Significat reſpectu Chriſti,
1. tum funes in quibus in horto Dominus vinctus eſt, & flagellum quo à Pilato
2. in paſſione cæſus, ex Soto 4. *d.13. quæſt.2. art.4.* tum iuſtitiam, cùm dixerit Iſaias
3. *c.11. Erit iuſtitia cingulum lumborum eius.* tum eius diuinitatis maieſtatem, qua vn-
4. dique ornatus eſt, vt exponit S. Germanus; tum denique ex D. Bonauentura
in Miſſæ expoſitione, puriſſimam eius caſtitatem, iuxta expoſitionem D. Gregor.
Hom.13. & cæterorum Patrum, in illud *Lucæ 12. Sint lumbi veſtri præcincti.* Reſpe-
1. ctu verò noſtri, tum fortitudinem, vt placet Heſychio *lib.5. in Leuit.* iuxta illud
2. *Iob c.40. Accinge vt vir lumbos tuos, &c.* tum ex Alcuino prudentiam ſeu diſcre-
tionem, cùm cingat poderem, quia virtutes ſine diſcretione vitia ſint, & non
3. virtutes, ſicut alba ſine cingulo impediret. tum, quod magis placet, caſtitatem,
quæ ſingularis requiritur in ſacerdote, vt interpretatur D. Hieronymus *in Pſ. 132.* Bernardus *lib. ſententiarum loco cit.* Stephanus Heduenſis *c.10.* Innoc. *lib.1.c.15.* Hugo de S. Vict. *lib. 2. p. 4. c.3.* & colligitur *ex Lucæ 12. Sint lumbi veſtri, &c.* vt
conſtat ex oratione: *Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis*
Vide lib. *humorem libidinis, &c.* & meritò: vt enim notauit Petrus Damiani, linum ex quo
3.c.5.n.2. fit, non habet à natura candorem, ſed multis tunſionibus attritum, arte conſe-
quitur; ita ſacerdotis caro munditiam, quam non habet à natura, exercitio, ac diligentia, corporiſque caſtigatione ſortiatur per gratiam. Maximè verò iuuat initiis reſiſtere, exemplo B. Iuniperi ſocij ſancti Franciſci, qui præuidens occaſionem tentationis, ſenſus claudebat, & interiùs clamabat: *Procul, procul eſto, iam enim hoſpitium ab alio* (nempe à Chriſto) *acceptum eſt.*

Manipulus in ſiniſtra pendet, & non ab Aarone, ſed ab antiquis Patribus 11.
initium

initium duxit, ex Amalario *lib.2. c.24.* Beda *in collect. cap. de 7. ordin.* Rabano *lib. 1 inſtit.c.18.* Steph. Heduenſi *c.10.* Hugone *lib.2.p.4.c.12.* Durando *lib.3.c.6.* Alenſi *4.p. queſt. 26.* Erátque ſudarium, quo ſudorem & lacrymas ſacerdotes abſtergebant. Et reſpectu Chriſti ſignificat, tum funem, quo Chriſti manus à Iudæis 1.
ligatæ ſunt, ex Durando *loco cit.* vel ex Soto, quo fuit ligatus columnæ, tum 2.
illius ſummam in hac vita, per læuam deſignata, humilitatem, ex Bonauentura. Reſpectu verò noſtri, tum abſtergendum nobis eſſe tædium, quo ſublato 1.
diligentiùs bonis operibus inſudemus; ex Alcuino, Amalario, & Alenſi *locis præcitatis.* tum cordis compunctionem, qua ſacerdoti accedendum eſt ad altare; 2.
vnde orat: *Merear Domine, portare manipulum fletus & doloris, &c.* exemplo B. Arſenij, qui ob lacrymarum vim, ſudarium ſemper ad manum habebat, ex Beda *in Martyrol. die 14. Auguſti.* tum futuram retributionem bonorum ope- 3.
rum, ex Ruperto *lib.1. off. c.33.* & Durando *loco cit.* iuxta illud *Pſal. 125. Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.*

12. Stola, vt dicitur ab Amalario *lib.2.c.20.* Rabano *lib.1. c.19.* Innocentio, Iuone, & aliis, à pluribus Orarium vocatur, vt in Concilio Bracarenſi I. *can.* 27. in Bracar. III. *can.* 3. & Laodiceno *can.* 22. 23. & habetur 23. *can. non oportet.* D. Ambroſij oratione *de obitu Satyri.* Beda *in collect. cap. de 7. ordinibus.* Alcuino *lib.1.c.19.* Quod factum eſt ex Balſamone in Synodum Laodicenam *c.22.* Conc. Tolet. IV. *c. 59.* & habetur 25. *can. vnum orarium,* Rabano & aliis, quia Oratoribus ſeu Prædicatoribus tantùm concedebatur, qualis eſt ſacerdos, qui in vtroque humero geſtat, & Diaconus, qui ſolùm in ſiniſtro, etſi Beda *loco cit.* ita dictum velit ab orationibus, & precibus, quas pro populo fundere debet, ita vt orarij nomine officium eius indicetur. Proportione autem reſpondet veteri Rationali, quod ſupra Pontificis pectus ponebatur. Atque, vt refertur ad Chriſtum, ſtola illius obedientiam ſignificat vſque ad mortem. *Philipp. 2. Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis,* ex Stephano Heduenſi *c.10.* Innoc. *lib.1. c.38.* Bonau. *in expoſit. Miſſæ,* Ruperto *lib.1. off. c.21.* vt autem refertur ad nos, denotat iugum Domini eſſe ſuaue, ex Amalario *lib.2. c.20.* Alcuino *lib.1. c.19.* Hugone *lib.2. de ſacr. p.4. c. 10.* Durando *in Rationali, lib. 3. c.5.* Quare cùm ſacerdos ordinatur, ei in impoſitione dicitur ab Epiſcopo: Accipe iugum Domini. iugum enim eius ſuaue eſt, & onus leue. A collo ad anteriora dependens vtrumque latus ornat; innuens ex Concil. Bracarenſi III. *c.3.* & habetur 23 *c. eccleſiaſtica,* Iuone, Hugone, & Durando, ſacerdotem per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, id eſt, in proſperis & aduerſis, oportere eſſe munitum, quia ſcriptum eſt: *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt reportetis promiſſiones.* & Hebr. 10.
cancellatur in modum crucis ante pectus, tum ex Bonauentura *loco cit.* vt paſſionem Chriſti peruigili meditatione in corde & corpore per mortificationem terrenæ delectationis deferamus; cùm & D. Paulus dicat, eos, qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutiones paſſuros; &, qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixiſſe cum vitiis & concupiſcentiis; tum ad deſignandum, eodem teſte, populum Iudaicum in ſiniſtram tranſiiſſe, Gentilem in dexteram. Sicut cùm Iacob nepotibus ſuis benedicens Manaſſem, & Ephraim, cancellatis manibus, dextram ſuper Ephraim iuniorem poſuit. Denique ex Iuone & Hugone, ſtola cum cingulo quibuſdam nexibus colligatur, quòd virtutes virtutibus ſocientur, ne aliquo tentationis impulſu moueantur.

13. Caſula cæteris ſuperinduitur, reſpondens tunicæ hyacinthinæ veteris Pontificis;

tificis;ita dicta,teſte Rabano *lib.1. c.21.*& D.Bonau. *loco citato*, quòd veluti parua caſa totum hominem contegat. Et antiquitus tota erat clauſa, & veluti cappa, vt docet Lindanus *lib.4. Panopl. c.56.* & Onuphrius, eiúſque limbus ſuper brachia & ſcapulas errabundus diffluebat; ideóque etiam Planeta ab errore, di-
1. cta eſt. Et reſpectu Christi, repræſentat, tum coccineam veſtem, qua impij milites Dominum induerunt ad illuſionem, ex S. Germano *in Theoria*, & Du-
2. rando. tum Eccleſiam, quæ eſt veluti Chriſti veſtimentum non diſciſſum ob fidei Eccleſiæ ſponſæ Chriſti vnitatem, ex Ruperto *lib. 1.c.22.* Reſpectu noſtri, cùm ſuperponatur reliquis indumentis, ſitque diffuſa, & lata ſignificat, ex Hugone *lib. 2. de ſacram. p.4. c.11.* Bonauentura *loco citato*. Beda *vbi ſuprà*, Rabano *lib. 1. c. 19.* Iuone Carnutenſi *de rebus eccl. ſerm. de ſignificat. indumentorum ſacerdotalium*, Innoc. *lib. 1. c.58.* Charitatem ſine qua ſacerdos numquam exercere debet officium ſuum, ſignificata in veſte nuptiali *Matth. 22.* Idem nunc diſciſſa hinc inde ſignificat, duo ſcilicet præcepta charitatis, dilectionis Dei, & proximi.

Quærenti tandem an futurum ſit peccatum mortale,ſi ſacerdos abſque con- 14.
temtu, omnes conſuetas preces omitteret, dum ſe veſtibus ad ſacrificandum, induit. Dicimus Nauarrum *c.25. num. 73. & ſeq. & de Miſſarum celebr. conſ. 2.* & Graffium *lib.2.c.41.* affirmare;idque probabile exiſtimat Azot *lib.10.c.29.quæſt.5.* eò quòd præſcriptum ritum ſacerdos ſeruare debeat: præſcribantur autem preces huiuſmodi in induendis veſtibus ſacris. At verò Suarez *diſp. 82. initio*, Henriquez *lib.9.c.24. in fine*, & alij, meo iudicio,probabilius putant,non obligare ſub mortali, quòd hæc, & ſimilia, quæ in Miſſali habentur, pertineant potius ad directionem,& conſilium (quod ſanè obſeruare optimum eſt) quàm ad præceptum,nec videatur materia adeò grauis.

Sacerdotes euangelicos maximi faciendos. CAP. IX.

SVMMARIVM.

1. *Euangelicos ſacerdotes ſummopere venerandos,& priuilegiis fouendos.*
2. *An exemti ſint à poteſtate laica iure diuino,an tantum humano.*
3. *Idémque de immunitate eccleſiaſticorum bonorum illorum.*
4. *Neceſſaria ad vitam illis eſſe à fidelibus populis benignè ſubminiſtranda.*
5. *Violatores & perſecutores eorum Deo vindice graues dediſſe pœnas.*

IAm verò ſi de veteris Teſtamenti ſacerdotibus, quibus mactandi oues & 1.
boues munus erat demandatum,dictum eſt *Eccli. c.7. Honora Deum ex tota ani-*
Luca 22. *ma tua, & honorifica ſacerdotes.* Quanti faciendi ſint ſacerdotes euangelici, faci-
Matth. 26. le intelligitur; quippe qui autoritatem habeant conſecrandi verum Chriſti corpus, quod cœleſtes ipſas virtutes excedit; generandi in Chriſto, nutrien-
Ioan. 20. di, docendi, gubernandi, & à peccatis ſoluendi, myſticum, ſubiectos videli-
Matth. 26. cet fideles populos; & tamquam quidam mediatores ad Deum pro eis intercedendi conſtituti *ad Hebr.c.5.* Quare rectè omnino D. Gregorius Nazianzenus *Apol.1. Animarum (inquit) curam gubernationémque ſuſcipere, mediatorémque eſſe inter Deum & homines, vt opinor, ſacerdotis eſt munus.* & Chryſoſtomus *Hom.4. de verbis Iſaiæ, Vidi Dominum.* ſacerdotum autoritatem regiæ poteſtati anteponit.

Regi

Regi (ait) *corpora commiſſa ſunt, ſacerdoti anima. Rex maculas corporum remittit, ſacerdos autem maculas peccatorum. Maior hic eſt principatus.* Et *Hom.* 5. *Siquidem ſacerdotium principatus eſt; ipſo etiam regno venerabilius, & maius.* & paucis interiectis: *Si vis videre, quantum abſit Rex à ſacerdote, expende modum poteſtatis vtique tradita: videbis ſacerdotem multo ſublimius Rege ſedentem. Quamquam enim nobis admirandus videatur thronus regis, ob gemmas affixas, & aurum, quo obcinctus eſt; tamen rerum terrenarum admirationem ſortitus eſt. Verùm ſacerdoti thronus in cœlis collocatus eſt, & de cœleſtibus negotiis pronunciandi habet autoritatem. vnde Dominus dicit:* Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis; *quid cum hoc honore conferri poteſt?* Et tandem concludit: *Itaque medius ſtat ſacerdos inter Deum & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, & noſtras petitiones illuc perferens; Dominum iratum reconcilians; nos qui offendimus eripiens de illius manibus.* denique *lib.* 3. *de ſacerd. Quænam obſecro poteſtas hac vna maior eſſe poteſt? Pater omnifariam poteſtatem dedit filio., cæterùm video eamdem ipſam omnifariam poteſtatem à Dei filio ſacerdotibus eſſe conceſſam.* Ambroſius *epiſt.* 33. *Veteri iure à ſacerdotibus donata imperia, non vſurpata; & vulgò dici Imperatores ſacerdotium magis optaſſe, quàm imperium ſacerdotes.* Et *lib.* 1. *de dignit. ſacerd. c.*2. *Si regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares; quippe cùm videas regum colla, & principum, ſubmitti genibus ſacerdotum; & exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum credant ſe communiri. Sacerdotes paſtores ſunt, reliqui de plebe, oues, vt inter vtroſque ex his perſpicias differentiam.* Probat hanc eamdem ſacerdotum ſuper reges prærogatiuam Gelaſius *epiſt.* 10. data ad Anaſtaſium Imperatorem anno 494. dicens: *Duo quippe ſunt Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas: in quibus tanto grauius eſt pondus ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis regibus Domino in diuino reddituri ſunt examine rationem. Noſti enim fili chariſſime, quòd licèt preſideas humano generi dignitate, rerum tamen diuinarum Preſulibus deuotus colla ſubmittis; atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis. Inque ſumendis cœleſtibus ſacramentis; eiſque vt competit diſponendis, ſubdi te debere cognoſcis religionis ordine, potius quàm præeſſe. Noſti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi velle voluntatem. Si enim quantum ad ordinem ſpectat diſciplinæ, cognoſcentis imperium tibi ſuperna diſpoſitione collatum legibus tuis, ipſi quoque parent religionis Antiſtites; ne vel in rebus humanis excluſæ videantur obuiare ſententiæ. Quo rogo te decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus ſunt attributi myſteriis?* & Symmachus *in Apol. contra eumdem Anaſtaſium, ſcripta anno* 503. *Conferamus autem honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum diſtat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iſte diuinarum. Tu Imperator à Pontifice Baptiſmum accipis, ſacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas, poſtremò tu humana adminiſtras, ille diuina diſpenſat.* Non diſſimilia habet D. Thomas Cantuarienſis *epiſtola* 65. *lib.*1. *ſcripta anno* 1166. *ad Henricum regem Angliæ; & epiſt.*96. *eiuſd in lib.*1 *ad Epiſcopos ſibi ſubiectos, ſcripta anno* 1167. Ex quibus omnibus euidenter colligere licet, non gratis à tantis viris, aſſertum ſacerdotalem dignitatem regiæ præſtare, ſed firmiſſimis etiam argumentis euictum, cùm vna humana curat, altera diuina, vna corpora, animas altera gubernet, illa ouiculæ vicem ſubeat, hæc paſtoris munus obeat, illa benedictionem poſcat, hæc impertiat, illa denique iſtius orationibus ad Deum poſtulet adiuuari, hæc tamquam inter vtroſque mediatrix intercedat. Quod etiam Plutarchus Ethnicus Philoſophus, videre potuit, quippe qui *in opuſc. cum Principe eſſe philoſophandum*, cauſam reddens quare honorentur ſacerdotes, ait: *Sacerdotibus hono-*

rem & reuerentiam ciuitates tribuunt, quòd bona à diis immortalibus, non ſibi tantùm, amicíſque & neceſſariis ſuis, ſed etiam in communi poſcant ciuibus. Haud igitur mirum ſi in religione qualibet, ſummo in honore habiti ſint ſacerdotes. & quidem de Ethnicis colligimus ex citatis Plutarchi verbis; & quòd hac vna de cauſa à Gentium etiam Regibus adeò concupitum ſit ſacerdotium, vt cum regno etiam ſacerdotium ſibi demandari curarint, vt conſtat ex Platone *in dialogo de regno, in fine, & epiſt.* 8. Ariſtotele *lib.* 4. *polit.* Demoſthene *in actione contra Neæram.* Dionyſio Halicarnaſſæo *lib.* 2. Q. Curtio *lib.*8. *in fine*. D. Ambroſio *epiſt.* 33. Gelaſio *in tomo de Anathematis vinculo*, Syneſio *in excuſatione ſui in ſynodo*, Sigonio *lib. de republ. Athenienſi*, vt alios omittam. Apud Hebræos verò quanti ſacerdotium fieret, teſtis eſt ipſe Rex Agrippa *in libello ſupplici ad Caium. Equidem* (inquit) *vt noſti, Iudæus natus ſum, natale ſolum mihi ſunt Hieroſolyma, vbi altiſſimi Dei templum ſanctiſſimum ſitum eſt, auos proauóſque Reges habui, & ex his etiam aliquot ſummos Pontifices, quam illi dignitatem pluris faciebant quàm regiam: rati quanto Deus anteſtat homini, tanto Pontificatum regno excellentiorem: ad illius enim curam diuinas res, humanas ad huius pertinere.* Hæc ille. Quare etiam Iudæorum ſumma erat in ſacerdotes reuerentia & honor; adeò vt Rex ſacerdotem ſacris indutum veſtibus veneraretur, vt docet Philo *lib. de profugis, & lib.* 3. *de vita Moſis*. quod ei etiam præſtitum eſt ab Alexandro Magno, ex Ioſepho *lib.* 11. *de Antiq. c.*8. & Aug. *lib.* 18. *de Ciu. c.*45. Multo æquius id & factum eſt, & fieri decet in religione Chriſtiana; cùm euangelici ſacerdotes tantum dignitate à cæteris diſtent, quantum euangelicum ſacrificium, brutorum ſanguine & nidore præſtat. vnde Chryſoſt. *Hom.*65. *in Gen. Ne ſimus deteriores infidelibus, qui propter idolorum errorem adhuc tantum cultum exhibent illorum famulis, ſed quantum diſtat error, & veritas, tantum diſtant & illorum & Dei ſacerdotes.* Certè Conſtantinus Magnus Imperator ſtatim ac Maxentium deuicit, Dei miniſtros accerſere conſueuit, ac cultu obſeruantiáque honoricè complecti, & tum re, tum verbis, tamquam viros Deo ſuo conſecratos, humanitus eos accipere, magnáque beneuolentia proſequi, tamquam in earum animis inſideret Deus; ſæpe menſæ participes efficere, ſempérque itineris ſocios habere; credens ob id Deum ſibi futurum propitium: vt ſcribit in eius vita Euſeb. *lib.* 1. *c.*35. Baſilius Imperator moriturus, anno 886. illis verbis filium admonuit: *Honora ergo Eccleſiam Dei, vt tu viciſſim ab ea in honore habeare, & ſacerdotes eius reuerere, tamquam ſpirituales Patres, & deprecatores pro nobis ad Deum. honor enim qui ſacerdotibus habetur, in Deum refertur: & ſicut propter te miniſtros tuos in honore habere iuſtum eſt; ita & propter Deum ſacerdotes eius magnificare, & in pretio habere ſanctum.* quem imitatus S. Stephanus Rex Vngariæ circa annum 1000. *lib.* 1. *decretor. c.*3. ſic Emericum filium alloquitur de ſacerdotibus agens: *Chariſſime fili, ſeniores illos ita cuſtodias ſicut oculorum pupillas. ſi illorum beneuolentiam habebis, neminem aduerſariorum timebis. Illis quidem te obſeruantibus ſecurus eris in omnibus, illorum precatio commendabit te omnipotenti Deo. Illos enim Deus humani generis conſtituit cuſtodes, fecítque ſpeculatores animarum, ac totius eccleſiaſticæ dignitatis, ac diuini Sacramenti diſpenſatores & datores. ſine illis enim non conſtituuntur Reges, nec principatus. Per illorum interuentum delicta delentur hominum. Si illos perfectè amas, te ipſum ſine dubio ſanas, tuúmque regnum honorificè gubernas. In manus enim illorum poſita eſt poteſtas ligandi nos in peccatis, & à peccatis ſoluendi.* Quinetiam præſente & approbante Rege Gunthramno in Concilio II. Matiſconenſi anno 588. *can.* 14. ſancitum fuerat: *Si quis ſecularium quempiam clericorum in itinere obuiam habuerit, vſque ad inferiorem gradum honoris veneranter ſicut condecet Chriſtianum, illi colla ſubdat, per cuius officia & obſequia*

[l] *Habentur tom. 5. Biblio. SS. Patrum.*

quia fideliſſimæ Chriſtianitatis iura promeruit ; & ſiquidem ille ſecularis equo vehitur, clericúſque ſimiliter, ſecularis galerum de capite auferat, & illico ſinceræ ſalutationis munus adhibeat : ſi verò clericus pedes graditur, & ſecularis vehitur ſublimis equo, illico ad terram defluat. Pipinus Francorum Rex anno 753. Stephano III. honoris & obſequij gratia pedes ſtratoris vicem ſubiit iuxta equum, quo Pontifex vehebatur, vt teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius. Quod etiam Ludouicus Imperator Nicolao præſtitit anno 858. eodem teſte. & Conradus Rex Henrici filius, dum eſſet Cremonæ anno 1094. Vrbano II. ex Bertholdo Conſtantienſi, & Lotharius Innocentio II. Leodij anno 1131. ex Sugerio Abbate S. Dionyſij *in vita Ludouici Craſſi.* Scimus denique Chriſtianos etiam Imperatores cùm ex Germania venirent in Italiam, Mediolani in Eccleſia S. Ambroſij, Archiepiſcopo ſacra façiente, depoſitis regiis veſtibus, aſſumtíſque ſubdiaconi ſacro miniſtraſſe, vt docet Carolus Sigonius *lib. 7. de regno Italiæ*, in anno 973. Qua in re meritò Gelaſius diuinam admiratur prouidentiam, quippe quæ ita ciuilem & eccleſiaſticam temperauit autoritatem ac poteſtatem, vt vtriuſque proſpiceretur humilitati, & modeſtiæ : vt vna altera indigeret, & non in vnam vtraque dignitas infideli populo coaleſceret, vt apud Ethnicos euenire conſueuerat. Sed ipſum audiamus *in tomo de Anathematis vinculo.* Is enim cùm præmiſiſſet, diabolico olim inſtinctu Gentiles Reges, Pontifices etiam eſſe voluiſſe, ait : *At Chriſtus memor fragilitatis humanæ, quod ſuorum ſaluti congrueret, diſpenſatione magnifica temperans, ſic actionibus propriis dignitatibúſque diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit ; ſuos volens medicinali humilitate ſaluari, non humana ſuperbia, rurſus intercipi ; vt & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium curſu rerum imperialibus diſpoſitionibus vterentur. quatenus ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus : & ideo militans Deo minimè ſe negotiis ſecularibus implicaret. ac viciſſim non ille rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſecularibus implicatus ; vt & modeſtia vtriuſque ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque ſuffultus ; & competens qualitatibus actionum ſpecialiter profeſſio aptaretur.* Eadem penitus ad verbum repetiit poſt 370. annos, Nicolaus I. *in epiſtola ad Michaelem Imperat.* Cùm igitur ſacerdotium ſumma honorum omnium, qui hominibus competunt, ſit, vt D. Ignatius docuit *in epiſtola ad Smyrnenſes,* cui & Syneſius *ep. 105.* & apud Nicephorum *lib. 14. c. 15.* ſubſcripſit, cùm teſtatus eſt ſacerdotium eſſe honorem propè diuinum ; & Iſidorus Peluſiota *lib. 2. ep. 51.* vbi ait : *Diuina quadam res eſt ſacerdotium, & rerum omnium præſtantiſſima : quid mirum ſi Reges & Imperatores ſacerdotes, eorúmque cauſa cæteros eccleſiaſtici ordinis homines, ab omnibus communibus & ciuilibus rerumpublicarum oneribus immunes, & ſolutos eſſe voluerunt ; ſi ſancitis legibus, pluribus ac ſingularibus priuilegiis, fouendos eſſe ſint arbitrati ?* Extat apud Euſebium *lib. 10. c. 7.* decretum Conſtantini Imperatoris adhuc Catechumeni, de clericorũ immunitate : ad Anulinum Africæ Proconſulem, his verbis : *Salue Anuline nobis cumprimis obſeruande. Quoniam multis argumentis conſtat, religionem in qua ſummus & perfectus cultus ſacroſanctæ & cæleſti Dei potentiæ deditus omnino conſiſtit, neglectam & contemtam magna pericula attuliſſe ; eamdémque ſanctè auguſtéque obſeruatam, tum maximo Romano nomini, ac ſplendori proſperitatem, tum eximiam omnibus hominum rebus, felicitatem diuina beneficentia illud largiente apportaſſe : viſum eſt vt illi homines, qui debita cum ſanctimonia, & aſſidua legis diuinæ obſeruatione ſua miniſteria huic diuinæ religioni excolendæ impertiunt, Anuline honoratiſſime, pro laboribus ſuis digna præmia reportent. Quare eos in prouincia tua fidei concredita, in Eccleſia catholica, cui Cæcilianus præeſt, huic ſanctæ religioni ſedulò inſeruientes, quos clericos nominare ſolent, ab omnibus omnino communibus & ciuilibus rerum-*

Eamdem ratã eſſe iuſſit Cõſtantius ex Athanaſio Apol. 2. & in epiſt. ad ſolit. vitam agentes.

publicarum miniſteriis immunes, ac ſolutos volo; vt nullo modo per errorem, vel per ſacrilegam ac profanam prolapſionem, quæ in huiuſmodi negotiis accidere ſolent, à cultu diuinæ maieſtati debito abſtrahantur; ſed abſque vlla moleſtia, propriæ legi obſequium præſtent. Habetur eiuſdem Conſtantini & Licinij Imperatorum, altera hac de re conſtitutio apud Nicephorum *lib.7.c.42.& 46.* Alia Valentiniani, Valentis & Gratiani *lib.1.Cod. tit.3.l.6.* Honorij & Theodoſij alia, *ibid. l.17.* Valentiniani Iunioris, alia *in Cod. Theodoſiano l.46. 47. de Epiſcopis & clericis*, vt cæteras omittam, quibus eccleſiaſticis exemtio conceditur. Et Theodoſius voluit ciuiles cauſas à ſuis magiſtratibus ad Epiſcopum poſſe auocari; vt quanti ſanctiſſimi Præſules faciendi ſint, ſuo calculo teſtaretur. videndus Ambroſius *lib.2. off. c.29.* Syneſius *ep.54. & 58. contra Adronicum.* Ex quibus apertè liquet quàm grauiter errent ij nobiles, qui ſacerdotes, quos domi habent, adeò paruipendunt, vt illis vtantur, aut veriùs abutantur in viliſſimis quibuſque domeſticis officiis, vt ſi iubeant miniſtrare menſis, canes ducere, equos regere, quibus fœminæ ſedent, & ſimilia, quæ vehementer deplorat Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis *in lib. de priuileg. & iure ſacerdotij.* Sed ſacerdotes ipſos quales eſſe deceat, ſcribit Saluianus *lib.2. ad Eccleſiam*, verbis illis: *Quicquid de aliis dictum eſt (quàm ſcilicet perfecti eſſe debeant) magis abſque dubio ad eos pertinet, quia exemplo eſſe omnibus debent, & quos vtique tanto antiſtare cæteris oportet deuotione, quanto antiſtant omnibus dignitate. Nihil enim turpius quàm excellentem eſſe quemlibet culmine, & deſpicabilem vtilitate. Quid enim aliud eſt principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulus, ſine homine? aut quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto? & ideo cunctos, qui ſacri altaris ſuggeſtu eminent, tanto excellere oportet merito, quanto gradu, &c.*

Sed num ſacerdotes & clerici exemti ſint à poteſtate laica, iure ſolùm ciuili, 2.
& canonico, verumetiam diuino (ſermo non eſt de rebus ſpiritualibus, vt ſacramenta adminiſtrare, eccleſiaſtica munia obire, ſacras litteras interpretari, leges eccleſiaſticas ſancire; cùm id cuique conſtet, & docet Victoria *relectione 1. de poteſtate eccl. q.6. propoſit.3.* cum ſententia communi, ſed in rebus ciuilibus, & criminalibus) diſſentiunt autores. Et id quidem affirmant Interpretes iuris Canonici, Hoſtienſis *c.2. de maior. & obed.* Gloſſa *can. ſi Imperator d.96. verbo, diſcuti. & in cap. quamquam. de cenſibus. lib. 6.* & *ibid.* Io. Andreas, Dominicus, Archidiaconus, Ancharanus, itémque Abbas, Felinus, Decius, Butrius *in cap. Eccleſia S. Mariæ. de conſtitut.* Cardinalis *cap. perpendimus. de ſententia excom.* & alij: ex Theologis etiam Almainus *tr. de ſuprema poteſtate Eccl. c.18. propoſ.3.* Driedo *lib. de lib. eccl.* Albertus Pighius *lib.4. eccl. hier. c.2.* Angelus *v. Immunitas, n.33. verſ.11.* Syl. *Immunitas.1. q.4. verſu, ſecundum ad munera.* Azor *lib.5. c.12.* & videtur D.
1. Hieronymus idem ſentire *in c.17. Matth.* in illud, *Ergo liberi, &c.* & probant, tum quòd *cap. quamquam. de cenſibus, lib.6.* Bonifacius VIII. dicat Clericos & eorum bona non ſolùm humano iure, ſed etiam diuino, à poteſtate ciuili eximi, & liberari. *cap. non minus. de immunit. Eccl. Vt deterioris* (inquit) *conditionis factum ſub eis* [Chriſtianis] *ſacerdotium videatur, quàm ſub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis notitiam non habuit.* & *cap. nimis. de iureiurand. Nimis de iure diuino quoſdam laicos vſurpare dicitur, compellentes viros eccleſiaſticos ad præſtandum ſibi iuramentum fidelitatis, &c.* In Concilio Lateran. ſub Leone X. *ſeſſ.9. in Bulla refor. Curiæ. Et cùm à iure tam diuino, quàm humano, laicis poteſtas nulla in eccleſiaſticas perſonas tributa ſit, &c.* & in Concilio Tridentino *ſeſſ.25. c.20. Et perſonarum eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam, &c.* videatur etiam *canon. ſi Imperator. diſt.96. & cap. præſertim. cap. relatum. cap. placuit. 3. 11. q.1.* quibus ſanè locis, ius diuinum

videtur

videtur preſsè ſumtum,& non latè, vt contrariæ opinionis autores putant. tum 2.
quia,teſte Ruffino *lib.1.c.2.* Sozomeno *lib.1.c.16.* & Gregorio *lib.4.ep.75.* Conſtantinus,cùm oblatos accuſationum libellos aduersùs eccleſiaſticos, accepiſſet, reſpondit ad ſe non pertinere huiuſmodi cauſas. *Quia ſolius* (inquit) *Dei iudicio reſeruamini*,eóſque combuſſiſſe.tum quòd clerici ſint Deo & diuinis vſibus dedi- 3.
cati, & in eius ſortem electi. ideo nullius laici dominio ſubeſſe debent. cùm , *ex can.in legibus.12.q.3.& in l.ſumma.ff.de rerum diuiſ.* res ſacræ , & bona Dei , in nullius hominis pattocinio , ſiue dominio ſint. tum quòd aliàs iuſſu Principum à 4.
ſuis muneribus abduci , impediri , & prohiberi facile poſſent. & implicantes ſe negotiis ſecularibus non poſſunt Deo militare. 2. *ad Timoth. cap.* 2. ideo etiam Victoria *loco citato , prop.* 6. dicit hanc exemtionem eſſe valde conformem iuri diuino , & naturali. Negant verò Sotus *4.d.25.q.2. art.2.* Ledeſma 2.4.*q.20.art.* 4. Victoria *relect.1.de poteſt.Eccleſiæ,q.2.prop.2.* Medina *de rebus reſtit. q.15.* Salon 2. 2.*q.67.art.1.contr.1.* Bannes 2.2.*q.67.art.1.* Couar. *in pract.q.9.c.21.n.2.& lib.2.var. reſol.c.20.* Sixtus Senenſis *lib.5.bibl.c.75.* Turrecrem. *lib.4.ſum.eccl.p.2.c.37.* Caſtro *v. Eccleſia , hereſi* 4. Menochius *de arbit. caſu* 430. Bellarmin. *lib.1. de cleric. c.28.* Henriquez *lib.7. c.24. lib.10. c.15.* tum quia ſi quis ſuſcipiat Baptiſmum non 1.
eximitur ab obedientia Principis infidelis, ex S.Thoma 2.2. *q.10. art.10.* nec ſeruus iure diuino ſi ſacris initietur , fit liber. tum quia tempore naſcentis Ec- 2.
cleſiæ clerici erant Principibus ſubiecti , *ad Rom.13. Omnis anima, &c.* vbi diuus Chryſoſtomus ait, iſta imperari non ſolùm ſecularibus, ſed etiam ſacerdotibus,& monachis. Sic etiam Theodoretus,Theophylactus,& OEcumenius exponunt. tum quia nulla videatur repugnantia ſi clerici diuino cultui mancipa- 3.
ti, ſint alioquin in temporalibus ſubiecti Principum poteſtati ; niſi iure humano eximantur , vt factum eſt ; & cùm ciuiles contractus cum ſecularibus celebrent, conueniri apud ciuiles magiſtratus ; etſi rempublicam perturbent à Principe puniri. tum quia eccleſiaſtici aliquando traduntur puniendi brachio ſe- 4.
culari : qua de re Couar. *in pract. c.35.36.* tum quia in iure diuino nullum tale 5.
præceptum reperitur ; non ergo diuino iure ſancita eſt hæc immunitas.ideóque exemtionem hanc vocari ſolùm ius diuinum , à canonibus lato modo , quod habeat decentiam à iure diuino , & quòd ius canonicum dici ſoleat diuinum, ex Gloſſa *can.quo iure,d.8.*

3. Similiter diſſenſio eſt , an eorumdem clericorum & Eccleſiarum bona ſint à tributis & oneribus Principum ſecularium libera , iure diuino , & non tantùm ciuili. *l.placet. l.iubemus. l.priuilegia. l.caſſa , Cod. de ſacroſanctis Eccl.* & iure Canonico.11.*q.1.& toto tit.de immunit. Eccl.extrà,& in 6.& in Clementinis.* Et quidem exemta eſſe à tributis bona clericorum iure diuino, docent Io. Andreas , Dominicus, Archidiaconus, Ancharanus, Francus , & Gloſſa *in cap. quamquam. de cenſibus. lib.6.* Azor *lib.5.c.12.* cum aliis citatis,*de exemtione perſonali.n.2.* tum quia *Matth.* 1.
17. ſe & Petrum,cui regimen Eccleſiæ committebat,liberos eſſe à ſolutione tributi oſtendit Chriſtus , etſi, ne ſcandalum generaret , ſoluerit. Qua de re Richardus *2.d.44.art.3.q.1.* Argentina *ibid.q.1.art.4.* Caiet. 2.2.*q.104.art.6.* tum quia 2.
Gen. 47. ſacerdotum terram non vectigalem ſed liberam Pharao Rex eſſe voluit. quòd dictaret ratio , quæ Deo ſacrata ſunt , libera eſſe debere. tum quia *lib.1.* 3.
Eſdræ.c.7. ſacerdotes & leuitæ excepti fuerint à tributis. tum quia *cap.quamquam,* 4.
de cenſib. lib. 6. dicatur : *Cùm igitur Eccleſiæ eccleſiaſticæque perſonæ , ac res ipſarum non ſolùm iure humano , quinimo & diuino à ſecularium perſonarum exactionibus ſint immunes.* & *cap. non minus.de immunit.Eccl.*ex Concilio Later.dicitur : *Et deterioris conditionis*

factum

factum eſt ſacerdotium, ſub eis [Chriſtianis dominis] *quàm ſub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis notitiam non habebat. Ille quidem omnibus aliis ſeruituti ſubiectis, ſacerdotes & poſſeſſiones eorum in priſtina libertate dimiſit, iſti verò onera ſua ferè vniuerſa imponunt Eccleſiis.* & in Concilio Later. ſub Leone X. *ſeſſ.9. in Bulla refor. Curiæ.* cùm dixiſſet Pontifex fructus Eccleſiarum, monaſteriorum & beneficiorum ad Pontificem & canonicè obtinentes pertinere, ſubdit: *Secularéſque Principes omni etiam diuino iure id prohibente dictis Eccleſiis, monaſteriis, beneficiiſque intromittere ſe nullatenus debeant.* Huc etiam ſpectat *can. prædia.* 12.*q.*2. *& can. nulli. ibid.* At verò exemta ſolùm iure ciuili & Canonico, tenent Victoria, Sorus, Ledeſma, Bannes, Salon, Couarru-
1. uias, *locis cit. num.*2. tum quia S. Thom. *ad Rom.* 13. in illud, *Ideo enim præſtatis tributa, &c.* dicit hanc exemtionem habere æquitatem quamdam, non autem ne-
2. ceſſitatem. tum quia D. Paulus præcipit ſolui tributa nulla mentione facta de
3. exemtione clericorum. tum quia clerici ſentiunt commodum poteſtatis ciuilis; quare etiam debent ſentire onus, niſi per priuilegium eximantur.

Porrò quanta cura debeant fideles ſacerdotibus, cæteriſque eccleſiaſticis, 4.
neceſſaria ad vitam ſubminiſtrare, facilè colligitur; tum ex eo quòd gentiles Principes & populi idolorum ſacerdotibus ex publicis horreis victum affatim ſuppeditabant, *ex Gen.c.*47. Strabone *lib.*12. Sozomeno *lib.*5.*c.*3. & D. Ambroſio *ep.*31. *contra Symmachum*, & ex manubiis deuictis in bello hoſtibus, religionis cauſa decimas ſacerdotibus ſoluerent, vt à Poſthumio factum eſt, obtenta Latini belli victoria, ex Dionyſio Halicarnaſſæo *lib.*6. vt etiam fecit Abraham *Gen.* 14. Et Romani Herculis ſacerdotibus perſoluerent decimas, ex Cic. *lib.*2. *de nat. Deorum.* Plauto *in Sticho.* Plutarcho *in probl.*99. *Rom.* Crœſus etiam Cyro Perſarum regi apud Herodotum in Clio perſuadet, vt decimas Ioui perſoluat. vt etiam Apollini & Dianæ ſolutas patet ex Xenophonte *in Cyro lib.*5. *& de rebus geſtis Græcor. lib.*3. Reges Peruani confecto bello tertiam redituum partem agrorum in templorum ſuorum ornatum & miniſterium conferebant, vt teſtatur Ioſephus Acoſt. *lib.*6. *de rebus Indicis, c.*15. Et Hebræi in neceſſarium Leuitarum vſum, *Num.* 35. plures ciuitates poſſidendas cum ſuburbanis forinſecus à muris per circuitum 2000. cubitis, & domibus dederunt, filiis ſcilicet Aaron ciuitates treſdecim, filiis Caath 10. filiis Gerſon 13. filiis Merari 12. Et *ex Leuit. c.*27. domos & agros Deo oblatos ex voto; & *ex lib. Exodi. c.*22. *& Numer.*28. decimas, primitias, primogenita, oblationes pro peccato, & voto. Sed audiamus Philonem *lib. de ſacerd. premiis & honoribus. Alios* (inquit) *non mediocres reditus, iura ſacerdotibus tribuunt, dum à ſingulis exiguntur decimæ frumenti, vini, olei, fœturæ pecudum, ex armentis ac gregibus. quanta verò hinc quoque proueniat copia, licet ex numeroſiſſimæ gentis frequentia coniecturam ſumere. Ex his rebus liquet iuxta legis iudicium ſacerdotes æquiparari honore ac maieſtate regibus. ſiquidem illis tamquam Principibus conferri tributa imperat: id quod fit longè aliter, quàm in cæteris ciuitatibus ſub dynaſtis degentibus. Nam hæ gementes & coactæ vix tandem conferunt, peroſæ quæſtores, ceu peſtem publicam, nunc has, nunc illas cauſationes effingendo, ne ad præſtitutum tempus tributa repræſentent. Ad hæc gens ſacerdotibus debitam pecuniam lubens gaudénſque depromit; quaſi non daret, ſed acciperet; addens fauſtas ominationes & gratiarum actiones populariter, idque quotannis, nec viris ceſſantibus, nec mulieribus, ſed alacritate ſpontanea, quanta nullis verbis exprimi poteſt, conferentibus; & hæc quidem contribuunt ex priuatis poſſeſſionibus.* Qui etiam *eodem libro, Victus* (inquit) *ſacerdotum lautior argumentum euidens eſſe poteſt pietatis publicæ, & legum ſemper ſeruatarum ſumma diligentia.* Quæ cùm ita ſint, multo maiora tribuenda eſſent Chriſtianæ religionis ſacerdotibus; tum quia D. Paulus 1. *Corinth.*9. omnino

Ex Xenophonte in Ageſilao.

omnino naturale eſſe vt qui plantat vineam, de fructu eius edat, qui paſcit gregem de lacte manducet, qui ſeminat ſpiritualia ſaltem metat carnalia, & qui militat ſtipendium accipiat, cùm nemo ſuis ſtipendiis vnquam militet. tum quia Christus Dominus *Matth.* 10. docuerit dignum eſſe operarium cibo ſuo. Et teſtatur D. Paulus *loco citato,* Dominum ordinaſſe iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere; ſicut etiam, qui altari deſeruiunt, de altari participant. videndus ſanctus Thomas 2.2.*quæſt.*86. & 87 vbi de oblationibus & decimis eccleſiaſticis debitis. Innoc. *c. vltimo, de Paroch.* Hoſtienſis *ſum. de decimis*, Abbas *cap. in aliquibus. de decimis*, Archidiaconus *c.* 1. *de decimis. in* 6. Couarr. *lib.*1. *variar. reſol. c.* 17. Summiſtæ *verbo, decimæ*, Sotus *lib.*9. *de iuſt. q.*3. & 4. Antoninus 2.*p. tit.*4.*c.*3.§.5. Azor *lib.*7.*c.*34. Nauar. *c.*21.*n.*28. etſi Canoniſtæ diſſideant à Theologis, num etiam ipſa quota ſit de iure diuino an ſolùm Pontificio, ita vt decima pars, non quinta, v.g. aut ſexta debeatur. Certè de Lucullo ſcripſit Plutarchus, *in eius vita*, veteres exiſtimaſſe eum maximis auctum diuitiis, quòd cœleſti Numini decimam vouiſſet, & perſoluiſſet, vt etiam ſcribit Xenophon *in orat. de laudibus Ageſilai*, eum duorum annorum ſpacio centum & amplius talenta apud Delphos Deo in decimam dediſſe; vt hinc etiam videas Ethnicorum in fictos deos ac ſacerdotes eorum, liberalitatem.

5. Perſecutores denique, ac violatores eccleſiaſticorum grauiſſimas Deo exigente pœnas dediſſe, conſtat. Experientia enim magiſtra patuit verè à D.Ignatio ſcriptum eſſe, *epiſtola ad Smyrnenſes: Quòd ſi quis inhonorauerit* (ſacerdotes) *Deum inhonorat, & Dominum Ieſum Chriſtum primogenitum totius creaturæ, & ſolum naturæ Principem ſacerdotum.* & à D.Pontiano *ep.*1 *ad Felicem. De illis* (ſacerdotibus) *dictum eſt enim* Zachariæ 2. Qui vos contriſtabit, me contriſtabit, & qui vobis facit iniuriam, recipiet id quod iniquè geſſit. & *alibi:* Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. de Conſtantio certè conſtat ex Caſſiodoro *lib.*5. *Tripar. cap.*50. Socrate *lib.*2.*c.*47. Sozomeno *lib.*1.*c.*5. apoplexia defunctum, quòd Liberium ſummum Pontificem in exilium eieciſſet. Iuſtina vxor Valentiniani I. exilium experta eſt, quòd ſacerdotibus exilium præparaſſet, ex Ruffino *lib.*2. *c.*16. Dodo viuus corroſus eſt à vermibus ob necem illatam S.Lamberto, ex Sigiberto anno 699. Henricus II. Angliæ Rex ob malè habitum S.Thomam Cantuarienſem filium Regni hæredem expertus eſt rebellem. Sarracenus, qui Anachoretam occidit, à volucre supernè veniente in ſublime raptus, & inde ad terram præcipitatus interiit. apud Io.Moſcum Euiratum *cap.*21. *Prati ſpiritualis*; Sarracenus alter terra abſorptus, quòd alium Antonium nomine impeteret educto gladio. *ibidem c.*99. Quare meritò ſancitus eſt à Patribus *canon. ſi quis ſuadente diabolo,* 17.*q.*4. in eum, qui ſacrum hominem violaſſet, quo diro anathemate deuouentur, à ſummo tantùm Pontifice ſoluendi. etſi adeò graue facinus, etiam idolorum ſacerdotum violatio Ethnicis viſum ſit, vt id haud contingere poſſe vix crediderint: de ſuis enim dixit in Rudente Plautus,

Quis eſt homo tanta confidentia, qui ſacerdotem violare audeat?

Sed iam cætera proſequamur.

De ſtipe debita ſacerdoti ſacrificanti. Cap. X.

SVMMARIVM.

1. *An liceat ſacerdoti ſacrificanti abſque ſimoniæ crimine ſtipendium paciſci, & recipere.*
2. *Ob mutuam conuentionem, ſicut ſacerdos ſtipem accipiens tenetur ex obligatione iuſtitiæ conuentas Miſſas celebrare, ita, qui ſtipem promiſit, poteſt ex iuſtitia compelli, vt pro celebratis, promiſſam ſtipem perſoluat.*
3. *Idque quamuis ſacerdos aliunde habeat ad victum neceſſaria.*
4. *In his ſtipendiis dandis & recipiendis, ſeruandum eſt medium aliquod pro regionis conſuetudine, & annonæ abundantia.*

SEd illud hoc loco in quæſtionem venire poteſt, an liceat ſacrificanti ſacer- 1.
doti ſtipendium paciſci, & recipere abſque ſimoniæ crimine; quòd id vi-
deatur prohiberi, quaſi ſpirituale pro temporali detur, *cap. tua nos. de ſimonia. cap.*
vltimo, de pactis, & in Concilio Eboracenſi *can.* 3. ſed cum D. Thoma 4. *d.* 25. *q.* 3.
art. 2. *quodlib.* 3. *q.* 6. 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 2. Durando 4. *d.* 25. *q.* 1. Paludano *ibidem, q.* 5
Aliaco *tr. de ſimonia.* Caiet. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. Soto 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *& lib.* 9. *de iuſtit.*
q. 6. *art.* 1. Victoria *relect. de ſimonia, num.* 19. 20. Syl. *ſimonia*, §. 9. Innocent. *c. quoniam*
enormis. ne Prælati vices ſuas, &c. Abbate *cap. ſua nobis. num.* 10. *de ſimonia. & cap. Epiſco-*
pus. de præbend. Nauar. *c.* 23. *num.* 99. *& ſeq.* Suarez *diſp.* 86. *ſect.* 1. Henriquez *lib.* 9.
c. 22. dicendum eſt, non poſſe quidem paciſci, dari, aut recipi, ſtipendium tam-
quam pretium operis, & rei ſpiritualis, quia rei ſpirituali, quam tenetur
gratis dare, ſicut gratis accepit, fieret iniuria, quicquid hac de re ſenſerit Alti-
ſiodor. *p.* 3. *q. penult.* Bonauentura 4. *d.* 25. *q. vltima*, Richardus *art.* 3. *q.* 2. Gloſſa *cap.*
ſignificatum. de præbend. aſſerentes poſſe recipere pro labore, etſi non pro re ſpiri-
tuali. Non enim videtur labor ille, ſecundùm ſuum eſſe naturale dignus tanto
ſtipendio, quantum eſt honeſta ſuſtentatio; ideóque videtur ſignum eſſe oriri
ex ſpirituali, cui adiungitur: ſed recipi, & dari licitè ſolùm ob ſuſtentationem
1. neceſſariam miniſtris debitam. tum lege diuina, *Matth.* 10. *Dignus eſt operarius*
cibo ſuo. 1. *Cor.* 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia ve-*
2. *ſtrametamus.* &, *Qui altari deſeruiunt, de altari participant.* tum naturali, quia vnuſ-
Deut. 25. quiſque meretur ali ab eo, cui deſeruit, iuxta illud, *Non allegabis os bovi tritu-*
1. Cor. 9. *ranti.* tum Canonica. 1. *q.* 2. *can. vltimo.* vbi ex Concil. Agathenſi *c.* 36. dicitur: *Clerici*
3. *omnes, qui Eccleſiæ fideliter vigilantérque deſeruiunt, ſtipendia* (ſuſtentationis) *ſanctis la-*
boribus debita, ſecundùm ſeruitij ſui meritum, per ordinationem canonum à ſecularibus
conſequentur. & *cap. ſignificatum. de præbendis.* vbi conceditur recipere mercedem,
ſcilicet pro ſuſtentatione. & D. Auguſtinus in illud 1. *ad Timoth.* 5. *Qui bene præ-*
ſunt Preſbyteri, duplici honore digni ſunt. Accipiant (inquit) *ſuſtentationem neceſſitatis à*
populo, mercedem diſpenſationis à Domino. rectè diſtinguens ſuſtentationem à mer-
cede, cùm re vera diſtinguantur. Sicut, inquit, Sotus, ſi artifex, vtputa egregius
pictor tibi diceret, da mihi victum, & operas meas omnes tibi impendam, quan-
tiuis pretij dignæ fuerint. tunc non æſtimarentur aut venderentur operæ, &
artificium picturarum, ſed tantùm neceſſaria ſuſtentatio requireretur, & de-
duceretur in pactum. Poſſunt igitur ſacerdotes ſtipendium ſuſtentationis re-
cipere, & in pactum deducere. Vnde & Eccleſia quotam decimarum taxauit,
cùm

cùm ſolùm ſubueniatur humanæ neceſſitati, quòd miniſter ſine alimento vi-
uere, & miniſterio vacare non poſſit. & non fiat iniuria rei ſpirituali, quæ nul-
lo modo æſtimatur, aut venditur; quo ſenſu loquuntur iura initio citata. Vi-
deantur dicta *ſuperiori cap. num.*4.

2. Atque ob mutuam conuentionem, & pactum ſacerdos, qui ſtipem recepit
pro dicendis Miſſis, tenetur ex obligatione iuſtitiæ eas dicere: & qui petitas, &
conuentas dixit, ex iuſtitia eum compellere poteſt ſtipem ſoluere, qui ſpopon-
dit, ex Syluestro *Miſſa* 1 *num.*10. Corduba *lib.*1.*q.*3. Nauar. *c.*23 *num.*110. *cap.*25.
*num.*92. Petro Nauarro *lib.*2.*de reſtitutione.c.*2.*num.*381. Henriquez *lib.*9.*c.*22. Sua-
rez *diſp.*86.*ſect.*1. cùm enim alter ſuas partes expleuerit iuxta promiſſionem, &
alter ſuas explere tenetur, cogíque poteſt vt promiſſionem ſeruet, ne alteri
faciat iniuriam.

3. Quid igitur, inquies, de ſacerdote qui ex patrimonio, vel aliunde, habet
vnde viuat; poteritne ſtipem vllam paciſci, aut recipere pro Miſſarum celebra-
tione? Reſpondemus, fuiſſe quidem plures, qui ſenſerunt non poſſe paciſci, vel
accipere, vel ſi acceperit dandam pauperibus, vt Caiet.2.2.*q.*100.*art.*2. Hadria-
nus 4.*mat. de reſtit.q.vltima.* Nau.*c.*23.*n.*102. Syl.*v.ſimonia.q.*3 Gratianus *can.paſtor.*1.
*q.*2. vbi plura iura congerit, idémque videtur ſenſiſſe Proſper *can. illi autem* 12.
*q.*1. & Auguſtinus *ibid.can.vltimo.* Oppoſitum tamen docere S. Thomam *quodlib.*
6.*art.*10. Sotum *lib.*9. *de iuſtitia,q.*6.*art.*1. Gloſſam, & Doctores *in can. clericos.*1.*q.*2.
Iulium Clarum *lib.*5.§.*ſimonia.* Henriquez *lib.*9.*c.*22. Suarez *diſp.*86.*ſect.*3. tum 1.
quia ſacerdoti miniſtranti iure diuino & naturali debetur alimentum ab eo, cui
ſeruit, etiamſi diues ſit; cùm hoc non illi adimat ius, quod ex iuſtitia habet ad
alimenta, & ſuſtentationem; ſub qua ratione ſolùm petit, & non ſub ratione
pretij, vt dicebamus; dummodo tamen ſacerdos ille libertatem habeat appli-
candi Miſſas: nam ſi iam obligaretur ratione ſui beneficij applicare Miſſam ali-
cui, non poſſet nouum ſtipendium accipere, & applicare alteri. Syl. *v. Miſſa* 1.
§.10. Sotus 4.*d.*13.*q.*2.*art.*1 *lib.*9.*de iuſtit.q.*3 *art.*1. Petrus Sotus *lect.*6. Nauarrus *de
orat.not.*20 *num.*48. Henriquez, & Suarez *locis citatis.* Teneri autem Parochum ha-
bentem competentes reditus ex Eccleſia quotidie celebrare pro ſuis ouibus,
tenet Sotus *locis citatis.* negat autem niſi id ſpecialiter ſtatutum & conuentum
ſit, Suarez cum aliis. tum quia id probat communis conſuetudo. tum quia ſa- 2.
cerdotes temporaliter diuites, reditus etiam ſuorum beneficiorum ſine ſcru- 3.
pulo percipiunt; quare etiam eadem erit ratio de Miſſarum ſtipendiis. ideo
cùm ſacrificantes dominium eorum acquirant, non obligantur, etiamſi diuites
ſint, ex iuſtitia pauperibus erogare. cùm tamen his fiant ditiores, faciliùs habere
poterunt ſuperflua, & ob id ex charitate magis obligari pauperibus ſubuenire.
quod tantùm D. Proſper, Auguſtinus & alij Patres intendunt. maximè cùm
præciſè non loquantur de ſtipendiis Miſſæ, ſed in communi de ſtipendiis eccle-
ſiaſticis, cùm ſuppetunt alia bona.

4. In huiuſmodi autem ſtipendiis dandis, & recipiendis, licèt non ſint rerum
pretia, ſeruandum eſt medium aliquod, cùm ſubeant rationem iuſti ſtipendij.
Illud verò cenſebitur iuſtum, quod, vel à ſuperiore habente poteſtatem taxa-
tum fuerit, ne laici pauperes ſacerdotes poſſint cogere viliori ſtipendio onus
ſuſcipere, quàm decet, vt docet Corduba *lib.*1.*q.*4.*dub.*4. cùm hoc non impediat:
vt Nauarrus putat *c.*23.*n.*106. quin poſſint ſi velint laici ex liberalitate, & elee-
moſyna, maiora ſtipendia aſſignare; vel certè quod conſuetudine regionis à
timoratis viris dari ſolet, penſata annonæ abundantia, & caritate; qua de re

Corduba *loco citato*. Petr. Nauarrus *lib.2. de reſtit. c.2. n.325*. & Suarez *loco citato*. Quòd ſi olim in aliqua Eccleſia erecta fuit Capella, cum onere, v.g. Miſſæ quotidianæ, cuius nunc reditus adeò tenues ſint, auctis rerum pretiis, vt non attingant huiuſmodi ſtipendium, Epiſcopus in diœceſana Synodo, Miſſarum moderabitur numerum, iuxta Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c.4*. ad hanc ſtipendiorum normam; & facit ad hoc etiam Gloſſa *cap. ex parte. de conſtitut.* idémque colligitur ex Nauar. *de celebr. Miſſæ. conſilio 9. & 11*. in impreſſis Pariſiis. vt etiam ſacerdos pauper, cui datur ſtipendium haud integrum (ſi enim integrum detur, nihil aliud accipere poteſt, quicquid ſenſerit Sotus, quia excedet iuſtitiam ſtipendij) pro dicenda Miſſa, poteſt ab alio aliud ſtipendium non integrum, ita vt ex vtroque conſtituatur integrum, accipere; & ambobus ſacrificium applicare, ex Suarez *diſp.86. ſect.4* Corduba *lib.1. q.4. caſu 135*. Tabiena *reſtitutio, §. vltimo*. Henriq. *lib.9. c.22*. Medina *Cod. de orat. q.8*. Cano *lib.12. c.13. ad 10*. Soto *lib.9. de iuſt. q.3. art.1*. quòd tunc ſacerdoti fiat iniuria, & poſſit ſe indemnem conſeruare. Quærenti ſacerdoti, an ex eleemoſynis datis, vt certum Miſſarum numerum per alios celebrare faciat, poſsítne inſcio qui dedit, retinere ſibi bona conſcientia aliquam partem, reſpondet negatiuè Viguerius *tr. de ſacram. Euchar. verſu 16*. & Salmeron *tom.9. tr.33. in fine*. Hactenus de offerntibus.

De aſſiſtente miniſtro. Cap. XI.

SVMMARIVM.

1. *An fas ſit aliquando ſacerdoti abſque aſſiſtente miniſtro ſacrificare.*
2. *Num mas neceſſario eſſe debeat, & non fœmina. ſed aliquando miniſtraſſe Angelos.*
3. *Sufficit verò vnus tantùm, qui nomine totius populi reſpondeat.*
4. *Viliſſimum eſſe ſacerdoti ſacrificanti inſeruire.*

IAm deinceps reliquo hoc ſecundo libro, de his diſſeremus, quæ ſacrificio accidunt, & ſunt circumſtantiæ paulo remotiores, quibus ſacerdoti ſacrificandum eſt; vnde & ad offerentem reducuntur. Et quidem hoc capite de Aſſiſtente. Apte omnia igitur quæritur, an fas ſit aliquando ſacerdoti abſque vllo miniſtro aſſiſtente, ſacrificare. Gloſſa *can. hoc quoque. de conſecr. d.1*. Turrecremata *ibidem*. Gabriel *in can. lect. 14*. exiſtimant, aliquando licere, maximè Eremitis. Communis tamen ſententia negat, per ſe licere. S. Thomæ *3. p. q. 83. art. 5. ad 12*. Paludani *4. d.13. q.2. art.3. concl.1*. Soti *4. d.13. q.2. art.5 ad 12*. Antonini *3. p. tit. 13. c. 6. §. 5*. Ledeſmæ *q.24*. Syl. *Miſſa.1. num.2*. Tabienæ §.8. Suarez *diſp.83. ſect.1*. Henriquez *lib. 9. c.30*. Emanuelis Sà *v. Miſſa. num.18*. Etſi enim iure diuino, non repugnet, ſine miniſtro ſacrificare, cùm integra ratio ſacrificij ſaluetur etiam ſine vllo miniſtro, eccleſiaſtico tamen iure, debet adeſſe miniſter; vt conſtat. tum *ex can. hoc quoque. de conſecr. d.1*. vbi Soter ſtatuit, ne ſacerdos celebret, niſi ſaltem duobus præſentibus. Anacletus, etiam *ep.1*. *Ipſi* (inquit) *quando Domino ſacrificant, non ſoli hoc agere debent*. idémque conſtituitur in Concilio Nannetenſi *c.30*. apud Burchardum *lib. 3. c.68*. & Iuonem *3. q. c.70*. in Concilio Maguntino ſub Carolo Magno *c.43*. in Pariſienſi ſub Ludouico *lib. 1. c. 48*. in Baſileenſi *ſeſſ.21. c.8*. in Maguntino ſub Archiepiſcopo Sebaſtiano *c.54*. in Treuirenſi *c.9*. & *c. propoſuit. de filiis Presbyt.* tum ex vniuerſali conſuetudine, quæ vim habet præcepti, etiamſi cætera deeſſent. quæ conſtat ex D. Ambroſio *lib.1. off. c.41*.

c.41.vbi S.Laurentius Sixto dixit : *Tu numquam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſue-*
*ueras.*VValfrido,qui anno 825.floruit, *c.*22. Micrologo *de rebus eccl.c.*2. & citatis
Pontificum , & Conciliorum decretis. Dixi, *per ſe* , quia non deſunt, qui exiſti-
ment poſſe accidere caſum in quo neceſſitas tanta eſſet, vt cenſeretur interpre-
tatiua licentia Papæ id concedere : vt tenet Alenſis 4. *p.q.*37.§.4. Io. Stephanus
Durandus *lib.2.c.*15. Antonius de Butrio *in c.2.de vita & honeſtate cler.n.*11. Graſ-
ſius *lib.2.c.*42.*n.*3.Azor *lib.*10.*c.*29.Sotus *loco cit.* Henriquez *lib.9.c.*30.qui ſic limi-
tat ſententiam Gloſſæ , & Turrecrematæ , quod etiam non improbabile exiſti-
mat in caſu extraordinario Suarez *in fine dictæ ſect.*1.*diſp.*87.

2. Huiuſmodi verò miniſter vir eſſe debet , & non fœmina. tum *ex epiſt.* 2. So- 1.
teris , prohibentis ne ſacratæ etiam fœminæ ſacra vaſa tangerent , vel incen-
ſum ad altare deferrent, quòd reprehenſione & vituperatione plenum eſſe nul-
li rectè ſapientium dubium ſit, tum *ex can.* 44. Concilij Laodiceni,prohibentis
mulieres ad altare ingredi & contingere quæ virorum officiis ſunt deputata.
tum ex Zacharia Papa *epiſt. ad Pipinum Regem Francorum, Epiſcopos , Abbates , &* 2.
alios Francorum ſubliniores poteſtates , ſcripta anno 744.*c.*5. vbi etiam Gelaſium ci-
tat, & ait : *De his* in Decretorum libro B. Gelaſij Papæ *c.* 32. *deſtinatum eſt , quòd*
nefas ſit fœminas ſacris altaribus miniſtrare , vel aliquid ex his , quæ virorum ſunt officiis
deputata , præſumere. Nihilominus impatienter audiuimus tantum ſacrarum rerum ſubiiſſe
deſpectum , vt fœminæ ſacris altaribus miniſtrare firmentur : cunctáque , quæ non niſi vi-
rorum famulatui deputata ſexum , cui non competunt , exhibere : niſi quòd omnium delicto-
rum , quæ ſingillatim perſtrinximus , noxiorum reatus omnis , & crimen eos reſpicit ſacerdo-
tes , qui vel iſta committunt , vel committentes minimè publicando prauis exceſſibus ſe fa-
uere, ſignificant. & *cap. inhibendum.de cohabitatione clericorum , & mulierum.*& Conci-
lio Moguntino , quod ita habet : *Inhibendum quoque eſt , vt nulla fœmina præſumat*
accedere , aut presbytero miniſtrare , aut intra cancellos ſtare , aut ſedere. tum ex Soto 4. 3.
*d.*13.*quæſt.*2 *art.*5 *ad* 12. Turrecremata *can.hoc quoque, de conſecr. d.*1.Syl. *Miſſa.*§.
2. & *v. fœmina.*§.3. Tabiena & Armilla *v. Miſſa.* Bartolo *in Authentica , Quomodo*
oporteat Epiſcopos. §. *quarta.* Suarez *diſp.*87. *ſect.*1. Azor *lib.*10. *c.*19.*quæſt.*2. Henri-
quez *lib.*9. *c.*30.& communi opinione. tum ob periculum impuritatis. tum de- 4.
nique,vt notat Turrianus *lib.5.pro epiſt.Pontif.c.*5.quòd turpe ſit viris eas præeſſe: 5.
eſt autem miniſtrare ad altare , quoddam præeſſe laicis , qui ab eo miniſterio
arcerentur ; ideóque nec etiam fœminæ ſacratæ id munus exercere debeant:
itémque turpe illas diſcurrere per Eccleſiam , quod neceſſe eſt facere mini-
ſtros. Et ſanè ſi non licet fœminis in Eccleſia loqui vt diſcant , ſed viros domi
interrogare debent, vt *ad Corinth.* Paulus præcipit ; multo minus licebit eas al-
tari deſeruire , contrà quàm prætendant Magdeburgenſes. licet tamen monia-
libus remotè , vt ex choro facere ſolent , reſpondere, ex Paludano , Turrecre-
mata, Tabiena , Suarez, & aliis. Sed & beati Angeli ſacrificantibus ſacerdoti-
bus aliquando miniſtrarunt , vt B. Dodo , & B. Io. Parmenſi , ex Chronicis S.
Franciſci *p.*2. *lib.*1. *c.*31. & 57. B. Andreæ de Sceuà Iudo , ex hiſtoria S. Domi-
nici. B. Vſualdo dum Monachus eſſet in monaſterio Floriacenſi , ex Surio die
15. Octobris. B.Ioanni Angelopti Epiſcopo Rauenati,illi enim Angelus diaco-
num præueniens calicem , omnibus videntibus , & mirantibus , anno 432. mi-
niſtrauit, vt ſcribit Philippus Ferrarius , in Catalogo Sanctorum Italiæ die 21.
Nouembris, & Hieronymus Rubeus *lib.*2. *hiſtoriæ Rauenatis.* D. etiam Gregorio
ſacrificanti ab Angelis miniſtratum ſcribit Io. Damaſcenus , *orat. quod mortui*
iuuentur Miſſis viuentium. Quare non immeritò ſcripſit D. Ambroſius *lib.* 1. *in*

*Lucam, c.*1. cùm de Angelo, qui Zachariæ ſacrificanti apparuit, loqueretur non immeritò Angelus videtur in templo, quia veri ſacerdotis iam nunciabatur aduentus; & cœleſte ſacrificium parabatur, in quo Angeli miniſtrarent.

Sufficit autem ſi vnus tantùm miniſter adſit, qui nomine totius populi reſpondeat; quicquid aliàs ſtatutum fuerit à Sotere *citato canone, hoc quoque, de conſecr. d.*1. quem ſequitur Hugo *ibid.* VValfrid. *c.*22. & alij. tum quia in Concilio Nannetenſi *c.*30. conceditur celebratio ſi vnus miniſter adſit; tum ex communi conſuetudine, quæ optima eſt legum interpres: tum ex Gloſſa, & Archidiacono *in cit. can. hoc quoque.* tum ex Theologis, vt dicemus *lib.*3.*c.*17. *num.*3. vbi iterum hac de re erit ſermo. 3.

Porrò quàm fructuoſum ſit diuino ſacrificio miniſtrare; etſi per ſe pateat, cùm miniſtrans peculiari modo poſt ſacerdotem ſacrificium offerat, vt *ex lib.*1. conſtat; libet tamen diſcere ex Bonauentura qui *tom.* 2. *tract. de interiori homine, p.*1. *c.*11. ait: *In hoc miniſterio multiplex fructus. Primum boni operis exercitium eſt. Secundum opus charitatis eſt, & promouens proximum in bono. Tertium opus deuotionis eſt, quia Deo appropinquat in oratione. Quartum opus Angelicum eſt, cum quibus Deo ibi præſenti miniſtras, ſicut & illi. & ex hoc, non ſolùm ſacerdos cui miniſtras, tunc orat pro te ſpecialiter, ſed & omnes circumſtantes quorum vices geris; immo tota Eccleſia vbique terrarum, quia tu vicem geris omnium fidelium, qui Deo ſuo de cœlo venienti cum gratiſſima gratiarum actione deberent miniſtrare, ſi poſſent adeſſe, & vix poteſt eſſe quin Dominus ſpeciali gratia remuneret etiam in præſenti, qui libenter & deuotè miniſtrat apud illud ſacramentum, quo nihil ſanctius & deuotius poteſt eſſe in cœlo & in terra; & quod eſt admodum præcipuum indicium diuinæ dignationis, & dilectionis ſuæ ad hominem.* 4.

Quo linguæ genere ſacrificandum ſit in Eccleſia occidentali.
Cap. XII.

SVMMARIVM.

1. *Vti apud Græcos, Græca, apud Syros Caldaica, ita apud Latinos Latina, & non materna vernacula lingua, vt Nouatores clamant, ſacrificandum eſſe, probatur.*
2. *Soluuntur Caluini, cæterorùmque Nouatorum obiectiones.*

Communis eſt, veráque ſententia Theologorum, vti apud Græcos, Græcè, apud Syros Caldaicè, ita in occidentali Eccleſia, non materna & vernacula lingua, vti Nouatores clamant, ſed Latinè ſacrificandum eſſe. etſi teſte Hugone *lib.*2. *de off. c.*12. & Turrecr. *can. Iacobus, de conſecr. d.*1. admixtæ ſint Latinè Liturgiæ nonnullæ voces Hebraicæ, vt Alleluia, Amen, Oſanna; & quædam Græcæ, vt Chyrie eleiſon, quòd tribus his linguis inſcriptus fuerit titulus paſſionis Chriſti cruci affixus. Ita ſentiunt Catholici quicumque egerunt hac de re, vt Sixtus Senenſis *in Bibl. lib.*6.*c.*263. Ekius *tit.*37. *locorum communium.* Hoſſius *dialogo de ſacro vernaculè legendo*, Iacobus Ledeſma *lib. hac de re,* Gaſpar Caſalius *lib.*2.*c.*22. Salmeron *tom.*9.*tract.*32. Franciſcus Turrianus *lib.*1.*pro canon. Apoſt. c.*24. Bellarminus *lib.*2.*de verbo Dei, c.*15.16.*lib.*2.*de ſacram. c.*31.*lib.*2.*de Miſſa, c.*11. Suarez *diſp.* 83. *ſect.*1. Gregorius de Valentia *tom.*4. *d.*6.*q.*11.*p.*3. *verſ. quoad quintum caput, & quoad ſeptimum.* Azor *lib.*8.*c.*26.*q.*6.*lib.*10.*c.*35.*q.*14. Henriquez *lib.* 1.
1 *9.c.*31. & meritò. tum quia Gregorius VII. *lib.*7.*epiſt.*11. Vratiſlao Bohemiæ Duci, qui anno 1080. poſtulauerat vt in Bohemia, & finitimis regionibus, liceret

celebrare

celebrare Sclauonicè; reſpondit ſe non poſſe eius voluntati ſatisfacere, ne vi-
leſceret, & haberetur deſpectui, & prauè intellecta à mediocribus, plures in-
duceret in errorem. Si enim plebs linguam noſſet, crederet etiam ſe intellige-
re myſteria, ac peruerſum ſibi ſæpe ſenſum fingeret. Quamuis noſtra tempe-
ſtate Clemens VIII. vt demereret Ruthenos, qui Græcum ſchiſma antea ſe-
quuti, vnitate catholicæ Eccleſiæ ipſo Petri ſedem tenente, aggregati fuerant;
eis prudenter conceſſerit vt Sclauonicè celebrarent. tum quia Concilium Tri- 2.
dentinum *ſeſſ.22.c.8.* cenſuerit, etſi Miſſa magnam contineat populi fidelis eru-
ditionem, non tamen Patribus expedire viſum, vt vulgari paſſim lingua cele-
braretur. & *can. 9.* definierit: *Si quis dixerit Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſubmiſſa voce*
pars canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe, aut linga tantum vul-
gari cel brari debere Miſſam; aut aquam non admiſcendam eſſe vino in calice offerendo, eo
quòd ſit contra Chriſti inſtitutionem, Anathema. tum ob reuerentiam Apoſtolorum & 3.
ſucceſſorum, qui cùm in toto Oriente, non niſi Græcè, aut Caldaice Liturgias
inſtituerint, in toto Occidente non niſi Latinè præſtiterunt; de Africa conſtat
ex D.Cypriano *ſerm.de orat. Dominica,* vbi partem præfationis ſurſum corda La-
tinam recitat, & Auguſtino *lib. de bono perſeu. c.* 13. de Hiſpania ex Iſidoro *in li-*
bris de officiis, Concilio Toletano IV. *c.*2.12.13. ex Conc. Valentino I. de Anglia
ex Beda *lib. 1. hiſtoriæ.* de Gallia ex Alcuino, Amalario, & aliis: de Germania ex
Rabano *lib.2. inſtit. c.9.*Ruperto Abb. *lib. de diu.off.* & ex Gregorio VII. *loco citato.*
de Italia ex Iſidoro *lib.1.off. c.15.* vbi docet ordinem officiorum, quo Romana
vtitur Eccleſia, accepiſſe à B. Petro; etſi aliquid ſit poſtea additum ab aliis Ro-
manis Pontificibus; tum quia cùm in Cathedrali Papæ aliqua lingua celebran- 4.
dum ſit, & hæc eadem ſit Romæ, Romana lingua, & non extranea eligenda
fuit: cúmque hæc ſit duplex vernacula & Latina, quæ vniuerſalior eſt, in cá-
que leges conditæ, & conſcripti antiquorum & recentiorum libri, omnibúſ-
que pæne nationibus cognita; non vernacula, ſed Latina omnibus, qui ad
ſedem Apoſtolicam confugiunt, notior, præeligenda fuit. Quòd ſi Romæ La-
tinè celebretur, rationabiliter etiam in cæteris Occidentis prouinciis, idem fa-
ciendum fuit. cùm ex Concilio Gerundenſi *c.1.* filiæ matri, & diſcipulæ magi-
ſtræ debeant ſe rationabiliter conformare. tum quia vocabula, quæ vno tem- 5.
pore vulgaria ſunt, non multo pòſt deſinunt eſſe vulgaria; ideo neceſſe eſſet
frequenter mutare ſacrificij verba; ídque cum graui periculo; cùm non ſem-
per idonei interpretes reperiantur; nec Pontifices facilè poſſent errores emen-
dare ob linguarum varietatem, aut proprietatem, vel certe non tam citò. tum 6.
quia tolleretur communicatio Eccleſiarum, non enim poſſet ſacerdos Italus
in Gallia, aut Gallus in Germania, Italia, Hiſpania, Anglia, Polonia, celebra-
re; cùm earum nationum linguam non didicerit. tum quia maieſtas diuino- 7.
rum officiorum videtur poſtulare linguam non vulgarem. Vt enim æquum eſt
vt in ſacramentis miniſtrandis alia vtamur domo, aliis veſtibus, aliis vaſis, &
inſtrumentis, quàm quotidianis, ex D.Baſilio *in reg.breu. interrogat.*310.ita æquum
etiam fuit, vt non vulgari ſed alia vteremur lingua. vnde nec apud Græcos ad-
hibetur Græca vulgaris, ſed litteralis. tum quia Latina lingua ſacris vſibus de- 8.
dicata ſit, in titulo crucis, vt rectè notauit etiam Concilium Auguſtenſe *c.15.*
dicens: *Lingua Latina, cui velut diuino inſtrumento in ipſa crucis ara ſacris vſibus de-*
dicato, Eccleſia occidentalis religionem Chriſtianam fert acceptam, in ſacramentorum admi-
niſtratione, aliiſque eccleſiaſticis officiis, per totam noſtram diœceſim retineatur, & excluſa
reuocetur.

At

At dicet Caluinus *lib.3. Inſtit. c.20.§.33.* Kemnitius *2.p.examinis Concilij Tridentini*, & Brentius *in confeſſ. VVitemberg.* celebrandum & officia diuina recitanda
1. materna lingua; tum quòd fiant ad populum inſtituendum, & excitandum.
2. quòd niſi fiat vulgari & nota lingua, nulla erit vtilitas. tum quia 1. *Corinth.*
c.14. dicitur, *Ita & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dideritis, quomodo*
ſcietur id, quod dicitur? & infrà, *Cæterùm ſi benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idio-*
ta, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas, neſcit. tum
3. quia Innocentius III. *tit. de off. iud. ord. capite, quoniam.* præcepit, vt cùm in vrbe
aliqua mixti ſunt homines diuerſarum linguarum, ſint, qui diuerſis linguis of-
4. ficia celebrent, & adminiſtrent ſacramenta. tum quia, teſte Ænea Syluio *lib. de*
origine Bohemorum, *c.13.* & Cromero *lib. 3. de rebus Polonorum*, Morauis conceſ-
Ad. 1. ſum fuit, vt diuina officia celebrarent Sclauonicè. Sed errant contradicendi ſtu-
dio, non enim ſacrificium per ſe offertur, ad populum inſtruendum, & exci-
tandum; ſed ad colendum Deum, & beneficia impetranda populo, cui non
diriguntur verba, ſed Deo, qui etiam non vulgarem linguam nouit. Quin
etiamſi materna lingua officia dicerentur, plebs minimam partem caperet, vt
Pſalmos, Prophetas, Paulum, Apocalypſim, quæ vix eruditi poſſunt intel-
ligere. Præterquam quòd non omnia myſteria ſunt propalanda populo, ex
Dionyſio *de eccl. hier.c.1. prope finem. & vlt.* Dimo.. Baſilio *lib. de Spiritu ſancto c.27.* &
Gregorio *lib.4.dialog.c.56.* Sed hac de re dicetur *lib.3.c.5. num.11.* Vnde etiam vo-
luit Deus diuinam Scripturam eſſe obſcuram, ex D. Auguſtino *lib. 2. de doctr.*
Chriſtiana, c.6. Etenim populus acciperet occaſionem errandi, cùm ex ſacra Scri-
ptura perperam intellecta natæ ſint hæreſes omnes, vt teſtatur D. Hilarius *lib.*
Ad. 2. *extremo de ſynodis.* Diuus etiam Paulus, quoad priora verba, agit de exhortatio-
nibus ſpiritualibus, quas non vult fieri in oſtentationem linguarum, ſed lin-
gua quæ intelligatur ab audientibus, non autem de diuinis officiis, aut Scri-
pturarum lectione, quæ Græcè fiant. Quoad poſteriora verò Catharinus, &
alij, cenſentes loqui D. Paulum de officiis diuinis, dicunt inde oppoſitum col-
ligi, cùm D. Paulus velit aliquem Eccleſiæ miniſtrum ſupplere vicem idiota-
rum, & reſpondere, Amen; ideo ſignum eſſe non celebrata fuiſſe officia, & ſa-
crificia, materna lingua. Bellarminus verò *lib. 2. de verbo Dei, c.16.* & Suarez *lo-*
co citato intelligentes per eum qui ſupplet locum idiotæ, eum, qui ſedet in loco
idiotarum, & eſt idiota; & ex D. Chryſoſtomo *Hom. 53.* volunt D. Paulum
agere de canticis ſpiritualibus, quæ fideles ex proprio ingenio componebant,
& canebant ad populi conſolationem, vt videre eſt apud Dionyſium *lib. de*
diu. nom. c.3. & 4. Tertullianum *in Apol. c.39.* & Euſebium *lib.2. hiſtor.c.16.* Quæ
Apoſtolus vult fieri lingua nota, vt idiotæ poſſint ſaltem ea confirmare, dicen-
Ad. 3. do, Amen. Quare non eſt ad propoſitum Nouatorum. Innocentius etiam non
loquitur de linguis vulgaribus, ſed Græca, & Latina. Capta enim vrbe Con-
ſtantinopolitana à Latinis, erant in Græcia permixti Latini Græcis, ideo rectè
ab Innocentio & Concilio Later. *c. 9.* decretum eſt, vt ciuitatis Epiſcopus
vnus tantùm eſſet, & non duo; ita tamen vt idoneos miniſtros eligeret, qui
tum Græcis, tum Latinis, ſacramenta adminiſtrarent. Morauis denique id à
Ad. 4. ſummo Pontifice Ioanne VIII. anno 880. permiſſum fuit, quòd cùm Regnum
totum conuerteretur, haud idonei miniſtri, qui Latinè celebrarent, inueni-
rentur: aucto verò miniſtrorum numero, omiſſus eſt vſus linguæ Sclauonicæ,
& Latinæ introductus, quem non oportuiſſet hæreticos deſerere. vnde Grego-
rius VII. *loco cit.* ait, primitiuam Eccleſiam multa diſſimulaſſe, quæ poſtmodum

à ſanctis

à ſanctis Patribus firmata Chriſtianitate, & creſcente religione, ſubtili examinatione correcta ſunt.

Quo loco ſit ſacrificandum. Cap. XIII.

SVMMARIVM.

1. *Non vbique Deo ſacrificandum, ſed regulariter ſolùm in locis Deo ſacratis.*
2. *Quod pluribus de cauſis conuenientiſſimum eſſe monſtratur.*
3. *An tranſgreſſio huius præcepti ſit mortalis: & an poſſit Epiſcopus concedere licentiam, vt celebretur in priuatis domibus.*
4. *Num perſecutionis tempore, vel in bellica expeditione, & ſimilibus neceſſitatibus, liceat extra Eccleſiam offerre.*
5. *Liceatne idem in flumine, vel mari, v.g. nauigatione ad Indos.*
6. *Cauendum ne Eccleſia, in qua ſacrificandum eſt, polluta, aut violata ſit.*
7. *Quibus modis polluatur Eccleſia, & reconcilietur.*
8. *Soli Deo propriè templa dicari, rectè tamen ſub patrocinio, & memoria B. Virginis, & Sanctorum.*
9. *Quo ſitu & forma conſueuerint veteres templa & altaria extruere.*
10. *Curandum diligenter, vt tota Eccleſia non ſolùm munda ſit, verumetiam decenter ornata.*
11. *Itémque ne deſit aqua benedicta ad leuiores noxas eluendas.*
12. *Quomodo ingrediendum ſit in templum, atque illic conuerſandum.*
13. *Qua ratione irreuerentia templorum magna ex parte occurri poſſit diligentia Eccleſiaſticorum.*
14. *Meritò templum ob tanti ſacrificij reuerentiam, Aſylum conſtitutum ſibi timentium.*
15. *Templorum profanatores, & violatores graues Deo vindice dediſſe pœnas, egregiéque facturos Principes ſi res Eccleſiæ ſumma cura tueantur.*

1. QVemadmodum in veteri lege haud voluit Dominus vbique offerri ſacrificium, ſed tantùm in templo Hieroſolymitano, iuxta illud *Deut.* 12. *Caue ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris, ſed in loco quem Dominus elegerit.* quod etiam ad idem propoſitum adducit Anacletus *epiſtola* 1. *Ita neque in euangelica vbique Deo ſacrificandum eſt; ſed tantùm in locis ei dicatis.* quibus & illud *Exodi* 12. conuenienter aptari poteſt, *In vna domo comedetur* (Agnus paſchalis) *nec efferetur de carnibus eius foras.* Idémque perſpicuè docet S. Paulus 1. *Cor.* 11. diſtinguens domus profanas in quibus manducare & bibere licet, ab Eccleſiis in quibus ad Synaxim & Sacramenta conuenitur. *Numquid* (ait) *domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Quare Eccleſia vſque à tempore Apoſtolorum vetuit regulariter Miſſas alibi celebrari, quàm in locis ab Epiſcopo ſacratis, & benedictis; vt conſtat ex Dionyſio *de Eccl. hier. p.*2. *c.*3. Clemente *epiſt.*3. & habetur *canone, hic ergo. de conſecr. d.*1. Anacleto *ep.*1. Syluestro *in Concilio Romano*, & habetur *can. nullus. de conſecr. d.*1. vbi ait: *Nullus Preſbyter Miſſas celebrare præſumat niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis, qui ſui participes de cætero voluerit eſſe ſacerdotij.* Felice IV. qui, *de conſecr. d.*1. *can. ſicut*, dicit: *Sicut non alij, quàm Deo ſacrati ſacerdotes debent Miſſas celebrare; ſic non in aliis quàm in Domino ſacratis locis, id eſt, in Tabernaculis diuinis, precibus à Pontificibus delibutis, Miſſas cantare ad ſacrificia offerẽda lic.* 1, *Io. Bapt. Scortia de ſacrif. Miſſæ.*

niſi ſumma coëgerit neceſſitas. Idémque ſtatutum eſt in multis antiquis Conciliis, vt in Laodiceno *cap.*58.in Carthaginenſi II. *cap.*9. in Aurelianenſi *cap.* 3. in Cabilonenſi ſub Carolo Magno *cap.* 49. in Aquiſgranenſi ſub Ludouico *cap.* 84. in Pariſienſi ſub Ludouico,& Lothario *lib.*1.*c.*47.*lib.*3.*cap.*6. in Moguntino ſub Arnulpho Imper.*cap.*9.in Triburienſi *c.*4.& habetur *can. Miſſarum,de conſecr.d.*1. Trid.*ſeſſ.*22.*c.de obſer.& vitandis in Miſſar. celebratione.* Quinetiam extat Iuſtiniani Imperatoris in eamdem ſententiam conſtitutio Nouella 58. & 131. Atque idem docent Theologi 4. *d.*13. S.Th.3.*p.q.*83.*art.*3. Summiſtæ *v.Miſſa.*Gabriel *in can. lect.*13. Thomas VValdenſis *de ſacram.tit.*4.*c.*24.& *tit.*17.*c.*143.Caſtro *v.Templum,* Demochares *lib.*2.*c.*13. Nauar. *c.*25.*num.*81. Turrianus *lib.*2. *pro epiſt. Pontif. c.*19. Suarez *diſp.*81.*ſect.*3. Azorius *lib.*10.*c.*26.Henriquez *lib.*9.*c.*27. Valentia 2.2.*q.*84. Bellarminus *lib.* 2. *de Miſſa,c.*14. dictúmque eſt regulariter,cum S.Thoma 3.*p.q.* 83.*art.*3. ob caſum neceſſitatis, vt dicetur *num.*3. & 4. Sed, quod magis mirere, Plato ipſe *lib.* 10. *de legibus* vetuit in particularibus domibus ſacella fieri, quòd non ea poſſint dignitate & decore curari,vti communia curantur.

Et ſanè meritò Eccleſia ſtatuit,ne Miſſæ extra loca ſacra regulariter celebren- 2.
1. tur.tum ex D. Baſilio *in regulis breuioribus,interrogat.* 310. quia ſicut ratio non per-
mittit, vt vas vllum commune in ſancta introducatur,ita eodem modo vetat
ſancta in domo communi celebrari:id enim cedit in debitam tanto ſacrificio
reuerentiam,& in maiorem fidelium deuotionem. videatur idem Baſilius *lib.*2.
2. *de Bapt.in reſp.q.*8. & S. Thomas fuſiùs 1.2. *q.*102. *art.*4. tum vt hac ratione, teſte
S.Thoma 3.*p. quaſt.* 83. *art.* 3. oſtenderetur, non eſſe locum veri ſacrificij extra
Eccleſiam, quæ ex Chriſti paſſione ſanctificationem, quaſi conſecrationem
quamdam conſecuta eſt. itémque vt indicaretur ſanctitas, quæ ſacrificantes,
3. & de ſacrificio participantes decet. tum quia Deus in Templo faciliùs & citiùs
exaudit; quod enim promiſit templo Salomonis *lib.* 3. *Reg. c.*9. concedit etiam
templis Eccleſia catholica petente idem, in dedicatione,quod petiit Salomon,
vt docet S.Thomas 1. 2. *quaſt.*102. *art.*4. 2. 2. *quaſt.*84.*art.*3. & 3. *p.quaſt.*83. *art.*3.
Caietanus *ibidem,*Sotus 4.*d.*13. *quaſt.* 2. *art.*3. *ad* 3. VValdenſis *tom.*5.*c.*147. vnde
ratione huius particularis exauditionis, Deus peculiari modo dicitur, eſſe in
templo. Quare vbi nos legimus, *Pſal.*67. *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis.*D.Hiero-
nymus vertit,*Mirabilis Deus in ſanctuario ſuo.*quòd ſcilicet Deus cor moueat, de-
uotionem excitet,precantes exaudiat. Idémque Hieronymus illud *Pſ.*64.*Reple-
bimur in bonis domus tua*, tranſtulit, *Replebimur in bonis domus tua ſanctificatione tem-
pli tui.*Ob id D. Chryſoſtomus *Hom.*1.*in Gen. Eccleſia,* inquit, *locus quidam eſt me-
dicina ſpiritualis, & eos,qui huc veniunt, decet ne domum redeant niſi congrua remedia ac-
ceperint:illáſque ſuis vulneribus adhibuerint.* Aſſiſtunt etiam in templo Angeli, qui,
teſte D.Maximo *in Liturgia,c.*25. & Elia Cretenſi *in comm. in* 1.*orat.n.*125. *Gregorij
Nazianz.*ingredientes templum deſcribunt,Deo nuntiant, & pro eis orationes
fundunt.&,vt addit Gulielmus Pariſienſis, compeſcunt tentantes dæmones; &
nos ad Dei amorem excitant,quaſi carbones ignis.nam & de eis dicitur,*Pſ.*103.
*Qui facis Angelos tuos ſpiritus,& miniſtros tuos ignem vrentem.*Angeli enim qui inſtan-
te euerſione templi Hieroſolymitani, ex eo diſceſſerunt, cùm, teſte Ioſepho *lib.*
7.*de bello Iud.c.*27. Ægeſippo *lib.*5. *c.*44. Euſebio *in hiſt. lib.* 5. Nicephoro *lib.*3.*c.*4.
Hieronymo *ad Hedibiam,quaſt.*8. & VValfrido *c.*13. auditæ ſint Angelorum vo-
ces dicentium: Exeamus ex his ædibus;in noſtras venerunt Eccleſias.Lanſper-
gius etiam *lib.* 4. *c.*61. docet, B. Gertrudem vidiſſe Angelos protectores templi:
vt etiam Angelis præſidibus Eccleſiæ ſuæ commendat ſe S.Gregorius Nazian-

zenus

zenus *orat. ad* 150. *Epiſcopos* Conſtantinopoli diſceſſurus. Omnia præterea accommodata ſunt ad excitandam deuotionem, quæ plurimum iuuatur his rebus exterioribus, ex D. Chryſoſtomo *Hom.*3. *de incomprehenſibili natura Dei*, Baſilio *lib.2.de Bapt.c.*8.*& queſt.*40.ex fuſiùs diſputatis, & S.Thom.1.2.*queſt.*102.*art.*4. 2.2.*q.*84.*art.*3.*& ex can. Eccleſia, de conſecr.d.*1. Cùm enim homo non ſolo conſtet ſpiritu, ſed vtatur etiam in rebus apprehendendis ſenſibus: externa hæc, Altaria, Cruces, Imagines, Sanctorum reliquiæ, ſacra Euchariſtia maximè valent ad excitandam deuotionem, quam par eſt habere in tanto ſacrificio. Inuiſibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, *ad Rom.*1. Et Regina Saba ex regio apparatu in cognitionem venit ſapientiæ Salomonis. Cùm igitur hoc myſterium ſit omnium ſacratiſſimum, locus etiam ſacratiſſimus eſſe debuit, vt ſeruaretur loci & locati, debita proportio.

3. An verò tranſgreſſio huius eccleſiaſtici præcepti mortalis ſit, nec ne, non omnes conſentiunt. Sotus enim 4. *d.*13.*q.* 2. *art.* 3. negat ſi abſit contemtus, & aliorum offenſio, & ſcandalum. Quare per eum ſi quis ſecretò domi ſuæ ex deuotione ſacrificaret, excuſaretur à mortali. Sed verior eſt oppoſita ſententia Syluestri *v.Miſſa* 1.§.5.*fin.*Angeli §.39. Tabienæ §.7. Nauarri *c.*25.*num.*81. Henriquez *lib.9.c.*27. Azor *lib.*10. *c.*26. *queſt.* 8. Suarez *diſp.*81. *ſect.*3. Emanuelis Roderici *tom.*1.*q.*43.*art.*4. quia Syluester id vetat, *can.nullus, de conſecr.d.*1. ſub pœna depoſitionis, & in Concilio Pariſienſi ſub Ludouico Pio *lib.* 1. *c.* 47. ſub pœna priuationis, ſi Epiſcopi non tollant hunc abuſum celebrandi in locis non ſacratis, & *canon. ſicut, de conſecr.d.*1. requirit ſummam neceſſitatem, ad hoc, vt alibi celebretur. & Concilium Tridentinum *ſeſſ.*22. *cap. de obſer. & vit.* imponit Epiſcopis, vt etiam eccleſiaſticis cenſuris, & aliis pœnis, inuiolatè hoc, & ſimilia ſeruare faciant. & S.Baſilius *in reg.breu.*310.aſſerat in contumeliam haberi ſacrificij, ſi abſque neceſſitate in priuata domo, id fiat. Quare cùm præceptum, ſit de re graui, grauis etiam & mortalis eſſet eius tranſgreſſio. Quærenti autem, an extra caſum neceſſitatis poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi in priuatis ædibus, dicimus ante Concilium Tridentinum potuiſſe quidem, *ex can. clericos, & can. Miſſarum & can.hic ergo, de conſecr. d.* 1. At nunc non poſſe, ex Nauarro *cap.*25.*num.*81. Azor.*lib.*10.*cap.*26.*queſt.*3. Suarez *diſp.*81.*ſect.*3. Maiol.*lib.*3. *de irreg.c.*23. quòd id Concilium *loco citato*, prohibeat, atque ita declararint Illuſtriſſimi Cardinales deputati ad declarationem eiuſdem Concilij. vnde nunc id poteſt ſolus ſummus Pontifex. Poſſe tamen Epiſcopum deſignare priuata oratoria ad religioſa tantùm munera deſtinata, in quibus etiam ſacrificare liceat quòd id ſit vſus propriæ iuriſdictionis, & poteſtatis, vt conſtat *ex citato can. Miſſarum, & can. hic ergo.* quam non conſtat voluiſſe Concilium Tridentinum tollere, ſentit Nauarrus, Suarez, & Rodericus *art.*6.*locis citatis.* Sed ſecus omnino ſtatuit S.D.N.Paulus V. vt conſtat ex litteris Illuſtriſſimi Horatij Lanciloti datis iuſſu eiuſdem die 10. Martij anni 1615. ad Illuſtriſſ. & Reuerend. Cardinales, Archiepiſcopos & Epiſcopos, decernens, id munus tantùm eſſe ſummi Pontificis. Porrò Suarez & Rodericus *locis cit.* docent in priuatis oratoriis, quæ ſunt in domibus, & Collegiis Societatis Ieſu, nedum in Eccleſiis, à Prouinciali deputatis ad celebrationem iuxta conceſſionem Gregorij XIII. non ſolùm ſacerdotes dictæ Societatis, ſed alios etiam, poſſe celebrare, quòd vt ex verbis conſtat, priuilegium non dirigatur ad ſolas perſonas ſacrificantes, ſed ad locum, & Prouincialem cui illa Epiſcopi facultas approbandi abſolutè locum ad celebrandum communicatur.

Porrò quæ hactenus diximus de celebratione in locis ſacris, & Deo dicatis, ſunt intelligenda (regulariter) ex D.Thoma 3. *p. quæſt.* 83. *artic.* 3. quia in neceſſitate, de Epiſcopi licentia ſi adſit, vel ſi abſit ſine, celebrari poteſt extra ſacrum locum, v.g. in exercitu ſub dio, vel tempore perſecutionis in locis remotis, cum altari portatili, ex S.Thoma *loco citato*, Soto 4.*d.*13.*quæſt.*2.*art.*3. Io.Stephano Durando *lib.*2. *de ritu Eccl. cath.c.*6. Nauar.*c.*25.*num.*81. Anton.3.*p.tit.*13.*c.*6.§.4. Syl. *v. Miſſa* 1.§.5. Henriquez *lib.*9.*c.*27. Azor.*lib.*10.*c.*26.*quæſt.*3. Suarez *loco citato*. Siquidem *in can.ſicut, can. Miſſarum, can.concedimus, de conſecr.d.*1. id permittitur; nec ei videtur per Concilium derogatum, quòd voluit abuſus tollere; non videatur autem abuſus, ſi ob neceſſitatem celebretur extra ſacrum locum; cùm id fieret perſecutionis tempore, in cryptis, carceribus, & priuatis domibus, ex Victore Vtic. *lib.*1. *de perſec. Vvandalica*, Greg.Turon. *lib.*2.*c.vlt.* & Niceph. *lib.*8.*c.*31. & D.Baſilius *loco cit.num.*3. excipiat caſum neceſſitatis, & modò id etiam fiat in Anglia. 4.

Maior difficultas eſt, num in neceſſitate celebrari poſſit in flumine, vel mari, v.g. cùm ad Indos nauigatur. Qua in re communis opinio S.Antonini *tertia p.tit.* 13.*c.*6.§.4. Nauar.*c.*25.*num.*82. Azor. *lib.*10.*c.*20. Suarez *diſp.*81.*ſect.*3. & aliorum, negat; tum ob citatos canones, tum ob periculum effundendi ſanguinem, affirmat tamen Durandus *in Rationali, lib.*4.*c.*1. *num.*41. & audio nunc in Luſitania in praxi deductum vt celebretur ceſſante periculo. Et quidem quoad veteres, certum eſt Euchariſtiæ ſacramentum etiam in mari ab eis delatum, cùm perſpicuè conſtet S. Satyrum, vt in funebri oratione eius dixit D. Ambroſius, beneficio ſacræ Euchariſtiæ collo ſuſpenſæ è naufragio incolumem euaſiſſe. S. Byrinum in Britanniam nauigantem, anno 635. oblitum in littore ſacram Euchariſtiam quam ad collum ſuſpenſam geſtare conſueuerat, in mare tempeſtate agitatum deſcendiſſe, & ſuper aquas gradientem rediiſſe ad littus, receptáque Euchariſtia remeaſſe iterum ad nauem, ex Beda *lib.* 3. *de Angl. hiſt. c.* 7. & ſanctæ Theoctiſti Lesbiæ, in inſula ſolitariè degenti vitam, naui Euchariſtiam delatam, vti petierat ſuperiori anno ante eius obitum, vt conſtat ex eius vita apud Metaphraſtem. idémque ad minimum colligitur ex D.Greg. *lib.*3. *dialog.c.*36. & Io.Diacono *in Gregorij vita, lib.*1.*c.*33. teſtantibus, Maximianum Abbatem, eiúſque ſocios, qui D.Gregor. Conſtantinopolim inuiſerant, in reditu Adriaticum pelagus nauigantes, dehiſcentibus lateribus nauis, eáque vſque ad ſuperiores tabulas aquis repleta, omnes quotquot erant in naui, corpus & ſanguinem Chriſti percepiſſe, orantes vt ipſorum animas Deus benignè ſuſciperet, quorum corpora ita pauendæ morti tradiderat, quo miſerante nauis octo dies ſine arbore, velis, & clauo ſeruata eſt, quouſque expoſitis in Cothronenſi portu Dei viris, illorúmque onere leuata, quæ onuſta enatauerat, aquis obruta eſt. dixi *ad minimum*, quòd non videatur improbabile oblatum etiam tūc ſacrificium, ad Chriſti Domini corpus & ſanguinem impertiendū omnibus, qui erant in naui. Itémque certum eſt aliquando in mari celebratum ſacrificium. etenim dum ſanctus VVlfranius nauigaret in Friſiam anno 700. vt teſtatur Ionas Abbas *in illius vita*, prope Morinorum regionem iactis ancoris, Miſſæ ſacrificium celebrari cœpit; cúmque ventum eſſet ad locum vbi Præſuli patena à miniſtro porrigenda fuerat, ex illius manibus prolapſa eſt in mare, tunc ſanctus VVlfranius miniſtrū miſit, qui in eum, in quem ceciderat, locum, manum mitteret, quo facto à profundo maris diuinitus reuecta patena, miniſtri manibus adhæſit. vnde vir Dei Miſſæ ſacrificium peregit. Docent etiam acta Arethæ martyris anno 523. exercitum Elesbaan Chriſtiani Regis Æthiopum, militantis contra Dunaan Homeritarum Regum Iudæum 5.

commu

communicaſſe in naui. quod ſine ſacrificio in tanta hominum multitudine
haud fieri potuit. Dionyſius quoque Alexandrinus ad Hieracem ſcribens,vt vi-
dere eſt apud Euſebium *lib.7.c.21.*dicit,Syluestrem etiam agrum,ſolitudinem de-
ſertam , nauem fluctibus iactatam , diuerſorium publicum, & horridum carce-
rem , opportuna loca viſa , in quibus celebres conuentus, maximo cum gaudio
agerent ; quamuis interpres Euſebij mutilatè verterit , quibus fortè exemplis
moti Luſitani idem factitare cœperunt ætate noſtra.

6. Cauendum autem eſt, ne Eccleſia , in qua celebrandum eſt, polluta,aut vio-
lata ſit , ex communi ſententia S. Thomæ *3.p.q.83.art.3.ad 2. & 3.* Soti *4.d.13.*
q.2.art.3. Nauarri *c.25.num.85. & c.27.num.256.* Syluest. *v. conſecratio.2.* Victoriæ
num.99. Azor.*lib.10.c.26.* Suarez *diſp.81.ſect.4.* Henriquez *lib.9.c.27.* ob Eccleſiæ
præceptum. *cap.vnico. de conſecr.Eccleſiarum. in 6.* obligans ſub mortali , vt docet
Nauarr. *c.25. num.75. & 94. & cap.27. num.160.* Emanuel Rodericus *tom.1.q.19.*
art.6. Henriquez, & Suarez *locis citatis* ; licèt contra facientes non fiant irregu-
lares. *ex cap. is qui. de ſent. excom. in 6.* & Emanuale Roderico *loco cit.* Non dicitur
tamen Eccleſia polluta, ſi violatio ſit occulta , ex Abbate *cap. ſignificaſti. de adul.*
Caſtro *lib.2.de leg.pœn.c.vltimo,*& Canoniſtis *cap.conſuluiſti. & cap. propoſuiſti. de con-*
*ſecr.Eccl.& cap.vnico.de conſecr.Eccl.in 6.*Palud.*4.d.18.q.8.art.4.* Soto *4.d.13.q.2.art.3.*
ad 2. Nauar. *c.27.num.251.* Syluest. *conſecr.2.q.5. Miſſa.1.q.3. Confeſſio.3.q.18.* Ri-
chard. *4.d.13. art.1.q.1.* Victoria *num.99.* Suarez *diſp.81.ſect.4.* Henriquez *lib.9.*
c.27. num.5. Azor *lib.10. num.26. q.13.§.5.* & colligitur *ex cap. ſignificaſti. de adult.*
vbi cenſetur Eccleſia polluta quia adultera publicè delictum confeſſa eſt ; &
probat Io.Andr. quia Eccleſia non iudicat de occultis. Si tamen poſtea violatio
occulta publicetur , cenſebitur polluta , ex Nau. *loco cit.* Abbate *cap.ſignificaſti, de*
adulterio. Suarez,Henriq. Sed limitat Caſtro & Stephanus Auila *p.5.diſp.7.dub.3.*
niſi iam in illa ſit denuo bona fide celebratum, quod non placet Nauarr. *loco cit.*
c.27.num.256.fine. Azor. *lib.10.c.26.q.13.fine,*& aliis.

7. Polluitur Eccleſia,tum voluntario homicidio,niſi eſſet ex amentia,vel in ſui 1.
defenſionem; ex Victor.*n.99.* Sylu.*conſecratio.2.* Suar.*diſp.81.ſect.4.*Henriq.& Na-
uar.*loc.c.*vel magna ſanguinis effuſione;dummodo vulnus ibidem ſit inflictum.
patet *ex cap.propoſuiſti,& cap.ſi Eccleſia.de conſecr.Eccl.& canone Eccleſiis. & can.ſi mo-*
tum.de conſecrat.d.1. Gloſſa *cap.vnico.de conſecr. Eccleſiæ, in 6.* Si quis tamen necetur
in tecto , aut ſuſpendatur ex parietibus Eccleſiæ extrinſecus, non violaretur
Eccleſia , ex Syluestro , Nauarro , Suarez ; quòd canonés loquantur tantùm de
homicidio in Eccleſia. tum voluntaria humani ſeminis effuſione in Eccleſia. 2.
patet *ex canone in Eccleſiis.& can.ſi motum.de conſecr.d.1.& cap.ſignificaſti.de adulteriis.*
& Sotus dicit cenſendum etiam pollutam Eccleſiam , quando publicè conſtat
virum & fœminam in Eccleſia cohabitare in eodem toro , quòd hoc ſufficiat
ad euidentiam illius facti. Difficultas eſt de coniugali copula facta in Eccleſia,
& quidem Gloſſa *can.Eccleſiis.de conſecr.d.1.*Sotus *4.d.13.q.2.art.3. ad 2.* & Roſella
negant Eccleſiam pollui : affirmant verò Palud. *4.d.18.*Caiet.*v. Matrimonij pec-*
cata.art.5.q.1.n.6. Angel.*conſecr.2.q.7.*Nauar. *c.16.n.33.c.27. n.253.* Victoria *n.99.*
Gloſſa *c.vnico.de conſecr.Eccl.in 6.*Alij denique diſtinguunt,vt Rich.*4.d.32.art.3.q.1.*
Maior *q.1.* Syluester *conſecr.2.q.5. Debitum.q.3.*Caſtro *lib.1.d leg.pœn.c.7.docum.2.*
Couarr.*in lib.4.decret.p.2.c.7.§.2.num.3.* Suarez *diſp.81.ſect.4.*Henriquez *lib.9.c.27.*
num.5. Si ibi coniuges diu habitare cogantur , non cenſendam Eccleſiam pol-
lui ; ſi non cogantur ibi manere diutius , Eccleſiam pollui ; quia cùm id alibi
facere poſſint , illicitè ibi tunc coniungantur. tum ſi in ea ſepeliatur fidelis ex- 3.

communicatus, *ex cap.conſuluiſti.de conſecr. Eccleſiæ,vel altaris,* Nauar.*c.27.num.252.*
Sylu. *conſecratio.2.§.5.*Oportet tamen,ex Vict.*n.99.*Suarez *loco cit.*eſſe nominatim
excommunicatum,aut publicum clerici percuſſorem,poſt Conc.Conſtant.ideo
4. debet extrahi, & extra Eccleſiam proiici, *ex cap. ſacris. de ſepulturis.* tum ſi Paga-
nus in ea ſepultus ſit. *can.Eccleſiam.1.& 2.de conſecr.d.1.*S.Th.*3.p.q.83.art.3.* fœtus
tamen maternus in muliere prægnante ſepultus, non reputatur per ſe, perſo-
na diſtincta.Et violata Eccleſia cenſetur violatum cœmeterium ei coniunctum:
non autem econtra. *cap.vnico.de conſecr.eccl.lib.6.* Syluest.*v.cœmeterium,* Suarez,&
5. aliis. tum ſi omnes parietes aut maior pars ſimul deiiciatur, cùm re deſtructa
perdatur conſecratio; ſecus ſi paulatim & ſucceſſiuè deſtruantur, & reparen-
tur; vel ſi tectum decidat, cùm conſecratio potiſſimum fiat circa parietes.Col-
ligitur *ex can.Eccleſiis.de conſecr.d.1.* Syluest. *conſecr.2.q.4.*Tabiena §.1.Nauar. *c.27
num.253.* Suarez, Henriquez *locis cit.* Porrò ſi contingat Eccleſiam violari dum
ſacerdos celebrat, ſi id accidat cœpto canone, proſequendum eſt; ſi nondum
cœpto,omittatur. vel ſi Eccleſia eſt ſolùm benedicta, ſtatim, ſi fieri poteſt, re-
concilietur, iuxta *cap.ſi Eccleſia.de conſecr. Eccleſiæ.* & deinde perficiatur Miſſa. Si
non poteſt, omittatur. ex Soto *4.d.13.q.2.art.3.& 4.* Graffio *lib.2.c.47.* & aliis.
Modus autem reconciliandi Eccleſiam, quando eſt conſecrata, & quando eſt
tantummodo benedicta,petendus eſt ex Pontificali Romano. Poſſe verò Men-
dicantium Prælatos Eccleſias pollutas reconciliare, pluribus docet ex eorum
priuilegiis Emanuel Rodericus *tom.1.q.43.art...*

Extruuntur templa Deo ſoli, ex D.Leone *ſer.7.de Natiuit.* & D.August. *lib.* 8.
*contra ſermonem Arianorum.c.20. lib.1. contra Maximum. lib.8.de ciu.c.vltimo, epiſt.49.
q.3. & lib. 20. contra Fauſtum. c.21.* & docet ratio, quia ædificantur templa,vt in
illis Deo ſacrificia fiant. Appellantur tamen ſæpe templa B. Virginis, Marty-
rum, & aliorum Sanctorum, ob eorum patrocinium pro nobis ad Deum; vel
aliquam eorum memoriam, imagines, reliquias, apparitiones, quæ ibidem ſit,
vel extiterit, vt teſtatur D. Auguſtinus, ſeu mauis Gennadius *lib.de eccleſ. do-
gmat. c.73.* quod ab initio in Eccleſia factum conſtat, ne tamquam nouum in-
uentum Nouatores calumnientur. nam Syluester dedicauit Baſilicas, à Con-
ſtantino Imperatore extructas DD. Petro, & Paulo, ex Pontificali, Damaſus
B.Laurentio, Liberius B.Virgini,Innocentius SS.Geruaſio & Prothaſio. videa-
tur hac de re S.Ambroſius *lib.1.epiſtola 5.* Athanaſius *ep.ad ſolitarios,* Gregor. Na-
zianzenus *orat.1. in Iulianum,* Gregorius Nyſſenus *orat.1. in Theodorum Martyrem,*
Chryſoſt. *Hom.28.ad populum.* Cyrillus *catech.16.* Damaſcenus *lib.4.de fide.c.16.*

Et quamuis templum & altare Salomonis, ad occidentem ſolem reſpiceret, 9.
vt conſtat ex Ezechiele *c.8.* vbi eorum, quorum dorſum ad altare & templum
verſum erat, facies orientem ſolem ſpectabant, cuius rei cauſas affert Anaſta-
ſius Nyſſenus *q.84.in ſacram Scripturam,* & S.Thomas *1.2.q.102.art.4.ad 5.* Con-
ſueuerunt tamen Chriſtianæ religionis Patres,ita templa & altaria extruere, vt
Orientem reſpicerent, vt certo certiùs conſtat ex Tertull. *lib. contra Valentinum.
c.2.* Clemente *lib.2.conſtit.c.61.* Athanaſio *in qq. ad Antiochum,reſp.14.* Cyrillo *ca-
tech.myſtag.1.* Paulino *ep.12.* Damaſceno *lib.4.de fid.c.13.* Caſſiodoro *lib.9.c.38.* So-
crate *lib.1. c.21.* Nicephoro *lib.12. c.34.* VValfrido *c.4.* Io.Belith *c.2.* & aliis, vt
dicetur *lib.3.c.19.num.7.* Ædificabant autem in crucis formam,ex Beda *lib.de locis
ſanctis. c.15.* Cedreno *in Iuſtino iuniore,* & ex vita S.Porphyrij 26. Febr.apud Su-
rium. vt etiam cruces in eorumdem faſtigiis imponebant, ex D.Chryſoſt. *Hom.
quod Chriſtus ſit Deus,* Cedreno *in compendio hiſtoriæ,* vbi de Vlmaro Saraceno agit,
Sigiberto

Sigiberto ad annum 644. & Nicephoro, qui deſcribens tempeſtatem, quæ Conſtantinopoli acciderat, dicit multas cruces, quæ templis imponi ſolent è ferro vi tempeſtatis deiectas. Medio verò ſepto fœminarum locus à virorum loco diſtinguebatur, ex Clemente *lib.2.conſtit.c.61.& lib.8.c.8.* Cyrillo *in Præfatione Catecheſeon,* Ambroſio *lib. ad Virginem lapſam. c.6.* Chryſoſtomo *Hom. 74. in Matth.* Auguſtino *lib.22.de Ciu.c.8 lib.3.c.28.* Anaſtaſio *biblioth.in Sergio,*& in Gregor. III. Philone *lib. de vita contemplatiua.* vbi Chriſtianorum mores depingit, Turrecrem. *canon. pacem.de conſecr.d.2.§.5. in fine,* Metaphraſte *in vita S.Ioan. Chryſoſtomi,* Procopio, *de ædif.Iuſtin.Imp.lib.1.*

10. Curandum, vt dicemus etiam *lib.3.c.5.* ſacerdoti, cæteríſque templi miniſtris vt tota Eccleſia munda ſit, *ex c.2. de cuſtodia Euchariſtiæ, vel altaris.* quòd pietas atque religio exigat, vt quæ Dei ſunt perhonorificè habeantur, & tractentur. Et quantum fieri poteſt ornata, cùm idem probauerit Deus in veteri Tabernaculo *Num.7.* & templo, *lib.3.Reg.c.8.* Vnde rectè Felix IV. *ep.1. Si Iudæi, qui vmbra legis deſeruiebant, hoc faciebant, multo magis, quibus veritas patefacta eſt, & gratia & veritas per Chriſtum data eſt, templa Domino ædificare, & prout melius poſſumus ornare; eáque ſanctis precibus & diuinis vnctionibus, cum ſuis altaribus, & vaſis, veſtibus quoque & reliquis ad diuinum cultum explendum vtenſilibus, deuotè & ſolemniter ſacrare debemus.* Quod ſanè magnificè curauit Conſtantinus Imperat. (vt *in eius vita* docet Euſebius) Syluester, Damaſus, Vrbanus, & alij, qui templorum miniſteria, & vaſa, ex argento & auro, eáque ornatiſſima fecerunt. Nec mirum, cùm idem Cyrus præſtiterit in templo Hieroſolymitano; vt patet *ex lib. 1. Eſdræ c.1.* Et doceat etiam Chriſti Domini factum, qui celebraturus & confecturus ſacram Euchariſtiam, miſerit *Lucæ 22.* diſcipulos, qui pararent cœnaculum grande ſtratum. Commendauit ſummoperè hoc ſtudium D.Hieronymus in Nepotiano *in Epitaphio ad Heliodorum, ep.3. Erat* (inquit) *ſolicitus ſi altare niteret; ſi parietes abſque fuligine, ſi pauimenta terſa, ſi ianitor creber in porta, vela ſemper oſtiis; ſi ſacrarium mundum, ſi vaſa luculenta, & in omnes ceremonias pia ſolicitudo diſpoſita; non minus, non maius negligebat officium, vbicumque eum quæreres, in Eccleſia inuenires. & ibidem. Baſilicas Eccleſiæ, & martyrum conciliabula diuerſis floribus, & arborum comis, vitiúmque pampinis adumbrauit: vt quicquid placebat in Eccleſia, tam diſpoſitione quàm viſu Presbyteri laborem & ſtudium teſtaretur.* Nouatorum autem obiectiones refellit egregiè Bellarminus *lib.3. de cultu Sanctorum, c.6.*

11. Aquæ benedictæ labrum in templi ingreſſu conſtitui debet, ad leuiores maculas animæ eluendas. *ex can.aquam. de conſecr. d.3.* ſiue id fiat ex opere operato, vt vult Maior 4.*d.*13. Victoria *in ſum.n.*110. Sotus 4. *d.*11.*q.*2. *art.*4. & *d.*15.*q.*2. *art.*2. Canus *lib.*12. *de locis.c.*13.*ad* 9.Ledeſma 1.4.*q.*28.*art.*3.Valent.*tom.*4.*diſp.*7.*q.*4. *p.*1. Turrecrem. *can. aquam. de conſecr. d.*3. ſiue ex opere operantis, vt vult S.Th. 3.*p.q.*87.*art.*7.& 4.*d.*16.*q.*2. *art.*2 *quæſtiuncula* 4. Alenſis 4.*p.q.*67. *m.*3.*art.*4. Rich.*d.* 21.*art.*3.*q.*1.Abulenſis 4.*Reg.c.*2.*q.*39.Viguerius *n.*217. *littera A.*Suarez *tom.*4.*in* 3. *p. S. Thomæ diſp.* 12. *ſect.* 2. ob ſpecialem impetrationem diuini auxilij, vel motionis, fundatam in orationibus Eccleſiæ quæ per ſpecialem benedictionem, ſeu conſecrationem ad hunc effectum applicantur; cùm non vtrumque operetur applicatio hæc ex apprehenſione ſumentis, alioquin tantumdem valeret ſi benedicta exiſtimaretur, & non eſſet; vel ſi homo illam aſſumeret in ſignum excitatiuum, ſine alia benedictione; vel aſpiceret imaginem Crucifixi, qua ad deuotionem excitatur. quod eſt præter Eccleſiæ ſenſum. Eadem aqua benedicta fuit etiã in vſu primis Eccleſiæ temporibus, ex Apoſtolorum traditione, vt conſtat

ſtat ex ordinatione S. Matthæi apud Clementem *lib. 8. conſtit. c. 35. aliàs* 29. vbi dicit benedicendam ab Epiſcopo, ſi adſit, ſin minus à Preſbytero, præſente Diacono. explicátque benedictionis formam, in qua etiam oratur Deus, vt illi tribuat ſanandi vim, & pellendi morbos, fugandi dæmones, & expellendi inſidias, per Chriſtum ſpem noſtram: & decreto Alexandri I. *ep.2. c.5. & lib. de Romanis Pontificibus in Alexandro*, ex Epiphanio *hæreſi* 30. Hieronymo *in vita Hilarionis*, Theodoreto *lib.5.c.21.* Palladio *in Lauſiaca.c.6.* Gregor. *lib.1.dialog. c.10.* referente aqua benedicta à Tudertano Epiſcopo. Gothum ſanitati redditum; Beda *lib.1. hiſt. Anglic. c.17.* apud quem S. Lupus concitatos diaboli opera tumentes maris fluctus, aquæ in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis ſanctificatæ aſperſione ſedauit. Marcellus Apameæ Epiſcopus apud Euſebium *lib.5.hiſt.c.21.* cùm Prætor templum Iouis munitiſſima ſubſtructione, ſtatuiſſet ſubuertere, & circumfoſſis columnis, & ſubiectis lignis, immiſiſſet flammam, quam prohibebat dæmon, & ignis efficaciæ reſiſtebat; factus certior accurrit, aquæ vaſculum ſigno crucis benedicto flammæ aſperſit; ignis cõtraria ſibi aqua quaſi oleo excitatus, adhæſit ſtatim ad ligna, & temporis momento abſumſit, totúmque corruit ædificium. Sanctum quoque Malachiam phreneticum aqua benedicta curaſſe, ſcribit *in illius vita* D. Bernardus. quæ ſanè incredibilia non ſunt, vt notat Turrianus noſter *lib.3. pro ep. Pontif.c.9.* nam ſi potuit Eliſæus legis tempore, impetrare ſali virtutem ſanandi ſterilitatem, & inſalubritatem aquæ Hiericunthinæ in virtute Dei, qui nondum factus fuerat victima & reconciliatio noſtra, & ſal fœderis noui Teſtamenti: & potuit Samuel *lib.1.Reg.c.7.* facere, indicto ieiunio, & effuſa aqua ſuper terram in honorem Dei, qui nondum factus erat homo, & pro nobis tamquam aqua, iuxta Prophetam Dauid effuſus, vt Deo de cœlo tonante, perterriti hoſtes ſeſe darent in fugam; cur idem non poſſit creatura aquæ per verbum Dei & orationem ſanctificata, valere contra poteſtates aduerſarias, & omnia mala: & quomodo conſonabit nouum Teſtamentum veteri, ſi prophetica & typica ſanctificatio creaturæ poſſit efficere, quod non poſſit euangelica, & Apoſtolica ſanctificatio facta in virtute Chriſti pro nobis crucifixi? videatur ad hoc idem propoſitum Cyrillus Alexandrinus *in paſchalibus Homiliis* 18. & 30. Nec quicquam obeſt, habuiſſe etiam Gentiles aquam luſtralem. ſcripſit enim Cyrillus *catech.3.* vt illa quæ in aris offeruntur, cùm natura ſint pura, inuocatione dæmonum impura efficiuntur: ſic contrà aqua ſimplex per ſancti Spiritus, Chriſti, & Patris inuocationem, accepta virtute ſanctitatem conſequitur, & D. etiam Paulus teſtatur 1. *Timoth.* 4. omnem creaturam per verbum Dei, & orationem ſanctificari. videnda plura apud Marſilium Columnam Epiſcopum Salernitanum in Hydrologia. decem eiuſdem effectus recenſet etiam Turrecrem. *can. aqua. de conſecr. d.3.*

Adeuntibus templum magna cum pietate & reuerentia accedendum eſt. 12
iuxta præceptum *Eccl.4. Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Domini*, vt etiam de
1. ſacrificaturis diximus. id enim exigit, tum reuerentia in Deum, quem rogaturi
2. adimus, ante quem tremunt principatus ac poteſtates illæ cœleſtes: tum ibidem
Vide infrà c. 20. & lib. 4 c.11.§.22. adſtantium Angelorum præſentia. *Aſſiſtunt* (inquit D. Baſilius in illud *Pſal.18. Et in templo eius omnes dicent gloriam) Angeli, verba deſcribentes; adeſt & Dominus affectus intrantium conſiderans.* Origenes verò *Hom.9. in Leuit. Nec Angelorum officia ab huiuſmodi officiis deſunt: Angeli enim Dei aſcendunt & deſcendunt ad filium hominis, perquirunt & curioſè agunt, quid in vnoquoque noſtrûm inueniant, quod offerant Deo: videm*

&

& perſcrutantur vniuſcuiſque noſtrûm mentem, ſi habeat aliquid aut cogitet, quod Deo mereatur offerri. D.Chryſoſt. *Hom.*1. in illud Iſaiæ, *Vidi Dominum, &c. Non cogitas ipſum hìc adeſſe inuiſibiliter Dominum, qui vniuſcuiuſque motum metitur, & conſcientiæ rationem habet?* & *Hom.*15. *in ep. ad Hebr. In aulam regiam intraturus, & habitu, & oculis, & inceſſu, & in cunctis aliis componis & ornas teipſum: huc autem intraturus, vbi verè aula regia eſt, ac talis qualis cœleſtis eſt, rides? Et tu quidem, ſcio quia non vides, audi tamen, quia Angeli præſentes ſunt vbique, maximè in domo Dei, vbi aſtant regi, & omnia ſunt plena incorporeis illis virtutibus.* Quæ B. Nilus Chryſoſtomi diſcipulus paucis complexus in diuerſis capitibus, *Eccleſiam* (inquit) *vt cœlum adi, & nihil in ea aut loquere, aut age quod terram ſapiat.* Tum negotium pro quo tem- 3.
plum adimus: vt ſcilicet peccata noſtra defleamus, & poſcamus miſericordiam multatum iniquitatum rei. quare detecto capite, & ſumma totius hominis compoſitione, ingrediendum eſt. Audiamus quid de Theodoſij Iunioris modeſtia, refetatur in actis Concilij Epheſini. *Nos, qui legitimi imperij armis ſemper circumdamur, quóſque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non conuenit, Dei templum ingreſſuri foris arma relinquimus & ipſum etiam diadema regiæ maieſtatis inſigne humiliter deponimus, & ſacra altaria munerum tantùm offerendorum cauſa accedimus, quibus quoque oblatis ad extimum communéque atrium mox nos recipimus.* Econtra verò docet Aretas Cæſarienſis Archiepiſcopus agens de tranſlatione Euthymij Patriarchæ apud Lippomanum *tom.* 3. Alexandrum Imperatorem Baſilij filium, prodigioſo obitu, mente captum, ſcaturientibus vermibus, à Deo anno 912. interfectum, quòd familiarium perſuaſione, contemta religione templi, cooperto capite, contra communem Regum cæterorúmque Chriſtianorum morem, in loca ſancta ingrederetur.

In eo verò reuerenter agendum eſt, non ambulandum, loquendum, garriendum, aut ſtrepitus excitandus. *Audiant* (inquit D.Baſilius *loco cit.*) *hæc Pſalmi verba, & confuſi ſubpudeſcant ij, qui in templo prolixiſſima intexunt colloquia. Quid dicit Pſalmus? Qui in Dei eſt, non maledicentiam, non vanitatem, ac de obſcœnis rebus diſertos ſermones pronunciet: ſed in templo eius quiſque dicet gloriam.* Ambroſius quoque *lib.*3. *de Virginibus: Eſtne quicquam indignius, quàm oracula diuina circumſtrepi ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur? circumſonare ſacramenta confuſis vocibus, vt impediatur oratio pro ſalute depromta omnium, cùm Gentiles idolis ſuis reuerentiam tacendo deferant; vnde illud exemplum proditur Alexandro Macedonum Rege ſacrificante, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepiſſe ignem brachio, atque aduſto corpore manſiſſe immobilem; nec dolorem prodidiſſe gemitu, nec tacito pœnam indicaſſe fletu. tanta in puero barbaro fuit diſciplina reuerentiæ, vt naturam vinceret: atque ille non deos, qui nulli erant, ſed regem timebat.* & alia plura, in eamdem ſententiam. Et ſanè ipſimet Ethnici inter ſacrificandum, ſilentium, verbis illis, indicebant, Seneca teſte *lib.de vita beata.c.*26. & Martiale *lib.*10.*epigr.de natali Reſtituti.*73.*aliàs* 87. *Fauete linguis.* vt ſcilicet nulla voce, nullo ſtrepitu perageretur ſacrificium. Origenes de Moyſis velamine diſſerens, *Alij* (inquit) *ne patienter quidem expectant, vt lectiones in Dei Eccleſia recitentur: alij nec ſi recitentur quidem ſciunt, ſed in remotioribus dominicæ domus locis ſecularibus fabulis, occupantur; de quibus ego auſus ſum dicere, quia cùm legitur Moyſes iam non velamen ſuper cor eorum, ſed paries quidam, & murus eſt poſitus.* Et Chryſoſtomus *Hom.in Encæniis. Quid facis homo? non promiſiſti ſacerdoti, qui dixit: Surſum corda, & dixiſti: Habemus ad Dominum; non revereris, & erubeſcis, & illa ipſa hora mendax inueniri?* Docet Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis *in epiſt. ad Compreſbyteros ſuos.* §. 20. quantum ad iracundiam Deum prouocent, qui in

Dei Eccleſia vanis confabulationibus vacant. *Si enim* (inquit) *Dominus illos de templo eiecit, qui victimas, quæ ſibi offerrentur,emebant, vel vendebant; quanto magis illos iratus inde abiiciet,qui mendaciis,vaniloquiis,riſibus,& huiuſmodi nugis locum diuino cultui mancipatum fœdant?* Non diſſimilia habet Beda *in cap.2.Euang.Ioan.*Id autem fieri dæmonis inſtinctu, vt tam concionis & lectionis, quàm orationis fructu nos ſpoliet,dicit S.Cæſarius *Hom.34.*Cui ſubſcribens Concilium Pariſienſe *lib.1.c.12. Sunt itaque* (inquit) *plerique quibus potius cordi eſt vanis & obſcœnis confabulationibus vacare, quàm lectionibus diuinis aurem accommodare; quibus etiam nuſquam tam delectabile videtur eſſe ſuſurrationes aliorum auribus ingerere, cachinnis ora diſſoluere, quàm in Eccleſia Dei, vbi eum humiliter deuotéque debuerant inuocare, & peccata ſua deflere;* ſed & hoc eiuſdem hoſtis antiqui inſtinctu fieri dubium non eſt. Summo igitur iure edixit Concilium Turonenſe III. anno 813. *c.38. Sacerdotes debent admonere fideles, vt quando ad Eccleſiam conueniunt, ſine ſtrepitu, ac tumultu, eam ingrediantur, in qua etiam quamdiu orationis cauſa morantur, nequaquam inanes inter ſe proferant confabulationes; ſed & tempore, quo Miſſarum ſolemnia celebrantur, non ſolùm ab otioſis & inutilibus verbis,verumetiam pernicioſis cogitationibus abſtinendum eſt.* & Concil.Tridentinum *ſeſſ.22. cap. de obſer. & vit.in celebr. Miſſæ: Ne Ordinarij ſacrificium peragi permittant, niſi priùs, qui interſunt decenter compoſito corporis habitu declarauerint ſe mente etiam ac deuoto cordis affectu, & non ſolùm corpore adeſſe.* Denique in actis Damaſi legi ſolitis in Eccleſia, præcipiebantur eiici ab Eccleſia qui in ea vanis ſermonibus operam dabant: & in conſtitutione quinta Pij V. huiuſmodi Eccleſiarum turbatores pœnis ordinariorum arbitrio traduntur puniendi. qua etiam in re magnus fuit zelus S.Stephani regis Vngariæ, is enim ita ſtatuit *lib.1. decretorum c.18. Si qui ad Eccleſiam venientes ad audiendum diuinum officium ibidem hora celebritatis Miſſarum inter ſe murmurant, & cæteros inquietant exponentes fabulas otioſas, & non intendentes ad diuinas lectiones cum eccleſiaſtico nutrimento, ſi maiores ſunt, increpati cum dedecore expellantur de Eccleſia; ſi verò minores & vulgares, in atrio Eccleſiæ pro tanta temeritate coram omnibus ligentur, & corripiantur flagellis.* Idem Pius V. *loco citato* meritò negat permittendos pauperes, inter officia, & conciones diſcurrere, & petere eleemoſynam. vt etiam Concilium Mediolanenſe I. *cap. de Eccleſiis, & earum cultu.* Solent enim obſtrepere, & ſacra agentibus & orantibus eſſe moleſti. quare etiam olim præ foribus ſtabant, vt ſcribit D. Lucas *Act.3.* de claudo, qui quotidie exponebatur ad templi portam ſpecioſam; & S.Chryſoſt. *Hom.28.ad populum Antiochenum* ait:*Propterea & ante Eccleſias & martyrum monumenta, præ foribus pauperes ſedent, nos ex huiuſmodi ſpectaculo multum capiamus vtilitatis.* Idémque colligitur ex Gregorio Nazianzeno *in orat. 27. de amore pauperum.* Quare omnino curandum eſt, vt ſtrepitus omnis, nedum riſus, & vana colloquia,excludatur. De cœtibus Chriſtianorum ſub nomine Eſſenorum Alexandrinorum diſputans Philo *lib. de vita contempl.* de illorum ſilentio ait: *Ita vt ne mutire quidem cuiquam liceat, aut reſpirare vehementius.* Certè S. Gorgonia ne auſa quidem fuit in templo expuere,ex Nazianzeno *in eius vita.* Videatur etiam *cap.20.num.12. huius ſecundi libri.*

Qua ſanè in re non minimum Eccleſiaſtici ipſi culpandi,qui ſæpe non ſolùm inter ſe, ſed etiam cum ſecularibus ſermones in Eccleſia miſcent, & quod multo peius eſt, intra altaris ſepta, quò ne Imperatoribus quidem olim patuit acceſſus, niſi cùm dona ſua Creatori volebant offerre; vt ſuprà ex actis Concilij Epheſini dicebamus; & conſtat ex ſexta Synodo *can.69.* & Concilio Romano ſub Ioanne XII. & aliis, vt dicemus *lib.3.c.11.*Oportet igitur primùm Eccleſiaſticos 13.

ſticos ipſos ſilentio, quiete, & modeſtia cæteris prælucere; ne poſſint ſeculares illis obiicere: Eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perſpice vt educas feſtucam de oculo fratris tui. Qua de re extat Petri Damiani præclara epiſt. quæ eſt octaua, *lib.3.* de qua inferiùs. Deinde verò plurimum ad quietem & ſilentium conduceret, ſi idem nunc fieret, quod in vſu erat in primitiua Eccleſia. Etenim diſponebantur Eccleſiæ miniſtri in templo, teſte D. Clemente *lib.8. conſt.* qui modeſtè ac quietè ambularent, & prohiberent ne quis non ſolùm voce, ſed ne nutibus quidem loqueretur. Vt etiam religioſis ſuperioribus in virtute ſanctæ obedientiæ præcepit deputare Pius V. *in conſtitutione 5.* Capitulis autem ſub pœna duorum aureorum pro qualibet vice; Parochis verò dimidij. etſi id modeſtiſſimè faciendum ſit, ne ſeculares iracundia excandeſcentes, peccatis addant peccata. vnde Beda *in c.2. Euangelij D. Ioannis*, explicans illud, *Et inuenit in templo vendentes, oues & boues. Hæc* (inquit) *propter illos dixerim, qui Eccleſiam ingreſſi non ſolùm intentionem orandi negligunt; verumetiam ea pro quibus orare debuerant, augent. Inſuper & arguentes, ſe, pro huiuſmodi ſtultitia conuitiis odiiſque, vel etiam detractationibus inſequuntur; addentes videlicet peccata peccatis, & quaſi funem ſibi longiſſimum incautè eorum augmentatione texentes, nec timentes ex eo diſtricti iudicis examinatione, damnari.* Iuuaret etiam multum ſi fœminæ ſepto diſtinguerentur à viris, ne occaſione fœminas intuendi, adoleſcentium multitudo vnà conueniret; ſicut modò ab antiquis factum, dicebamus ex Philone *lib. de vita contemplatiua.* Clemente *lib.2.c.61.& lib.8.* Ambroſio *lib.ad virginem lapſam.c.6.&* aliis, exemplo antiqui templi Iudæorum, ex Ioſepho *lib. 6. de bello Iudaico. cap. 6.* Vnde nec locum haberet apud Chriſtianos illud *Ieremiæ* 11. *Dilectus meus, in domo mea, fecit ſcelera multa.* Crebræ denique in concionibus admonitiones.

14. Iam verò cùm Principum & oratorum illorum aulæ ac domus, eò confugientium ſecuritatem impertiant; id multo æquius ob reuerentiā tanti ſacrificij Eccleſiis conceſſum fuit, Regum Imperatorúmque priuilegiis. quandoquidem ſibi timentes, ad Eccleſias confugientes omnino ſecuri erant. ita enim ſtatuit quinto poſt ſuſceptum Baptiſmum die Conſtantinus Imperator lege lata, ex actis S. Syluestri *tom.1. Conciliorum, & ex lib.1. Cod. tit.12. de his, qui ad Eccleſias confugiunt*, & Concilio Arauſicano I. *c.5.* Toletano XII. *c.10.* Aurelianenſi I. *c.3. 4. & 5.* Ilerdenſi *c.8. & diſt.17.q.4.c. diffiniuit. & c. miror. cum ſeq. diſt.87. can. eos qui. & tit. de immunit. Eccleſiarum.* Hildeberto Cœnomanenſi *epiſt.49.* Nicephoro *lib.15. c.27. lib.16.c.22. lib.18. c.39.* Socrate *lib.5. c.14. lib.10. c.4.* Oroſio *lib.7. c.25.* Sigiberto, ad annum 618. Couar. *lib.2. var. reſol.c.20.* & D. Auguſt. *ep.187.188.* Ambroſio *ep.33.* Nazianzeno *orat.20. n.79.* Ex quibus etiam patet, quàm antiqua ſit hæc immunitas. Et ne quis arbitraretur pro incolumitate conſequenda, neceſſarium eſſe tenere altare, & noctu ibidem cubare, quod indecens eſſe, Theodoſius Iunior anno 431. ita ad Antiochum Præfectum Prætorij ſcripſit, vt habetur in Cod. Theodoſ. *lib.4.tit.de his, qui ad Eccleſiam confugiunt. Pateant ſummi Dei templa timentibus, nec ſola altaria, & oratorium templi circumiectum, quòd Eccleſia quadripartito intrinſecus parietum ſeptum concludit ad tuitionem confugientium ſancimus eſſe propoſita: ſed vſque ad extremas fores Eccleſiæ quas oratum geſtiens populus primas ingreditur confugientibus, aram ſalutis eſſe præcipimus: vt inter templum quod parietum deſcripſimus cinctu, & poſt loca publica & ianuas primas Eccleſiæ, quicquid fuerit interiacens ſiue in cellulis, ſiue in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus confugas interioris templi iure tueatur. Nec in extrahendo eos conetur quiſquam ſacrilegas manus immittere, ne, qui auſus ſit hoc, cùm diſcrimen ſuum videat, ad expetendam opem ipſe quoque confugiat.*

giat. Et Leo Imp. anno 466. *leg.6. de his qui confugiunt ad Eccl. Preſenti lege decernimus per omnia loca, valitura (excepta hac vrbe regia in qua nos diuinitate propitia degentes, quoties vſus exegerit inuocati ſingulis cauſis atque perſonis præſentanea conſtituta præſtamus) nullos penitus cuiuſcumque conditionis ſint, de ſacroſanctis Eccleſiis Orthodoxæ fidei, expelli, aut trahi, vel protrahi confugas, nec pro his venerabiles Epiſcopos vel religioſos œconomos exigi, quæ ab ipſis debeantur. His, qui moliti aut facere, aut nuda ſaltem cogitatione aut tractatu auſi fuerint tentare, capitali & vltimi ſupplicij animaduerſione plectendis. Ex his ergo locis & finibus eorum, &c.* Quo etiam tempore, cùm Ardaburius vellet è monaſterio S. Marcelli extrahere Ioannem quemdam, qui eò confugerat, Angeli è faſtigio monaſterij fulminibus milites ab Ardaburio miſſos abegerunt. Et Eutropius qui Archadio abrogandæ legis immunitatis Eccleſiæ vt extraherentur eò confugientes, autor fuerat, primus omnium ſæuientem legem expertus eſt. vt docet D. Chryſ. *Hom. in Eutropium*, & Proſper *de prædict. p.3. c.38.* Et Hugo ciuis Ianenſis primarius, cùm ſabbato ſancto ingreſſus eſſet templum cum armis & armatis hominibus, peroſum ſibi virum cepit, & vinculis mancipauit, ſed iuſto Dei iudicio factum, vt ab omnibus deinde inſanus reputatus ſit, etſi re vera mentis eſſet compos; ideo ab omnibus conſputus, vt inſanus, & arreptitius habitus. ex Petro Damiani *lib.2. ep. 15.* Nec ſanè magnum fuit Chriſti templo id concedere, cùm etiam Gentiles ſuis idem conceſſiſſe videamus. vt templo Pacis fecere Romani, ex S.Th. *lib.2. de reg. Princip. c.16.* & Lactantio *lib.2. de orig. erroris.* & Athenienſes templo Herculis. vnde Statius *lib.12. Thebaidos,*

Vrbe fuit media nulli conceſſa potentum
Ara Deûm, mitis poſuit clementia ſedem.
Hîc victi bellis, patriáque è ſede fugati
Regnorúmque inopes ſcelerúmque errore nocentes
Conueniunt, pacémque rogant, &c.

Videndus hac de re Alex. ab Alexand. *lib.1. c.13.* Cælius Rhodig. *lib.23. c.1.* Pauſanias *lib.1.* Iuſtinus *lib.28.* Dionyſius Halicarnaſſ. *lib.2.* Liuius *lib.1. decad.1.* Strabo *lib.5. Geographiæ.* Auguſt. *lib.1. de Ciu. c.34.* & Q. Curtius. qui *lib.4.* ſcribit Alexandrum expugnaturum Tyrum, vetuiſſe milites res ſacras attingere, aut violare, qui ad templa confluxiſſent. vt etiam de eodem contra Thebanos bellante, illis verbis docet Polybius *lib.5. hiſt.* Non tamen eius indignatio vſque adeò proceſſit, vt quicquam in deorum templa committi permiſerit; quia omnem curam adhibuit, ne qui aliquo modo fana violarent.

Violatores denique profanatoréſque templorum, Deo vindice graues dediſſe pœnas, apud omnes exploratiſſimum eſt. id conſtat, tum ex Chriſti Domini facto, *Io.2. & Matth.21.* flagellis è templo eiicientis profanatores. quod nuſquam aliàs ab eo factum legimus. Tum ex D.Paulo *1.Cor.3. Si quis autem* (inquit) *templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus.* quod deinde applicat fidelibus, forte alludens ad eos, qui *lib.3. Eſdræ c.1.* polluerunt templum Hieroſolymis, de quibus dicitur: *Propter irreligioſitatem traditi ſunt Caldæis, qui occiderunt iuuenes eorum in gladio in circuitu ſancti templi eorum, & non pepercerunt iuueni, & ſeni, & virgini, & adoleſcenti; ſed omnes traditi ſunt in manus ipſorum.* tum ex *lib.2. Machab. c.3.* vbi Heliodorus in templum ſacrilegus à Deo grauiter plexus eſt: & Antiochus *lib.2. c.9.* Refert Philo *lib. de virtutibus & legatione ad Caium,* peſſimos exitus Heliconis, & Apellis, quorum conſilio vſus Caius, in templum Coloſſum ſtatuit, vt illud profanaret; quæ etiam referunt Euſebius *lib. 2. c.6.* Nicephorus *lib.2. c.9.* Oroſius *lib.7. c.5.* Scripſit Procopius *lib.1. de bello VVandalico,* & Euagrius *lib.4. c.15.* Cabonem, ſiue Cabao 13.

Cabaonem Maurum præclariſſimam conſequutum eſſe victoriam anno 522. de Traſamundo VVandalorum rege in Africa, quòd cùm ſciret VVandalos Arianos ſolere Catholicorum templis inferre iniuriam, & ea profanare, miſerit viros, qui templa purgarent, ſi quæ à VVandalis profanarentur, quòd cùm Chriſtianorum Deus ſit pius, par eſſet vt iniquos ipſi contumeliam inferentes, plecteret; famulantibus verò præſtò eſſet. quo præſtito, pro pietate victoriam de profanatoribus conſequutus eſt. Cùm Leuthares Theodibaldi Francorum Regis Dux, in Italiam veniſſet anno 555. cum Alemannis militibus; & per impietatem templa diriperent, & deformarent, ſacrámque ſupellectilem auferrent, bello & peſtilentia milites omnes conſumti ſunt. Leuthares verò cùm rediret, prope Cenadem vrbem in ditione Veneta demens factus, & in rabiem verſus horribiles edens vlulatus, illiſus ſolo & ſtratus inuerſis oculis, ore ſpumans, dentibus propria lacerans membra, ac ſanguinem lambens, miſerandum in modum ex humanis exceſſit, vt docet Agathias *lib. 2. hiſtoriæ.* Senſit & iratum Deum eadem de cauſa Chaianus Auarum Rex; is cùm in Thraciam irruptionem feciſſet anno 600. & Eccleſiam S. Alexandri Martyris prædatus eſſet, à Deo immiſſa peſtilentia, vno die ſeptem eius filij obierunt; magnáque pars exercitus interiit, ex Theophane anno 15. Mauritij, & Nicephoro *lib.* 18. *c.* 29. Senſit & Leo IV. Imper. qui cùm circa pretioſos lapillos inſaniret, nimis adamauit coronam præclariſſimis gemmis diſtinctam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ à Mauritio donatam, quam etiam accepit, & geſtauit anno 780. quo facto ſtatim exortis in eius capite carbunculis, correptúſque valida febre mortuus eſt: ex Theophane *in illius vita*, Sigiberto *in Chron. anno* 781. Blondo *lib.* 1. *decad.* 2. Bapt. Ignatio *lib. 2. illius vitæ*, Zonaras *Annal. tom. 3. in vita Leonis Copronymi.* Quin & conceptam tantùm animo templi S. Saturnini profanationem à Platone quodam, eiuſdem ſubita morte punitam ſcribit Gregorius Turonenſis *lib. de gloria martyrum*, *c.* 47. Prouinciæ ipſæ nedum perſonæ particulares hoc eodem crimine afflictæ ſunt, & vaſtationem paſſæ. Gallias enim à Northmannis vaſtatas anno 845. quòd res Eccleſiæ à regibus traderentur laicis hominibus poſſidendas, teſtes ſunt Patres in Concilio Meldenſi, & Lupus Ferrarienſis Abbas *epiſtola 42. ad Hincmarum, & 64. ad Ludouicum.* Vnde meritò à populis flexis genibus rogatus fuerat anno 770. Carolus Magnus, vt ex Francorum Capitularibus *lib. 6. c.* 285. 286. conſtat, ne cogerentur Eccleſiaſtici niſi neceſſarij eſſent pro excipiendis confeſſionibus, in exercitu eſſe, ne reges res Eccleſiæ caperent, quod ſacrilegium eſſet, quippe quæ Deo oblatæ, & peccatorum pretia, ac vſurpantes extorres ſint à Regno Dei. & in fine ſubditur: *Et hoc vobis omnibúſque fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris notum eſſe cupimus, quòd cum his, qui abſque voluntate & conſenſu vel datione rectoris illius Eccleſiæ, cui ipſæ res iuſtè eſſe debentur, & maximè proprij Epiſcopi res Eccleſiæ à regibus petere, aut retemare, vel auferre, aut inuadere, vel vaſtare præſumſerint; nec in hoſtem, nec ad pugnam ire, nec cibum ſumere, nec ad Eccleſiam, nec ad Palatium aut in itinere pergere, nec etiam noſtros homines, cum eorum hominibus, aut caballos, vel reliqua pecora noſtra cum eorum pecoribus, aut ad paſtum ire, aut ſimul habitare, vel manere, nec vllam participationem cum eis niſi pro emendatione, ante publicam emendationem, & Eccleſiæ ſatisfactionem vmquam ſcienter aut libenter habere debeamus, ne pro eorum iniquitatibus atque flagitiis, vnà cum eis nos & noſtri, quod abſit, pereamus. Scimus enim quia perit iuſtus, pro impio. Tales ergo à nobis, ſi nos fideles habere vultis, ſegregate, & in ergaſtulum ſub publica pœnitentia redigite, & poſtulata concedite.* Cui ſanè petitioni Carolus libentiſſimè annuerat. Quòd ſi quis effugit meritas violatoribus

huius vitæ pœnas; æternas niſi reſipiſcat, non effugit. vt de Arnoldo ſeu Arnulpho Baioariæ Duce memoriæ proditum eſt; qui ob vim rebus eccleſiaſticis illatam, diſtributiſque laicis, viſus eſt anno 932. per quietem à S. Vdalerico Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopo, in Concilio Sanctorum tamquam ſacrilegus accuſari, & iudicari. Frequentiùs tamen & huius & futuræ vitæ pœnis damnantur, vt contigit anno 845. Gaidulpho Rauennati, qui cùm à Francorum Rege Foſſatenſe accepiſſet monaſterium, eieciſsétque Monachos, ſolóque æquaſſet Eccleſiam, omniáque profanaſſet, necnon & tabulas teſtamentorū combuſſiſſet ne vmquam ad Monachos bona illa redire poſſent, séque hac de re iactaſſet in conuiuio, aſtitit S. Maurus, qui eius ventri pedem illidens, & ferula manu caput percutiens, dementatum & ruptis inteſtinis ad inferos detruſit, ex Odone illius temporis ſcriptore. Carolus Martellus Francorum Princeps, multorum monaſteriorum euerſor, & templorum expilator, longa torſione, & veteranda morte conſumtus eſt, vt ſcribit S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus, *in epiſt. ad Æthelbaldum Anglorum regem*, data anno 745. Quinimmo ex epiſtola Concilij Rothomagenſis ad Germaniæ Regem Ludouicum, data anno 858. & vita S. Eucherij Aurelianenſis Epiſcopi, & Gratiano 16. *quæſt.* 1. *poſt c.* 59. in corpore & anima damnatus, cùm ſepulcrum vacuum & fuliginoſum fuerit repertum. Horribilia alia inuaſoribus bonorum & ſupellectilium Eccleſiæ diuinitus inflicta, videri poſſunt apud Gregorium Turonenſem *lib.* 1. *de gloria Martyrum, cap.* 66. 85. *&* 105. *& lib.* 7. *hiſt. c.* 21. apud Hincmarum *in libello de tranſlatione S. Remigij*. Caſſiodorum *lib.* 6. *c.* 32. Petrum Damiani *lib.* 1. *epiſt.* 9. *&* 15. Petrum Cluniacenſem *lib.* 2. *de miraculis. c.* 1. Nicephorum *lib.* 10. *c.* 29. *lib.* 11. *c.* 28. Sozomenum *lib.* 5. *c.* 7. Theodoretum *lib.* 2. *c.* 11. 12. Eugipium *in vita S. Seuerini*, & afferemus etiam quædam *cap. ſeq. num.* 7. Vidit & Plato quanta deberetur locis ſacris reuerentia, quippe qui *lib.* 10. *de leg.* pœnam mortis iis ſtatuit, qui aliquid profanum aut indignum ſanctitate loci, ſecretò aut publicè commiſiſſet. Sed audiant tandem Principes quanta diligentia res eccleſiaſticæ illis conſeruandæ ſint ex decreto S. Stephani regis Vngariæ *lib.* 2. *c.* 1. Itaque ſub defenſione regis ſit (nempe res eccleſiaſtica) & ſicut ſuæ propriæ hæreditati, magiſque aduertat, quia quanto Deus excellentior eſt homine, tanto præſtantior eſt diuina cauſa mortalium poſſeſſione. Quocirca decipitur, qui plus in propriis, quàm in dominicis rebus gloriatur, quarum defenſor & cuſtos diuinitatis conſtitutus diligenti cura non ſolùm eas ſeruare, ſed etiam multiplicare debet, magiſque illa quæ diximus præſtantiora, quàm ſua defendere oportet & augmentare.

In ſacro altare ſacrificium offerendum. CAP. XIV.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium Miſſæ offerendum in altari, & quotuplex ſit altare.*
2. *Eius ſignificatio, & cur ſolidum fiat in nouo Teſtamento, cùm in veteri vacuum eſſet.*
3. *Quæ eiuſdem materia & quantitas eſſe debeat.*
4. *Oportet eſſe conſecratum, & num ad eius conſecrationem neceſſariò requirantur reliquiæ.*
5. *Quandonam execratum & non amplius conſecratum cenſeatur.*
6. *Non licere Presbytero ſacrum facere in altari eo die, quo ibidem Epiſcopus celebrauit ſine eiuſdem licentia.*

7. Altare

7. *Altare ſemper habitum ſacroſanctum, & timentium Aſylum, grauitérque violatores punitos.*
8. *Oportet inſtructum eſſe mundiſſimis linteis, caeteróque apparatu conuenienti.*
9. *Altaria conſecrata eſſe in cuſtodia Angelorum.*

1. SAcrificium, altare quoque requirit, vt patet ex ſacrificio Noë *Gen.* 8. Abraham *Gen.* 26. Iacob *Gen.* 33. & magis etiam quàm templum, cùm ritè fieri poſſit ſacrificium ſine templo, ex præcedenti capite, & non ſine altari, vt aduertit etiam VValfridus *c.*1. Altare verò dicitur quaſi Alta ara; hæc verò denominatur ab ardore, quòd in ea cremarentur victimæ, ex Macrobio *lib.*3. *Saturn. c.*3. Vitruuio *lib.*4. *c.*5. Iſidoro *lib.*15. Orig. *c.*4. Quare cùm etiam actio Miſſæ ſacrificium nouæ legis contineat, neceſſariò etiam requiret altare. Ideo Optatus Mileuitanus *lib.*6. contra Parmenianum, dolens quòd altare fregiſſet: *Quid eſt,* ait, *altare, niſi ſedes corporis & ſanguinis Chriſti? Quid vobis fecerat Deus, qui illic inuocare conſueuerat? Quid vos offenderat Chriſtus, cuius illic per certa momenta corpus & ſanguis habitat?* & Auguſtinus *lib.*20. *contra Fauſtum, c.*21. dicit etiam altare eſſe locum in quo Chriſti corpus offertur. Hoc illud vnum eſt, de quo prædictum fuerat *Iſaiæ c.* 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti*, quo nomine ſignificatur Eccleſia Gentium, & de quo etiam Chriſtus *Matthæi c.*5. futuros inſtruens credentes dixit, *Si offers munus tuum ad altare, &c.* ex eodem Optato *loco citato*, & Irenæo *lib.*4. *c.*34. & D. Paulus *ad Hebr.*13. *Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt.* & 1. *Cor.*10. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* viguítque eius vſus ſemper in Dei Eccleſia, vt ex his conſtat, *& ex can.*3.4. *&* 30. *Apoſtolorum*, Dionyſio *de eccl. hier. c.*3. Clemente II. *conſtit. c.*39. Martiali *epiſtola ad Burdigal. c.* 3. Ignatio *epiſtola ad Tralianos*, Irenæo *lib.*4. *c.*34. Cypriano *lib.*4. *epiſtola* 9. Cyrillo *catech. myſtag.*5. Ambroſio *lib. de his qui initiantur c.*8. Felic. IV. *epiſt.*1. Concilio Laodiceno *c.*19. Chalcedon *act.*1. Ilerdenſi *c.*1. Vaſenſi apud Gratianum 13. *quæſt.* 2. *can. præcipiendum*, vt omittam reliqua; ſicut & Liturgias D. Iacobi, Marci, Baſilij, & Chryſoſtomi. Eſt autem altare duplex, alterum quidem portatile, quod mutari poteſt à loco ad locum: vnde & viaticum dicitur, *c. vltimo, de priuilegiis, in* 6. & tabula altaris conſecrata. *can. concedimus, de conſecr. d.*1. alterum ſtabile, cui, ſi non ſit conſecratum, debet ſuperponi portabile conſecratum.

2. Significat autem altare, tum menſam Domini, ſicut corporale linteum, quo 1.
ſe in vltima cœna præcinxit, & purificatorium Chriſti ſudorem ac laborem in
lotione pedum diſcipulorum, ex Amalario *c.* 24. tum crucem, in qua Chriſtus 2.
cruentum ſacrificium obtulit, ſicut calix ſepulcrum, patena lapidem claudentem, & pallæ ſyndonem, qua Chriſtus obuolutus eſt, ex Bernardo *ſer. de cœna.*
Hugone *de ſacrament. p.*4. *lib.*1. *c.*17. & Bonauentura *in expoſit. Miſſæ.* tum Chri- 3.
ſtum ipſum in Eccleſiæ corpore dignitate & honore eminentiſſimum & Chriſmate gratiarum omnium altare delibutum, ex D. Auguſtino *ſerm.*11. *de Sanctis.* S. Thoma 3. *p. quæſt.*83. Soto 4. *d.*13. *quæſt.*2. *art.*3. *ad* 6. Ruperto *lib.*5. *diuin. offic. c.*30. Ioan. Gerſone *lib.* 4. *de ſacra Euch.* At cur cùm veteris Teſtamenti altare concauum, ſeu vacuum fuerit *Exod.* 27. non ſolidum, ſed inane, & concauum intrinſecus, *Facies illud, &c.* & ex impolitis rudibúſque lapidibus, *Exod.*20. *Deut.*27. *Ioſue* 8. euangelicum altare & ſolidum eſſe debuit, & politum? An id factum eſt quòd illud vacuum eſſet gratia ex ſacrificiorum vi; noſtrum verò quippe quòd gratiæ fontem contineat Chriſtum Dominum, omni abundet gratia?

quam

quam etiam ob cauſam,& chriſmate vngitur, quod donorum cœleſtium abundantiam & copiam indicat,ex D. Greg. *in lib.1.Reg.c.*10. & politum eſt,& quantum fieri poteſt ornatiſſimum eſſe decet, quòd non arietum & taurorum in eo fiat & comburatur ſacrificium, ſed Dei filius offeratur, & iam abſit periculum idololatriæ,vt notauit S.Thom.3*.p.quæſt.*83*.ad* 5.quod aderat in veteri.

Quoad materiam,altare conſecratum debet eſſe lapideum, ſaltem quoad ſu- 3.
periorem menſam,ex inſtitutione S. Syluestri,ſiue fixum ſit, ſiue portatile. *can. altaria.de conſecr.d.*1. Concilio Hipponenſi *c.6.* Epauonenſi & apud Burchardum *lib.3.c.*25. Iuonem 3*.p.c.*30.& conſtat ex D. Chryſoſtomo *Hom.*20. *in* 2*.ad Corint.* & Gregorio Nyſſeno *orat.de Baptiſmo.* & ſuadet ratio; tum quòd Chriſtum Dominum myſticè ſignificet, vt ex S. Thoma,Io.Gerſone & aliis diximus, de quo ſcriptum eſt 1*.Corinth.*10*.Petra autem erat Chriſtus*; tum quòd conſecratio debeat eſſe durabilis. Quod non eſt conſecratum, poteſt eſſe ex alia materia, v. g. ligneum,aut ex calce & cæmentis, cum altari tamen portatili lapideo.Cuius longitudo & latitudo ea ſaltem neceſſariò eſſe debet, quæ poſſit capere maiorem partem calicis, & patenam ſine aliquo periculo cadendi,ex Alenſi 4*.p. quæſt.*38. *m.*3 *aliàs quæſt.*10*.m.*5*.art.*1.Palud.4*.d.*13*.quæſt.*2*.art.*4.Syluestro *v.Altare,* Nauarro *c.*25*.num.*8. Soto 4*.d.*13*.quæſt.*2*.art.*3.Emanuele Roderico *tom.*1. *quæſt.*28. *art.*1. & dictat ipſa ratio. Quoad figuram autem debet eſſe quadrangulare, ob commodiorem vſum & conſuetudinem.

Neceſſariò debet eſſe conſecratum,ex Euariſto apud Burchardum *lib.*3. *c.*27. 4.
Hygino apud Gratianum *can.omnes, de conſecr.d.*1. *Altaria* (inquit) *placuit non ſolùm vnctione chriſmatis, ſed etiam ſacerdotali benedictione ſacrari.* Hormiſda *can. nullus, de conſecr. d.*1. & apud Burchardum *lib.* 3. ex Concilio item Hipponenſi apud Burchardum *lib.* 3*.c.*25. Agathenſi apud Gratianum *can. altaria* 2. *de conſecr. d.*1. Epauonenſi apud Burchardum *lib.*3*.c.*25. & Meldenſi *c.*8. & apud Burchardum *lib.*3*.c.*10. & Gratianum *de conſecr.d.*1.Idémque ex Patribus,vt S. Martiali *epiſt.*3. *ad Burdigal. Quod* (inquit) *Iudæi per inuidiam immolarunt,nos in ara ſanctificata ſalutis noſtræ cauſa, proponimus.* Dionyſ. *de eccl.hier.c.*4*.p.*2*.Sumtum deinde vnguentum,&c.* & *p.*3. *Et hoc item ſacratius aduerte,&c.* Cypriano *ſer. de vnctione chriſmatis.* Nyſſeno *orat. de S. Baptiſmo,* Auguſtino *ſer.*255 *de temp.* idque factum eſt, Cypriano teſte, ad ſignificandum ſacris myſteriis ſpiritualem ineſſe pinguedinem, &, vt ait Auguſtinus,quod in altari viſibiliter colitur,in nobis inuiſibiliter compleri. Et eſt ſententia communis Theologorum eſſe peccatum mortale celebrare ſine altari ſacrato, vt colligitur ex citatis canonibus. quamuis legamus quondam, anno videlicet 311. beatum Lucianum in carcere vſum ſuo pectore pro altari, quo carebat, ex Metaphraſte *die* 7. *Ianuarij,*& Nicephoro *lib.*8*.c.*31.Et Theodoretum Epiſcopum Cyri,adſtante B.Mari,manibus Diaconorum.Eſt autem conſecrandum ab Epiſcopo, ex Hormiſda *can. nullus Preſbyter* 2. *de conſecrat. d.* 1. *& can.concedimus,ibid.& can.quamuis.d.*68. & Damaſo *in epiſtola decretali.* Cùm tamen ſit de iure poſitiuo, poteſt Papa committere ſimplici ſacerdoti, vt aliquibus Minoribus euntibus ad Indos conceſſit anno 1521. Leo X. ex Emanuele Roderico *tom.* 1. *q.* 28. *art.*2. & in partibus remotiſſimis infidelium Patribus Societatis Ieſu Paulus III. anno 1549. Sed num ſit de eſſentia conſecrationis altaris reliquiarum incluſio,diſſident autores. Negant Sotus 4*.d.*13*.quæſt.*2. *art.*3. *ad* 6. Suarez *diſp.*81*.ſect.*5. Aſtenſis,Angelus, & alij,tum quòd vix iam reliquiæ haberi poſſint, tum quòd in Miſſalibus antiquis notatum ſit omittendam orationem illam poſt confeſſionem, *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum quorum reliquiæ*

liquiæ hic ſunt,&c. ſi ibi non adſint reliquiæ. Oppoſitum ſenſit Sylu. *v. Altare, q.* 1.
Tabiena & Summiſtæ *eodem*, Turrecremata cum Canoniſtis *can.placuit,de conſecr.*
*d.*1.Azor *lib.*10.*c.*27.*queſt.*8.tum quòd ita ſtatutum ſit *in dicto can.placuit.* ex Con-
cilio Africano ſub Bonifacio *c.* 50. vbi dicitur : *Placuit vt altaria , quæ paſſim per
agros,& per villas tanquam memoriæ Martyrum conſtituuntur , in quibus nullum corpus
vel reliquiæ Martyris conditæ probantur,ab Epiſcopis, qui iiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt,
euertantur*; & in Concilio Carthag. V. *can.* 14. dicitur : *Nulla altaria erigenda, vbi
non ſint aliquæ reliquiæ*; tum ex D. Gregorio *lib.* 9. *epiſtola* 71. *ad Melitem Abbatem,*
vbi ait,idolorum delubra non deſtruenda, ſed aſpergenda aqua benedicta,con-
ſtruenda altaria , & ponendas in eis reliquias ; tum ex communi conſuetudine;
ideo vbi ſacræ reliquiæ haberi non poſſent,non eſſent conſecranda altaria, niſi
conſulto ſummo Pontifice. Nullo autem modo includenda S. Euchariſtia loco
reliquiarum, vt putauit Durandus *in Rationali. lib.*1. *c.*7. *num.* 23. Gloſſa *c. placuit.
de conſecr. d.* 1. Id enim omnino indecens eſt. & Innocentius conſultus ab Ho-
ſtienſi , ipſomet teſte , *tit. de conſecr. Eccl.* reſpondit , nequaquam id faciendum.
Idémque docet Turrecremata cum aliis *in dicto can.placuit.*

5. Sed quæres quandónam cenſeatur altare conſecrationem amittere?Dicimus 1.
ſtabile amittere ſi tabula ſeu menſa à columnis, quibus innititur , aut reliqua
ſtructura,amoueatur.*ex cap.*1.*& c.quod in dubiis,& c.ligneis,de conſecr.Eccleſiæ, vel al-
taris.*& ſic explicant *can.ſi motum,de conſecr.d.*1. videndus Paludanus 4.*d.*13. *quæſt.*
2. *art.*4. Nauarrus *c.*25. *num.*83. Sylueſt. *v. Altare,* & reliqui. Si incluſarum reli- 2.
quiarum ſigillum frangatur , aut remoueatur. ex Io.Andr. & Panorm. *dicto c.*1.
& c.quod in dubiis. Syluest. Tabiena, Angelo , cum communi, *ex citatis iuribus.* Si 3.
denique notabiliter frangatur.*ex dictis capitibus,de conſecr.Eccl.vel altaris,*in quibus
dicitur : *Si altare motum aut confractum fuerit , iterum conſecrandum,*& Palud.Syluest.
Nauar. *locis citatis.* Canoniſtis *c.*1. *& c.quod in dubiis* , requirentibus vt fractio ſit
notabilis , quod arbitrio Epiſcopi iudicari debet. Similiter altare portatile
amittet conſecrationem ſi notabiliter frangatur , aut auellatur reliquiarum ſi-
gillum,ſiue hoc ſit in lapide,ſiue in ſtructura lignea,ex Sylu.Nauar. Palud.Non
amittit autem, cùm lapis eſt in ligno,& ab eo amouetur,dummodo ſigillum ſit
in lapide,ex Syl.& Tabiena *v. Altare,* Azor *lib.*10.*c.*27.Suarez *diſp.*81.*ſect.*5. Hen-
riquez *lib.* 9. *c.*28. & aliis. Etſi oppoſitum putauerit Palud. Aſtenſis *lib.*4. *ſummæ,
tit.*14. *c.*4. Durandus *lib.* 1. *c.*25. Panormitanus. decreta enim citata de motione
altaris,loquuntur de fixo,vnde non refert in portatili quòd moueatur , vel non
moueatur , è capſa ſeu ſtructura lignea. nam etiam ſine huiuſmodi ſtructura
conſecrantur , nec aliò tranſlata conſecrationem amittunt ; cùm ad hoc ipſum
inſtituta ſint.

6. In altari verò,in quo Epiſcopus eo die celebrauit, non licet abſque Epiſcopi
licentia eodem die ſacrificare Presbytero. Statutum eſt enim in Concilio An-
tiſiodorenſi *can.*10.*Non licet in altario,vbi Epiſcopus Miſſas dixerit,vt Preſbyter in illa
die Miſſas dicat.*Idem habetur *in can.in altari, de conſecr.d.*2. Angelo,Tabiena,Syl.
Armilla *v. Altare.*idque factum dicit Gloſſa *citato can. in altari,* ob Epiſcoporum
honorem & reuerentiam,etſi non vbique ad amuſſim obſeruetur.

7. Semper autem altaria ſacroſancta habita ſunt , & veneranda,vt colligitur *ex
Matth.* 23. Iacobo *in Liturgia,* Dionyſio *de eccl. hier.c.*3.*p.*2.Iuſtino *in fine Apolog.*2.
Tertulliano *lib.de pœnit.in fine,*Nazianz.*orat.de laudibus Baſilij,* Chryſoſtomo *in Li-
turgia in* 1.*orat.fidelium explicato corporali.*Optato *lib.*6. Gregorio *Hom.*37. *in Euang.*
Beda *Hom.de purificat.*Caſſiodoro in illud *Pſal.*22. *Paraſti in conſpectu meo menſam.*

Ruffino *lib. 2. hiſt. c.16.* Sozomeno *lib. 2. c.29.* Nicephoro *lib. 11. c.21.* Quare in
Concilio Rhemenſi apud Burchardum *lib.3. c.97.* dictum eſt: *Altaria, in quibus
corpus dominicum conſecratur, ſanguiſque eius hauritur, cum omni veneratione honoranda
ſunt; & mundiſſimis linteis, & palliis diligentiſſimè cooperienda.* & D.Pacianus *in Pane-
reſi* dicit, altare & Sanctis & Angelis metuendum. Et Conſtantini Imp. & filio-
rum tempore ſi quis altaria demolitus eſſet, extremo ſupplicio afficiebatur. vn-
de Chryſoſtomus *orat. de SS. Iuuentino & Maximo. Si quis*, ait, *ſuperioribus annis
cùm adhuc piiſſimi reges rerum potiebantur, vel altaria demolitus eſſet, vel templa ſuffodiſſet,
vel oblationes diripuiſſet, vel aliud tale quid egiſſet, rapiebatur ad tribunal, & occidebatur,
etiam inſons, & tantummodo delatus.* Ideo tamquam ad Aſylum vitæ ſeruandæ
gratia, ad altaria confugere ſibi timentes conſueuerant, ex D. Auguſtino *epiſt.
ad Bonifacium, quæ eſt 6. in appendice.* Ambroſio, qui *epiſt.33. ad Marcellinam, Non,*
inquit, *me vallabo circumfuſione populorum, nec altaria tenebo vitam deprecans, ſed pro
altaribus gratiùs immolabor.* & Nicephoro *lib.17. c.26.* Altarium autem violatores
1. irarum ſenſiſſe diuinum Numen docet, tum interitus eorum, qui à Stilicone
miſſi Creſconium ab altari abſtraxerant, qui à leopardis laniati ſunt, vt ſcri-
2. bit Paulinus *in vita S. Ambroſij.* tum vindicta diuina in Iulianum Iuliani Imp.
auunculum, & Quæſtorem Felicem altaris profanatores; ille enim cùm eſſet in
Antiocheno templo ſacra vaſa aſportaturus, & minxiſſet aduersùs ſaciam men-
ſam, & ſuper eam ſediſſet, diuinitus viſceribus putredine & vermibus exeſis,
& excrementa non iam ſolita via, ſed egerens per os quo dixerat res Chriſtia-
norum diuina prouidentia deſtitutas eſſe, miſerè interiit: hic autem ſubitò
medius crepuit, ore ſanguinem euomens, ex Chryſoſtomo *lib. contra Gentiles, &
Hom.4. in laude D. Pauli*, Ammiano *lib. 23.* Caſſiodoro *lib.6 hiſt.c.32.* Nicephoro
3. *lib.10.c.29. lib.11.c.28.* Sozomeno *lib.5. c.7.* Theodoreto *lib. 3. c.12. 13.* tum Pro-
conſulis miſerandus obitus, qui ſibi ex altaris palla induſium fecerat. nam ſibi
linguam membratim comedens infeliciſſimè periit. ex Victore *lib. 1. de perſec.
4. VVand.* tum vltio in Autanum militem Federici fratris Febæ Rugorum regis,
qui diripiens iuſſu Federici anno 482. argentea vaſa & miniſteria altaris, ſta-
tim omnium membrorum tremore & dæmone correptus eſt, vt etiam Fede-
ricus intra menſem occiſus à nepote, ex Eugippio *in vita S. Seuerini ſui præcepto-
5. ris Noricorum Apoſtoli.* Narrat denique Petrus Damiani *lib.2. epiſt.15.* Arnaldum
Aretinæ ſedis Epiſcopum, quia calicem Domini aureum ab Eccleſia ſubtraxe-
rat, & alienauerat, & admonitus diſtulit reſtituere, repentina morte obiiſſe;
& ante eius obitum, præuiſam ipſius damnationem, in lacu nimio calore fer-
uente, & piceis ſulphureiſque fœtoribus, ac crudelium tortorum monſtris ple-
no. Videnda quæ diximus etiam *cap. præcedenti, n.15.*

1. Oportet altare inſtructum eſſe & apparatum ſacro inſtrumento. Et primò 8.
quidem ſacroſancta Cruce ex antiquiſſima conſuetudine, & ritualibus, qua de
2. re fusè diſſeremus *lib. 3. c.3.* Secundò mundiſſimis pallis, ſeu toballiis lineis, ex
Optato Mileuitano *lib. 6.* Concilio Rhemenſi apud Burchardum *lib. 3. c.97.*
Coyacenſi *c.3. can. ſacratas, d. 23. can. perlectis, d. 25.* Leone IV. *Hom. ſeu epiſt. per
prouincias ad Epiſcopos Miſſa, legenda Preſbyteris, & cap. relinqui, de cuſtodia Euch.* Hæ
autem *in can. ſi per negligentiam, de conſecr. d.2.* tres numerantur, præter corporale,
quod ibidem dicitur altaris linteum; communiter tamen duæ tantùm exiſti-
mantur neceſſariæ, ex rubricis Miſſalis Pij V. Paludano *4.d.13.q.2. art.6.* Sylue-
ſtro *v. Miſſa 1. quæſt.2. & v. corporale.* Roſella *ibidem,* Innocentio, & aliis. qua-
rum loco vna ſufficere poſſet complicata, ex Sylueſtro & Roſella. Benedicen-
das

das eſſe ab Epiſcopo, vel habente priuilegium, cenſet Azor *lib.* 10. *c.*28. *quæſt.* 8.
& vſus id confirmat; mirúmque videretur alioquin, cur S. Hieronymus *in ep. ad*
Theophilum Alexandrinum ſancta velamina nuncuparet; & quòd Proconſul, qui
ſibi ex eis induſium fecerat, vt diximus ex Victore Vticenſi *lib.*1. tam grauiter
à Deo punitus ſit. Benedicendas verò negant Sylu. *v. Benedictio, quæſt.* 5. Suarez
diſp. 81. *ſect.* 6. quòd in iure id cautum non ſit: ideóque in neceſſitate ſufficere
mappas laicorum menſæ, quibus deinde laici iterum vti poſſint. Non eſt ne- 3.
ceſſe in anteriori parte velari altare, vt vſus multarum Eccleſiarum docet. fuit
tamen etiam veteribus in vſu; cùm id colligatur ex Concilio Rhemenſi apud
Burch. *lib.* 3. *c.*97. vbi dicitur eſſe altaria cooperienda diligentiſſimè mundiſſi-
mis linteis, & palliis. & in Conc. Coyacenſi *c.*3. *Altare ſit honeſtè indutum, & de-*
ſuper lineum indumentum mundum. Subtus calicem, & deſuper corporale lineum mundum
& integrum. & ex eo quod Otho III. Imper. chlamydem ſuam cum Apocalypſi
opere Phrygio intexta, aptauerit altari SS. Alexij & Bonifacij, Romæ anno
1001. ex Codice Monaſterij Caſſinatis. Et cùm adhibetur Pallium, decet cruce
inſignitum eſſe veteri conſuetudine, ex Fortunato *lib.*2. *epiſt.*3. & Iacobo Gretſe-
ro viro ætate noſtra eruditiſſimo *lib.*2. *de Cruce, c.*11. Neceſſe eſt inſtructum eſſe
calice cum palla purificatorio, patena, & velo, quo operiantur. & quidem puri- 4.
ficatorij materia linea eſſe debet. calicis & patenæ olim lignea plerumque fuit,
*ex can. vaſa, de conſecr. d.*1. Concilio Triburienſi. D. Hieronymo *epiſt.*4. *ad Ruſticum,*
dum de Exuperio loquitur, V Valfrido *lib. de reb. Eccl. c.*24. Iuone 3. *p. c.*282. Burch.
*lib.*3. *c.*213. Cou. *lib.*4. *var. c.*22. Alciato *lib.*7. *parerg. c.*24. Aliquando vitrea, ex Ter-
tulliano *lib. de pudicitia,* D. Hieronymo *loco cit.* Pontificali Damaſi, Platina in Ze-
phyrino. Poſtea ex Concilio Rhemenſi *c.* 6. Triburienſi *c.*18. *can. vaſa, & can. vt*
*calix, de conſecr. d.*1. & ex Concilio Coyacenſi *c.*3. vetitum eſt fieri ex ligno, ob ni-
miam raritatem, ex vitro, ob fragilitatem, vt patuit ex facto Diaconi S. Donati,
qui calicem confregit. ex ære, ob tetrum odorem, & ſaporem; ex aurichalco, ob
æruginem, ac vomitum; & præceptum fieri ex auro, vel argento, quibus anti-
quitus adeò abundauit Eccleſia ex eleemoſynis fidelium, vt etiam lucernæ au-
reæ haberentur, ex D. Auguſtino *epiſt.*165. nedum alia vaſa, de quibus idem D.
Auguſtinus *lib.*3. *contra Creſconium, c.*27.28.29. & Optatus *lib.*1. *contra Parmenianum,*
Gregorius Turonenſis, *de gloria Martyrum, c.*38. Audiamus Prudentium *in ſacro*
hymno S. Laurentij.

Hunc eſſe veſtris Orgiis
Morémque, & artem, proditum eſt,
Hanc diſciplinam fœderis,
Libent vt auro Antiſtites,
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacram ſanguinem,
Auróque nocturnis ſacris
Adſtare fixos cereos.

vel ſaltem, ſi magna eſſet ſacerdotum paupertas, ex ſtanno; quo tamen nomi-
ne non venit etiam plumbum, ex Syl. *v. Calix,* & Suarez *diſp.*81. *ſect.*7. quicquid
ſenſerit Aſtenſis. nam Leo IV. *Hom. Miſſa per Prouincias. Nullus,* inquit, *in ligneo,*
plumbeo, aut vitreo calice audeat Miſſam agere. Quare ſi in legato calice non expri-
matur materia, intelligitur ex argento, tamquam communiori materia, ex Bart.
l. Titius, ff. de auro & argento legato, & Abbate *cap. ex parte, de cenſibus.* Opus eſt ab
Epiſcopo, vel habente priuilegium fuiſſe conſecrata, *can. vaſa, & can. ſancta, de*

 conſecr.

*conſecr.d.*1 *& cap.vnico,de ſanct. vnct.§. vltimo,& cap. vltimo,de Miſſ. celebr.* vbi cele-
brans ſine ſacro calice, deponitur. S.Thom.3.*p.q.*83.*art.*3.*ad* 6. Syl. Tab.Armil-
la *v.calix, & v. benedictio.* Quare tangi non poſſunt à lectoribus, aut oſtiariis,ex
Synodo Rom.ſub Syl. *c.*9.& multo minus a laicis, ex Concilio Agathenſi *c.*66.
Bracarenſi I. *c.* 28. Sixto *epiſtola* 2. *ad omnes Epiſcopos*, & habetur *can. in ſancta, de
conſecr.d.*1.*epiſtola Synodi Alex.in Apol.*2. *Athanaſij contra Arianos*,Nazianzeno *orat.
contra Arianos, & de ſeipſo.* Durat conſecratio donec notabiliter frangatur, vt ſi
pes calicis ſeparetur per rupturam à cuppa.quòd ſi ab initio ab artifice commo-
ditatis gratia fiat, vt ad libitum ſeparari & coniungi queat, retinet conſecra-
tionem,ex probabiliori ſententia Armillæ *v.calix*,§.2.Suarez *diſp.*81.*ſect.*7.Hen-
riquez *lib.*9.*c.*28.Azor.*lib.*10.*c.*28.*quæſt.*7. & conſtat ex ipſo vſu;quidquid in con-
tratium ſenſerit Paludanus 4.*d.*13. *quæſt.*2.*art.*5. Syl. *v.calix*, Angelus & Tabiena.
Quando autem ex argenteo calice deaurato vſu tollitur aurum, non tollitur
conſecratio;quia totus calix,per modum vnius,fuit conſecratus, Syl.Ang. Sua-
rez *locis cit.* Azor *quæſt.*6. Henriquez & alij, & docet conſuetudo; econtra verò,
ſi iterum deauretur,iterum conſecrandus eſt, quòd inauratio fiat propter con-
tactum corporis & ſanguinis Domini; ideo cùm in illa inautata ſuperficie fiat
proximus contactus, & hæc non fuerit conſecrata, indiget conſecratione, ex
Suarez. etſi Syl. Palud. Angelus, & alij negant,quòd pars ſacrata,non ſacratam
trahat, quando noua deauratio fit nondum penitus conſumta priore quæ fuit
in conſecratione.deplorat autem Optatus Mileuitanus *lib.* 6. calices ab hæreti-
cis conflatos. *Hoc*(inquiens) *immane facinus geminatum eſt, dum fregiſtis etiam calices.
Chriſti ſanguinis portatores, quorum ſpecies reuocaſtis in Miſſas; mercedem nefariis nundinis
prouocantes; ad quam nec emtores eligere voluiſtis ſacrilegi, dum inconſideratè vendidiſtis.*
Non licere autem eadem ſacra vaſa in profanos vſus conuertere, ſicut nec ve-
lamina,conſtat *ex can.*72.*Apoſtolorum*,Concilio Bracarenſi II. *c.*2. Stephano Pa-
pa *epiſtola ad Hilarium*,Optato *loco cit.* & *de regulis iuris in* 6.*reg.Semel.*& ex hiſtoria
Baltaſſaris *Danielis c.*5. ſed magna veneratione tractanda,vt docet D. Hierony-
mus *epiſt. ad Theophilum Alexandrinum*,ſacratos aſſerens calices,& ſancta velami-
na, & cætera;quæ ad cultum dominicæ pertinent paſſionis, non quaſi inania &
ſenſu carentia ſanctimoniam non habere, ſed ex conſortio corporis & ſangui-
5. nis Domini, eadem, qua corpus eius, & ſanguis maieſtate veneranda. Requi-
ritur neceſſariò etiam ſacrum corporale, ídque mundiſſimum;ſed de eo & palla
pluribus diſſeremus *lib.*3.*c.*5.Præterea lumen,*ex cap.fin.de celebr.Miſſ.* vbi,qui ſine
6. eo celebrarat, ab officio & beneficio ſuſpenſus perpetuò fuit; & ex veteri Ec-
cleſiæ conſuetudine, quæ colligitur ex Abdia *lib.*5. *in vita S. Ioannis*,*c.*4. Euſebio
*lib.*4.*de vita Conſtantini*,*lib.*6.*hiſt.c.*7.Athanaſio *epiſtola de clade Eccleſiæ Alexandrinæ.*
Chryſoſtomo *in Liturgia*, vbi miniſtri ſacerdotis ſacrificaturi, cum accenſis ce-
reis præcedunt, Hieronymo *contra Vigilantium,& epiſtola* 20. *ad Marcellam*,Am-
broſio *de myſteriis Paſchæ*,*c.*5. Auguſtino *ſer. de temp.* 215. Iſidoro *lib.* 7. *Etym.c.*12.
Gregorio Turonenſi *lib.*4. *de vitis ſanct.c.*1. & 30.& *lib.*8.*c.*10. Martino Papa *epiſt.*
15.Concilio Carthaginenſi IV.*c.*6.Bracarenſi I. *c.*25.Bracarenſi II.*c.*2. Tolet.IV.
*c.*8.Aquiſgranenſi *lib.*1.*c.*29.Leone IV. *epiſt.ad Epiſcopos per Prouincias*, Micrologo
*c.*11. vbi expreſsè docet Miſſam, numquam, etiamſi in meridie celebretur, ſine
lumine dici,& Theologis *in* 4.*d.*13. Eiúſque omiſſio eſſet peccatum mortale, ex
Paludano 4.*d.*13.Soto 4.*d.*13.*q.*2.*art.*4.Ledeſma *quæſt.*23.*art.*3. Nauarro *c.*25.*num.*
85. Suarez *diſp.*81.*ſect.*6. Henriquez *lib.*9. *c.*29. *in fine.* & præceſſit figura, teſte D.
Auguſtino *ſer.*155.*de tempore*,in igne,qui iuxta *Leuit.*6.& 24.in altari à Salomone
dicato,

dicato, quotidianus ardebat, vt omittam etiam apud reliquas omnes gentes in rebus ſacris ſemper adhibita lumina, vt conſtat ex Plinio *lib.16.c.37.* Herodoto *lib.2.& 7.* Dionyſio Halicarnaſſæo *lib.7. & 11.* Alex.ab Alexandro *lib.4.c.17.* Id autem fit, tum ob reuerentiam tanti myſterij, tum ob moralem ſignificationem, vt dignetur Chriſtus ignem ſuæ charitatis in nobis accendere, & nutrire, vt ait D.Auguſt. *loco citato.* vel ex Gabr. *lect.* 13. quòd Chriſtus ignis rubiginem peccatorum conſumat. *Deut. 4. Deus tuus ignis conſumens eſt.* tum ob myſticam ſignificationem, ex D.Hieron. *ep. 20. ad Marcellam,* vt accenſo lumine ſponſi expectemus aduentum; tum *ex eodem lib. ad Vigilantium,* & Iſidoro *lib.7.c.12.* in ſignum lætitiæ: tum ex S.Thom. *opuſc.59. c.9.* quòd ſicut candelæ lumen abſque ſui diminutione pluribus communicatur, ita Chriſti Domini corpus non minuitur, etſi quotidie à pluribus manducetur: tum ex Soto ad deuotionem noſtram excitandam: tum denique ad iudicandam fidem noſtram, iuxta illud *Epheſ. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino,* ex Gabriele *lect.13.* & Durando *in Ration. lib. 1. c. 3.* Qui etiam in vtroque altaris latere poni ſentit, quòd fideles, non tantùm ex nobis Gentilibus, ſed etiam ex Iudæis electi ſint, iuxta illud *Iſaiæ c. 49. Surge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt, & ambulabunt Gentes, &c.* Non tamen in iure ſtatutum eſt an neceſſariò ſint ſaltem duo lumina adhibenda, an ſufficiat vnicum in rigore. & quidem in rigore vnum ſatis eſſe, etſi id minus deceat, docet Iacobus Graffius *lib.2.c.42.* Suarez *diſp.81.ſect.6.* Azor *lib.10.c.28.q.15.* Communiter tamen ad minus adhibentur duo, & aliud in eleuatione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, in reuerentiam tanti myſterij, & antiquitus etiam idem conſueuit fieri ex D.Hieronymo *ep. 20. ad Marcellam,* Ordine Romano, & Iſidoro *lib. 7. Etym. c.12.* qua etiam de re dicetur *lib.4.c.11. §.22.* Et tempore paſchali in ſolemnioribus Miſſis, dum legitur Euangelium, accenditur etiam cereus paſchalis, qua de re Durandus, & alij. de ſuperſtitioſo autem candelarum numero, vel colore, videndum eſt Concil. Trident. *ſeſſ.22. in decreto de vitand. & obſer. in celebr. Miſſæ.* Alcozer *in ſum.c.14.* Ciruëlus *de ſuperſt.p.3.c.11.* Sanchez *lib.2. de Decal. c.40. n.40.* Sicut neque etiam in iure ſtatutum eſt, an huiuſmodi lumen eſſe debeat ex cera; vel oleo, vt olim in lege veteri fiebat, *Exod.25.26.27.* vel adipe aut alia materia. Obtinuit tamen vſus, vt ſit ex cera, tum quia optima Deo ſunt danda; tum quia Acolyti, quibus luminum cura demandata eſt, Ceroferarij dicuntur, quod docet lumen accendendum ex cera: tum quia cereorum eccleſiaſticorum mentio fiat à Prudentio *in citato hymno de Laurentio,*

Adſtare fixos cereos.

& S. Paulino *Nat. 6. S. Felicis,*

Aſt alij pictis accendant lumine ceris.

Athanaſio *epiſtola ad omnes Orthodoxos,* Hieronymo *lib. contra Vigilantium,* Concilio Carthaginenſi IV. *can.6.* Auguſtino *ſer.215. de temp.* Gregorio Turonenſi *lib. de glor. Martyrum, c.57.* referente cereos cœleſti lumine accenſos; vt etiam de lampade docet Gregorius *lib.3. dialog.c.30.* & expugnata à Latinis Hieruſalem, quotannis in die Sabbati ſancti in templo Hieroſolymitano accendi diuinitus ſolitam confirmant oculati teſtes Conradus Vrſpergenſis Abbas, & Caffarus *in Annalibus Genuenſibus.*

7. Inter altaris apparatum recenſetur etiam puluinum ex conuenientia, non ex neceſſitate, vt in eo deponatur liber Liturgiæ; & putat Innocentius *lib.2. c.41.* denotare miniſtranda temporalia prædicanti verbum Dei; ſolet enim pului-

num ſupponi ad quietem feſſo. Sed rectiùs Hugo *lib.2. de diu.off. c.20.* ſignifica-
re, quale eſſe conueniat cor audientis & legentis Euangelium. Suſcipiendum
eſt enim Dei verbum corde humili, & ſuaui. Nam, vt lex Moſaica in tabulis
lapideis ſculpta eſt, quod Iudæi lapideum cor haberent; ita Euangelium, *ex 2.
Cor.c.3.* in tabulis cordis populi fidelis, qui ad obediendum promtus eſſe debet,
iuxta illud *Pſal.17. Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mi-
hi.* & *Pſal.118. Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.*

Veteribus inter ſacrificandum in vſu etiam fuit flabellum, ad muſcas & alia 8.
ſimilia abigenda. Eſt enim conſtitutio S.Iacobi apud Clem. *lib.8.c.12. Duo verò
diaconi ex vtraque parte altaris teneant flabella ex tenuiſſimis membranis, aut ex pennis
pauonis, aut ex linteo, vt parua animalia volantia abigant, ne in calicem incidant.* Idem
videre eſt in Liturgia D.Baſilij, & apud S.Germanum *in Theoria, pag.* 150. 155.
Sophronium *in prato ſpirituali. c.*150. 196. Cyrillum Eremitam *in vita Euthymij*,
Genebrardum *tom.6. Biblioth. fol.* 122. & Io. Stephanum Durandum. Etſi apud
9. Latinos hoc tempore minùs neceſſarium exiſtimetur. Sicut neque neceſſarij
ſunt flores; piè tamen ob venerationem ſanctæ Euchariſtiæ reliquiarum, ac
ſanctorum, non hoc tantùm tempore adhibentur, extra altaris tamen tabu-
lam, ſed etiam olim, vt liquidò conſtat ex illo D.Hieronymi *epiſt.3.de Nepotia-
no. Baſilicas Eccleſiæ & Martyrum conciliabula diuerſis floribus, & arborum comis, vitiũm-
que pampinis adumbrauit, &c.* & D.Auguſtino *lib. 22. de Ciu. c.* 8. vbi agens de reli-
quiis ſancti Stephani docet, mediis floribus ex illius altari acceptis, Martialem
virum primarium à Chriſti religione abhorrentem, ad fidem conuerſum, & ba-
ptizatum piè obiiſſe. Qui etiam ibidem ſcribit, cæcam fœminam flores dediſ-
ſe, qui ſuper reliquias S.Stephani ponerentur; quibus denuo receptis, & ocu-
lis admotis, protinus vidiſſe ſtupentibus omnibus qui aderant. Inuehitur in
Eccleſiaſticorum incuriam, in altaris vtenſilibus purgandis, meritò Petrus Da-
miani *lib.4. ep.14. Illud etiam* (inquit) *quanta confuſionis opprobrium eſt, quòd nonnulli
circa ſacri altaris vtenſilia tanta negligentia ſunt, & tam ſegnis incuriæ, vt ſtanneos, vel
etiam ſupparis cuiuſcunque metalli calices, longo ſitu ſcabredinis inhorreſcere patienter aſpi-
ciant: in ſqualido linteo dominicum corpus, & efferant & inuoluant, & quod non digna-
retur potens quilibet, qui tamen vermis eſt, propriis adhibere labiis, in hoc iſti corpus non
verentur imponere Saluatoris. Quid porrò de conciſſis ac putreſcentibus ſacrorum altarium
prandeis, quid de diuerſis vaſis ad eccleſiaſtica miniſteria neceſſariis, quid denique de ſacer-
dotalibus eloquar indumentis? Quid poſtremò de codicibus dicam, in quibus nimirum hæc
ipſa quoque legere inoffensè non poſſumus, quæ tenaci adhuc memoria reſeruamus. Quæ ni-
mirum omnia oculis ſubiecta cernentibus & leuibus excutiunt riſum, & ſapientes prouocant
ad lamentum.* Videatur ad hoc idem *de cuſtodia Euchar.cap.relinqui*, & Concil. La-
teranenſe ſub Innocentio III. *c.*19. & Coyacenſe *c.*3. ex quibus *lib.3. c.5.* ite-
rum differentes de munditia debita rebus ſacris, ſancita decreta referemus. Por-
rò orientem ſolem, ſi commodè poſſit, altare ſpectare debet, vt dicetur *lib. 3.
c.19. num.7.*

Tandem altarium conſecratorum cuſtodiæ Angelos à Deo deputari, docet 9.
apud Sophonium ſeu potiùs Ioannem Euiratum qui Sophonio librum illum
dedicauit, qui Pratum ſpirituale inſcribitur *act. 4. & 10.* Angelus in altari ſpe-
luncæ Abbatis Barnabæ, & alius in altari Eccleſiæ, ab Abbate Leontio conſpe-
ctus, ambo affirmantes ſibi eam cuſtodiam à Deo demandatam à die conſe-
crationis.

Quo

Quo tempore ſit offerendum ſacrificium. CAP. XV.

SVMMARIVM.

1. *In Dei Eccleſia iugiter Miſſæ ſacrificium offerendum; & an quotidie in collegiatis, & cathedralibus, neceſſariò ſacrificandum.*
2. *Solemnes Miſſæ hora tertia ab ortu diei conuenientiſſimè celebrandæ.*
3. *Priuatæ ad initio auroræ vſque ad meridiem, & non amplius vſque ad nonam. déque veteri diuiſione dierum.*
4. *Priuilegium celebrandi vna hora citius aut tardius, quomodo intelligendum.*
5. *Quæ cenſenda ſit notabiliis anticipatio, aut poſtpoſitio celebrationis, & quod peccatum.*

1. OMnino autem conueniens eſt (niſi peculiaris cauſa rationabilis accidat, vt contingit in die Veneris ſancti) vt quotidie in Dei Eccleſia Miſſæ ſacrificium offeratur. *Vide ſuperius c. 5. num. 9.* tum quòd hoc ſit iuge euangelicæ legis ſacrificium, ſolùm publicè tempore Antichriſti auferendum, vt docet Daniel *c.*8. *n.*11.*c.*11.*n.*31.*c.* 12.*n.*11. at iuge ſacrificium legis veteris, huius noſtri figura, quotidie offerebatur. *Exodi* 29. *Num.* 28. etſi illud, quippe quod multo eſſet imperfectius, manè & veſpere offerretur, euangelicum autem, quo nihil maius aut perfectius concipi poteſt, ſemel tantùm in die; tum quia cùm quotidie peccemus, quotidie etiam remedio indigeamus, vt docet S. Gregorius *in Hom. paſchali;* Paſchaſius *lib. de corp. & ſang. Domini. c.*9. S.Thom.3.*p.q.*83. *art.*2.*& can. iteratur. de conſecr. d.* 2. tum ne præclariſſimum paſſionis Chriſti beneficium, in cuius memoriam offerimus, obliuioni tradatur, *ex can. in Chriſto. de conſecr. d.*2. tum quòd graue eſſet ſcandalum, ſi aliquo die non celebraretur in tota aliqua ciuitate, vt ait Victoria *in ſum.n.*95. tum ob debitum diuinum cultum. tum denique ex communi ſententia S. Th.3.*p.q.*83. *art.*2. Victoria *loco cit.* Soti 4.*d.*13.*q.*2.*art.*2. Sylu. *v. Miſſa.*1.*q.*7. Suarez *diſp.*80.*ſect.*2. & aliorum; etſi nullum hac de re diuinum præceptum extet. Curare igitur ſedulò debent Præſides cathedralium, parochialium, & conuentualium Eccleſiarum, in quibus eſt ſufficiens ſeu mediocris ſacerdotum numerus, vt quotidie celebretur, licèt ipſi non teneantur quotidie per ſe celebrare, ex D. Thoma, Soto, Sylueſt. Vict. Suarez *locis citatis.* cum Canoniſtis *in cap. cum creatura, citato.* tum ob debitum Dei cultum, tum ob commune fidelium viuentium & defunctorum bonum. An verò prætermiſſio ſit peccatum mortale, diſſident Doctores. affirmant Sotus & Canoniſtæ *loco citato:* negat autem Victoria, quod tamen non multum extendendum monet Suarez, & Rodericus; quare debebit adeſſe aliqua cauſa rationabilis, & grauis, vt ſine culpa graui poſſit omitti, *ex citatis.*

2. Iam verò Miſſas ſolemnes, quarum habetur mentio 18.*q.*2.*c. luminoſo. & can. Et hoc attendendum. de conſecr. d.*1. hora 3. ab ortu diei celebrari conuenit, ex decreto Theleſphori *can. nocte. de conſecr. d.*1. præterquam in nocte natiuitatis Domini, Concilio Nicæno, & Concilio Romano ſub Damaſo, & ex Damaſi actis, idque tum quia tunc Chriſtus Iudæorum linguis crucifixus ſit. ex S. Th. 3.*p.q.*83.*art.*2. tum quia etiam verè in cruce fixus, appetente hora ſexta, vſque quo protrahitur horæ tertiæ tempus, complectens horas tres ſecundùm ritum eccleſiaſticum diei. vt etiam docuit Athanaſius *lib. de virg.* his verbis: *Poſt tertiam ſynaxes conficies, quoniam ea hora defixum eſt lignum crucis.* tum vt poſſint eccleſiaſtici citius expedito ante meridiano officio, commodiùs ad veſpertinum conuenire,

uenire,

uenire, ex Concil. Aurelianenſi III. *c.*11. tum ex D. Aug. *can. & hoc. de conſecr. d.*1. & Burchardo *lib.*2.*c.*74. vt detur commoditas populo conueniendi ex pagis. & ne ante peractum ſacrum officium ad cibum capiendum accedat, quod facilè fieret, ſi tardiùs protraheretur. Sed ieiunij tempus antiquitus protrahebatur poſt meridiem, ex D. Ambroſio *ſerm.*8. in illud *Pſ.*118. *Media nocte ſurgebam. & ex can. ſolent. de conſecr. d.*1. *& can. quod à Patribus. & can. ordinationes. d.*75. eò quòd circa horam nonam Chriſtus expirauerit, ex S. Thom. 3.*p.q.*83.*art.*2. Amalario *lib.*4.*c.*40. Durando *in Rational. lib.*4.*c.*1.§.20. Palud. 4.*d.*13. Anton. 3.*p. tit.*13.*c.*6.§.4. Soto *lib.*10. *de iuſtit. q.*5.*c.*4. Sed nunc ex recepta conſuetudine ieiunium non adeò protrahitur, vnde etiam citius celebratur.

Priuatæ autem celebrari poſſunt ab initio auroræ (ſolet autem ex Scoto 4.*d.*13.*q.*2.*art.*2. Gabr. *in can. lect.*14. Roſella *v. Miſſa, n.*2. Azor. *lib.*10.*c.*25.*q.*5. Roderico *tom.*1.*q.*43.*art.*3. contineri aurora hora vna cum quadrante alterius, ante ortum Solis. Suarez tamen 3.*p.q.*80. dicit res morales non ita mathematica menſura metiendas) ex S. Thom. 3.*p.q.*83.*art.*2. *ad* 4. *& in* 4.*d.*13.*q.*1.*art.*2. Palud. *ibidem q.*2.*art.*2. Scoto *q.*2. Richardo *art.*2.*q.*3. Soto *q.*2.*art.*2. Alenſi 4.*p.q.*36.*m.*2. Ant. 3.*p. tit.*13.*c.*6.§.4. Gabriele *lect.*4. Turrecrem. *can. nocte. de conſect. lib.*1. Syl. & Summiſtis *v. Miſſa. q.*6. Victor. *n.*97. Nauar. *c.*25.*n.*85. Henriquez *lib.*9.*c.*24.§.5. Suarez *diſp.*80.*ſect.*4. vſque Eccleſiæ & regulis Miſſalis Pij V. vſque ad meridiem, ex iiſdem Miſſalis regulis, quas Pius V. confirmauit *Bulla* 118. Gabr. *lect.*14. Maiore 4.*d.*13.*q.*4. Soto *ibidem q.*2.*art.*7. *& lib.*10. *de iuſtit. q.*5.*art.*4. Marcell. Francolino *lib. de horis can. c.*41. Io. Steph. Durando *lib.*2.*c.*7. Bellarm. *lib.*2. *de Miſſa, c.*14. Suarez *diſp.*80. *ſect.*4. Azor. *lib.*10.*c.*25.*q.*2. Henriquez *lib.*9.*c.*24.§.6. Io. Andrea, Hoſtienſi, Abbate, Butrio, & aliis Canoniſtis *c.*1. *de celebr. Miſſ.* Roderico *tom.*1.*q.*43.*art.*2. etſi aliàs protraheretur vſque ad Nonam, quæ nobis in æſtate eſſet 19 ¾ hyeme 21 ¼ quippe cùm veteres ſemper ab ortu Solis ad occaſum, horas 12. numerarent; vnde erant inæquales horæ diei & noctis, præterquam in Æquinoctiis. Et principium diei dabat primam, meridies ſextam, finis diei duodecimam. qua de re Plinius *lib.*2.*c.*99. *lib.*18.*c.*25. Alexander ab Alex. *lib.*4.*c.*20. Tiraquellus *ibidem*, Maggius *in Miſcellaneis. lib.*1.*c.*15. Alexander Picolomineus *lib.*4. *ſphæræ. c.*15.16. Matthæus Raderus *in Martialem. lib.*4. *epigr.*7. *ad Euphemium*, Fuluius Vrſinus *in appendice ad Ciaconium*, Chriſtoph. Clauius *Gnomonica lib.*1. Nauarrus *de horis canonicis. c.*3.*n.*34. *& ſeq.* qui etiam *c.*25.*n.*85. *& de orat. c.*21. *& in Miſcell. de orat.*76. exiſtimat contra communem ſententiam, hoc etiam tempore, ſi abſit ſcandalum, licere eodem pomeridiano tempore ſacrum facere, perficiendum hora 9. ſed obſtant & regulæ Miſſalis, quæ limitant ab ortu Solis vſque ad meridiem, & Concilium Tridentinum *ſeſſ.*22. *cap. de ſeruand. & vit.* quod præcipit, ne ſacerdotes aliis quàm horis debitis celebrent, qualis hoc tempore non eſt amplius nona. 3.

Cùm verò ſummus Pontifex concedit Priuilegium, vt poſſit quis celebrare vna hora ante, & poſt conſuetum tempus, vt fecit Pius V. Societati Ieſu, & Gregorius XIII. Congregationi ſanctæ Iuſtinæ, & conceditur Epiſcopis iter facientibus, ex Gloſſa *c. vltimo, de priuileg. in* 6. & Cardinalibus, licèt non iter faciant, ex Palud. & Soto 4.*d.*13.*q.*2.*art.*2. *fine*, & Henriquez *loco citato*, concedit priuilegio fieri, quod iure communi non licet. *cap. ſi Papa. de priuilegiis.* Suarez, & Roderico *locis cit.* Vnde, v.g. licebit priuilegiatis celebrare duabus horis cum quadrante ante ortum Solis, cùm iure communi liceat ſolùm, ex diſputatis vna hora cum quadrante. 4.

Notabilis

5. Notabilis anticipatio aut dilatio celebrationis, ex ſententia Richard.4.d.13. art.2.q.3.Sylu.*Miſſa*.1.q.6. Soti 4.d.13.q.2. art.2.fine.Azor *lib*.10.c.25.erit peccatum mortale; non dicitur autem is poſtponere ſi incepit ante meridiem, etſi abſoluat poſt meridiem, ex Roderico *loco citato*. Sed quæ pars temporis in hac materia cenſeatur notabilis, non conuenit inter omnes. Azor ſenrit mortaliter peccare,ſi,v.g. per tertiam horæ partem ante auroram celebretur: at Suarez cum aliis vult etiam licere per mediam horam. Qui *eadem diſp*.80.*ſect*.4. & ſubſcribit Azor *lib*.2.c.10. ſentit in nocte Natiuitatis poſſe omnes tres Miſſas conſequenter dici ante auroram; quòd Theleſphori decretum non limitetur ad primam Miſſam ſolam, licèt Gloſſa *c.conſuluiſti. de celebrat. Miſſ.& in can. nocte. de conſecr.d*.1. Nauar. c.25 *num*.87. Syluest. Angelus, Tabiena, Armilla *v.Miſſa*. Richardus,& Henriquez *lib.9.c*.24.§.5. velint eſſe peccatum mortale.

Quoties eodem die ſacrificium offerre liceat. CAP. XVI.

SVMMARIVM.

1. *Non licet regulariter, niſi ſemel in die, quicquid antea fieret, ſacerdoti ſacrificare; aut vlli ſacram Euchariſtiam recipere; eiuſque tranſgreſſio eſſet mortalis.*
2. *Excipiendus autem dies natiuitatis Domini, in quo tres Miſſæ dicuntur, & aliqui neceſſitatis caſus, & apud nonnullas Hiſpaniæ prouincias, dies commemorationis omnium defunctorum in quo bis celebrant ex priuilegio.*
3. *An in Miſſarum numero eſſe poſſit ſuperſtitio.*

1. SEd an liceat ſæpius in die celebrare, dubitari poteſt; præſertim cùm VValfridus c.21. & Durandus *in Ration.lib*.4.c.1. aſſerant Leonem (tertium videlicet) aliquando vna die ſepties, & aliquando nouies celebraſſe; & S. Vldaricus Auguſtanus Epiſcopus in monaſterio Agaunenſi anno 940. duas celebrarit Miſſas, vnam de S.Trinitate, & alteram de Dominica; vt *in eiuſdem vita* ſcribit *cap*. 15. Marcus VVelſer. Quinetiam in Concil. Salegunſtadienſi anno 1022. ita decretum ſit, *cap*.5. Item decretum eſt, vt vnuſquiſque Preſbyter in die non amplius quàm tres Miſſas celebrare præſumat; & olim in die Circumciſionis duæ Miſſæ dicerentur,ex Durando *lib.6.c*.15. & tres in die S. Ioan. Baptiſtæ ex ordine Romano,Alcuino,Amalario,& Baronio *in Martyrologio*. Verùm certum eſt, regulariter nunc non licere niſi ſemel in die ſacrificare: vt conſtat tum *ex canone,ſufficit.de conſecr.d*.1. vbi Alexander II. qui obiit anno 1073. dicit: *Sufficit ſacerdoti vnam Miſſam in die vna celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit, & valde felix eſt, qui vnam dignè celebrare poteſt*. & *cap. conſuluiſti.de celebrat.Miſſ*. Innocentius III. ſtatuit, *Excepto die natiuitatis dominicæ, niſi neceſſitatis cauſa ſuadeat, ſufficit ſacerdoti ſemel in die vnam Miſſam ſolummodo celebrare*. & *ibidem cap. te referente*. Honorius III. quacumque ſacerdos dignitate præfulgeat, vetat plures eodem die Miſſas dicere: tum ex communi Theologorum ſententia, S.Thomæ 3.p.q.83.art.2. Paludani 4.d.12.q.1. Maioris q.5. Soti 4.d.13. q.1.art.2. Gabrielis *lect*. 14. Syluest. *Miſſa* 1. §.7. Antonini 3.p. *tit*.13.c.4.§.5. Viguerij *de ſacramento Euchariſtiæ,verſu* 14. Ledeſmæ 2.4.q.24.art.2. Nauar. c.25.*num*. 87. Toleti *lib*.2. *inſtit.c*,3. Henriquez *lib.9.c*.30. Azor *lib*.10.c.24.q.6. Suarez *diſp*.80. *ſect*.3. Victoriæ *num*.96. tum ex communi vſu & conſuetudine Eccleſiæ. Sicut

numquam, etiam in die Natiuitatis licet cuiquam niſi ſemel in die communicare, ex Paludano, Syluestro, Viguerio, Victoria, Azor. *locis citatis.* Cúmque res grauiſſima ſit, huius præcepti tranſgreſſio eſſet mortalis, ex Soto, Suarez & aliis; & colligitur *ex canone ſufficit, citato.* vbi Alexander ait, contrarium præſumentes non euadere damnationem.

Diximus autem *regulariter,* tum quia excipiendus eſt dies natiuitatis Domini, *ex cap. conſuluiſti. de celebr. Miſſ.* Gregorio *Hom.* 8. *in Euangelia.* Beda *Hom. de Natiuitate*, & Canoniſtis *in canone, nocte. de conſecr. d.* 1. & Theologis. tum caſus neceſſitatis, *ex eodem cap. conſuluiſti.* vnde factum eſt, vt Gloſſa *ibidem,* Paludanus 4. *d.* 12. *q.* 1. *art.* 4. Antoninus 3. *part.* 13. *c.* 6. §. 4. Durandus *in Rationali. lib.* 4. *c.* 1. Turrecrem. *can. ſufficit. de conſecr. d.* 1. Syluest. *Miſſa,* 1. *q.* 7. Angel. *ibid.* Victoria *num.* 96. Ledeſma 2. 4. *q.* 24. *art.* 2. Nauar. *c.* 25. *num.* 87. *& conſilio* 9. *tit.* 41. *lib.* 3. Henriquez *lib.* 9. *c.* 30. §. 7. plures collegerint caſus, in quibus pluſquam ſemel vno die liceat ſacrificare; vt ſi peracto ſacrificio ſepeliendus ſit defunctus, cum Miſſa; ſi dictâ Miſsâ ſuperueniat Princeps, vel Epiſcopus auditurus; ſi populus non capiat in vna Eccleſia; ſi communicandus ſit ægrotus, & non adſit ſacramentum; ſi benedicendæ ſint nuptiæ; ſi eodem die occurrat feſtum & vigilia vel rogationes; ſi ſit alicubi conſuetudo vt duo fiant ſacra à duobus ſacerdotibus, ſi vnus ægrotat, alter bis celebraret; ſi denique ſacerdos habeat duas parochiales Eccleſias ſine coadiutore, & in vtraque eſt populus auditurus Miſſam, ex Concilio Emeritenſi, celebrato anno 666. *can.* 19. Verùm, vt notauit Sotus 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 2. Azor *lib.* 10. *c.* 24. *q.* 6. & Suarez *diſp.* 80. *ſect.* 3. olim ob paucitatem ſacerdotum id fiebat, nunc autem excepto die Natiuitatis, & quando vnus præeſt duabus Eccleſiis, in quibus populus vterque ſolet habere ſuam Miſſam, & non adeſt vicarius, qui poſſit celebrare, ſed ſolus parochus, quo caſu ei bis celebrare licet. *ex can.* 1. 21. *q.* 1. *& cap. dudum. de electione.* (quod Nauar. & alij extendunt etiam ad eos ſacerdotes catholicos, qui nunc ſunt in Anglia ob eorum paucitatem.) His, inquam, duobus caſibus exceptis, in vſu non eſt, vt plures eodem die Miſſæ dicantur. Quibus apud Aragonenſes, & nonnullas Hiſpaniæ prouincias ex priuilegio additus eſt dies Commemorationis omnium defunctorum, in quo bis celebrant; cùm tamen dicendæ ſunt plures, neceſſe omnino eſt ablutionem non ſumere, niſi in vltima; fracto enim ieiunio per ablutionem, nullo modo poteſt amplius celebrari, vt Sotus & cæteri fatentur. Poſito autem caſu prædicto num tantùm bis eo die celebrari poſſit, an etiam tertiò, diſſident Theologi, Paludanus enim, Sotus, Nauarrus, Victoria, Henriquez *locis citatis* bis tantùm admittunt; Suarez exiſtimat etiam tertiò, ſi eadem ſit proportionalis neceſſitas, cùm iura indifferenter loquantur. 2.

Dubitanti an in numero Miſſarum eſſe poſſit ſuperſtitio, videndus Caietan. 2. 2. *q.* 96. *art.* 4. Ciruelus *de ſuperſt. p.* 3. *c.* 11. Sanchez *lib.* 2. *de Decal. c.* 40. *n.* 41. 3.

Qui ſeruandus ſit ritus in ſacrificio offerendo. CAP. XVII.

SVMMARIVM.

1. *In ſacrificando adhibendum eſſe ritum, cæremonias, & preces in Miſſali præſcriptas, & qua culpa tranſgreſſio huius præcepti.*
2. *Id tamen non impedit, quin ſæpe ex cauſa liceat omiſſa propria diei, Miſſam votiuam dicere.*

3. Vt

3. *Vt etiam, qui tenetur dicere quotidie Miſſam de requie, debet in celebritatibus, feſtiſque duplicibus, & dominicis dicere de die feſto.*
4. *Cæterùm communiter ſeruanda eſt Miſſæ promiſſæ qualitas.*
5. *Modus legendi Miſſam.*

1. POrrò cùm præcipiat Apoſtolus 1. *Cor.* 14. vt honeſtè & ſecundùm ordinem omnia in nobis fiant, nihilque ſit in Chriſtiana religione ſacrificio maius, aut venerabilius, vel magis publicum; in eo maximè ſeruanda erit cæremoniarum & ritus vniformitas; ſine quibus, teſte D. Auguſtino *lib.* 19. *contra Fauſtum. c.* 11. nulla religio ſiue vera, ſiue falſa, conſiſtere poteſt; nutriunt enim internam deuotionem, ex D. Aug. *lib. de cura pro mortuis, & ep.* 118. & Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *c.* 5. Iuuant intelligentiam, & memoriam confirmant; cùm ſine his adminiculis exterioribus, non facilè natura humana ſuſtolli poſſit ad res diuinas contemplandas. Quare rectè Prælatos monuit idem Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *c. de obſer. & vitand. in celeb. Miſſæ*, ne vllus ſuperſtitioni locus detur; vt edicto & pœnis propoſitis caueant, ne ſacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent; néve ritus alios, aliáſve cæremonias & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter ea, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti & laudabili vſu receptæ fuerint. & Pius V. in Bulla initio Miſſalis poſita, mandat, & omnibus ac ſingulis ſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, vt Miſſam iuxta ritum, modum ac normã, quæ per Miſſale (cui nihil vmquam addendum, detrahendum, aut immutandum, ſub indignationis pœna decernit) traditur, decantent, aut legant; neque in celebrando alias cæremonias vel preces, quàm, quæ in prædicto Miſſali continentur, addere, vel recitare præſumant. Quibus ſanè decretis non tantùm prohibetur diuerſitas precum, ſed etiam cæremoniarum; ideo vtriſque huiuſmodi præceptum violari poteſt; tum adiiciendo nouas preces, vel cæremonias, vnde facilè incurretur culpa grauis, ex Soto 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 4. Syluest. *Miſſa q.* 2. *&* 3. Suarez *diſp.* 83. *ſect.* 3. *& diſp.* 84. *ſect.* 2. Nau. *de orat. not.* 16. *n.* 76. *& conſilio* 3. *lib.* 3. *tit.* 41. *de celebr. Miſſ.* Angelo *Miſſa, n.* 11. Et prohibetur etiam in Concilio Mileuitano *c.* 3. *&* 12. Africano *c.* 70. Carthag. III. *c.* 23. Toler. IV. *c.* 12. tum omittendo præſcriptas cæremonias, preces, & ritus (niſi id accidat ex inaduertentia naturali, & inuoluntaria; quo etiam caſu non eſt neceſſe, ſi non eſt de eſſentia ſacrificij, repetere, cùm aduertitur omiſſum aliquid. v.g. Gloria, vel Credo, quia non rectè tunc cohærent) in quo erit culpa leuis, ſi quod ſcienter omittitur ſit materia leuis, vel grauis, & mortalis, ſi omiſſum ſit pars notabilis, vt ſi omittatur mixtio aquæ vino, diuiſio hoſtiæ, &c. ex Henriquez *lib.* 9. *c.* 35. Azor. *lib.* 10. *c.* 29. *fine.* Suarez *loco citato.* Etſi non dicatur is, qui ſecretò ex ſua deuotione vti perſona priuata, aliquid recitat, ipſi Miſſæ officio addere; quamuis imprudenter faciat ſacrum myſterium interrumpendo, vt docet Tabiena *Miſſa.* §. 19. Sotus, & Suarez *locis citatis.*

2. Hoc tamen non tollit, quin liceat ex cauſa dicere Miſſam votiuam in die quo aſſignatur in Miſſali Miſſa diei. tunc enim ritus non prætermittitur, ſi dicantur, quæ in Miſſa votiua dicenda ſunt. ex Henriquez *lib.* 9. *c.* 23. Suarez *loco citato.* Azor *lib.* 10. *c.* 32. quia cùm ſacerdos non teneatur eo die dicere Miſſam, non eſt cur determinatè ad illam obligetur, ſi de priuatis loquamur. nam debet in Eccleſia aliquis eſſe, qui ſacrum celebret de die, ex Abbate *cap. quidam. de celebr. Miſſ.* & *ibidem* Gloſſa. Sed paſſim Miſſa mutari non debet, aut ſine cauſa. *ex can. & hoc. de conſecr. d.* 1. *& cap. quidam. & cap. creatura. de celebr. Miſſ.* & ex

Cóncilio Triburienſi *c.*1. Salegunſtadienſi *c.*10. & Colonienſi *p.*2.*c.*16.& Emanuele Roderico *tom.*1.*q.*43.*art.*8. Soto 4. *d.*13.*q.*2. *art.*1.*fine*, Sylueſt. *Miſſa* 1. §.4. Nau. *de orat. not.*19.*n.*217. *Miſcell.*61. Henriquez, Azor, Abbate, *locis citatis*.

Sed quid dicendum de eo, qui quotidie debet ſacrum facere funebre, ſi incidant dies dominicæ, aut celebritas duplex, poteritne Miſſam dicere de celebritate? Poteſt; cùm parendum ſit regulis Miſſalis, & veriſimile ſit mentem teſtatoris eam fuiſſe; alioquin non fuiſſet rationabilis, ex Victoria *n.*95. Nau. *de celebrat. Miſſæ. conſilio* 6. *n.*8. Azor *lib.*10.*c.*32.*q.*5. Henriquez *lib.*9. *c.*23. §.6. Roderico *tom.*1. *q.*43. *art.*8. Soto 4.*d.*13. *q.*1. *art.*1. Et fauet *cap. quidam. de celebr. Miſſarum*. 3.

Cæterùm ſeruanda communiter eſt qualitas Miſſæ promiſſæ: nam ſi quis ſtipendium accipit pro dicendis, v.g. Miſſis de requie, de requie celebrare debet, ex S. Thom. 4. *diſt.*45. Syluest. *Miſſa*.1. Angelo, Armilla, Tabiena, Nauar. *c.*25. *n.*134. *conſilio*.6. *de celebr. Miſſ.* Panormit. *conſilio* 99. *vol.*2. Azor. *lib.*10.*c.*32.*q.*4. Henriquez *lib.*9.*c.*23. §... Roderico *tom.*1. *q.*43. *art.*9. Maiolo *lib.*3. *de irreg. c.*24. Salmerone *tom.* 9. *tr.* 33. & patet, quia quamuis ex parte rei oblatæ fructus ſit æqualis, ex parte tamen precum ab Eccleſia ſtatutarum, vtilius eſt eas dicere, quæ pro defunctis conſtitutæ ſunt, cùm magis directæ ſint ex ſe ad concupitum effectum impetrandum, & excitent circumſtantes ad orandum etiam pro defunctis; quo fructu animæ defunctorum priuantur, cùm ſit aliud ſacrum. 4.

Denique circa modum legendi Miſſam, placent quæ ſtatuta ſunt in Concilio Colonienſi anni 1536. *p.*2.*c.*13. his verbis: *Qui Miſſam legit, cum reuerenda modeſtia, clarè, diſtinctè & exertè, legat omnia vſque ad canonem: vt, qui audiendi ſacri cauſa adſtat, quod legitur, intelligat, atque ad pietatem excitetur.* Omnino ſimilia habet Concilium Auguſtanum *c.* 18. addens idem dicendum de his, quæ poſt canonem continentur, & alta voce dicuntur, ſicut monuerat Iuſtinianus *in Nouellis, conſtit.* 123. Epiſcopos, vt curarent, clara voce celebrari. 5.

Inchoatum ſacrificium abſque interruptione continuandum. CAP. XVIII.

SVMMARIVM.

1. *Cœpta Miſſa à ſacerdote celebrante, abſque interruptione continuanda eſt; & tranſgreſſio abſque legitima cauſa mortalis eſſet; & an incurratur excommunicatio.*
2. *Quandónam cenſenda ſit cauſa legitima non continuandi ſacrum.*
3. *Nec etiam miniſtrantibus licere, ſecluſa infirmitate, ante completum Miſſæ ſacrificium diſcedere.*

COepta Miſſa abſque interruptione proſequenda eſt, nec ante abſolutam deſcendendum ab altari. Ita ſtatutum anno 646. in Concilio Toletano VII. *can.*2. vbi dicitur: *Nullus, abſque patentis prouentu moleſtiæ, miniſter, vel ſacerdos, cùm cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere; ſi quis hæc temerariè præſumſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.* & in Romano ſub Zacharia anno 743. *cap.*14. *Epiſcopus, aut Preſbyter dum ingreſſus fuerit ad Miſſarum ſolemnia celebranda, nullo modo audeat dicta oratione recedere, vt ab alio Epiſcopo aut Preſbytero ſuppleantur Miſſarum ſolemnia ſed qui inıtıum ponit, ſuppleat vſque ad finem, quia ſcriptum eſt*: Qui perſeuerauε 1.

ſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. *Si quis verò præſumſerit, præter quod poſſumus agere, à ſacro corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit ſuſpenſus.* Idem habetur in Concil. Tolet. XI. *c.*14. *& can. nullus Epiſcopus, de conſecr. d.*1. *& can. nihil & can. illud* 7. *quæſt.*1. Nauarro *c.*25. *num.*75 *de orat. not.*16. *num.*58.60. *Miſcell. de orat.* 86.87. Sylu. *Miſſa* 1.§.2 Tabiena §.18. Henriquez *lib.*9.*c.*30. Azor *lib.*10.*c.*32.*q.*1. Roderico *tom.*3. *q.*4. *art.*4. Et ſine graui cauſa diſcedere, eſſet peccatum mortale, quia propter hoc ferri poteſt excommunicatio. *can. nullus, citatus.* & ex Conciliis Tolet. VII. & XI. licèt non ſit lata, ex Syl. *Euch.*2.*q.*7. Angelo *Euch.*2.§.2. Henriquez & Azor *locis cit.* Nau. *Miſcell.*86. Roderico *tom.*3.*q.*4.*art.*4. etſi aliter ſenſerit Archidiaconus *can. nihil.*7.*q.*1. nam ibi Concil. Tolet. in futuro ſuſtinebit. non igitur eſt lata. Concilium autem Romanum, & *canon, nullus, de conſecr. d.*1. dicit ſolùm, *ſit ſuſpenſus à corpore & ſanguine Domini.* quòd non ſufficit ad inducendam maiorem excommunicationem, aut minorem, quæ non ſolùm priuat à communione ſacramenti Euchariſtiæ, ſed ab omni participatione paſſiua omnium ſacramentorum. *cap. ſi clericus, de cler. excom. miniſt.*

2. Porrò cenſebitur legitima cauſa iterum repetendi ab initio, ſi poſt dictam epiſtolam ſuperueniat Princeps, Dux, Cardinalis, Epiſcopus, multi iter facientes, qui non poſſint ſequentem Miſſam expectare. vt ſentit Nau. *not.*16. *de orat. num.*55. *& in Miſcell.*86. Azor *quæſt.*3. Henriquez *lib.*9.*c.*30.§.3 licebit etiam interrumpere pro magna vtilitate, v. g. ſi in Eccleſia proximus morti ſit baptizandus, Gloſſa *can. nullus, de conſecrat. d.*1. Henriquez *loco cit.* Item ſi ſuperueniat grauis morbus, vel neceſſitas ventris, ex S. Thom. 3. *p. quæſt.*83. *art.*6. *ad* 1. Soto 4.*d.*13. *quæſt.*2. *art.*6. Nauarro *c.*25. *num.*85. *&* 106. *& de orat. not.*16. *num.*69. Sylu. *Euch.*2.§.8. Henriquez *loco cit.* & *ex canone, nihil.*7. *q.*1. vel ſi ante canonem impediatur interdicto, aut violatione, vel præſentia viri excommunicati, denunciati, qui non poſſit expelli, celebratio, ex Nauarro *de orat. not.*16.*n.*59.60. Couarruuia *c. alma mater, p. p.*§.6.*n.*9. vel ſi ſacerdos recordetur, ſe non eſſe ieiunum, ex S. Thom. & Soto *locis cit.* Nauarro *c.*27.*n.*34. *&* 39. *de orat. not.*16.*n.*58. vel ſe eſſe excommunicatum, & non poſſit ibi abſolui, ex citatis, & Angelo *Euch.*2.§.2. *&* 6. Syluestro §.7. Victoria *num.*101.

3. Prohibentur etiam miniſtri, Diaconus, Subdiaconus, &c. ante abſolutum ſacrum diſcedere, in Concilio Narbonenſi anni 589. in quo ita ſtatutum eſt: *Hæc maximè pro Dei timore, & modo diſciplinæ canonicæ elegimus cuſtodienda, vel tenenda; vt dum Miſſa celebratur, nullus Preſbyter, aut Diaconus abſque aliqua infirmitate, dum Miſſa perficitur, egredi de altario audeat, nec Diaconus, aut Subdiaconus, aut lector antequam Miſſa conſummetur alba ſe præſumat exuere. quòd ſi quiſpiam non impleuerit conſtitutum, Preſbyteri increpentur, vt redeant, Diaconos & execrandos, & ſtipendio priuandos; reliquos diſtrictione ſtrictiſſima condemnandos.* Idem colligitur ex Concilio Tolet. VII. *c.*2. *ſuprà citato.* quod etiam excommunicationem comminatur miniſtris, ſicut Presbytero. In priuatis autem Miſſis, non ita ſtrictè res iudicanda, ex quotidiano vſu.

De ſacrificij Miſſæ duratione. CAP. XIX.

SVMMARIVM.

1 *In celebrando ſacro ea moderatio temporis adhibenda, quæ aſtantes ædificet, nec tædium generet longitudine moræ.*

2 *Miſſæ ſacrificium ex diuinis litteris, Patribus, & ratione, vſque ad mundi finem in Dei Eccleſia duraturum.*

DE duratione verò euangelici ſacrificij, duo quæri poſſunt; alterum de mora trahenda, ſeu tempore adhibendo in ſacrificio celebrando; alterum quamdiu in Eccleſia Dei perſeueraturum ſit huiuſmodi ſacrificium. Et quidem quoad priorem difficultatem, valde dolendum eſt, adeò refriguiſſe Chriſtiani ſpiritus feruorem, vt ſi Miſſa paulo productior ſit, haud audiatur ſine magno adſtantium tædio, aut ne audiatur quidem. vnde Origenes de velamine Moſis diſſerens, & citatur etiam in Concilio Pariſienſi *lib.* 2. *c.* 12. ait: *Alij ne hoc quidem patienter expectant, vt lectiones in Eccleſia Dei recitentur; alij nec ſi recitentur ſciunt, ſed in remotioribus dominicæ domus locis ſecularibus fabulis occupantur.* Et D. Auguſtinus *ſer.* 251. *de tempore. Sunt aliqui & maximè potentes iſtius mundi, cùm veniunt ad Eccleſiam, non ſunt deuoti ad laudes Dei celebrandas; ſed cogunt Presbyterum, vt abbreuiet Miſſam, & ad eorum libitum cantet. non ei licet morem eccleſiaſticum ſequi propter illorum gulam & auaritiam.Sicut etiam dolendum eſt pleroſque ſacerdotes adeò breues eſſe, vt ſæpe in ſuſpicionem veniant, num multa dicenda omiſerint; vel an ſaltem nulla debita ratione temporis, quo eſſent ceremoniæ faciendæ, & quo enunciandæ voces, omnia ſimul confundant; veriúſque leues mimi, & hiſtriones, quàm graues & compoſiti ſacerdotes, videantur*; vt etiam deplorat Concilium Colonienſe *p.* 2. *c.* 10. valde ſanè diuerſa de ſpiritus feruore, quo ſacrificabant Apoſtoli, ſcribit his verbis Proclus Patriarcha Conſtantinopolitanus *lib. de traditione diuinæ Liturgiæ. Apoſtoli priuſquam per omnem terram diſpergerentur, conſpirantibus animis conuenientes, ad toto die orandum conuertebantur. & cùm multam conſolationem in miniſterio illo dominici corporis ſacrificio poſitam inueniſſent, fuſiſſimè & longa oratione Miſſam decantabant. Hæc enim diuina ſacra vnà cum dicendi ſermone coniuncta cæteris rebus anteponenda exiſtimarunt; atque maiori, & alacriori rerum diuinarum, & ſacrificij ſacroſancti ſtudio flagrabant, &c.* Subdit tamen D. Baſilium breuiorem reddidiſſe Liturgiam, quòd poſteri abiecto ſpiritus feruore, ægrè ad Miſſam accederent. Eadémque de cauſa adhuc breuiorem reddidiſſe D. Io. Chryſoſtomum. Quare vt tam celebrantibus, quàm audientibus fiat ſatis, videtur omnino expedire, ne Miſſa dimidiam horam excedat, ſed tantùm expleat. Si quis enim ea conditione agrum tibi dono daret, vt ei decimam ſolueres, nónne id libentiſſimo animo faceres? At cum Deus totum tibi largiatur diem, cur non alacriter ei in tanto ſacrificio ſaltem 48. partem concedes? 1.

Quoad poſteriorem verò difficultatem, ſentiendum eſt, euangelicum ſacri- 2.
1. ficium vſque ad mundi finem duraturum. tum ex diuinis Scripturis: nam Chriſtus *Pſal.* 109. dicitur ſacerdos in æternum; conuenit igitur, vt argumentatur Theophylactus *in epiſt. ad Hebr.* vt ſacrificium ab eo inſtitutum vſque ad mundi finem perſeueret. Et Ieremias *c.* 33. agens de ſacrificio & ſacerdotio legis euangelicæ (conſueto tamen more loquendi veteribus ſacrificiis accommodato) ait: *Et de ſacerdotibus & leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocauſtomata, & incendat ſacrificium, & cædat victimas omnibus diebus.* Et expreſſiùs Daniel *c.* 8. *v.* 11. agens de Antichriſto ſub nomine cornu modici ait: *Et magnificatum eſt vſque ad fortitudinem cœli, & deiecit de fortitudine cœli, & de ſtellis, & conculcauit eos, & vſque ad Principem fortitudinis magnificatum eſt, & ab eo tulit iuge ſacrificium & deiecit locum ſanctificationis eius.* & *cap.* 12. præciſe ait ſolùm ante diem iudicij, dies 1290. iugis ſacrificij publicam oblationem ceſſaturam. vt *lib.* 1. *c.* 3. expoſuimus.

poſuimus. & 1. *ad Corinth.* 11. dicit D. Paulus: *Quoties enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*; nempe in ſecundo aduentu. tum ex Patribus. & quidem Hippolytus Martyr *lib. de conſum.ſeculi,* 2. agens de Antichriſto docet, eum totis viribus conaturum ne crucis ſignum colatur, nec Euchariſtiæ ſacrificium celebretur. *Eccleſiarum* (inquit) *ædes ſacræ erunt inſtar tugurij, pretioſum corpus, & ſanguis Chriſti non extabit, in diebus illis Liturgia extinguetur, &c.* neceſſe eſt igitur, vt eò vſque hoc diuinum ſacrificium perſeueret. & D. Chryſoſtomus *Hom. de proditione Iudæ. Sicut* (ait) *illa vox quæ dicit:* Creſcite & multiplicamini, & replete terram, *ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum, ad generationem operante natura; ita & vox illa:* Hoc eſt corpus meum, *ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ vſque ad hodiernum diem, & vſque ad Chriſti aduentum præſtat ſacrificio firmitatem.* & Proclus *lib. de traditione diuinæ Liturgiæ, Vt eius* (inquit) *diuina præſentia propoſitum in ſacrificium panem, & vinum aqua permixtum, ipſum illud corpus & ſanguinem ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti efficiat*; qui quidem religioſus ritus obſeruatur ad hoc vſque tempus, & ad finem vſque ſeculi florebit. Sunt tandem qui Miſſæ ſacrificio accommodent illud Chriſti Domini *Matth.*28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi,* vt Inuocentius III. *lib.*4. *de myſteriis Miſſæ,c.*44. Clemens V. *Clementina vnica, de reliq. & vener. ſanct.* Hugo Cardin. *in Pſal.*21. Henricus *quodlib.*9. B. Laurentius Iuſtinianus *ſerm. de Euch.* communior tamen eſt opinio aliorum, qui id exponunt de ſingulari Chriſti prouidentia erga ſuam Eccleſiam, de qua & illud dictum eſt, *& portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* tum denique ratione, 3. quia, vt Lindanus *lib.* 4. *c.*80. cum reliquis Theologis argumentatur, nouum Teſtamentum incolume conſiſtere non poteſt, ſi illi ſuum eripiatur ſacrificium, cùm tranſlato ſacrificio & ſacerdotio, etiam legis tranſlatio fiat, *ad Hebr. c.* 27.

Miſſæ ſacrificio ſaltem diebus feſtis aſſiſtendum. Cap. XX.

SVMMARIVM.

1. *Antiquiſſimo Eccleſiæ præcepto feſtis diebus aſſiſtendum ſacrificio Miſſæ.*
2. *Quinam cenſendi ſint dies feſtiui.*
3. *An huius præcepti tranſgreſſio ex ſuo genere ſit mortalis.*
4. *Pluribus ſacrificiis eodem die aſſiſtere nemo præcepto cogitur, nec in Quadrageſima & Rogationibus vlli.*
5. *Iam non obligari fideles in parochia propria intereſſe ſacrificio, etiamſi olim ſecus.*
6. *Itemque nec ſolemnem Miſſam audire aut propriam illius diei.*
7. *Excipiendi ab huiuſmodi præcepto, qui rationis vſum non habent.*
8. *Quibus de cauſis excuſetur quis ab audienda Miſſa.*
9. *Qui iuſto impedimento excuſatur ab audienda Miſſa, non tenetur aliis operibus compenſare.*
10. *Num inter audiendum ſacrum die feſto poſſimus alias orationes debitas recitare.*
11. *Non eſt neceſſe, vt ſacerdotem celebrantem videamus aut audiamus.*
12. *Adhibenda tamen eſt debita tanto ſacrificio, & attentio, & reuerentia.*
13. *Valde proficuum eſſe etiam profeſtis diebus Miſſæ ſacrificio intereſſe.*

Feſtis

FEſtis autem diebus Miſſæ ſacrificio aſſiſtendum eſt fidelibus, antiquiſſimo
1. Eccleſiæ præcepto, vt conſtat, tum ex iure, cùm *de conſecr.d.1. can. omnes fideles*, ex Apoſtolorum canone non permanentes in Miſſa vſque ad finem, digni cenſeantur, qui priuentur communione, & *can. Miſſas*, ex Concilio Agathenſi *can.* 47. quòd licèt ſit prouinciale, tota tamen Eccleſia communi conſenſu recepit, dicitur, Miſſas die Dominico (eadémque ratione de reliquis feſtiuis, vt colligitur *ex can. ſi quis, & can. omnes, & can. & hoc, & can. qui die ſolemni, de conſecr. d.*1. & ex Concilio Carth. IV. *c.*88. Paludano 4.*d.*13. Syl. *Miſſa* 2.§.1. & vſu Eccleſiæ) ſecularibus totas Miſſas audire ſpeciali ordine præcipimus; quod multo magis eccleſiaſticis conuenit, vt deducit Archidiaconus argumento à minori ad maius; præterquam quòd *in can. cit. omnes fideles, can. qui die, can. & hoc attendendum, & can. ad celebrandas, eadem diſtinct.*1. præceptum generale eſt comprehendens omnes. & in actis SS. Saturnini, Emeriti, & Felicis, ſub Diocletiano anno 303. dicitur lex eccleſiaſtica de celebrando dominico ſeu collecta. & Concilium Toletanum XII. *c.*8. ſi neceſſitas cogat iter facere die feſto, vult poſſe concedi licentiam; ita tamen vt non omittatur Miſſa. & Colonienſe præcipit vt omnes quamuis non ſe communicent ſaltem parochialem Miſſam feſtis diebus audiant. & Auguſtanum negat, iis inter cæteros miniſtrandam eſſe Euchariſtiam, qui Miſſam audire nolent, vel non perſeuerant donec ſacerdos vltimam
2. benedictionem impertiat. tum ex conſuetudine ab Apoſtolorum tempore vſque ad nos, vt ex citatis Conciliis conſtat, & colligitur ex Clemente *lib.*2. *conſtit.c.*63. Hieronymo *in c.*4. *ad Galatas*. Auguſtino *lib. contra Adimantium, c.*16. &
3. *ſerm.* 251. *de temp.* & videtur colligi *Act.* 20. *num.* 7. tum ex Theologis 4. *d.* 13. S. Thom. 1.2. *quæſt.*102. *art.*4. *quæſt.*103. *art.*3. & 2.2. *quæſt.*122. *art.*4. *ad* 5. Caietano 1.2. *quæſt.*102. *art.*4. Soto 4.*d.*13. *quæſt.*2. *art.*1. Summiſtis *v. Miſſa*, Bellarmino *lib.*3. *de cultu ſanct. c.*11. Nauarro *c.*21. *num.*1. Azor *lib.*7. *c.*1. Henriquez *lib.*9. *c.*25. Sua-
4. rez *diſp.*88. *ſect.*1. & *tom.*1. *de relig. lib.*2. *c.*15. & aliorum. tum ex conſenſu Canoniſtarum *in citatis canonibus, de conſecr. d.*1. puerorum catechiſmis, communíque fidelium ſenſu. Narrat Gotſchalcus qui floruit circa annum 1460. in religione S. Auguſtini Eremit. *ſer.* 50. parte hyemali, dæmonem cuidam Peruſiæ collum fregiſſe, quòd nollet diebus feſtis audire Miſſam, illíque dixiſſe: Quia noluiſti audire Miſſam in Dei templo, audies lamentationes in inferno.

Sunt autem dies feſti, qui peculiariter ad diuinum cultum deputati ſunt, vt 2.
quæ inſigniter excellentia certis diebus facta fuit, feſtiuitas celebrata ſalubri memoria cuſtodiat, vt docet D. Auguſtinus *lib.* 32. *c.* 12. *contra Fauſtum*, qui etiam *lib.*10. *de Ciu. c.*4. eamdem reddens cauſam, cur agamus dies feſtos, ſcribit: *Beneficiorum Dei ſolemnitatibus, feſtis, & diebus ſtatutis dicamus, ſacramúſque memoriam, ne volumine temporum ingrata ſubrepat obliuio.* Aliam cauſam refert S. Paulinus *Natali* 9. *S. Felicis*, illis verſibus:

Ergo velut cœlum ſtellis, vt floribus arua,
Temporibúſque annos Dominus, ſic ipſe diebus
Tempora diſtinxit feſtis, vt pigra diurnis
Ingenia obſequiis ſaltem diſcrimine facto
Poſt interuallum reduces ſolemnia voto
Sancta libenter agant.

Viguit mos iſte celebrandi dies feſtos in Eccleſia Dei, à tempore Apoſtolorum, vt docet Clemens *lib.*8. *conſt. c.*39. & patet ex epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis apud Euſebium *lib.*4. *c.*14. vbi fatetur ſe propediem celebraturam diem feſtum Mar-

tyrij

tyrij S. Polycarpi. Origene *Hom.3. in Matth.* vbi ait, bene & ſecundùm voluntatem Dei SS. Patres mandaſſe SS. Innocentium memoriam ſempiternam celebrari in Eccleſia. Tertulliano *lib. de corona mil.c.3.* vbi ſcribit, ex antiqua maiorum traditione nos pro natalitiis annua die facere. Cypriano *epiſt.37.* & aliis. Sunt autem huiuſmodi dies feſti quibus Miſſam tenemur audire, qui ab Eccleſia conſtituti ſunt, ſiue in iure communi, *de conſecr. d.3. can.1. cap.vltimo, de feriis, & alibi,* ſiue antiqua & vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine, de qua Angelus, & Summiſtæ *v. feria.* Nauarrus *c.13. num.5. c.21. num.1.* ſiue priuata lege alicuius Epiſcopatus, ciuitatis, & oppidi, qua de re videndus Innocentius *c.licet, de feriis,* Gloſſa *cap.1. de reliq. & vener. ſanct. in 6.* VValdenſis *de ſacram.c.142.* Panormitanus *cap. conqueſtus, de feriis,* & Couarruuias *lib.4.var. c.19. num.8.* Quare quando dies feſti conſtituti ſunt Principum & Magiſtratuum decreto, non cogimur audire ſacrum, ſed tantùm à publicis operibus abſtinere, ex Sylueſtro *v.Dominica,§.2.* Azor *lib.7.c.4.* Suarez *diſp.88.ſeſſ.5.* cùm ſit præceptum hoc de re ſpirituali, quæ ad Principem non ſpectat.

3. Porrò tranſgreſſio huius præcepti eccleſiaſtici, ex genere ſuo eſt mortalis; quicquid ſenſerit Richardus *quodlib.1.quæſt.19.* Aſtenſis *lib.4.tit.16.c.1.quæſt.1.* Angelus *v.feria,num.42.* Roſella *Miſſa,* Turrecremata *can. Miſſas, de conſecrat.d.1.* & Gloſſa *ibid. can. omnes,* arbitrati ſolam omiſſionem ex contemtu, eſſe mortalem, non autem ex negligentia, & paſſione; malè tamen, tum quia Concilium Agathenſe vtitur verbo præceptiuo, quod ex vi ſua neceſſitatem inducit, ex D. Auguſtino *lib. de virginit. c.14. 15.* tum quia hoc præceptum pertinet ad diuinum honorem tamquam præcipuus cultus Deo à fidelibus exhibendus; quare eius omiſſio erit rei grauis, non minus quàm omiſſio ieiunij ſtatutis diebus, quæ ex communi conſenſu eſt mortalis, ideóque etiam omiſſio ſacri. tum denique ex communi conſenſu Theologorum, S.Thomæ, Alb. Paludani, Soti *4.d.13.* Antonini *2. p.tit.9.c.10.* Caietani *verbo, feſtum,* Sylueſtri *v. Miſſa 2.quæſt.1.* Nauar. *c.21. num.1.* Henriquez *lib.9.c.25.* Azor *lib.7.c.1.* Suarez *diſp.88. ſect.1. & tom.1. de relig. lib.2.c.15.* Panor. *c.1. de vit.& hon. cler. num.8.* Lappi *allegat.58.* Abulenſis *Exod.20. quæſt.13.* & aliorum. Poterit tamen tranſgreſſio aliquando excuſari à mortali, vel ex parte operantis, qui tenebatur audire, ſi ex ignorantia non grauiter culpabili, vel inaduertentia naturali omittat; v. g. ſi quis habens propoſitum audiendi incipiat actione aliqua occupari, nec amplius recordetur niſi iam elapſo audiendi tempore, ex Suarez; vel ſi omittat putans ſe ſufficientem habere cauſam, cùm re vera non habeat, ex Nauarro *c.21. num. 14. & c.23. num. 42.* Caietano *feſtorum violatio.* vel ex parte materiæ, ſi nec tota, qua de re *num.4.* nec pars notabilis, ſed particula tantùm omittatur, v.g. introitus vſque ad epiſtolam ex Anton. Sylueſt. Tabiena *v. Miſſa,* Nauar. *c.21. num.2.* quod etiam ad perfectam epiſtolam, extendunt Sotus *4. d. 13. quæſt. 2. art.1.* Azor *lib. 7. c.3. quæſt. 2.* Suarez *loco cit.* erit tamen veniale, ſi voluntariè ſine cauſa omittatur; cùm talis voluntas non ſit rationabilis. Quid ſi quis non audiat vnam Miſſam continuam integram, ſed dimidiam audiat ab vno ſacerdote, & alteram dimidiam ab alio, & maximè ſi pars poſterior audiatur priùs? Dicendum eſt ſatisfacere præcepto, quod ſolùm obligat ad audiendam Miſſam, & non ab vno continuatè, vt ſentit Maior *4.d.12. quæſt.3. & diſt.45.quæſt.2.* Soto *4.d.13. quæſt.2.art.1.* Nauarrus *c.21. num.2. & de orat. not. 10. num. 43.* Medina *in inſtit.c.14.§.9.* Henriquez *lib. 9. c.25. num. 8.* Gloſſa *can. quorundam, d.23.* Iaſon *l. admonendi, ff. de iureiurando, num. 254.* eodem trahitur Azor *lib.7.c.3.quæſt.3.* & Suarez *diſp.88. ſect.2.* licèt, ſi abſque

cauſa fiat, peccatur venialiter ob aliqualem irreuerentiam. Inſeruientes verò
Miſſæ, qui aliquoties recedunt pro afferendo, vino, thure, pulſandis campa-
nis, &c. dummodo bona fide procedant, cenſentur integram audire, ex Sylue-
ſtro *v. Miſſa* 2. *num.* 2. Tabiena *num.* 10. Anton. 2. *p. tit.* 9. *c.* 10. §. 1. Nauar. *de orat.*
not. 10. *num.* 18. *&* *not.* 16. *num.* 66. 68. Henriquez & Suarez *locis citatis.* Quod etiam
valet in horis canonicis. Hoſpes autem qui per oppidum tranſit, vel noctu
dormit profecturus manè, non tenetur manere, & audire Miſſam ſi peculiare
aliquod feſtum ab incolis celebretur; ſicut neque obligatur ad ſtatutum ieiu-
nium oppidi, ex itinere diuertens, ex Nauarro *c.* 13. *num.* 5. Anton. 2. *p. tit.* 6. *c.* 2.
§. 1. Medina 1. 2. *queſt.* 96. *art.* 5. Sanchez *tom.* 1. *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 18. *queſt.* 1. vbi
plures citat, *& lib.* 1. *de Decal. c.* 12. *num.* 38. Henriquez *lib.* 9. *c.* 25. *num.* 2. Sed Suarez
tom. 1. *de relig. lib.* 2. *c.* 14. limitat ſi ſtatim profecturus eſt ad loca, in quibus feſtum
illud non ſeruatur, ſecus verò quando quis toto tempore matutino moratur in
loco vbi eſt dies feſtus, etiamſi alienigena ſit, & à prandio diſceſſurus.

Nemo autem hoc Eccleſiæ præcepto cogitur, eodem die feſto plures Miſ- 4.
ſas audire, etiam die natiuitatis Domini, ex communi ſententia Sylu. *v. Miſſa* 2.
§. 5. Nauarri *c.* 21. *num.* 2. Suarez *diſp.* 88. *ſect.* 2. Azor *lib.* 7. *c.* 3. *queſt.* 1. Henriquez
lib. 9. *c.* 25. §. 3. cùm etiam ſit indulgentia, & non præceptum, vt ſacerdos eo die
ter celebret. Et Concilio Agathenſi *c.* 47. per *totas Miſſas*, intelligat ſolùm, te-
neri ſingulos fideles integram Miſſam audire, & non omnes quotquot in Ec-
cleſia vel parochia celebrantur. Meritò verò additum eſt, *totas*, quòd Cæſarius
Arelatenſis, qui Concilio præſidebat, cùm die quadam eſſet ad altare, ani-
maduertit, quoſdam lecto Euangelio, egredi de Eccleſia, quòd ſancti viri con-
Vide lib. 4. c. vlt. §. 3. cionem initio ægrè auſcultarent; quare mox excurrit, populum illis compel-
lans vocibus: Quid facitis filij? quid ita foràs abſceditis, mala perſuaſione ſub-
uerſi? ſtate pro animabus veſtris ad accipienda verba exhortationis noſtræ, eá-
que auſcultate ſoliciti. non licebit id vobis in illo tremendo iudicij die, mo-
neo, clamo, atque conteſtor. ne ſitis obſecro, vel ſurdi, vel profugi, au-
ditis oris mei buccinam, perinde ac ſi animas veſtras ſuo mucrone iugula-
ret: non ego taciturnitatis arguar. Videatur, qui eius res perſequutus eſt Cy-
prianus apud Surium die 27. Auguſti. Sed hac de re *lib.* 4. *c. vltimo* iterum recur-
ret ſermo. Sicut neque tenetur quis vllam audire ex præcepto in feriis Qua-
drageſimæ, licèt *in canone, ſolent, de conſecr. d.* 1. habeatur, tunc ieiunium ſoluen-
dum veſpere, largitis eleemoſynis, & audita Miſſa, vt etiam præcepit Theodul-
phus Epiſcopus Aurelianenſis *epiſt. ad compreſbyteros ſuos*, §. 39. nam contrario vſu
abrogatus eſt canon, vel certè loquitur de Concilio, ex Gloſſa. & oppoſitum
docet communis ſententia Syluestri *Miſſa* 1. §. 7. *Miſſa* 2. §. 1. Angeli *num.* 57. Ta-
bienæ *num.* 46. Armillæ 29. Nau. *c.* 21. *num.* 2. Henriquez *lib.* 9. *c.* 25. *num.* 3. Azor
lib. 7. *c.* 4. *queſt.* 2. Suarez *diſp.* 88. *ſect.* 5. Similiter abrogatus eſt *canon, rogationes, &*
can. pronunciandum, de conſecr. d. 3. quo in diebus Rogationum Miſſam audiendam
ſtatuebatur, contraria conſuetudine; & denique *cap. finale, de priuilegiis, in* 6. con-
ſulit tantùm, & non præcipit vt Epiſcopus quotidie audiat, ex Nau. Sylu. Ang.
Tabiena, Henriquez *locis citatis.* & Azor. *lib.* 7. *c.* 4. *q. vlt.* vnde præceptum eſt tan-
tùm de vnica Miſſa, & die tantùm feſto.

Non eſt etiam neceſſe audire ſacrum in propria parochia, ex Sylu. *Miſſa* 2. 5.
queſt. 5. *& excom.* 2. *num.* 20. Angelo *Miſſa, num.* 59. Tabiena *num.* 52. Armilla *num.*
31. Antonino 2. *p. tit.* 9. *c.* 10. §. 1. Turrecremata *can. Miſſas, de conſecr. d.* 1. Nau. *c.* 21.
num. 5. Calderino *conſil.* 6. *de relig. dom.* Suarez *diſp.* 88. *ſect.* 2. Azor *lib.* 7. *c.* 6. *queſt.* 4.

Henriquez

Henriquez *lib.9.c.25.num.6.*Emanuele Roderico *tom.1.quæſt.43.art.7.*Io.Guterrio *in qq.canonicis, lib.1.c.30.* quòd id eccleſiaſtica conſuetudo, vidente, & conſentiente ſummo Pontifice, concedat. Quare contraria conſuetudine abrogatus eſt vſus, vt audiretur in propria parochia, vt habetur in Concilio Nametenſi *c.1.& 2. & c. de dominicis, tit. de parochiis, & can. ſi quis, de conſecr. d.1. & in Extrauagante de treuga.*& apud Iuonem *2.p.c.122.* vel certè fuit ſolum conſilium ne proprius Parochus videretur contemni; vt etiam conſulit Concilium Colonienſe anni 1536. *c.24.* & Tridentinum *ſeſſ.24.c.4.*

6. Nulláque pariter obligatio eſt, vt audiatur Miſſa ſolemnis. quicquid ſenſerit Abbas *c.1.de vit. & hon. cler. num.*8. ob canonem, *Et hoc attendendum, de conſecr. d.1.* Nam ibi nullum eſt verbum, quo expreſsè præcipiatur, vt audiatur Miſſa ſolemnis; ſed dicitur tantùm, vt ita dicantur Miſſæ priuatæ, vt non auocetur populus à publicis.Et eſt ſententia communis Syluestri *v. Miſſa,* Angeli *ibidem,* Nauarri *c.21.* Antonini *2. p. tit.9. c.10.§.1.* Turrecrematæ *can. Miſſas, de conſecr. d.1.* Azor. *lib.7. c.6. quæſt. 2.* Suarez *diſp. 86. ſect. 2.* Henriquez *lib. 9. c.25. num.4.* & aliorum. & probatur ex communi fidelium conſuetudine.Nec refert etiamſi Miſſa, quæ auditur, non ſit de die feſto currenti, quicquid putauerit Angelus *v. Miſſa,num.33.* tum quia citati canones ſolùm iubent, vt audiatur Miſſa; tum ex conſuetudine fidelium; tum ex communi ſententia Antonini *2.p. tit.9.c.10. §.1.*Soti *4.d.13.quæſt.2.art.1.* Caietani *v.feſtorum violatio.* Nauarri *c.21. num.7.*Roſellæ *Miſſa num.14. 23.* Tabienæ *Miſſa,num.49.* Syluestri *Miſſa 2.quæſt.4.* Azor. *lib.7.c.6.quæſt.3.* Suarez *diſp.88. ſect.3.*Henriquez *lib.9.c.25.num.4.* tum quia *c.2.de celebr.Miſſ.*quod videtur Angelo fauere,non loquitur hac de re,ſed de quorumdam ſuperſtitione, qui quotidie audire volebant Miſſam de S. Trinitate, de S. Michaële, & in qua legeretur initium Euangelij S. Ioannis, arbitrantes vix aliter ſe audire Miſſam.

7. Obligantur hoc Eccleſiæ præcepto audiendi Miſſam die feſto ij tantùm, qui vſum rationis habent; cùm humana præcepta plenam diſcretionis ætatem requirant, ex Paludano *4.d.13. quæſt.5. num. 7.* Soto *ibidem quæſt.2. art. 1.* Gabriele *lect.14. & 29.in canonem,* Antonino *loco citato,* Sylu. *Miſſa* 2.§.1. Nauarro *c.21.n.1.* Azor *lib.7.c.2.quæſt.1.* Suarez *diſp.88. ſect.4.*Sanchez *lib.1. de Decal.c.12.n.6. & 17.* Id verò contingit, cùm pueri poſſunt diſcernere inter bonum, & malum, & mortaliter peccare; quod ſolet accidere circa ſeptennium, aut paulo pòſt. Et parentes ac domini tenentur curare vt filij, & famuli, ac ſerui audiant, ex D. Ambroſio *Hom.33.Quadrag.* & habetur *can.an putatis, d.86.* Ant.*2. p.tit.9.c.1.§.1.* Nau. *c.14.n.19.* Suarez *diſp.88.ſect.6.* & poteſt colligi *ex 1.Corinth.5. Si quis ſuorum, maximè domeſticorum,curam non gerit,deterior eſt infideli.*

8. Plurimæ tamen cauſæ excuſare poſſunt à peccato habentem rationis vſum, Miſſam non audientem die feſto. quæ ex his capitibus petuntur; ſui aut proximi, mediocri, vel graui damno, animæ,corporis, honoris, bonorum,officio, & conſuetudine loci. Quare ex primo capite excuſatur, qui ob excommunicationem, vel interdictum audire non poteſt, licèt ſit in mora petendæ abſolutionis, ex Nauarro *c. 21. num.3.* Suarez *diſp. 88. ſect. 6.* Henriquez *lib. 9. c.25. num.11.* Ledeſma, &c. etſi alio peccato delinquere poſſit,non petendo. Sicut ſi infirmus, ſit negligens in procuranda ſanitate, & coniectus in vincula negligens in petenda ſolutione, quibus impediuntur ab auditione Miſſæ. Sed qui tempore interdicti habet priuilegium, vt poſſit Miſſam audire, tenetur, ſi poſſit,eam audire,ex Soto *4.d.13.quæſt.2.art.1.*Suarez *diſp.88. ſect.6.*Henriquez *lib.9.*

c.25.n.11. Nauarro *c.21.n.3.* quia hoc præceptum obligat omnes potentes audire, quare etiam hunc, cùm poſſit, quòd ei non ſit poſitum impedimentum, ſed maneat præceptum antiquum. A denunciato etiam excommunicato, & ſuſpenſo ſacerdote, vel publico clerici percuſſore, audire non licet, ex Nau. *c.27.num.20.* Sylu. *excomm.4.n.5.* Henriquez *lib.9.c.25.n.13.* Suarez *diſp.18.ſect.1.* Azor. *lib.7.c.7.* *quæſt.15.* alioquin peccaretur mortaliter, & incurreretur excommunicatio minor. An autem à ſacerdote publico concubinario liceat audire poſt Concilium Conſtantienſe, certant Doctores. Nam Nauarrus *c.25. num.80.* negat licere, *ex can. nullus, & can. præter, diſt.32.& can. vltimo,15. quæſt.8.& cap. veſtra, & c. vltimo, de cohabit. cler. & mul.* At Suarez *d.18. ſect.1. & diſp.88. ſect. 6.* Simancas *in cathol. inſtit.c.20.* Couarruuias *c. alma mater, p.p.§.2 num.10.* Diaz *in pract.c.63.* Soto *4.d.13. quæſt.1 art.9.* Henriquez *lib.9.c.25.num.13.* Azor *lib.7.c.7.quæſt.16.* cenſent probabilius oppoſitum, quòd Concilium Conſtantienſe reſeruauerit ſolùm illa duo capita, in quibus non liceat communicare cum excommunicatis, & ſuſpenſis; nempe nominatim excommunicato & ſuſpenſo, & publico percuſſore clerici. Similiter non peccant matres, quæ nubiles filias, ſine periculo ſtupri, relinquere non poſſunt, ſi Miſſas audire velint, ex Azore *lib.7. c.7. quæſt. 1.* Soto *lib.2. de iuſt. q.4.art.4.* Caiet. *2.2.quæſt.122.art.4.* Nauarro *c.21 num.9.* Henriquez *lib.9.c.25 num.10.* Suarez *loco cit.* Pari modo excuſatur vxor ne marito zelotypo ſcandali aut grauium rixarum det occaſionem, ex Nauarro *c.21. num.5.* Azor *lib.7.c.7.quæſt.1.*

2. Henriquez *lib.9.c.25. num.10,13.* Suarez, & Soto *locis cit.* Ex ſecundo capite excuſantur ægroti dum ſimpliciter impediuntur, vel periculum eſt ſi exeant ad Miſſam, grauioris morbi, aut reincidentiæ, ex Caietano *2.2.quæſt. 122. art.4. & ſum. v. feſtum.* Nau. *loc. cit. num.3.* Ang. Tabiena, Syl. *v. Miſſa 2.§.2.* Soto *4. d.13 quæſt. 2.art.1. fine.* Henriquez *ibidem, §.10.* Suarez *loco cit ſect.6.* Azor *vbi ſuprà.* Hinc etiam excuſantur cuſtodes & adiutores infirmorum, ſi infirmi periclitentur. ex Nauarro, Azor. Suarez, Henriquez, Caietano, Ang. Syluestro *locis cit.* Sic nutrices, quæ infantes non poſſunt alteri commendare, ex Nauarro *c.21 num.3.* Antonino *2.p.tit.9.c.10.§.2.* Tabiena, Angelo, Syluestro, Henriquez. item prægnantes fœminæ, ſi credatur exitus grauiter nociturus, ex Suarez, & Azor. & qui ſibi timent ab hoſte, peſte, miniſtris iuſtitiæ, ſi probabili coniectura nitantur, Soto, Suarez, Henriquez *locis cit.* Eodem modo iter facientes, ſi audiendo Miſſam ſocios neceſſarios, aut propter pericula, aut ignorantiam viæ, aut leuandum in itinere longo tædium amitterent, ex Caietano *v. feſtum.* Armilla *Miſſa, num.30.* Syluest. *ibidem, & v. ieiunium, §. 9.* Pedraza *in 3. præcepto.* Nauarro *c.21. num.9.* Henriquez *lib.9.c.25.num.10.* Azor *lib.7.c.7. quæſt.1.* Suarez *diſp.88.ſect.6.* Sic qui longè diſtat ab Eccleſia, vel pluuiæ diuturnæ & magnæ decidunt, vel copioſæ niues; ita vt ſine magno detrimento templum adire nequeat. Azor *lib. 7. c.7. quæſt. 5.* Hen-

3. riquez & Suarez *vbi ſuprà.* Ex tertio capite excuſantur ab audienda Miſſà, qui carent decenti veſte, ſine qua cum magno rubore Miſſam audirent, ex communi ſententia, Nauarri *c.21. num.3.* Syluestri *Miſſa 2.§.2.* Tabienæ *num. 47.* Suarez *diſp.88.ſect.6.* Azor *lib.7.c.7. quæſt.1.* Henriquez *lib.9.c.25.n....* Pedrazæ *loco cit.* & Paludani *4.d.15.q.5.* Idémque de fœmina nobili, quæ exire non poteſt abſque decenti comitatu, ſi eadem de cauſa non egrediatur ad alia, ex Suarez, Henriquez, Nau. Syl. Sic etiam ſi vir timet iniuriam, vel iacturam honoris, ex Suarez,

4. cùm non ſit cogendus cum dedecore apparere in publico. Ex quarto capite excuſantur ne accedant ad Miſſam, qui graue damnum in bonis timent, vt ſi paſtor non habeat cui curam gregis committat, ex Suarez, Henriquez, Azor.

q.7.

q.7. *loco citato.* Nauarro *conſilio 5. tit.9. de feriis. lib. 2.* Sed debent paſtores inter ſe
conuenire, vt nunc vnus, nunc alter eat. Mercatores, agaſones, vectores ar-
mentorum, qui facerent magnam negotij iacturam, vel magnas expenſas, ſi in
hoſpitio prope Eccleſiam manerent, vt mane Miſſam audire poſſent; cùm non
cenſeatur præceptum obligare cum tanto rigore, ex Caietano *v. feſtum. & 2.2.*
q.122.art.4. Nauarro, Henriquez *locis citatis.* & idem etiam dicitur de nautis. Si-
militer excuſat periculum furti ſi relinquatur domus ab oppido diſtans abſque
cuſtodiente, & periculum vindemiæ vel meſſis, ex Suarez *diſp.88.ſect.6.* Henri-
quez *lib.9.c.25.num.10.* Nauarro *c.21. num.5.* Antonino *2.p.tit.9. c.12.§.2.* Syluest.
Miſſa 2.§.7. Paludano *4.d.15.q.5. num.7.* Sic etiam ſi ob Miſſam amittenda eſſet
occaſio alicuius magni negotij conficiendi, ex Suarez. Idémque de famulis,
qui à ſuis heris Miſſam audire, non ob contemtum fidei, & religionis, ſed ob
aliqua negotia gerenda, v.g. apparandis nuptiis, conuiuio, &c. prohibentur, vel
impediuntur; non enim tenentur heros relinquere, neque cenſentur præferre
homines mandato Eccleſiæ vel Dei, quod nefas eſſet; ſed tunc cum tanto de-
trimento putandum eſt, nolle Eccleſiam obligare. Idémque de vxore reſpectu
mariti, & filiorum reſpectu parentum. Aduertant tamen domini, & ſuperiores,
vt iuſtam cauſam habeant, iuxta occurrentes morales & rationabiles occaſio-
nes, ne ipſi peccent, ex Soto *4.d.13.q.2.art.1.* Nauarro *c.13.num.7. & c.21.num.3.*
& 4. Antonino *2.p.tit.9.c.10.§.3.* Syluest. *v.Miſſa.2.§.3.& v.Dominica.q.4.* Roſella
Miſſa,num.15. Suarez *diſp.88.ſect.6.* Azor *lib.7.c.7.q.1.* Henriquez *lib.9.c.25.n.10.*
Ex quinto capite excuſantur cuſtodes arcium, milites cuſtodientes caſtrum, 5.
curſores, domini, & conſiliarij eorum, qui tempore Miſſæ negotiis non patien-
tibus moram, impediuntur, ex Nauar. *c.21.num.3.* Syluest. *Miſſa, num....§.2.* Azor
loco citato, q.1. Ex vltimo capite conſuetudinis introductæ ex probabili cauſa, & 6.
à paſtoribus toleratæ, excuſantur ab audienda Miſſa iuxta conſuetudinem loci,
virgines honeſtæ, & nubiles, quæ alicubi non permittuntur domo egredi, Na-
uarro *c.21. num.9.* Caiet. *2.2.q.122.art.4.* Soto *4.d.13.q.2.art.1.* Syluest. *loco citato.*
Angelus *v.feriæ,num.42.* Suarez *diſp.88.ſect.6.* Azor *lib.7.c.7.q.3.* Henriquez *lib.9.*
c.25. num. 12. vt enim poſſet ferri lex, quæ illis id concederet, ita conſuetudo
præſcripta vim legis habens à præcepto eximit. Cauendum tamen ne in fene-
ſtris ſe ſpectandas ſtatuant, aut ne permittantur procedere ad choreas; alioquin
grauiter peccarent parentes, ex Antonino *2.p.tit.9.c.10.* Et viduæ nobiles, quæ
alicubi per menſem vel etiam plures, & alicubi per annum iuxta loci conſue-
tudinem, domi ſe continent triſtitiæ & luctus cauſa, ideóque neque Miſſam au-
diunt: nam & ipſæ excuſantur, ex Caietano *2.2.q.122.art.4. & in ſum. v.feſtum.*
Antonino, Syluestro, Nauarro, Suarez, Henriquez *locis citatis.* Azor *lib.7.c.7.q.2.*
Roſella *v.Miſſa.* id tamen videretur moderandum, vt non niſi per hebdomadas
aliquot id fieret. eamdémque conſuetudinem non prodeundi in publicum ad
Miſſam, ſeruent etiam in aliis negotiis, ex citatis autoribus.

9. Cùm verò iuſto impedimento excuſatur quis ab audienda Miſſa, non tene-
tur aliis orationibus, contritione, eleemoſyna compenſare; quicquid ſenſerit
Scotus *3.d.9.q.1.art.2. & d.17.q.vnica.* & Angelus *v.feriæ, num.43.* eo nixi funda-
mento quod tertium præceptum orandi, & colendi Deum, ſit naturale diui-
num; tempus autem implendi illud, definitum ſit in diebus feſtis per actum
audiendi Miſſam; ideo ſi non poſſit impleri hic cultus, alio actu implendus ſit.
Non videtur tamen hoc fundamentum ſufficiens, tum quia licèt finis huius
præcepti ſit diuinus cultus, materia tamen eius ſit auditio Miſſæ, ideo obligat

ad hunc ſolum actum, cùm finis præcepti non cadat ſub præcepto, ex S.Thom. 1.2.q.100. art.9. & 10. tum quia qui peccauit omittendo ſacrum peccaret alio peccato niſi hos actus eliceret, quod nemo dixit. tum quia oppoſita ſententia eſt communis, Nauar. c.11.num.6.c.21.num.7. Soti lib.2.de iuſtit.q.3.art.9.& 10.Azor. lib.7.c.7.n.14. Suarez diſp.88.ſect.6.fine, & tom.1.de relig.lib.2.c.16. Henriquez lib.9. c.25.num.13.

Quærenti verò an inter audiendum ſacrum die feſto, liceat recitare oratio- 10.
nes alias debitas? Dicimus Angelum v.feriæ, num.46. Syluest. Miſſa 2.num.6.Roſellam v. Dominica, num.7. Armillam v. Miſſa,num.39.& v.feſtum, num.11. exiſtimaſſe eſſe peccatum mortale, quòd vtraque actio propriam exigat attentionem. Adrianum q.7. de ſatisfactione. Caietanum v. feſtum, & opuſculo de valore orationum dictarum ab audientibus Miſſam. Nauar. de oratione,not.19.num.178. Ledeſmam 2.p. q.16.art.6.dub.5. docere ſatisfieri quidem vtrique præcepto, ſed ſi fiat ſine cauſa, v.g.itineris,&c.eſſe peccatum veniale; quia non debeát miſceri diſparati cultus, nec vnus ſubordinari alteri, & quòd confundantur attentiones. Medina verò Cod.de confeſſ.q.44.Sotus 4.d.13.q.2.art.1.& d.19.q.2.a.1,Maior 4.d.12.q.8.Gabriel lect.62.in can. Valentia 2.2.d.6. q.2.p.10. de orat. Suar.diſp.88. ſect.3. Azor.lib.7.c.5. q.3. Nauar. c.21.num.8. Sanchez lib.1.de Decal.c.14.num.11. ſentiunt nullum eſſe peccatum; quòd vtrique muneri attendere poſſimus, ſiue oratio fiat ex obligatione, ſiue non; & quòd vtroque iuuetur deuotio, & totum referatur in cultum Dei. Sed obligatus duas audire Miſſas poteſtne vtramque eodem tempore audire? vide Sanchez lib.1.de Decal.c.14.num.12.affirmantem.

Non eſt neceſſe celebrantis vocem audire, aut eum videre; vt v.g. ſi vox ſa- 11.
cerdotis ſit exilis, & multitudo magna, vel ſtrepitus, vel quis ſurdus, aut cæcus: ſed ſatis eſt eſſe præſentem & corpore & animo, ex S. Antonino, Syluest. Soto, Tabiena, Armilla, Henriquez lib.9.c.25.§.4. Suarez diſp.88.ſect.3. Azor lib.7. c.3. q.4. Nauar. c.21.num.8. Neque enim ſatis eſt præſentem eſſe ſolo corpore, ſed neceſſe eſt etiam animo præſentem eſſe: id eſt, vt adſit non coactus, ſed volens, & intendat ſatisfacere præcepto, cùm actus obedientiæ non poſſit eſſe ſine voluntate, ex communi ſententia S.Antonini, Suarez, Henriquez locis citatis. Nauar. c.20.num.10.de orat.not.13.num.27. Azor lib.7. c.5. q.1. & ſimul velit attendere, vt mox dicam. Porrò de intentione videndus Nauar. de oratione & horis canonicis.c.6.num.13.14.& cap.13.num.16.17.

Neceſſe verò eſt, vt audiens Miſſam, velit attendere; tum quia, qui ſponte 12.
diſtrahitur, vel dormit, pingit, &c. non dicitur moraliter Miſſæ præſens animo, aut ſacrum audire. vnde non implet præceptum; tum ex communi ſententia Soti lib.2.de iuſtit.q.3. Caietani feſtorum violatio. Medinæ in inſtit. lib.1. c.14.§.9. Lopez in inſtit.c.52. Angeli v. feriæ, num.43. Roſellæ v.Dominica.§.7. Suarez diſp. 88. ſect.3. Azor lib.7.c.5.q.2. Henriquez lib.9.c.25.num.4. Sanchez lib.1. de Decal.c.13. num.2.3.5. Vazquez 1.2. q.100. art.9. Leſſius lib.2.de iuſt.c.37.dub.11. Aragona 2. 2.q.83.art.23. Durand. 4.d.15.q.12. Pet. Ledeſma in ſum. cùm agit de Euch. c.27. poſt 10. concl. Quamuis Syluester Miſſa 2.q.6. putauerit ſatisfacere, dummodo alias res non agat, & Medina Cod. de confeſſione.q.de pœnitentia tempore Miſſæ impleta, idem ſenſerit, licèt confabuletur, mercaturam tractet, voluntariè diſtractus; quòd Eccleſia ſolùm præcipiat Miſſam audire, & quòd non poſſit præcipere actus internos; malè tamen vterque, cùm humano more, is non audiat, qui non attendit voluntariè. Et quamuis Eccleſia non præcipiat per ſe actus internos, poteſt tamen præcipere prout actus interior eſt, velut forma actus exterioris.

tieris. Auditio enim Miſſæ cum voluntaria diſtractione, non eſt actus moraliter humanus; ſi tamen mentis euagatio ſit inuoluntaria (quæ certè tamdiu erit quamdiu quis non aduertit ſe non attendere, ex S. Thoma *4. d.15. q.4. art.6.* Medina *Cod. de orat. 9. de attentione habenda*, Gabriele *lect.62.86.* Nauar. *c.25. num.107. & de orat. c.13. num.21.22.23.47.48. & ſeq.* Valentia *2.2. d.6. de orat. p.2. p.10.* Ledeſma *2. 4. q.16. art.6. dub.4.* Syluest. *hora, num.14.* Toleto *lib.2. c.13. inſtit.* Suarez *diſp.88. ſect.3.* Philiarcho *lib.1. c.6.* implet præceptum. Cùm enim initio voluerit attendere, & non retractauerit priorem voluntatem, durat adhuc virtualis attentio, cùm non ſit in hominis poteſtate cohibere omnem euagationem, ex S.Thoma *2.2. q.83. art.13. ad 3.* & D.Baſilio *lib. de vita perfecta c.2.* Eſt autem triplex attentionis genus, ad verba, ad verborum ſenſum, & ad Deum ad quem verba diriguntur, & quælibet harum trium ſufficit, vt conſtat ex S.Thoma *2.2. q.83. art.3.* Caietano *ibidem.* Richardo *4. d.15. art.4. q.6.* Maiore *4. d.12. q.7.* Caſtro *lib.2. de leg. pœn. c.5.* Nauar. *de orat. not.13.* Soto *lib.10. de iuſtit. q.5. art.3.* Ledeſma *2.4. q.16. art.9.* Medina *Cod. de orat. 9. 13.* Azor *lib.7. c.5. lib.10. c.12.* Henriquez *lib.9. c.25. num.5.* Suarez *diſp.88. ſect.3.* & aliis.

Decet pariter, vt qui ſacrificio intereſt, ſumma reuerentia adſtet, ſi enim ſemper in templo cum reuerentia ſtandum eſt, vt hoc eodem libro *c.13. n.12.* diſſeruimus, certè id multo magis agendum erit in tempore ſacrificij, quod etiam docet S.Iacobus, cùm in Liturgia iubet non tantùm vt taceatur, ſed etiam metu & tremore concutiamur, & ne quid omnino cogitemus terrenum. *Taceant* (inquit) *omnes mortales, ſtent cum metu & tremore, nihil terrenum cogitent, Rex enim regum, Chriſtus Deus noſter, erit vt mactetur, & detur in cibum fidelibus: eum verò chori Angelorum antecedunt.* vnde meritò ait Concilium Bracarenſe III. *c.1.* *Cùm omne crimen, atque peccatum, oblatis Deo ſacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipſa ſacrificij oblatione peccatur.* Huc etiam ſpectat lex illa ſacrificij quod offerebatur pro peccato, *Leuit. c.1.* vt notauit etiam Philo *lib. de victimis*, qua iubebat Dominus lauari pedes & inteſtina victimæ, ad iudicandum maximè ſacrificij tempore & exteriora & interiora omnia mundanda, & lauanda etiam à minimis terrenarum rerum affectionibus, ob diuinæ maieſtatis perſpicuè omnia intuentis, reuerentiam. Diſcamus reuerentiam in templo veteris legis, ex Ariſtæa *in lib. de 72. interp.* vbi ſcribit: *Miniſterium ſacerdotum, robore, decore, & ſilentio cuncta ſuperabat, ſilentium tantum ineſt, vt cùm ſeptingenti ferè miniſtrorum continuò adſint, & offerentium libamina, multitudo ingens, ne vnum quidem hominem in loco verſari putes; ſumma namque veneratione cuncta & magna Dei pietate perficiuntur.* Quod maximè conueniet in oblatione tanti ſacrificij, cuius vmbra erāt ſacrificia veteris legis; quippe cùm ſit repræſentatio expreſſa, & viua paſſionis Chriſti. Quare ſicut ſi tibi datum fuiſſet præſentem eſſe, cùm Chriſtus Dominus in crucem actus eſt, non tantùm ſumma reuerentia, ſed etiam omni pietatis ſenſu, & ſingulas actiones ſpectaſſes quàm diligentiſſimè, & Chriſti dolores vberrimis lacrymis proſequutus eſſes: ita nunc, cùm eadem ipſa ad viuum repræſententur, idem tibi agendum eſt; vt ſaltem grati animi ſignificationem aliquam præ te feras. Hæc enim vna cauſa eſt, cur dixerit D. Dionyſius *de Eccl. hier. c.3.* de ſacra Liturgia diſſerens: *Inſpiciamus per ſingula myſterij ſanctiſſimi ritum, exactiſſimámque confectionem; & quid ſpiritualiter ſignent, indagare pergamus.* Talem omnino fuiſſe animum oportuit D. Gregorij Nyſſeni de ſeipſo ſcribentis *orat.44.* picturam Iſaac immolandi à patre, in quo & Chriſti paſſio adumbrata eſt, vberes ſibi ſæpius excuſſiſſe lacrymas. vberioribus igitur lacrymis genas rigaſſe, eumdem ſacrificij tempore quo Chriſti paſſio repræſentatur ad viuum,

viuum, nobis opinandum eſt. Accedit eiuſdem Dei filij ipſiſſima præſentia ſub ſpeciebus ſacramentalibus, in cuius terribili conſpectu meritò vniuerſa contremiſcunt; & ad cuius tantum nomen, omne genu curuari cœleſtium, terreſtrium, & infernorum ſcripſit D. Paulus. Terreno certè Regi, non tantùm abiectæ conditionis homines, verumetiam dynaſtæ, & Principes demiſſis oculis, ſumma reuerentia, totiúſque oris & corporis compoſitione & modeſtia aſſiſtunt, iuxta illud Dauidis *Pſal.* 122. *Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum; ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ.* nónne igitur multo conuenientius regum Regi, & dominantium Domino, reuerenter, modeſtè, ſine riſu, iocis & nugis, homuncionibus aſſiſtendum erit? Qui hac in re peccant omnino mihi videntur ſimiles Herodi Regi impiiſſimo qui ſub pietatis, honoris, & adorationis larua, Chriſto Domino recenter nato, iniuriam inferre parabat; cùm Magis dixit, *Et cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem illum.* Scilicet, quod enim in innocentes infantes præſtitit, quid in Chriſtum facturus eſſet, oſtendit; ſimiles militibus, qui externa quidem ſpecie quaſi adorantes Redemtorem, genua flectebant, & regem conſalutabant; verè tamen ingerebant Domino irriſiones, probra, maledicta atque ſupplicia. vnde rectè monet S. Io. Chryſoſtomus *Hom.* 8. *in Matth. Timeamus igitur ne quando ſpeciem ſupplicum atque adorantium geramus, opere verò exiſtimemur inimici.* Non audet quiſpiam Principem terræ alloquens, caput & oculos, aut ſermonem ad ſeruos aut canes conuertere, vt rectè monet S. Ephrem *tom.* 2. §. 50. & audet, proh nefas, Chriſtianus homo colloquium, oculos, & mentem à rerum omnium Conditore ad nugas & profana quæque conuertere: Diſcamus quæſo ruſtici & agreſtes quanta cum pietate & reuerentia in domo Dei nobis verſandum ſit, à primariis illis Aulicis, de quibus dixit Daniel *c.* 7. *Millia milium miniſtrabant ei, & decies centena millium aſſiſtebant ei.* Deſcribit Angelorum reuerentiam ſacrificio adſtantium Nilus *in ep. ad Anaſtaſium Epiſcopum*, agens de S. Io. Chryſoſtomi viſione illis verbis: *Itaque admiratione & lætitia plenus amicis multum ſpiritualibus ſeorſum narrabat; quemadmodum cùm ſacerdos oblationem ſanctam facere inciperet, plures Angeli è cœlo delapſi ſplendidiſſimis ſtolis induti, nudo pede, aſpectu intento, vultu demiſſo circumſtantes altare magna reuerentia, & quiete, ac ſilentio vſque ad myſterij conſummationem aſſiſtunt. Deinde diſcurrentes Epiſcopos ac Preſbyteros, qui corpus & ſanguinem diſtribuunt, adiuuant, & corroborant.* quod etiam antea indicauerat Dionyſius Areop. dum *lib. de cœleſti hier. c.* 5. & 9. docet Angelos extremi ordinis adminiſtrationi ſacrorum præeſſe. vnde rectè etiam intulit Petrus Damiani *lib.* 3. *ep.* 8. hac de re agens, præclarum illud epiphonema. *Quanto putamus aduersùs nos Zelo mouentur* [Angeli] *dum in conſpectu ſuo nos irreuerenter ſedere (addam & ridere, & ſermones inutiles, ne quid peius dicam, miſcere) conſpiciunt; cui ſcilicet ipſi trementes aſſiſtunt?* qui etiam mox ſubdit: *Vbi credenda eſt frequentius angelica beatitudo diſcurrere, quàm in Eccleſia vbi nouit Dei populum, propter quem mittitur, conuenire? & qui potentiori cuilibet perſonæ feſtinanter aſſurgimus quæ præſumtionis audacia ſedere (& multo certè grauius nugari) coram virtutibus angelicis non timemus?* Hoc idem præclarè docet S. Cæſarius *Hom.* 5. *de Miſſa integrè audienda*, exemplo eius, qui à Principe exceptus conuiuio, non niſi cum magna & reuerentia & modeſtia menſæ aſſideret. Denique ne in re clara diutius moremur, caueat diligenter Chriſtianus populus in audiendo ſacro, ne iis ſimilis ſit qui etſi ad templum proceſſiſſent, dorſa tamen habebant contra altare Dei, & facies ad orientem ſolem, & idolorum imaginibus thura in thuribulis adolebant, mulieribus Adonidem plangentibus, *Ezechielis c.* 8. vt profectò accidit

cùm

cùm accedimus ad ſacrificium, vt ſpectemus, & ſpectemur, & obſcœnas cogitationes & amores nutriamus, Deum quem exorare debuimus deſpicientes.

13. Tandem homini valde proficuum eſt, eidem Miſſæ ſacrificio quotidie deuotè aſſiſtere. quòd, vt docet S. Cyprianus *ſer. de cœna Domini*, & Cyrillus *catech. 5. myſtag.* ibi dona ſpiritualia aſſiſtentibus dignè diſtribuantur, vnde S. Maximus *in expoſitione Liturgiæ c. 25.* adhortatur Chriſtianos, ne vnquam ab Eccleſia & Synaxi abſint: *Propter Spiritus* (inquit) *ſancti gratiam, quæ tunc maximè iis, qui interſunt, communicatur.* Augetur enim in iuſto ex deuota Miſſæ auditione gratia, remittuntur peccata venialia, vt docet Salmeron *tom. 9. tr. 43.* & datur etiam impio occaſio conterendi de mortalibus, ex eodem. minuitur debita præteritis peccatis pœna, & aliquando tota, ex S. Thom. *3. p. q. 79. art. 5. ad 3.* remittitur, & faciliùs cætera ſpiritualia dona impetrantur; ſacerdote peculiariter pro aſtantibus rogante, cùm ait: *Et omnium circumſtantium, quorum, &c.* quare S. Chryſoſt. *Homil. 1. in Gen.* dicit Eccleſiam eſſe locum ſpiritualis medicinæ: nec diſcedendum niſi medicatis vulneribus, vt *c. 13.* retulimus. Et B. Iſaias Abbas *orat. 3.* ait: *In hora ſacrificij reſiſte cogitationibus vt ſenſus tuos continens in timore Dei, myſteriis dignus efficiaris, & Dominus tuas curet ægritudines.* Deſcribit Cyprianus *ſer. de cœna*; quanta ſint gaudia animæ ſanatæ in ſacrificio, his verbis: *Vide quomodo his, qui Chriſti commemorant paſſionem inter ſacra officia quaſi per quoſdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & ſuper omnes delitias lacrymis nectareis anima delectetur. quantam ſuauitatem animæ quærenti, vbi ſit Deus ſuus, ſuſpiria contemplationis eliciant. non illos imbres procelloſæ tempeſtatis deponunt, ros matutinus eſt de cœleſtibus ſtillans, & quaſi vnctio ſpiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat, & inter diem & noctem retro & ante ſe affectio intuens inter data condonando ſe diuidens, gratias agit tam vberi beneficij largitori; & ſe ſanatam & ſanctificatam agnoſcens, fletibus ſe abluit, & lacrymis ſe baptizat.* Hæc ille. Adde dum Miſſæ aſtamus, & diuina myſteria mente & cogitatione reuoluimus, plures elici fidei actus, inflammarique affectum, & ſpem vehementer excitari: vt pluribus docet Franciſcus Arias *tom. 2. tract. 2. c. 14.* Eodem 2.
etiam tempore conducentia ad ſalutem dona conceduntur temporalia, ex eodem Cyrillo *catech. 5. myſtag.* & conſtat exemplis, quæ peti poſſunt ex Thoma Cantipratenſi *lib. 2. apum. c. 40.* Cæſario *lib. 10. c. 2.* & aliis. Certè Conſtantinus Imperator, vt docet inter cæteros Genebrardus *in annum 328. ex Tripart. lib. 1. c. 9.* Eſpenceus *lib. 2. de Euchar. c. 9.* & Petrus Valderama *ſerm. 3. de feſtiuit. corporis Chriſti*, etiam in bellicis expeditionibus circumtulit ligneā ædiculam cum ſacra Euchariſtia & ſacerdotibus, qui ei quotidie ſacrum facerent, in eo vno multo plus fidens in victoriis conſequēdis, quàm in militum fortitudine & numero. Scripſit Æneas Syluius qui Pontifex creatus dictus eſt Pius ſecundus *c. 21.* Europæ in vrbe quadam Dalmatiæ accidiſſe, vt honeſtus vir continua tentatione pulſaretur dæmonis inſtinctu, vt ſibi ipſi laqueo gulam frangeret, qui cùm religioſum & pium virum conſuluiſſet, monitus eſt, vt ſi incolumis eſſe cuperet, quotidie ſacrificio intereſſet; quod per plures annos fecit conducto ſacerdote, qui ſibi Miſſam quotidie faceret. accidit autem, vt cùm neſcio qua de cauſa ſacerdotem eundum eſſet aliquò, accederet ad Eccleſiam honeſtus vir, Miſſam à Parocho auditurus, ſed cùm ab Eccleſia diſtaret, factum eſt vt abſolueretur Miſſa ante eius aduentum: cúmque id ægerrimè ferret, ruſticus, qui interfuerat, ei dixit ſe audiuiſſe Miſſam, quam illi renunciaturus eſſet, ſi pallio donaretur. quod cùm feciſſet ſibi pallio detracto honeſtus vir, & abiiſſet, eodem die ruſticus ſe in nemore ſuſpendit, & vir ille liber ab omni tentatione in poſterum

manſit. Narrat etiam idem, cùm tres viri ſimul agerent, auditam vocem dæmonis clamantis: Interfice, interfice, & duobus, qui Miſſæ non interfuerant, extinctis, tertium, qui audierat, fuiſſe ſuperſtitem, fatente dæmone illum non poſſe occidere, quòd Miſſam manè audiuiſſet. Modeſtus adoleſcens ab ſocio æmulo falsò delatus Regi, quòd deperiret Reginam; Rex volens eum occultè, ob Reginæ famam, de medio tollere, ſecretò præcepit miniſtris calcariæ fornacis, vt quem primum manè ad fornacem miſiſſet, cum nuncio, vt exequerentur quæ Rex imperauerat, in ignem immitterent. quod ſe facturos ſuſceperunt. Miſit Rex modeſtum illum adoleſcentem cum doloſo mandato; ſed cùm ſoleret quotidie ſacrum audire, ingreſſus antea Eccleſiam Miſſam audiuit; interim æmulus miſſus a Rege, ipſomet inſtante, vt videret, an iam adoleſcens conſumptus eſſet, præueniens aduentum eius à miniſtris fornacis in ignem coniectus eſt, & extinctus, incolume modeſto ob ſacrum auditum, & in priſtinam Regis gratiam reſtituto, illius innocentia cognita, & æmuli nequitia patefacta, vt docent Martinus Polonus Ordinis S. Dominici *in promtuario exemplorum, c.*18. Bernardinus Buſtus 2.*p. Roſarij, ſer.*23. Io. Herolt, vocatus Diſcipulus *ſer.*48. *de Sanctis*, Ludouicus Granata 2.*q. Catechiſmi. c.*27.§.10. Nec mirum adſtantes ſacrificio euangelico, & ſpiritualibus, & temporalibus bonis cumulari, duplici ex capite, nempe & ob ſacrificium ipſum rem planè omnium maximam, & ob preces Eccleſiæ, quippe quæ ſit dilectiſſima Chriſti Domini ſponſa, in collectis & canone id quotidie depoſcentis. Laudatur à D. Aug. *lib.*9. *Conf. c.*13. ſancta Monica quòd quotidie Miſſam audiret, vt etiam S. Thomas facere conſueuit, ex Surio *in illius vita.* vt clericis præceptum eſt in Concilio Tolet. I. *c.*5. Non vnius tantum contentus fuit ſingulis diebus Lotharius Imperator; ſed ſiue in pace degeret, ſiue in bello ageret, ternas Miſſas audiebat quotidie, vt teſtatur Carolus Sigonius *lib.*11. *de regno Italiæ*. Egimus hactenus *in primo libro*, de re, quæ in hoc ſacrificio offertur, & *in* 2. de eo cui ipſum ſacrificium immolatur, iis pro quibus offerri ritè poteſt, ac denique offerentibus, adiunctis etiam conditionibus, quibus id faciendum eſt, & eidem adſtandum: iam deinceps de ſingulis Liturgiæ partibus ſeu ritu huius ſacrificij in particulari diſputaturi, Deo diuiſque omnibus beneiuuantibus.

DE

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

LIBER TERTIVS.

EXPEDITIS in prioribus libris iis, quæ in communi de ſacroſancto Miſſæ ſacrificio explicanda videbantur; reliquum eſt, vt in ſequentibus de ſingulis ſacræ Liturgiæ partibus, ſeu ritu eius, diſputemus. Notauit autem Iſidorus *lib.1.de off.* Remigius *lib.1.de Miſſæ off.* & Hugo de S.Victore *lib.2. de ſacram.* cùm antea Apoſtoli verbis conſecrationis orationem tantùm dominicam adhiberent, vt ſcribit D.Gregorius *lib.7. regiſtri, epiſt.* 63. Io. Belethus *c.* 98. Gabriel *lect.5. in can.* & Turrecremata *can. Iacobus de conſecr. d.*1. D. Petrum omnium primum Miſſæ ordinem & Liturgiam inſtituiſſe, quem ſequutus eſt S.Iacobus, & S.Marcus in ſuis. multáque habentur apud D.Petri diſcipulum, S.Clementem *lib.2. conſtit.c.39. & alibi* & D.Dionyſium *lib. de eccl.Hier.c.3.* Vnde optimo iure dixit Vigilius *epiſt.ad Eucherium*, & Concilium Tridentinum *ſeſſ.22.c.5.* ex Apoſtolica diſciplina, & traditione huiuſmodi ſacras cæremonias manaſſe. quamquam ſucceſſu temporis aliqua rationabiliter ſint à ſanctis Pontificibus addita, vt ſuis locis patebit.

De Miſſæ definitione, & partibus. CAP. I.

SVMMARIVM.

1. *Affertur breuis Miſſæ definitio.*
2. *Et diuiſiones eiuſdem ponuntur.*

1. CVm igitur de ſingulis ſacræ Liturgiæ partibus diſſerendum ſit, illud primum ſtatuendum eſt, ex communi ſententia, Miſſam actionem eſſe ſacerdotis, qua ex inſtitutione Chriſti, in eius paſſionis memoriam, panis & vinum in eiuſdem corpus & ſanguinem conuertuntur, & illa ſub iiſdem ſpeciebus Deo pro viuis & defunctis offeruntur, & conſumuntur. qua de re Valentia *lib. 1. de Miſſa,* Toletus *in inſt.1.* Viguerius *de ſacramento Euchariſtiæ verſu* 11. Emanuel Rodericus *tom.1.q.43.art.1.* & conſtat ex diſputatis *lib.1.c.3.*

Quoad partes eius D.Auguſtinus *ep.59. q.5. ad Paulinum.* Ambroſius *lib.6. de ſacramentis. c.vltimo.* Io. Beleth *c.34.* cæteríque exiſtimantes D.Paulum 1.*ad Timoth.* 2. verbis illis, *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus.* intelligere in ſacrificio, Miſſam in quatuor partes diſtinguunt: in obſecrationem videlicet, quæ complectatur præcedentia ſacrificium; orationem, quæ ab initio Canonis producatur vſque ad orationem dominicam incluſiuè; poſtulationem ſeu interpellationem, in qua conſummatur ſacrificium, quod in ſecunda parte conſecratum & oblatum fuit; & gratiarum actionem, à communione vſque ad finem totius actionis. Sed Scholaſtici Theologi, vt S.Thom. *3.p.q.84. art.4.& 4.d.8.* Sotus *4.d.13.q.2.art.4.* & alij communiter, in tres tantùm diuidunt partes. Prima eſt ab initio vſque ad offertorium, & dicitur Miſſa Catechumenorum, continens Anteintroitum ſeu præparationem; Introitum, Collectas, quas aliqui Introitus partem conſtituunt, Inſtructionem populi in rebus fidei, quæ diſpoſitiuè fit per lectionem Prophetarum, & Apoſtolorum, cùm eos Dominus ante promulgationem Euangelij, binos miſerit prædicare, præceditque Propheta non dignitate, ſed quòd antiquitate prior fuerit prædicatione Apoſtolorum, perfectè verò per Chriſti doctrinam, quæ Euangelio continetur. Inter quas aſcendente Diacono ſuggeſti gradus ad Euangelium alta voce annunciandum, interponitur, ne tempus otioſe fluat, Graduale, cum aliis ſimilibus verſiculis, aut etiam rhythmis; addito in feſtis maioribus Symbolo deſignante fidem, quæ Euangelij prædicationem, in toto terrarum orbe conſequuta eſt. Altera continet ſacrificium, & bipartita eſt, prior pars à Græcis Anaphora dicitur, ab Offertorio vſque ad Canonem, & eſt præparatio ſacrificij offerendi conſtans Offertorio, orationibus pro oblatione materiæ conſecrandæ, ablutione manuum, & Pſalmo, *Lauabo*, nouáque ſupplicatione, vt ſacrificium noſtrum cœlitibus placeat. ad hoc idem petitis adſtantium precibus, ſecretíſque collectis; quibus abſolutis ſubditur præfatio ſeu prolocutio præcedens ſacrificium; qua monetur populus, vt ſurſum corda eleuet, dignáſque Deo agat gratias, addito hymno Cherubico. Poſterior verò complectitur Canonem, orationem Dominicam, & reliqua vſque ad Poſtcommunionem, éſtque præcipua; cùm in ea ſacrificium fiat, Deo offeratur, & conſumatur. Tertia denique pars poſita eſt in gratiarum actione, a communione vſque ad finem. ſicut etiam Chriſtus Dominus poſt cœnam hymnum recitauit. Sed iam ſingulas explicemus initio facto ab Anteintroitu, ſeu præparatione.

De acceſſu Sacerdotis ad altare. Cap. II.

SVMMARIVM.

1. *Sacram Liturgiam plenam eſſe myſticis ſymbolis, quibus & tanti ſacrificij maieſtas commendatur, & fideles ad rerum altiſſimarum contemplationem excitantur.*
2. *Quid myſticè ſignificet ſacerdotis ritè parati egreſſus è ſacrario, & acceſſus ad altare, quid liber clauſus, quid cerei accenſi, thuribulum, & miniſtri præcedentes.*

TOtam Eccleſiæ catholicæ Liturgiam plenam eſſe myſticis ſymbolis, is facile cognoſcet, qui legerit D.Dionyſium Areopagitam *lib.de eccl. Hier.c.3.p.2.* 1.

Cyrillum

Cyrillum Hieroſolymitanum *catecheſi myſtag.5.* Proclum Patriarcham Conſtantinopolitanum *lib. de tradit. diuinæ Liturgiæ*, S. Germanum item Conſtantinopolitanum Patriarcham *in theoria rerum eccleſiaſticarum*, S. Maximum Dionyſij Areopagitæ Scholiaſtem, in eccleſiaſtica myſtagogia, Remigium Epiſcopum Antiſiodorenſem, Amalarium, VValfridum, Micrologum, Bernonem Augenſem, Iſidorum, Petrum Damiani *lib. de Dominus vobiſcum, c.17.* Rupertum, Abbatem, Hugonem de S. Victore, Innocentium III. & alios, qui de Miſſæ myſteriis officiíſque eccleſiaſticis, tractarunt. Qua in re illud vnum ſpectauit Eccleſia catholica, vt his viſibilibus fidelium mentes erigeret ad ſummam tanti myſterij excellentiam intelligendam; vt verbis illis docuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. c.5.* *Ceremonias item adhibuit* [Eccleſia] *myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliáque id genus multa, ex Apoſtolica diſciplina, & traditione, quo & maieſtas tanti ſacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis & pietatis ſigna, ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem, excitarentur.* Non diſſimilia habentur in Concilio Colonienſi anni 1536. *part.7.c.25.* & in Catechiſmo Romano *cap. de Euchariſtia, in fine.*

2. Illud igitur primùm hoc loco quærimus, an præter phyſicam neceſſitatem, quâ agens debet eſſe in conuenienti propinquitate, vt poſſit in paſſum agere, vt recte docuit Ariſtoteles *lib.1. de gen.t.43. & ſeq.* Et ideo etiam ſacerdos proximus altari, in quo ſunt peragenda myſteria, ſacerdos iam neceſſaria confeſſione & meditatione, ſi opus fuit, paratus, & lotus manibus, vt ſacrificaturum decet, vt de Aarone conſtat *Leuit.8. & Exod.30.* & teſtatur de hoc eodem ſacrificio Innoc. *lib. 4. c.49.* qua de re nobis agendum erit *lib.4. c.2.* ſacríſque veſtibus indutus, è ſacriſtia egrediens, & accedens ad altare, myſterium aliquod innuat? Reſpondemus, myſterium ſanè huiuſmodi egreſſum & acceſſum continere. ſignificat enim Chriſtum Dominum Sacerdotem magnum ſecundùm ordinem Melchiſedech, & Gentium expectationem carne ex Virgine aſſumta, de ſecreto cœlorum habitaculo, ac vtero matris egreſſum, tamquam ſponſum de thalamo, in hanc vitam veniſſe, ſeipſum Deo Patri ſacrificium in odorem ſuauitatis immolaturum, ex S. Germano *in Theoria*, S. Maximo *in Myſtagogia, c.9.* Anaſtaſio Epiſcopo Nicæno *in qq. in Scripturam, cap. cuiuſnam typum & figuram habeat Eccleſia.* Remigio *in expoſit. Miſſæ*, Hildeberto cùm canit:

Interea veniens in ſacra veſte ſacerdos,
Altaris dextram, dona daturus, adit.
Illius aduentus, quibus ô Iudæa reuiſit
Te tuus Emanuel, tempora plena notat.

Ruperto *lib.1. off. c.28.* Hugone de S. Victore *lib. ſpeculi eccl. c.7. & lib.2. off. eccl. c.14.* Iuone Carnotenſi *lib. de conuenientia noui & veteris ſacrificij*; Innocentio III. *lib. 2. c.18.* Durando *in Rationali, lib.4. c.6.* Gabriele *in can. lect.15.* Vt etiam indicat clauſus Liturgiæ liber, qui præfertur. nam antequam agnus occiſus aperuiſſet ſeptem ſignacula; ſacramentum paſſionis eius, in lege clauſum erat. Miniſter præcedens, præcurſorem Domini S. Io. Baptiſtam denotat, ex citatis; Ceroferarij in Miſſis celebrioribus cum cereis ardentibus, præſeferunt gaudium, quod mundo effulſit in ortu Saluatoris, iuxta illud Angeli *Lucæ 2. Annuncio vobis gaudium magnum*, vt docet Rupertus. Thuribulum Chriſti humanitatem, cum incluſo igne diuinitatis, ex S. Germano, & D. Auguſtino *Hom. 6. in Apoc. & ſerm. 98.* vnde emanat ſeptiformis Spiritus ſancti gratiæ, & bonorum operum odor, atque fragrantia. Denique Subdiaconus cum libro, & Diaconus lecturus

vtriuſque Teſtamenti prædicatores exprimunt. Et quidem lex prior eſt tempore, ſed dignitate poſterior Euangelio, vt explicat Hugo de S. Victore *lib.2.off.c.14.* Incedit autem ſacerdos ſecum tacitus Pſalmum quinquageſimum recitans, ad mentis euagationem auertendam, & cordis compunctionem in tanto myſterio celebrando, excitandam.

De Sacerdotis inclinatione ad gradus altaris, & adoratione ſacrarum imaginum. CAP. III.

SVMMARIVM.

1. *Crucis vſus in altari, in quo celebrandum eſt, perantiquus & retinendus.*
2. *Corporis inclinatio reuerentia & venerationis ſignum eſſe.*
3. *Adorationem notam eſſe ſubmiſſionis, & honoris, & quomodo ab eo diſtinguatur.*
4. *Quotuplex ſit adoratio.*
5. *Num licitus ſit ſacrarum imaginum vſus.*
6. *An collocandæ in templis.*
7. *Num eædem cenſendæ ſint dignæ veneratione.*
8. *Et quomodo venerandæ.*
9. *Qualéſque pingendæ.*

SAcerdos, cùm ad altaris, in quo ſacra facturus eſt, gradus ſeu crepidinem 1. acceſſerit, ſe reuerenter inclinat; vt ſcilicet, imagini Crucifixi, ac Sanctorum debitum cultum exhibeat; vel etiam genu flectit, ſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum adeſt, vt conuenienti veneratione vniuerſorum Dominum adoret. Porrò vti Eccleſia ſine cruce ſtare non poteſt, vt dixit S. Ambroſius *ſer.56.* vnde etiam domus & delubra Gentilium Chriſtiano cultui mancipabantur vexillo crucis ibi collocato *l. vltima, de paganis, in Cod. Theodoſiano,* & Baronio *in Martyrol. die 26. Iulij*, ita neque altare. Idque veteri conſuetudine vt facile cognoſci poteſt, *ex can.3.* Concilij Turonenſis II. celebrati anno 570. vbi præcipitur corpus Domini in altari ſub crucis titulo reponendum, Sozomeno *lib.2.c.2.* Tripartita *lib.2. c.19.* Amalario *lib.1. de off. eccl. c.14.* & Niceta, qui Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolitani vitam ſcripſit, dum de illius obitu agit. idémque vſus diuinitus comprobatus eſt. Cum enim Presbyter captiuus ſine cruce celebrare non auderet, Carauacenſis crux ſuper altare ab Angelis eſt allata. vt refert Alph. Ciaconius *lib. de ſignis crucis c.35.* & Iacobus Gretſerus *in opere de cruce.* quare idem mos omnino ſeruandus eſt: vt etiam in rubricis Miſſalis docetur. ſentit tamen Suarez *diſp.81. ſect.6.* ſi abſque cruce celebraretur, ſecluſo contemtu, non cenſendum peccatum mortale.

Inclinationem verò corporis venerationis & reuerentiæ ſignum eſſe con- 2.
Vide lib. 3. c.7. & 18. ſtat, tum ex diuinis litteris *Gen.c.17.19.24.* Eſther *cap.3. Pſ.94. lib.1. Reg.c.24. lib.3. c.1. & 19 lib.1. Paralip.c.29. Danielis c.6. ad Philip.2. Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* & *Apoc.5. Et vigintiquatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt viuentem in ſecula ſeculorum.* Tum ex Patribus, S. Gaudentio *ſer.9.* Macario *Hom.8. & 15.* Cæſario Arelatenſi *Hom.34.* Chryſoſtomo *Hom. 7. & 52. in Matth.* Hieronymo *in cap.3. epiſt. ad Epheſios*, Auguſtino *in Pſ.43.* Arnobio *lib.7.* S. Thoma, vt alios omittam, *in epiſt. ad Epheſ. cap.3. & 2.2.q.103. art.1.*

tum

tum ex profanis, vt Homero *lib.5. Odiſſ.lib.7. & 9.Iliad.* Ariſtotele *lib.1. Rhet.c.5* Q. Curtio *lib.4.* Horatio *lib.1. epiſt.12.* Herodoto *lib. 2.* Plutarcho *in Pompeio Liuio, lib.30.* Arriano *lib.5.de reb. Alexandri.* Suetonio *in Vitelio,c.2.* Ammiano Marcellino *lib.18.* Eſt autem inclinatio reuerentiæ ſignum, triplex, vt recte obſeruauit P. Martinus del Rio *in c.49. Geneſeos,*nempe capitis ſeu faciei demiſſio, genuflexio, & proſtratio totius corporis. Illud verò communiter ſeruatur,vt cùm hominibus genuflexio fit (ſi ſummum Pontificem Dei vicarium excipias) vno fiat genu, cùm verò fit Deo, vtroque: vt conſtat de Salomone *lib. 3. Reg.*8. de D. Petro, Paulo, Stephano aliiſque fidelibus, *Act.7. quæſt.*20.21. cum enim humana natura nihil habeat condignum Deo, quo eius excellentiam proteſtetur, cogitur ad obſequia diuinæ naturæ transferre ea honoris ſigna, quæ inuicem exhibemus, fatentes nos humiliores eſſe reſpectu excellentiæ proximi, vt docet Nyſſenus apud D. Thom. *in catena Lucæ* 22. videatur ad hoc idem Corduba *lib.1. quæſt.5. dub. 6.* Et quia de ſacroſanctæ Euchariſtiæ adoratione nobis agendum erit *lib. 4. c.11.* hîc tantùm de cultu imaginum ſacrarum pauca perſtringemus; vt Caluini *in inſtit. lib.1.c.11.& lib.4.c.9.*Lutheri, aliorúmque Nouatorum, qui vetus, & laudabile Eccleſiæ catholicæ inſtitutum in colendis imaginibus reprehendere ſunt auſi,audaciam reprimamus.

3. Illud verò primo loco ſtatuendum eſt, adorationem, vt definit Damaſcenus *lib 1. de imaginibus, & lib. 1. Apol.* eſſe ſubmiſſionis & honoris notam. is enim alium adorare dicitur, qui ſe alteri tamquam ſuperiori, & excellentiori ſubmittens, illum honorat. Quare cùm adoratio ſit ad alterum, debitum honoris cultum iuxta propriam conditionem illi reddens, ad iuſtitiam pertinebit; vt obſeruantia, pietas, religio, & obedientia, quæ à D. Thoma 2. 2. *quæſt.*80.& deinceps,partes potentiales iuſtitiæ dicuntur.Honor autem,& adoratio,etſi vſu loquendi indifferenter accipiantur, in aliquo tamen differunt: honor enim, qui nihil eſt aliud quàm teſtimonium excellentiæ, & bonitatis alterius, vt colligitur ex Ariſtotele *lib. 8. Eth. c.8.* & S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 103. *art.*2. latius patet, quàm adoratio, ex S. Thom. *ibid.* cùm honor eſſe poſſit inter æquales; quòd non tantùm ſuperiores, ſed etiam æquales & inferiores honoremus; adoratio verò ſibi ſuperiorem & excellentiorem reſpicit. vnde S. Auguſtinus *lib. contra ſr. Arianorum*, c.23. ait: *Honorat enim omnis, qui adorat, non autem adorat omnis, qui honorat.* nam & fratres ſecundùm Apoſtolum inuicem ſe honore præueniunt; nec tamen inuicem adorant. ob id ſe habent vt genus & ſpecies, cùm adoratio ſit veluti emphaſis, ſeu excellentia honoris, ex Anaſtaſio Epiſcopo Theopoleos *in ſeptima Synodo act.*4. Eadem ratio eſt de adoratione ac veneratione, & cultu, cum hæc coincidant cum honore.eo quod adoratio ſit venerationis & cultus eminentia, ſeu veneratio & cultus cum ſubmiſſione,vt colligimus ex D. Auguſt.*lib.10.de Ciu.c.4.*

4. Porro quia adoratio habet pro obiecto excellentiam alterius, pro diuerſitate excellentiæ, varia etiam conſtituuntur adoratio, vt colligimus ex D. Auguſtino *lib. [illegible] . de Ciuit.c.1. & 4. lib.1. de Trinit.c.6. lib.20. contra Fauſtum,c.21.* Iſidor. *lib. 8. Etym.c.vltimo.* S.Thom. 2. 2. *quæſt.*103. *art.*3.& 4. Beda *in c.4. Lucæ,* Iona Aurelianenſi *lib.1. de imag.* & fere tota ſeptima Synodo. Quia igitur excellentia alia eſt increata,alia creata. & huius quædam eſt eminentiſſima,qualis eſt creaturæ, quæ habet ſpecialem affinitatem ad Deum,vt B.Virgo,quatenus eſt mater Dei; quædam autem inferior, vt aliorum beatorum; ideo etiam triplex ex Theologorum ſententia conſtituitur adoratio:quarum vna dicitur Latria,quæ propria

eſt

eſt Dei, qua illi nos ſubiicimus, vt ſupremo omnium Domino, in eo ſpem &
fiduciam noſtram collocantes; in qua ſola ſignificatione per antonomaſiam
adorationem ſumſit D. Hieronymus *epiſt. 3. ad Riparium*, & Auguſtinus *lib. de*
vera & falſa relig. c.55. cùm aſſerunt ſolum Deum eſſe adorandum. cùm tamen
reperiamus in ſacris Scripturis ſæpe etiam homines adoratos, vt ex locis cita-
tis initio *num.* 2. conſtat. Altera dicitur Hyperdulia, quaſi quidam cultus exi-
mius inter eos, qui Sanctis cum Chriſto regnantibus debentur. Tertia dicitur
Dulia, quæ reliquis Sanctis, & creaturis excellentibus debetur. etſi aliquando
Duliæ nomen, non ſolùm hunc, ſed etiam ſuperiorem cultum Hyperduliæ
complectatur, vt colligimus ex D. Auguſtino *ſerm.7. ad fratres in Eremo,lib.*10.*de*
*Ciu.c.*1. S.Thom. 2.2.*quæſt.*103. *art.*4. & Theologis 3.*d.*9. vnaquæque autem ha-
rum adorationum, & interior eſſe poteſt, & exterior. Denique aliquid adora-
ri poteſt vel per ſe, ſeu abſolutè nulla habita relatione ad aliud propter quod
adoretur; ſed tantùm ob intrinſecam ſuam excellentiam; vt, v. g. cùm Regem
adoras: vel propter aliud, ad quod habitudinem & coniunctionem habet, ſeu
relatiuè ad aliud. ita vt honor illi exhibitus non ſiſtat in eo, ſed redundet in
perſonam, v. g. propter quam exhibetur, vt ex Leontio *in ſeptima Synodo*,& Na-
zianzeno *ſer. pacif.* 3, cùm Iacob veſtem Ioſeph ſanguine conſperſam cum la-
crymis oſculatus eſt, id haud fecit honorando ipſam veſtem, aut eam diligen-
do, ſed per eam Ioſeph filium, qui ea amiciebatur,arbitratus eſt oſculari. Qui-
bus conſtitutis illud primum quærimus,

An ſit licitus ſacrarum imaginum vſus? Improbatus eſt imaginum ſacrarum 5.
vſus ſæpe ab Eccleſiæ hoſtibus. Iudæi enim & Saraceni, ex S.Germano *in epiſt.*
ad Thomam Claudiopolitanum Epiſcopum, Theophane *in annalibus* in Leone Iſauro
anno 8. nempe 723. quo incepit hæc hæreſis, & ſeq. Concilio Nicæno II. *act.*5.
Conſtantino Manaſſe Græco autore, & Damaſceno *in actis Stephani iunioris, &*
ſociorum Martyrum, Manichæi, & Marcioniſtæ, ex Tharaſio in eadem Synodo,
quæ eſt ſeptima generalis, *act.*1.*&* 5.Xeneus,ſeu vt vocatur à Nicephoro *lib.*16.
*c.*27. Xenaias,Seuerus,Petrus Fullo ex eadem Synodo ſeptima,*act.*5.*&* 6. Clau-
dius Epiſcopus Taurinenſis, ex Iona Aurelianenſi *lib.de cultu imaginum*,& VVal-
frido *lib. de rebus eccleſiaſt.c.*8.Io.Vuiclefus,ex Concil. Conſtantienſi *ſeſſ.*15. eiuſ-
que diſcipulus Hieronymus de Praga, Lutherus, & Caluinus ex Cocleo, Lin-
dano, VValdenſi, & aliis. Et inter Imperatores Iulianus Apoſtata ex Cyrillo
Alexandrino *lib.*6. *contra eundem,* & Sozomeno *lib.*5.*c.*20. Leo Iſauricus, eiúſque
filius Conſtantinus Copronymus, ex Theophane, Leo Armenus ex Michaële
Studita *in vita Theodori Studitæ*, Michaël Balbus, & Theophilus ex Curopalata,
Zonara, & Cedreno *in eorum vitis*, & cæteri Iconomachi bellum contra ſacras
imagines, tamquam contra idola mouerunt, eáſque deiecerunt, & fregerunt.
quorum errorem Eccleſia catholica ſemper damnauit: vnde Patres in II. Con-
cilio Nicæno exclamant *act.*7. *Omnes ſic credimus, omnes idem ſapimus, omnes appro-*
bantes ſubſcripſimus. Hæc eſt fides Apoſtolorum, hæc eſt fides Orthodoxorum, hæc fides or-
bem terrarum confirmauit. Credimus in unum Deum in Trinitate laudatum, venerandas
imagines amplexamur qui ſecus agunt anathemate percellimtor. Neque ſane diffici-
1. le eſt Iconomachorum impietatem refellere. Primò quidem quòd ipſemet
Deus, vt notauit Adrianus I. *epiſtola ad Imperatores, quæ refertur ſeptima Synodo.*
*act.*2. viuam ſpirantémque ſui imaginem,hominem ſcilicet fecerit *Gen.*1.*&* 5.*&*
*Sap.*2.& imagines duas Cherubim aureas arte ſculptas obumbrantes Propitia-
torium fieri iuſſerit *Exod. c.*25.quod Athanaſius *in ſer.de SS. Patribus,& Prophetis,*
& Eccleſia,

& Eccleſia, dicit ſactum ad præfigurandas Chriſti imagines: & templum quod
Ezechieli oſtendit *c.* 40. *&* 41. imaginibus palmarum, leonum, hominum, &
Cherubim ornatum legimus. Approbarítque Salomonis templum, in quo mul-
tæ imagines, tum plantarum, tum ferarum, tum hominum & Cherubim ex
ligno & metallo viſebantur, *lib.* 3. *Reg. c.* 6. vt in defenſione imaginum diſputat
etiam Leontius *lib.* 5. *contra Iudæos*, vt videre eſt in ſeptima Synodo citata *act.* 4.
Deinde verò quia Chriſtus Dominus etiam ſui ipſius imaginem, non pictoris 2.
manu formatam, ſed diuina ſua virtute in linteolo impreſſam ad Abagarum
Edeſſæ Principem miſit, vt teſtes locupletes ſunt Gregorius II. *epiſt.* 1 *ad Leonem
Iſaurum*, quam Ducæus Fronto Societatis Ieſu è Græco tranſtulit, & meminit
Baronius *in annum* 726. Damaſcenus *lib.* 4. *de fide*, *c.* 17. *& orat.* 2. *de imaginibus.*
Euagrius *lib.* 4. *c.* 26. referens aquâ, qua imago illa fuerat reſperſa, in lignorum
ſtruem & rogum iniectâ conflagraſſe aggerem Coſdroë obſidentis Edeſſam
anno 545. quod antea nulla vi fieri potuerat. vt etiam eadem in exercitu Phi-
lippici ducta anno 589. ingens de Perſis victoria reportata eſt, ex Cedreno in
Mauritio & Theophane *in annalibus.* idémque accidit anno 621. Heraclio Im-
peratori, contra Perſas bellum gerenti eadem ſacra imagine præcedente exer-
citum, ex Theophane, Cèdreno, & Zonara anno 12. Heraclij. Ioannes Curo-
palata in Theophilo, Theophanes Archiepiſcopus Tauromeniæ in Sicilia,
Hom. 37. quæ eſt de reſtitutione imaginum, Nicephorus *lib.* 2. *c.* 7. Adrianus I.
lib. de imaginibus, *reſpon. c.* 18. Conſtantinus Porphyrogenetus *in orat. hac de re*,
apud Metaphraſtem die 20. Auguſti, & apud Surium S. Germanus *in actis S.
Stephani & ſociorum martyrum*, Theodorus Patriarcha Hieroſolymitanus *epiſto-
la ad Paulum Pontificem Rom.* lecta in Concil. Romano ſub Stephano Papa IV.
Concil. II. Nicænum cit. *act.* 5. Michaël Studita, qui res geſtas Theodori Studi-
tæ magiſtri ſui ſcripſit, Iuo Carnutenſis *in decretis*, *p.* 4. *c.* 83. vt etiam alteram
impreſſit in velo Veronicæ, quæ Romæ adſeruatur, cuius meminit Methodius
apud Marianum Scotum *in Chronico anni* 39. Albericus *in ſuo dictionario*, *v. Imago*,
affirmans ſe eam vidiſſe anno 1350. & extat hiſtoria eiuſdem aduectæ Romam,
ſub Tiberio manu ſcripta in Bibliotheca Vaticana, & alteram poſt obitum in
ſyndone qua inuolutus iacuit in ſepulcro, anteriorem poſteriorémque ſui par-
tem referentem reliquit quæ Taurini ſumma cum veneratione viſitur ab in-
cendio miraculo præſeruata. Tertiò quia Apoſtoli à Chriſto Domino edocti ad 3.
abolendum idolorum cultum, decretum pro ſacris imaginibus, vt nota-
uit Franciſcus Turrianus *lib.* 1. *pro can. Apoſtol. c.* 25. Franciſcus Feuardenſius
in lib. 1. *Irenæi*, *c.* 24. & Baronius *in annum Chriſti* 57. fecerunt in Synodo An-
tiochena, his verbis: *Non debent ſaluati decipi circa idola, ſed loco eorum incon-
taminatas veri Dei, ſimul & hominis, Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ſeruorúmque
eius manibus efformatas imagines contra idola & Iudæos erigere.* Cuius etiam ca-
nonis mentionem fecit Gregorius Peſſinuntis Epiſcopus in ſeptima Syno-
do *act.* 1. etſi editione Latina non referatur ad amuſſim. Citat etiam Theo-
dorus Studita *lib.* 2. *epiſtola* 4. dum etiam ipſe pro imaginum defenſione
in exilium actus eſſet anno 814. ea diui Petri Apoſtoli verba, ex actis ſan-
cti Pancratij Martyris: *Fili Ioſeph, adfer imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti, &
imprime illam in Pyrgiſco, vt videat populus qualem formam ſumſerit Dei filius, &
videntes amplius credant formæ typum intuentes, & reminiſcantur eorum, quæ per nos
eis annunciata ſunt.* Conſtat ex publicis conſignatis litteris Fratris Georgij Te-
muti Dominicani, Epiſcopi Cocinenſis ſeriem facti teſtantibus, tranſmiſſis

anno 1562. in Europam, & ex Hieronymo Oſorio Epiſcopo Siluenſi *lib.* 3. *hiſt.* Io. Petro Maffeo *lib.* 12. Baronio *in annum Chriſti* 57. & Ioanne Lucena *lib.* 3. *c.* 5. *vita P. Fr. Xauerij*, ante annos circiter 50. Maliapuræ. vbi S. Thomas mactatus, pro Chriſto martyr occubuit, effoſſam marmoream tabulam cum cruce, circulo item lapideo incluſa; inter cuius adorationem, vt guttæ ipſæ ſanguinis nedum litteræ inſculptæ adhuc teſtantur, haſta transfixus Apoſtolus cecidit; eáque in ſacello extructo conſtituta, euidenti miraculo crucis venerationem auctam. Tribus enim ante natalem Apoſtoli diebus, nempe die 18. Decembris, quo eiusdies feſtus ibi agitur, ſacerdote rem diuinam faciente, vt legi cœptum eſt Euangelium, vniuerſo populo inſpectante crux candida, nigris maculis, attamen ſplendidis, infici cœpit, donec tandem aliis atque aliis ſubeuntibus tota nigreſceret. Interim modicis primùm guttis, largo deinde ſudore manauit; admotaque linteola tincta ſunt ſanguine, ſacrificio peracto, rediit natiuus color. Idémque miraculum ſingulis ferme annis renouatur eodem die, eodémque & ſacrificij & Euangelij tempore. Nicodemus quoque Chriſti diſcipulus Saluatoris noſtri imaginem pinxit, quæ deinde Beryti à Iudæis transfixa plurimùm ſanguinis effudit, ex Athanaſio *ſer. de paſſione imaginis*, relato Synodo VII. *act.* 4. & à Greg. Turonenſi *lib.* 1. *de miraculis*, *c.* 22. Caniſ. *lib.* 5. *de B. Virg.* Hæmoroïſſam etiam à Chriſto ſanatam, poſuiſſe æneam ſtatuam, atque ad eius fimbriam enatam herbam morbos omnes curantem, ſcripſerunt Euſebius *lib.* 7. *hiſt. c.* 14. Nicephorus *lib.* 10. *c.* 15. Caſſiodorus *lib.* 6. *Trip. c.* 41. Sozomenus *lib.* 5. *c.* 20. Greg. Turonenſis *lib.* 1. *de miraculis*, *c.* 21. Metaphraſtres die 28. Octob. in actis Artemij martyris *c.* 3c. Gregor. II. *ep.* 4. *ad S. Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum.* Damaſcenus *orat.* 3. *de imaginibus*, Antipater Boſtrorum Epiſcopus relatus Synodo VII. *act.* 2. Theophanes Archiepiſcopus Tauromeniæ in Sicilia *Hom.* 37. quæ eſt de reſtitutione imaginum, & Theophylact. *in c.* 9. *Matth.* Denique D. Lucam imagines Chriſti & B. Virginis formaſſe, docet S. Germanus apud Damaſcenum *in actis Stephani & ſociorum Martyrum*, Theodorus Studita apud Michaëlem Studitam eius acta ſcribentem, Io. Curopalata *in Theophilo*, Metaphraſtes *in vita S. Lucæ*, Niceph. *lib.* 2. *c.* 43. *lib.* 6. *c.* 16. *lib.* 14. *c.* 2. S. Thom. 3. *ſent. d.* 9. *q.* 2. Et ex eis vnam dono dedit Eudocia, ſanctæ Pulcheriæ, quæ ei nobile ædificauit templum, vt teſtis eſt Nicephorus *lib.* 14. *c.* 2. & Theodotus Lector *lib.* 1. *Collectaneorum.* Apoſtolorum Petri & Pauli iconas factas ab eodem D. Luca, & aliis, conſtat ex eodem Niceph. *lib.* 1. *c.* 43. *lib.* 2. *c.* 37. *lib.* 6. *c.* 15. earúmque meminit Euſebius *lib.* 7. *hiſt. c.* 14. illaſque fuiſſe antiquas dicit, & Adrianus I. *in ep. ad Imper. in Synodo VII. act.* 2. referens imagines illorum oſtenſas Conſtantino Imperatori a S. Sylueſtro. quod etiam teſtatur Conſtantinus ipſe in edicto, quod habetur *tom.* 1. *Conciliorum.* Quare rectè S. Germanus *in actis Stephani Iunioris apud Damaſcenum*, Euthymius Sardenſium Epiſcopus, Epiphanius & alij Patres *in VII. Synodo, act.* 2. 3. 7. Damaſcen. *lib.* 4. *de fid. c.* 17. Baſilius *in Iulianum*, vt citat Adrianus I. *in epiſt. ad Imper.* S. Th. 3. *p. q.* 25. *art.* 3. *ad* 4. Concilium Senonenſe *decreto* 14. Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *decreto de inuocat. venerat. & reliquiis Sanctorum, & ſacris imaginibus*, ſenſerunt vſum imaginum eſſe Apoſtolicam traditionem.
4. Idem probatur quartò ex Patribus, qui ſemper ſacras imagines & receperunt, & commendarunt, vt Angelorum imagines Dionyſius *de cœleſt. hier. c.* 1. *& vltimo*, Nanzianz. *orat.* 23. *Synod. VII. act.* 2. *&* 5. etſi ratiō ibidem allata ex epiſt. Io. Theſſalonicenſis, non ſit omnino ſolida; & fuerunt etiam in Salomonis templo. Tertul. *lib. de pudicitia*, *c.* 7. *&* 10. meminit figuræ Chriſti ferentis ouem in calicibus ſculptæ. Conſtantinus Imperator approbante Sylu. in labro fontis ſui

baptiſmi,argenteas ſtatuas Saluatoris & S. Io.Baptiſtæ poſuit;& in Lateranenſi Eccleſia item Saluatoris & duodecim Apoſtolorum,ac quatuor Angelorum,vt teſtis eſt Damaſus *in Pontificali*,& innuit Adrianus I.*epiſt.citata*.Euſebius *lib.3.& 4. vitæ Conſtantini* ſcribit in Paleſtinæ templis extructis a Conſtantino,fuiſſe multas argenteas & aureas ſtatuas.Athanaſius *ſer.de ſanctis Patribus & Patriarchis & Eccleſia,apud Turrianum lib.4.de dog.charact.*inducit Eccleſiam cum Chriſto conquerentem, quòd ob Paſcha & venerationem imaginis Chriſti oppugnaretur. cui Chriſtus reſpondet : Si propter hoc te oppugnant, ne grauiter feras, neque deſpondeas animum;cùm ſcias,ſi quis Paſcha negat,aut imaginem,me eum negaturum coram Patre meo,& electis Angelis. Baſilius *in ep.ad Iulianum*,vt citatur in Concil. Nicæno II.*act.2.& 4.*ait ſe Apoſtolorum,Prophetarum & Martyrum hiſtorias & imagines honorare,& palam adorare.Et *oratione in 40. Martyres* ſcribit,oratores & pictores egregia Martyrum facta exprimentes, illos verbis, hos coloribus, plures ad imitationem prouocare,quòd,quæ hiſtoriæ ſermo auribus proponit,ea pictura tacens oculis oſtendat.Nyſſenus *orat.44.* ait,picturam Iſaac immolandi à Patre,ſæpius ſibi lacrymas excuſſiſſe.Et *in orat.de S.Theod.*imaginem in pariete tacentem maximè loqui & prodeſſe.Io Chryſ.*Hom.quòd veteris & noui Teſtamenti vnus ſit legiſlator*,& refertur *Synod. VII. act.2. & 6.* & à Theodoro Studita *lib.2. epiſt.*8. dicit, ſe ex cera fuſilem picturam pietate plenam amaſſe. Et in eiuſdem vita legimus habere ſolitum in cubiculo effigiem D.Pauli,in quam ſæpe oculorum aciem intenderet,cùm legeret illius epiſtolas. Et *in encomio Meletij* dicit illius imaginem in annulis,poculis,thalamis,& aliis locis effictam,vt ſanctiſſimi viri forma vbique conſpiceretur;quòd ad pietatem prouocaret.D.Aug. *lib.1.de conſenſu Euang.c.*10. ait Petrum & Paulum vnà cum Chriſto pluribus locis depictos etiam Paganos vidiſſe.Et *lib. 22.contra Fauſtum, c.*73. Abrahæ ſponte filium immolantis nobile factum , tot linguis decantatum, & tot locis pictum, vt aures & oculos diſſimulantium feriret.Cyrus Epiſcopus Smyrnenſium templum Dei Genitrici ædificauit , occaſione illius imaginis , quæ à neſcio quo in cupreſſo abſcondita ſeipſam patefecit,cupreſſo immenſo lumine coruſcante, & quaſi ardente,vt docet Nicephor.*lib.*14.*c.*46.& Baronius *in annum* 446.Symmachus Papa plures Sanctorum imagines ex argento & opere muſiuo in Eccleſiis fecit,vt docet Anaſtaſius Bibliothec.S.Greg.*l b.7.ep.53 ad Secundinum* dicit,imaginem ſacram honorandam,etiam proſtratione ad terram,non tamen vt Deum. & *lib.9.ep.9.* reprehendit Seuerum quòd imagines confregiſſet. Scribit Beda *lib. 1.hiſt. Angl. c.25.* S. Auguſtinum Cantium intraturum ad fidem diſſeminandam Hidelbertho & populo Anglorum , circà anno 593. prætuliſſe crucem & imaginem magni regis Chriſti,more ſolito.Greg.II.*in 2.ep.ad Leonem Iſaurum* ſcribit, neminem ex Chriſti amantibus & religioſis hominibus , abſque imaginibus peregrinatum eſſe.& *ep.1.ad eundem* dicit , ſe ex Eccleſia regredi cum compunctione ob viſas Chriſti paſſionum imagines,& B.Virg.& Angelorum canentium ter ſanctum hymnum.Omitto Prudentium, Paulinum,Damaſcenum,Io.Eucratum *in prato ſpirituali,cap.*45.81.180.& alios citatos,vel inferiùs citandos. Quintò 5.
eadem veritas ſancita eſt in ſacris Conciliis,vt in Synodo Romana ſub Greg.II. anno Domini 726. & citatur ab Adriano *in ep.ad Carolum Magnum*, & à Zonara *in annalibus*. Et iterum in Romana ſub Greg.III.anno 732. In Gentiacenſi anno 766. ex Sigeberto,& Annonio *in annal.Francorum, lib.4.c.*67.In Romana ſub Stephano IV.ab aliis dicto III.anno 769. ex Sigeber. Anaſt. Biblioth.& Adriano I. *lib.de imag.* In Nicæna II.quæ eſt VII. generalis, hac eadem de cauſa congregata

anno 787. In Romana ſub Nicolao anno 863. in Synodo octaua generali, ſeu
Conſtantinopolitana quarta anno 869.*can.*3.& Trid.*ſeſſ.*25. vbi non tantùm ad-
mittit imagines Chriſti,B.Virginis, & Sanctorum,quibus debitum honorem &
venerationem impertiendã dicit,non quòd credatur ineſſe in illis aliqua diuini-
tas,vel virtus propter quam ſint colendæ,vel ab eis aliquid petendum(vti fit ab
Ethnicis)ſed quòd honos,qui eis exhibetur,referatur ad prototypa,quæ illæ re-
præſentant;ita vt per imagines veneremur prototypa:ſed etiam admittit imagi-
gines Dei, præſertim in picturis hiſtoriarum,non quòd diuinitas poſſit propriè
pingi,id enim dicere eſſet extremæ demẽtiæ;quo ſenſu intellexerunt Damaſcen.
*lib.*3.*c.*17.*& orat.*2.*de imag.*Clem.Alex.*lib.*1.*Stromatum*,& Theod.Patriarcha Hiero-
ſolymit.*in VII.Synodo,act.*3.cùm negarunt Deum poſſe pingi;ſed ſolùm metapho-
ricè & per quamdam analogiã,maximè ſub illis formis quibus aliquando appa-
ruit,vt Spiritus ſanctus ſub ſpecie columbæ,vt etiam approbat ſeptima Synodus
*act.*5.Pater æternus ſub ſpecie ſenis , vt apparuit *Danielis c.*7. & exponit D. Aug.
*lib.*2.*de Trin.c.vlt.*vt etiã fit in Angelis,vt ex Dionyſio diximus.In quo non ſolùm
Vuiclef,& Caluinus,ſed etiam ex Catholicis Heruæus *quodlib.*10.*q.*6.Abul.*in c.*4.
*Deut.q.*5.& Dur.3.*d.*9.*q.*2.*ad* 3.decepti ſunt,vt communis Eccleſiæ vſus docet,&
probant VValdenſis *tom.*3.*c.*155. Caiet.3.*p.q.*25. *art.*3. Cather.*opuſc.de ador. imag.*
Didacus Payua *lib.vltimo contra Kemnitium*, Sanderus *lib.*1.*de imag. c.*4. Franc.Tur-
rianus *lib.*4. *de dog. charact.* Si enim ſacra Scriptura Deum myſticè figurat vt ha-
bentem caput, oculos, aures, nares, faciem,os,pedes, ventrem, & humeros, vt
cùm dicit : Oculi Domini ſuper iuſtos;auerte faciem tuam à peccatis meis; au-
res Domini in preces iuſtorum ; ſcapulis ſuis obumbrabit tibi ; ex vtero an-
te luciferum genui te ; quídni etiam poſſit Eccleſia Deum alioquin corpo-
ris expertem accommodatè ad vtilitatem noſtram , delineare , ad exemplum
6. ſacræ Scripturæ. Sextò denique ratione , ſi enim vſus imaginum eſt malus, vel
eſt malus intrinſecè vel extrinſecè.Non primum,tum quia alioquin ars illarum
effectiua eſſet mala, & tamen *Exod.*31.*&* 35.à Deo probata eſt,cùm dederit ſpi-
ritum ſuum & ſapientiam Berſeleel , & Ooliab , & multa pingerent & ſculpe-
rent in ornatum tabernaculi. tum quia multa fuerunt in templo Salomonis
ſculpta , quod tamen à Deo probatum eſt. tum quia maximè iuuant, & intelle-
ctum noſtrum ad res diuinas intelligendas , vt notauit S.Dionyſius *de eccl. hier.*
*c.*1.*& vlt.*Chryſoſt. *Hom.*33.*in Io.* Gregorius II. *ep.*1.*ad Leonem Iſaurum* ; cùm ex
Atiſtotele *lib.*3.*de anima.tit.*30.39.naturalis modus noſter intelligendi ſit per no-
ta , & ſenſibilia. vnde experimur ſublatis externis imaginibus , cùm volumus
concipere Deum , nobis ſpeciem & imaginem aliquam animo fingere. Quare
Damaſcenus *lib.*4.*de fide.c.*17. Gregorius *lib.*9.*regiſtri,epiſtola* 9. Synodus II. Nicæ-
na *act.*6. VValfridus *lib.de rebus Eccl.c.*8. S.Thom. *lib.*3. *ſententiarum* , ſcripſerunt,
imagines illiteratis eſſe vice librorum ; & voluntatem quam promouent ima-
gines ad Sanctorum imitationem,ex eadem Synodo *act.*6.*in fine*,& D.Baſil.*orat.in*
40.*Martyres*,& Damaſceno *loco citato*;& ad amorem,ex D.Greg. *lib.*9. *ep.*9. Greg.
Turonenti *lib.*1.*de mirac.c.*22.Athanaſio *in reſp.q.*39.*ad Antiochum*,Adriano I.*ep.ad*
Imperatores.in II. Synodo Nicæna ; & ad petenda Sanctorum præſidia,ex Theodo-
reto *in vita Simeonis Stylitæ*,& Baſilio *in epiſtola contra Iulianum,in II. Nicæna Synodo*
citata ; & denique memoriam , ex eadem Synodo *act.* 7. in definitione fidei , ad
res præclarè geſtas à Sanctis repetendas , cùm ſint veluti hiſtoriæ. Ideo meritò
Damaſcenus *orat.*2. *pro imaginibus. Imago* (inquit) *triumphus eſt ac iudicium & mo-*
nimentum, quod eorum, qui ſe fortiter ſtrenuéque geſſerunt , victoriæ memoriam, quódque dæ-

monum

monum qui victi profligatique ſunt ignominiam & dedecus teſtatur. Et Baſilius *in oratio-
ne de 40. Martyribus. Quæ,* inquit, *hiſtoria oratione exprimit, hæc tacens pictura per imi-
tationem oſtendit.* Vnde & in Dei Sanctorúmque honorem redundat vſus ima-
ginum, vt docet S. Germanus *in epiſt. ad Io. Synnadôn Metropolitam*, & habetur in
Synodo II. Nicæna *act.* 4. cùm honor imaginis in prototypum referatur, ex ea-
dem Synodo *act.* 3. *&* 7. Synodo VIII. *c.* 3. Synodo Senenſi *decreto* 14. & Trident.
ſeſſ. 25. D. Baſilio *lib. ad Amphylochium de Spiritu ſancto. c.* 18. Leontio *lib.* 5. *contra
Iudæos*, & refertur Synodo VII. *act.* 4. Auguſtino *lib.* 3 *de doctrina Chriſtiana. c.* 9.
Ambroſio *ſer.* 10. *in Pſal.* 118. Theodoro Studita *in orat. de S. Platone, & lib.* 2. *ep.* 1. 8.
11. *& in actis S. Stephani Iunioris,* & Gregorio II. *epiſt.* 4. *ad Germanum.* Non ſecun-
dum, ob præceptum poſitiuum *Exod.* 20. *Deut.* 5. *Leuit.* 26. tum quia ibi ſolùm
prohibentur imagines aduerſantes honori Dei, vt ſunt idola, vt patet ex ver-
borum contextu, & docent Beda *de templo Salom. c.* 19. Ionas Aurelian. *lib.* 1. *de
cultu imag.* Thomas VValdenſis *tom.* 3. *c.* 152. Caiet. *in Exod. c.* 20. Sanderus *lib.* 1. *de
imag. c.* 70. Franciſcus Turrianus *lib.* 4. *de dog. charact.* Pamelius *in annot. in lib.* 2. *Ter-
tulliani aduer. Marcionem, c.* 22. Bellarm. *lib.* 2. *de reliq. Sanct. c.* 7. Valentia *lib.* 1. *de ido-
lol. c.* 4. *&* 5. *& lib.* 2. *c.* 7. non autem omnes prorſus imagines; cùm & Deus ipſe
iuſſerit fieri Cherubinos, & poni in loco orationis, ſeu tabernaculo, & Iudæi
habuerint imagines Cæſaris in nummis. Quare ſicut cùm in quinto præcepto
dicitur: Non occides, iniquam dumtaxat hominis cædem vetari intelligimus.
ita in hoc: Non facies tibi ſculptile, impium tantummodo imaginum vſum
prohiberi cenſendum eſt. Ob id Patres in Synodo II. Nicæna *act.* 4. *& in fine
act.* 5. anathema dixerunt iis, qui ſententias ſanctæ Scripturæ de idolis torquent
ad venerandas imagines. Tum quia ex D. Auguſtino *lib.* 15. *contra Fauſtum. c.* 4. *&*
7. Cypriano *lib.* 3 *ad Quirinum. c.* 59. Irenæo *lib.* 4. *c.* 31. S. Thom. 2. 2. *q.* 122. *art.* 1. *&*
4. omnia præcepta Decalogi præter præceptum Sabbati, pertinent ad legem
naturalem. res autem iure naturali prohibitæ, non ſunt malæ, quia prohibitæ,
ſed prohibitæ, quia malæ: proinde nec à Deo præcipi poſſunt; quare ſi imagi-
nes in primo præcepto prohibitæ, ſunt omnes imagines, & non tantùm idola,
Deus nec Cherubim, nec ſerpentem æneum præcepiſſet. At præcepit: ſignum
eſt igitur non vetuiſſe niſi imagines quæ pro diis colerentur. Quod à Catholi-
cis minimè fit in veneratione ſanctarum imaginum, vt D. Athanaſius *in qq. ad
Antiochum reſpon.* 38. rectè ſcripſit. *Non adoramus* (inquit) *Chriſti imagines tam-
quam deos vt Gentiles: affectum tantùm noſtrum, & ſtudium charitatis noſtræ erga figuram
perſonæ, per imaginem expreſſæ, declaramus. quo fit vt ſæpe lignum, quod priùs erat imago, ſi
figura deleta ſit, tamquam inutile comburamus.* Et Synodus VII. *in fine actionis* 5. *Qui
clamant* (inquit) *Chriſtianos imagines vt deos adorare, anathema.* Videatur etiam Con- 1.
cilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. At dicet Caluinus Concilium Conſtantinopolita-
num V. ex Paulo Diacono *lib.* 21. & Conſtantinopolitanum VI. ex eodem *lib.* 22.
imaginum vſum damnaſſe; & Concil. Francofordienſe anno 794. ex Annonio
in annal. Francor. & Reginone *lib.* 2. reprobaſſe Concil. II. Nicænum, quòd illa-
rum vſum laudauerat. Epiphanium quoque *in epiſt. ad Io. Hieroſolymit.* fateri ſe 2.
velum, quod imaginem quaſi Chriſti, aut ſancti alicuius habebat hominis, de-
pictam in foribus Eccleſiæ contra autoritatem Scripturæ conſcidiſſe. Itémque
Seuerum Epiſcopum Maſſilienſem zelo religionis imagine fregiſſe. Reſponde-
mus Concil. Conſtantinopolit. ſub Leone Iſauro anno 730. non fuiſſe vniuer- *Ad* 1.
ſale; neque adfuiſſe Legatos Papæ, aut reliquorum Patriarcharum Orientis. &
S. Germanũ noluiſſe ſubſcribere; ſed teſte eodem Paulo Diacono *lib.* 21. reſpon-

diſſe, id non licere ſine vniuerſali Synodo. & ob id priuatum Patriarchatu; & colaphis cæſum, ex Damaſceno *orat.* 2. *de imaginibus*, cum aliis eiectum in exilium. Immo videtur fuiſſe conuentus ſecularis, & non eccleſiaſticus; cùm Zonaras *lib.* 3. *annal.* & Cedrenus *in vita Leonis* dicant, in domum quamdam, vbi erat librorum copia, conueniſſe duodecim viros, quos cùm non potuiſſet in hæreſim adducere, eos cum domo combuſſiſſe. & Paulus Diaconus dicit id factum in Tribunali decem & ſeptem cubitorum. Similiter Conſtantinopolit. ſub Copronymo anno 755. fuiſſe particulare, & ſine Legatis Papæ & Patriarcharum Orientis. eiúſque decreta tamquam Pſeudoſynodi ſeptimæ damnari in Synodo II. Nicæna, *act.* 6. Quoad Concilium Francofordienſe anno 794. multæ ambages. & quidem quædam certa ſunt, quædam incerta. Certum eſt primò in Concilio quod habemus nihil de imaginibus reperiri, cùm habeantur tantùm quæ contra Felicem & Eliprandum decreta ſunt, de naturali & diuina filiatione Chriſti, & non adoptiua. Secundò certum eſt, etiam conſentientibus ipſiſmet hæreticis *centuria* 8. *c.* 9. Theophilum & Stephanum Legatos Adriani, non conſenſiſſe (ſi quid decretum eſt contra imagines) & multo minus Adrianum, qui *in lib. ad Carolum Magnum* hanc hæreſim contentam in capitulari libro, quem Carolus ab aliis acceptum miſit ad Pontificem, confutauit, & qui meminiſſet ſi quid contra fidem in eo fuiſſet definitum: & Claudius Taurinenſis attuliſſet id pro ſua defenſione: eiuſdem mentionem feciſſet Ionas Aurelianenſis, vt illi reſponderet; quod tamen non eſt factum; quinimo idem Ionas *lib.* 1. dicit Carolum Magnum damnaſſe errorem Claudij. Et ſic optimè ſatisfit argumento Caluini. Incertum verò eſt inter autores, an-quid ibidem ſit tentatum contra imagines. Hæretici aſſerunt damnatam Synodum pro adorandis imaginibus, ſub Irene, & eius filio, ex Annonio ſub anno 794. Abbate Vrſpergenſi anno 793. Reginone *lib.* 2. ſub anno 794. Adone anno 792. Hincmaro *c.* 20. contra Epiſcopum Iand. & autore libri Carolini *in præfatione*. At difficultatem facit, quòd autor hic dicit factam Synodum Conſtantinopoli pro adorandis imaginibus, & cæteri Pſeudoſynodum appellant, quæ non cohærent. Nam quæ pro imaginibus facta eſt, Nicææ, non Conſtantinopoli facta eſt; & non eſt Pſeudoſynodus hæreticorum. Quæ autem Conſtantinopoli Pſeudoſynodus facta eſt, contra imagines, & non pro eis facta eſt, nec facta eſt ſub Irene & Conſtantino filio, vt citati autores ſcribunt, ſed ſub Conſtantino Copronymo mariro Irenes, vnde tota machina labat. Econtra Paulus Emilius *lib.* 1. *de geſtis Franc.* dicit in Concilio Francofordienſi fuiſſe damnatam Conſtantinopolitanam Pſeudoſynodum ſeptimam, & Græcos damnantes imagines, ſuúmque honorem imaginibus ſeruatum eſſe. Idémque docet Surius *in Præfat. ad Concil. Francoford.* Alanus Copus *dialog.* 4. & S. Greg. de Valentia *lib.* 2. *Apolog. de idolol. c.* 7. Henriquez *lib.* 8. *c.* 32. *n.* 5. *com. litt. Q.* Blondus *lib.* 1. *decad.* 2. Sabell. *lib.* 8. *Ænead.* 8. Platina *in vita Adriani*, Galiſardus *in chron.* ſub anno 816. Concilium Senonenſe *in decretis fidei, c.* 14. Suarez *tom.* 1. *diſp.* 54. *ſect.* 3. vnde pro nobis eſſet Concilium Francoford. Bellarm. *lib.* 2. *de imag. c.* 4. admittit damnatam quidem à Concilio Francofordienſi II. Synodum Nicænam, ſed materialiter ſolùm, quòd autor libri Carolini impoſuiſſet illi, ſecundam Synodum Nicænam definiſſe imagines adorandas adoratione latriæ, vt ſanctiſſimam Trinitatem, & Papam illam reprobaſſe; quibus creditis, vt Papæ adhæreret materialiter illam reprobaſſe errando in facto tantùm. Illud tamen facit difficultatem quòd difficile Legati Papæ potuerunt ignorare acta Concilij ſecundi Nicæni, & approbationem Adriani. Baronius

nius in annum 794. & ipſe admittit in Concilio Francofordienſi damnatam veram Synodum ſeptimam, quæ eſt ſecunda Nicæna pro veneratione imaginum, ſed negat damnatam per Concilium; cùm aliqui tantùm in eo id ſenſerint; contradixerint autem & Legati Adriani, & alij Patres, ex Hincmaro *c.20.* ideóque fuiſſe ſilentio ſepulta, & relicta ea, quæ communi conſenſu fuerunt contra Felicem & Eliprandum definita. Sed vndénam tanta diſſenſio orta eſt,& error Iconomachiæ impoſitus Concilio Francofordienſi? Gabriel Vaſquez *lib.2. de ador.c.6. & ſeq.* ſentit id factum errore Hincmari, qui primus hac de re ſcripſit, qui cùm legiſſet librum Carolo malè adſcriptum, vt colligitur ex Adriano ipſo *in lib. ad Carolum,in reſponſ.c.26. 34.56.* crediderit eſſe acta Concilij Francofordienſis, & Synodum Nicænam ſecundam,eamdem eſſe cum Pſeudoſynodo ſub Copronymo, ideóque errorem hunc de abolendis imaginibus falsò Synodo Francofordienſi attributum; quæ cùm fuerit Catholica contra Pſeudoſynodum oppoſitum docuit. Ad factum Epiphanij dicimus conſueuiſſe quidem fideles ea ætate Sanctorum imagines in velis pictas in foribus Eccleſiæ ponere, quod ſanè vſum ſanctarum imaginum in Eccleſia eſſe antiquiſſimum oſtendit contra Caluinum, vnde S. Paulinus de Eccleſia S.Felicis *Natali 6.* *Ad 2.*

Vela ferant foribus, ſeu puro ſplendida lino,
Siue coloratis textum fucata figuris.

& *Natali* 10.

Trinaque cancellis currentibus oſtia pandunt,
Martyribus mediam pictis pia nomina ſignant,
Quos par in vario redimiuit gloria ſexu.

Euodius etiam *lib.2. de miraculis S. Stephani.c.4.* apud D. Auguſtinum *tom.10.* ſcribit velum diuinitus pictum ſacra imagine Protomartyris conterentis caput draconis, ante memoriam eius in Eccleſia Vzalenſi appenſum, vt cuius precibus ciuitas liberata fuiſſet ab imminente clade teſtaretur. verùm imaginem illam fuiſſe profani alicuius hominis, quæ honoris gratia ante fores templi penderet quaſi eſſet imago Chriſti, aut alicuius ſancti, vt ex verbis eiuſdem colligit Marius Victorinus *in annot. ad illam epiſtolam. tom.2. operum S. Hieronymi,* Gabriel Vaſquez *lib.2. de ador. diſp. 5. c.4.* quod non reſpuit Baronius in annum 392. Bellarm. *lib.2. de imag.c.9.* & Suarez *tom.1. q.25. ſect.1.* quamuis magis probent partem illam ab hæreticis additam; vt etiam Damaſcenus *lib.1.& 2.de imag.* contendit eidem alia contra imagines ab hæreticis falsò adſcripta, quæ in II. Nicæna Synodo citantur. Quod verò ad Seuerum attinet, dicimus ex D. Gregorio *lib.7. ep.109. & lib.9.ep.9.* indiſcreto zelo, etiamſi non errore Iconomachorum, fregiſſe imagines, quòd videret nonnullos imperitos catholicum modum in earum adoratione non tenere. Quibus oportuiſſet ipſum veram adorandi rationem exponere. & ideo à D. Greg. reprehenſum, quòd nihil vmquam tale in Eccleſia Dei factum fuiſſet. Illud tandem admoneo, ſi quæ ſunt dicta Patrum contra imagines, vt Irenæi *lib.1.c.24. aduerſus hæreſes*, Epiphanij *hæreſi 79.* Aug. *lib. de hæreſibus. c.7. & lib. de moribus eccleſiaſt. c.34.* Ambr. *in orat. de obitu Theodoſij.* Hieronymi *in.c.3. Danielis*, intelligi ſimulacra Gentilium, non Catholicorum imagines, quas more catholico, non ponendo in eis ſpem, veneramur, honorem in illarum prototypa referentes, iuxta Concilium Trident. *ſeſſ.25.* Nicænum II. *act.3.& 7.* Senonenſe *c.24.* Adrianum I. *ep. ad Carolum Magnum.c. vltimo.* Damaſcenum *lib.1.c.3. Apolog.* Athanaſium *in q. ad Antiochum. c.38.* & Gregorium *lib.7. ep.53.*

Sed

Sed an rectè collocentur in templis quæritur,& quidem Caluinus more ſuo 6.
1. *lib.*1.*Inſtit.c.*11. pernegat in templis rebúſque ſacris collocandas, tum quòd pri-
2. mis quingentis annis id factum non ſit: tum quia Concilium Elibertinum *c.*36. id prohibuerit, cùm dixit: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur aut adoratur in parietibus pingatur.* Sed errat Caluinus cùm in templo veteris Teſtamenti fuerint imagines Cherubim,*lib.*3.*Reg. c.*6. & in nouo ſemper in Eccleſiis fuerint in vſu; cùm ex Tertulliano, qui circa annum 200. vixit *lib. de pudicitia.c.*7.*&* 10. conſtet vel in ipſiſmet calicibus ſculptas imagines Chriſti ferentis ſuis humeris ouem perditam. & ex Damaſo *in Syluestro.* Conſtantinus, qui anno 325. imperabat, in ipſa Lateranenſi Eccleſia, & ex Euſebio *lib.*3. *&* 4. de illius vita, in Eccleſiis Paleſtinæ plures argenteas ſtatuas poſuerit. Accedit Gregorius Nazianzenus, qui floruit circa annum 375. dolens *epiſt.*49. *ad Olympium*, euertendum templum Diocæſarienſe, quod ipſemet ſtatuis & imaginibus ornauerat. Baſilius verò *in orat. de S. Barlaam* exultat quòd in illius Eccleſia pictores exactius illius martyrium depinxiſſent,quàm ipſe poſſet oratione deſcribere. vixit autem eadem qua Nazianzenus ætate. Gregorius Nyſſenus eodem tempore in oratione S. Theodori dicit pictorem coloribus artificioſè pinxiſſe certamina, & labores martyris, & tamquam pratum amœnum & floridum, templum ornaſſe. Prudentius quoque *in hymno de S. Caſſiano* ſcribit ſe in eius templo ſuper altare vidiſſe martyris imaginem, referentem ipſius cruciatus. In titulo Paſtoris Siricius Papa, qui Damaſo ſucceſſit anno Domini 385. muſiuo opere in apſide Chriſti Redemtoris, & duodecim Apoſtolorum venerabiles imagines expreſſit, quæ adhuc viſuntur. S. Paulinus, qui florebat anno 427. *Natali* 10. S. Felicis dicit:

Sanctáſque feramur in aulas,
Miremúrque ſacras veterum monumenta figuras,
Et tribus in ſpatiis duo teſtamenta legamus.

& ad Seuerum *epiſt.* 12. deſcribens Crucem, & imagines, in apſide Eccleſiæ opere muſiuo contextas.

Plano coruſcat Trinitas myſterio.
Stat Chriſtus: agno vox Patris cœlo tonat:
Et per columbam Spiritus ſanctus fluit:
Crucem corona lucido cingit globo,
Cui corona ſunt corona Apoſtoli.

Sequentibus etiam temporibus, nempe circa annum 725. Gregorius II. *epiſt.*2. *ad Leonem Iſauricum* veterum Sanctorum veſtigiis inſiſtens: *Quid enim* (ait) *ſunt noſtræ Eccleſiæ, nónne res manu factæ, lapides, ligna, paleæ, lutum, & calx? verùm picturis hiſtoriiſque miraculorum à Sanctis editorum, & Chriſti paſſionum,ac ſanctæ glorioſæ matris ipſius, ſanctorúmque Apoſtolorum exornatæ ſunt.* & Adrianus I. *lib.*1. *de imag. in reſponſ. ad cap.*19. non ſolùm approbat in templis imagines; ſed etiam probat,exemplo Syluestri,Damaſi, Cœleſtini, Sixti III. & Leonis ſummorum Pontificum, qui ante annum 500.vixerunt, & pictura, operéque muſiuo Eccleſias ſacris imaginibus, quæ adhuc extabant, ornauerant. quod etiam eius Legati in II. Synodo Nicæna *act.*4. de Ioanne Papa reſtantur, qui cùm Romæ templum Saluatori extrueret, in vtroque templi pariete noui & veteris Teſtamenti hiſtoriam inſcripſerat. Iſidorus etiam Peluſiota, vt refertur in II. Nicæna Synodo, *act.*1. & à Damaſceno *orat.* 3. *de imaginibus. Templi* (inquit) *nulla ratio, quod non ornatur imagine.* Eadem Synodus Nicæna II. *act.*7. in definitione fidei ſic ſtatuit: *Definimus*

nimus cum omni diligentia & cura venerandas, ac ſanctas imagines ad modum & formam venerandæ & viuificantis crucis dedicandas,& collocandas in templis. Scribit Luitprandus, qui floruit circa annum 945. *lib.1.c.8.* Sanctorum imagines, quæ in Eccleſia S.Petri erant, venerabiliter ſalutaſſe Formoſum Papam dum è flumine eductus anno 897. reuocatus in loculo in eamdem eſſet Eccleſiam. Denique, vt cætera omittam, in re clara Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25.* Paſtoribus mandat, vt doceant imagines Chriſti, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas, & retinendas; eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam. Idémque omnino ſuadet ratio, cùm & nulla meliora templorum ornamenta eſſe poſſint, nihilque hominum mentes & corda ad Deum ſurſum erigere, & ad Sanctorum imitationem virtutémque faciliùs inflammare valeat: nec ipſæ honeſtiori loco quàm in templis poſſint collocari. ex quibus videas Caluini mendacium negantis primis quingentis annis in templis fuiſſe. Quod ſpectat ad Concilium Elibertinum Canus *lib.5.de locis theolog. c.4.* & Abbas Ludouicus Bloſſius *in lib. qui dicitur Facula*, cum aliis, dicunt erraſſe cùm fuerit Prouinciale, & adfuerint ſolùm 19. Epiſcopi. Baronius ſuſpicatur canonem illum eſſe impoſturam alicuius diſcipuli Claudij Taurinenſis, cùm Prudentius & Paulinus Hiſpani, qui eo vixere ſeculo, deſcribant Eccleſias ſacris imaginibus refertas: & Claudius numquam pro ſe canonem illum citarit; & antiqui canonum collectores Ferdinandus Diaconus, Dionyſius Exiguus, & Creſconius numquam illius canonis meminerint. Alanus *dialog.5.c.16.* Sanderus *lib.2.de ador.c.4.* Turrianus *lib.4.de dog.charact.* dicunt, id decretum in eo Concilio ne Chriſtiani perſequutionem fugientes ludibrio ſacras imagines relinquerent, ſi in parietibus depictæ eſſent; non item ſi ſolùm in tabulis quæ auferri poſſunt. Ideóque non omnes vetuiſſe imagines. Ayala quoque *de trad. p.3. c. de antiquitate imaginum*, Gabriel Vaſquez *lib.2. de ador. d.5. c.2.* Bellarminus *lib. 2. de imag. c.9.* Io.Azor *lib.9. c.7.* dicunt vetuiſſe ſolùm ne in parietibus pingerentur quòd decurſu temporis tectorio decidente, facilè deformentur. Ob id ex hoc eodem colligimus ea etiam ætate Sanctorum imagines in templis etiam coli ſolitas, contra Caluinum; alioquin enim fruſtrà factum fuiſſet decretum. Illud tandem ex Pontificali Romano conſtat apud Catholicos vſitatum vt priuſquam in templis ad pium fidelium vſum erigerentur imagines, vtiliúſque Deo ſupplicaretur, ſolemnibus precationibus ad Deum fuſis benedicerentur, quibus peteretur à Deo, vt quicumque coram illis B.Virginem, Apoſtolos, Martyres, aliúmve, cuius imago fuerit, ſuppliciter honorare ſtuduiſſet, eius precibus ac obtentu à Deo gratiam in præſenti, æternámque gloriam obtineret in futuro, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Cui etiam videtur alluſiſſe Concilium II. Nicænum *act. 7.* in definitione fidei, cùm dicit, imagines ad modum & formam venerandæ & viuificantis Crucis dedicandas & collocandas in templis. Quare Catholici, vt rectè notarunt Ionas Aurelian. *lib. de imag.* Leontius *lib.5. contra Iudæos*, Damaſcenus *orat. 3. de imag.* Greg. II. *ep.1. ad Leonem Imper.* S. Germanus *in ep. ad Ioannem Synnadôn* in II. Nicæna Synodo *act.4.*& Concilium Trid. *ſeſſ.25.* non expectant ſalutem ab imaginibus more Ethnicorum qui ligno dicunt: Libera me, quia Deus meus es tu; & Hebræorum, qui vitulo aureo dixerunt: Hi ſunt dij tui Iſraël, vt Leo Iſaurus, Herbrandus, cæteríque hæretici & Hebræi latrant; ſed à Deo per merita Chriſti & Sanctorum, quorum imagines veneramur, preces. Adrianus etiam *in lib. de imag. ad Carolum Magnum in reſp. ad cap.39.* docet, conſuetum olim fuiſſe in Romana Eccleſia,

Ad 1.

Ad 2.

Io.Bapt.Scortia de ſacrif. Miſſæ. A 2 vt

vt prius etiam oleo ſacro imagines vngerentur, quàm in templis toti populo
venerandæ ponerentur. Porrò dixit, in Eccleſia Romana, quia, vt colligimus
ex Synodo II. Nicæna *act.6.* in refutatione falſæ ſeptimæ Synodi. *tom.*4. §.2.
apud Græcos nulla vnctio adhibebatur in erigendis imaginibus.

Quæri tertio loco poteſt, an non ſolùm imagines nobis habere liceat, eáſ- 7.
que in templis ob memoriam & hiſtoriam, verumetiam venerari & adorare?
Non loquimur de adoratione qua imagines colebant Carpocrates & Gnoſtici
apud Irenæum *lib.* 1. *aduersùs hereſes. c.*24. Epiphanium *hereſi* 27. Auguſtinum
*lib. de hereſibus, c.*7. Theodoretum *lib. heretic. fab.* & Chriſtiamocategori apud Da-
maſcenum *lib. de hereſibus*, nempe latriæ Deo ſoli debitæ, ponentes ſpem ſuam
fiduciámque in imaginibus, quaſi eis ineſſet diuinitas; hos enim in idolola-
triam prolapſos, cum Gentilibus connumeramus; quos pluribus refellunt
S.Athanaſius *contra idola.* S.Thom. *opuſc.4. de preceptis.* S.Anton. *p.p.tit.*14.*c.*4.§.2.
& alij, ſed loquimur de adoratione, eo modo quo definit Concilium II. Nicæ-
num *act.*3. *&* 7. & refertur *can. venerabiles. de conſecr. d.*3. Concilium Tridentinum
*ſeſſ.*25. Athanaſius *c.*38. *in qq. ad Antiochum*, Gregorius II. & Leontius *locis citatis*,
videlicet, propter eos, quos repræſentant, quibus à mortalibus etiam humili-
tatis & ſubiectionis gratia exhiberi poteſt. veneratio, iuxta doctrinam S.Augu-
ſtini *lib.* 10. *de Ciu. c.* 1. & Ionæ Aurelianenſis *lib. de imag.* Reſpondemus igitur
contra autores libri Carolini, ex Adriano *in reſponſione reſponſionis* 50. & alios, ex
Synodo II. Nicæna *act.6. in fine*, quos ſequuti ſunt VValdenſes ſub Federico I. &
hæretici noſtri temporis, non ſolùm retinendas ad memoriam, aut etiam tem-
1. plorum ornatum, ſed etiam adorandas. tum quia id quod ad aliquid, cui per ſe
ſanctitatis ratio conuenit, ordinem & relationem habet, ſanctum etiam dici-
tur, vt ob præſentiam Angeli dictum eſt *Exod. c.*3. *Locus in quo ſtas, terra ſancta
eſt*, & *Exod.*12. *Dies* [Paſchæ] *ſancta*, ob ſignificationem, & diuinum cultum cui
dicata erat; & conſequenter etiam adorandum, & venerandum. cùm *Exod.* 12.
pro eodem accipiatur res ſancta religiosè venerabilis; & meritò, cùm ſanctitati
cultus reuerentiæ & adorationis debeatur. Sed imagines Sanctorum ordinem
& relationem habent ad exemplaria per ſe ſancta; quare & ipſæ ſacræ erunt, &
venerabiles. vt in ſimili de ſignis vtilibus, ſerpente æneo, & aliis diuinitus in-
2. ſtitutis, dixit D.Auguſt. *lib.*3. *de Trin. c.*10. *& lib.*3. *de doctr. Chriſtiana c.*9. tum quia
honor imaginis in Prototypum redundat, vt ſuprà diximus, ex D.Baſilio *lib. de
Spiritu ſancto ad Amphylochium c.*18. Ambroſio *ſer.*10. *in Pſal.*118. Nicæna II. Sy-
nodo *act.*3. *&* 7. & docet etiam Plato *lib.*11. *de legibus*, cùm de imaginibus deo-
rum agit: & patet ex vindicta ſumta à Theodoſio ob deiectam & contumelio-
sè tractatam Imperatoris imaginem, *ex Hom.*2. *&* 3. D.Chryſoſtomi *ad populum
3. Antiochenum*, & ex S.Ambroſio *in oratione funebri in obitu Theodoſij.* tum quia id
definitum eſt ex Anaſtaſio Bibliothecario in Synodis Romanis ſub Gregor. II.
qui etiam ſcripſit tres libros pro cultu earumdem ad Leonem Iſaurum, & fi-
lium, ſub Stephano III. cuius meminit Adrianus *lib. de imaginibus*: in Gentilia-
cenſi in II. Nicæna *act.*7. in Synodo VIII. generali *can.*3. in Florentina *ſeſſ.*5. in
4. Trident. *ſeſſ.* 25. tum quia Patres communi conſenſu id docuerunt, vt Lactan-
tius, qui in carmine de paſſione Domini ait:

Flecte genu, lignúmque crucis venerabile adora.

Baſilius *epiſtola ad Iulianum*, & refertur Synodo VII. *act.*2. vbi loquens de Apo-
ſtolorum, Prophetarum, & Martyrum honore, dicit: *Quam ob cauſam, & hiſtorias
imaginum illorum honoro, & palàm adoro; hoc enim nobis traditum eſt à ſanctis Apoſtolis.*

&

& *in Iſaiam: Quicumque veneratur imaginem, ipſum honorat exemplar.* Chryſoſtomus *in Liturgia*, ſacerdotem egredientem è ſacello præcedente miniſtro ad Chriſti imaginem caput inclinare docet, & ipſe in ſuo cubiculo D.Pauli imaginem venerabatur, ex Proclo, Leone Imperatore, & Metaphraſte, *de rebus geſtis Chryſoſtomi*, & Damaſceno *orat.1.de imaginibus.* Athanaſius etiam *q.15.ad Antiochum* dicit, typum,non lignum crucis à Chriſtianis adorari. Ideóque forma crucis diſſoluta, ligna contemni. Similia ſcribit Leontius *lib.5. aduerſus Iudæos*, & apud Damaſcenum *oratione 3.de imag.* & in II. Nicæna Synodo *act.4. Quamdiu* (inquit) *ligna ſic inter ſe ſunt compacta, vt crucis imaginem exprimant, adoro formam illam propter Chriſtum,qui in ea ſuffixus fuit; at ſi ſeiuncta ſeparatáque fuerint, eadem abiicio & comburo.* & paulo pòſt: *Nos in Chriſti imagine non ligni colorémve naturam adoramus, abſit; ſed inanimatam Chriſti formam atque imaginem adorantes, per ipſum amplecti Chriſtum ipſum videmur, & adorare.* S.Germanus *in epiſtola ad Leonem Imperat. in actis S. Stephani Iunioris. Ob eam* (inquit) *cauſam diuina & ſacroſancta Concilia variis temporibus ac locis coacta, non vt hæ calcarentur, ſed vt adorarentur, dixerunt.* Adrianus I. *epiſtola ad Tharaſium, Deinceps* etiam (ait) *venerandas imagines, primùm iuxta humanam figurationem Chriſti Domini noſtri, ſecundùm nos & pro nobis & per nos incarnati. deinde inuiolata, & verè Deiparæ; poſtremò omnium Sanctorum ſuorum beatitas veſtra dilecta colere & adorare pergat.* Denique Theodorus Studita, teſte Michaële Studita, Leoni Armeno Iconomacho impietatem obiiciens anno 814. ait, *Annis octingentis & eo amplius promulgatam,& ab omnibus receptam, atque confirmatam imaginum venerationem, iámque vnà cum Chriſtianiſmo auctam & propagatam (vno ſiquidem parique greſſu inceſſerunt Chriſtianiſmus & imaginum effformatio) tu nunc temporis momento, ſoláque pro animi tui libidine, tollendam è medio cenſuiſti; & cum dedecore explodenda, quæ laudem honorémque merebantur?* Et ſanè conſentiunt hæc cum iis, quæ ab ipſo Theodoro Studita ſcripta ſunt *lib.2. ep.1.* nomine omnium Præpoſitorum. Omitto Damaſcenum & alios, ne nimius ſim. Tum denique quia à Deo multa miracula 5.
facta ſunt in eum finem, vt imaginum cultus in Eccleſia catholica ſanciretur, vt rectè argumentatur S. Germanus *in epiſt. ad Thomam Epiſcopum Claudiopolitanum*, & meminit in particulari de Deiparæ picta imagine in Zezopoli Piſidiæ ciuitate, ex cuius picta manu vnguenti ſcaturigines emanabant. Anatholium idolorum ſacrificio inquinatum, præſeferentem B.Virgini ſupplicare, eiuſdem Deiparæ imago impium auerſata, à ſe auertit anno 580. ex Euagrio *l.b.5.c.18.* Ioanni Damaſceno ob ſcriptis litteris defenſas imagines, à Saraceno Principe Leonis Iſaurici dolo abſciſſam dexteram fuiſſe diuinitus reſtitutam, ſcribit *in eius vita* Ioannes Patriarcha Ieroſolymorum. Venantium Fortunatum Epiſcopum Pictauienſem ægrotantem mirum in modum oculis eſſe curatum,oleo lucernæ ardentis ante imaginem S. Martini, teſtis eſt ipſemet *lib.4. vita S.Martini*, de eius imagine loquens, his verſibus:

Lychnus adeſt cuius vitrea natat ignis in vrna.
Huc ego dum propero, valido torquente dolore,
Diffugiente gemens oculorum luce feneſtra
Quo procul, vt tetigi benedicto lumen oliuo,
Igneus ille vapor marcenti fronte receſſit,
Et præſens medicus blando fugat vnguine morbos.

Conſtat etiam D. Gregorij tempore imagine B. Virginis à D. Luca depicta in ſupplicatione delata, Romæ peſtem adeò ſæuientem, vt vna hora octuaginta expirarint, teſte Greg. Turonenſi *lib.10. de geſtis Franc.* depulſam, & optatam

ſalubritatem conſequutam eſſe, ex Carolo Sigonio *lib.*1. *de regno Italiæ*, & aliis antiquioribus. ſicut è contrario ob violatas ſacras imagines ſub Conſtantino Copronymo, Biſantium aliæque plures Orientis imperij vrbes triennio peſte pæne ſunt extinctæ, diuinitus immiſſis ceruleis crucibus in eorum, qui interficiendi erant, veſtibus, ex Theophane, & Theodoro Studita *in oratione de S. Platone*. Scribit Sophronius *in prato ſpirituali. c.* 180. Ioan. Anachoretam ſæpius peregrinaturum ad duos, tres, & quandoque quinque & ſex menſes ſolitum, accendere candelam ante B. Virginis imaginem, & deprecari, vt vſque in reditum ab eadem cuſtodiretur accenſa, ſemperque in reditu accenſam ardentémque eamdem offendiſſe. Prodigioſam omnino rem Damaſcenus refert *in vita Stephani Iunioris martyris* pro imaginum defenſione. Hic enim rogatus vt hominem, qui dimidia ſui corporis parte contabuerat, ſanitati reſtitueret, duas illi Chriſti & B. Virginis imagines adorandas propoſuit, quo facto ſtatim conualuit. ſed metu Imperatoris ille idem Iconomachus effectus, & Centurionis officio dignitatéque donatus, dum parat equum aſcendere ab eo deiectus, & pedibus contritus eſt. Saluatoris imago ad Abagarum primum miſſa, ſed anno 944. Conſtantinopolim tranſmiſſa in vrbis ingreſſu paralyticum repentè ſanauit, vt ſcribit Conſtantinus Porphyrogenetus *in orat. hac de re*. In Concilio VVinctonienſi anno 975. cùm reuocaretur in dubium, an loca clericorum, quæ monachis fuerant attributa, eſſent iterum adiudicanda clericis, quod S. Dunſtanus negabat, & Synodus cogitabunda hæreret, Crucifixi imago edito in loco conſtituta audientibus cunctis dixit: Non fiet, non fiet, iudicaſtis bene, mutaretis non bene, vt videre eſt apud Osbertum *in vita S. Dunſtani, & in hiſtoria Anglorum ad Bedam addita*. Cùm S. Niconis imaginem ad viuum expreſſam vehementer optaret Io. Malacenus, nec poſſet pictor, quem non vidiſſet, rectè exprimere, illico apparente S. Nicone ſuis lineamentis ſuapte expreſſam effigiem concupitam in tabulam vidit, anno 998. vt ſcribit Io. Curopalata *in Baſilio & Conſtantino*. Omitto quæ ſuprà retulimus de imagine Saluatoris tranſfixa à Iudæis, & ſanguine manante: de ſtatua poſita ab Hemorroiſſa, cui adnata herba morbos curabat; de imagine Protomartyris Stephani, aliáque innumera, quæ afferri poſſent, & vetera, & recentia, præſertim B. Patris Ignatij de Loiola noſtræ Societatis Ieſu fundatoris, inſigni ſanctitate viri, cuius imagines plurimis corporis ſanitatem attulerunt & dæmones ex obſeſſis corporibus eiecerunt: ita Deo teſtante tanti viri ſanctitatem, multis editis miraculis, ſacræ ipſius imaginis contactu; quorum nonnulla collegit in eiuſdem vitæ compendio, vir omnino inſignis P. Petrus Ribadeneira. At obiiciet Caluinus, & reliqui Iconoclaſtæ, D. Ambroſium *in orat. de obitu Theodoſij*, ſcribere: Helena Crucem inuenit, Regem adorauit, non lignum, vtique, qui eſt error Gentilium, ſed adorauit illum, qui pependit in ligno. Hieronymum *Danielis c.*3. dicere: Cultores Dei imagines adorare non debent. Auguſtinum, *lib. de moribus Eccl. c.* 34. reprehendere ſepulcrorum & picturarum adoratores. & D. Gregor. *lib.*9. *epiſt.*53. aſſerere, nos ante imaginem Chriſti meritò proſterni, illum tamen adorantes quem per imaginem natum, aut paſſum recordamur. Sed reſpondeo prædictos Patres, vt aliàs admonui, illud tantum docere voluiſſe, imagines non eſſe colendas pro Deo, ſeu adoratione abſoluta, ſicut Gentiles adorabant idola; adorandas tamen ob habitudinem ad prototypa, adoratione reſpectiua. Sed vt clariùs pateat adorationis modus,

Quæritur quarto loco, quomodo ſacræ imagines ſint colendæ? Difficultas 8.
eſt

eſt inter Catholicos, qui licèt omnes concedant imagines adorandas, diſſident
tamen in modo. & quidem Catharinus *opuſc. de ador. imag. concl.6. & 7.* & Mar-
tinus Aiala *lib. de tradit. p.3.* tenent adorandas adoratione inferiori diſtincta ab
adoratione exemplaris, etiamſi propter prototypa adorentur, quam appellant
honorariam. tum quòd in ſeptima Synodo *act.7.* dicatur: *Illiſque* [imaginibus] 1.
*ſalutationem & honorariam adorationem exhibeant: non ſecundùm fidem noſtram veram
latriam, quæ ſoli naturæ diuinæ competit.* eadem habentur etiam *ibid. act. 2. 3. 4. 6.*
& apud Adrianum *lib. de imag. in reſp. ad cap 9. & can. venerabiles, de conſecrat. d.3.*
tum quia inter hæreticos ab Irenæo *lib.1. c.24.* Epiphanio *hæreſi 27.* & D.Augu- 2.
ſtino *hæreſi 7.* numerantur, qui diuinis honoribus imagines Chriſti colebant.
tum quia crux & imago Dei quomodocumque conſideretur, ſiue pro materia, 3.
ſiue pro illa figura & delineatione, ſiue etiam ratione repræſentationis, eſt
quid creatum, & Deo inferius: non igitur adoranda eodem cultu, quo adora-
retur Deus, nempe latria, ſed inferiori. Idémque proportione de imaginibus
B.Virginis,& Sanctorum. Sanderus *lib.2. de imag.c.vltimo,* Bellarminus, & Sua-
rez *locis citatis*, dicunt crucem & imagines Dei poſſe adorari, & per ſe, ſcilicet
non vnitas cogitatione cum Chriſto, licèt non propter ſe, ſed propter exem-
plar ſeu Chriſtum adorentur; & poſſe etiam adorari cogitatione coniunctas
cum prototypo, nempe Chriſto, vt vnum quid per accidens, cum illo: ſicut
Legatus Regis poteſt honorari & ſecundùm ſe,quatenus homo huius aut illius
conditionis, & vt Legatus Regis vicem illius gerens; ſicut cùm Angelus lo-
quebatur in perſona Dei cum Moyſe: *Ego Dominus, &c.* & Moyſes dicebat: *Si
inueni gratiam, &c.* Ideo duplicem honorem cruci & Dei imagini deberi. nam
ſi primo modo conſiderentur,debetur eis adoratio inferior,& honoraria,vt di-
cit prima ſententia, ob rationes allatas; cùm ſint res diuino cultui dedicatæ, vt
etiam ſacra vaſa, & ſimilia. ſi ſecundo modo ſunt adorandæ adoratione la-
triæ, cum ipſo prototypo; cùm efficiant vnum quid per accidens cum eo. vn
de cùm Concilia & Patres negant adorandas adoratione latriæ, intelligendi
ſunt in primo caſu: at cùm S. Thomas & alij Theologi dicunt adorandas ado-
ratione latriæ,interpretandi ſunt in ſecundo caſu; quatenus concipiuntur cum
prototypo. cùm enim honor imaginis perueniat ad exemplar, & Chriſtus ado-
retur adoratione latriæ, imago etiam illius adorabitur adoratione latriæ. De-
nique S. Thom. *3. p. quæst.25. art. 3. 4. 5.* Caietanus *ibid.* Alb.*3. d.9. art.4.* Bona-
uentura *ibid. art.1. quæſt.2. & 4.* Rich. *ibid. art.2. quæſt.2. & 3.* Ferrarienſis *lib.3. con-
tra Gentes, c.120.* Sotus *lib.2. de iuſt. q.4. art.2.* Turrecremata *can. venerabiles, de conſecr.
d.3.* Payua *lib.9. orthodox. expl.* VValdenſis *tom.2. c.156.* Turrianus *lib.4. dog. charact.
& lib.1. de canon. Apoſt. c.25.* Gabriel Vaſquez *lib.2. de ador. diſp.8.* Azor *lib.9. c.6. &
7.* Gregorius de Valentia *lib.1. de idolol. c.5. & lib.2. c.7.* rectiùs meo iudicio ſen-
tiunt imagines non alio adorationis cultu adorandas,& venerandas, quàm eo-
dem quo ipſa prototypa; licèt non eadem ratione cultus ille prototypo & ima-
gini tribuatur. Nam prototypo abſolutè & ſine relatione ad aliud tribuitur;
cùm velimus de eo opinionem excellentiæ per officium honoris excitare, &
præſtantiam illius profiteri: imagines autem veneramur relatiuè,& habitudi-
ne,vt ait etiam Gregorius II. *epiſt.1. ad Leonem Iſaurum,*& apud Turrianum *lib.1.
pro can. Apoſt. c.25.* Nicephorus Conſtantinopolitanus *in Orthodoxo,* ad prototy-
pum,vel prototypi cauſa,vt ait Theodorus Patriarcha Hieroſolymitanus *in epi-
ſtola Synodica in II. Nicæna Synodo, act. 3.* quaſi eius ſecundùm repræſentationem
vicarias. quippe qui eas venerando nolimus excitare opinionem excellen-

tiæ, aut præſtantiam illarum proteſtari; ſed illorum tantùm quos ipſæ referunt. Qui enim imaginem adorat, in ea & per eam exemplar & terminum
1. adorationis veneratur. Probatur autem opinio, tum quia Synodus ſeptima *in definit. fidei. act.* 7. cùm dixiſſet ſalutationem & adorationem honorariam exhibendam, non ſecundùm fidem noſtram veram latriam, ſubdit rationem verbis his: *Imaginis enim honor in prototypum redundat, & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumentum, id eſt, prototypum.* nec vmquam de alio honore imaginum loquitur, quàm de hoc, quo cum exemplari adorantur. Eadem habentur *ibid. act.* 6. *& can. venerabiles, de conſecr. d.* 3. & apud Adrianum *lib. de imag. in reſp. ad cap.* 9. Concilium quoque Trid. *ſeſſ.* 25. *Imagines porrò* (ait) *in templis præſertim, habendas & retinendas, eíſque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quòd credatur ineſſe aliqua in his diuinitas, vel virtus propter quam colendæ ſint: ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant; vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt.* Vbi vides imagines non honorari ob aliquam excellentiam, quæ illis inſit, ideóque vnicam eſſe rationem illas venerandi, ſcilicet excellentiam prototypi. & quia adoratio debet comprehendere excellentiam, qua res adoratur, ob id imagines non eſſe totum terminum adorationis, ſed ipſi exemplari in imagine eamdem adorationem deferri. quare ſubdit Concilium, vt per imagines coram quibus procumbimus, Chriſtum adoremus & Sanctos. quibus verbis ita facit imagines terminum adorationis, genuflexionis, oſculi, vt per illas, & in illis Chriſto & Sanctis animo noſtro ea infigamus. Ex quibus patet iuxta Concilium, imagines coniunctas exemplari & non alio
2. modo adorari. tum quia eadem videtur ſententia Patrum, vt Dionyſij *de cœleſti hier. c.* 2. *in fine*, vbi docet cùm ſacræ imagines inſpiciuntur, non eſſe inhærendum in huiuſmodi lineamentis, ſed rebus diuinis; id eſt, earum exemplaribus, honorem tribuendum. Similia habet Adrianus I. *in epiſt. ad Imperatores in Synodo ſeptima*, & *ibidem* Nyſſenus. Baſilius etiam *ibidem act.* 4. & apud Damaſcenum *lib.* 3. *de fid. c.* 17. ait vnam & eamdem eſſe glorificationem ſeu adorationem Regis, & imaginis illius, ſicut vnus eſt principatus ſeu dignitas, & vna gloria; quòd honor imaginis ad prototypum tranſeat. Leontius etiam *lib.* 5. *contra Iudæos*, dicit, cùm Iacob veſtem Ioſeph ſanguine conſperſam oſcularetur, id non feciſſe veſtem honorando, & diligendo, ſed in ea arbitratum ſe Ioſeph oſculari: eodem modo Chriſtianos imagines Chriſti, Apoſtolorum, aut Martyrum tenentes, & oſculantes animo ipſum Chriſtum, Apoſtolos, aut Martyres amplecti. S. Hieronymus *in vita Paulæ*, *Proſtrata* (inquit) *ante crucem quaſi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Et tandem Theodorus Studita *lib.* 2. *epiſt.* 87. *ad exules Epiſcopos*, *Si qua* (inquit) *virtus, ſi qua eſt laus confeſſionis, hanc perſcribite, & quomodo adorandus ſit imagine expreſſus Chriſtus homonymè, an ſynonymè; quoniam quidem hoc orthodoxa, illud verò contrariæ eſt ſententiæ. & quomodo intelligatur adoratio erga Chriſtum, eiúſque imaginem: vnáne an duæ; quandoquidem hoc noſtrum, illud verò Iconomachorum. quorum enim vna eſt & hypoſtatica ſimilitudo, horum vna eſt & eadem adoratio, præterquam quòd imaginis ſubſtantia nequaquam adoratur.* Non diſſimilia ſcripſerat *lib.* 2. *epiſt.* 21. & 23. Eadémque eſt Theophanis Archiepiſcopi Tauromerij ſententia *Hom.* 37. quæ eſt de reſtitutione imaginum, cùm ait: *Hoc feſtum hodie agitamus anathematizantes duces impietatis, & ſacras imagines Saluatoris noſtri, & Matris eius, & omnium Sanctorum, relatiuè adorantes. non illis tamquam diis adhærentes, nec coloribus expreſſas imagines cultu proſequentes; ſed earum honorem in imaginis, vt magnus ait Baſilius,*

Quid homonymè, & quid ſynonymè ſit, videatur apud Iſidor. Peluſiotam lib. 3. ep. 92.

ſilius prototypum referentes, ideóque per ſenſum ad pietatem magis manu ducimur,&c. tum denique ratione, quia idem eſt motus in imaginem,& in id euius eſt imago, ex Ariſtot. *lib. de mem. & reminiſ. c.* 2. Ergo idem motus adorationis in imaginem, & exemplar. Item quia nulla res irrationalis,aut inanima,qualis eſt imago, ſine rationali,ſecundùm ſe capax eſt honoris & adorationis cultû, cùm adoratio ſit voluntas exhibendi alicui excellenti ſignum ſubiectionis debitum excellentiæ illius, vnde nemo ſe ſubdit minori, qui nulla ratione vt maior apprehenditur, & multo minus creaturæ inanimæ & irrationali, cùm ſint homine inferiores. Cùm igitur imago ſi non habeat intra ſe exemplar, cui honor & cultus deferatur,ſit res irrationalis & inanima,ſequitur,quouis modo conſideretur ſecluſo exemplari, non poſſe complere rationem adorationis. Sicut etiam econtra nec capax eſſe poteſt iniuriæ, cùm non ſit capax iniuſtitiæ niſi coniuncta cum prototypo,vt rectè ait Epiphanius in Synodo ſeptima *act.* 6. & Adrianus I. *epiſt. ad Imperatores in eadem Synodo,act.*2.*& lib.de imagin.c.*8. Et tandem, quia ea eſt natura imaginis, vt imago eſt,vt ſeſe nobis pro exemplari offerat;ergo cum illo & pro illo tantùm adorari debet;ſicut cùm mediis perſpiciliis aliquid cernimus, obliti perſpiciliis toti ferimur in rem obiectam. Quare non ſunt duæ adorationes, imaginis, & exemplaris,ſed vnica. Dices, ſi venerari imaginem eſt ipſum prototypum venerari, nequaquam igitur exhibetur honor imagini, nec verè ipſa dicetur honorari,ſed tantummodo prototypum coram illa. Reſpondeo, quicquid ſenſerit Durandus 3.*d.*9.*q.*2. verè imaginem ſuo modo honorari, eo videlicet, quo honorari cenſentur eæ res,quæ non niſi propter aliud, honorantur, licèt eas non honoremus vt prototypa. vt enim, qui Principis litteras hoc ipſo quòd Principis ſunt, honoris cauſa oſculatur, honorare illas dicitur, tametſi hoc totum quicquid eſt cæremoniæ, ad Principem pertineat; & cùm librum ſacrum reuerenter tractamus, non ad ipſum codicem, ſed ad cœleſtem doctrinam in eo expreſſam, attendimus. & tamen reuereri librum dicimur: ita quoniam imagines ad aliud referimus, etſi eas non ita honoremus vt prototypa, videlicet vt in illis ſiſtamus, earúmque præſtantiam proteſtemur; verè tamen illas honorare cenſemur, cùm illas oſculamur, amplectimur, coram illis procumbimus, vel lumen accendimus. licèt enim hi religioſi cultus, & honores vltimò terminentur in prototypo, reuera tamen etiam imago ſua ratione eſt terminus,& res circa quam verſatur illa adoratio,ſeu materiale obiectum illius adorationis non abſolutè, ſed relatiuè ad prototypum, cuius imago eſt vicaria, vt rectè Payua,Vaſquez, Azor, Valentia,& alij,tradiderunt. Ratio à priori eſt, quia huiuſmodi denominationes, intelligi, amari, adorari, &c. abſolutè dictæ cadunt in obiecta materialia, circa quæ huiuſmodi actus verſantur; ob id non ſolùm abuſiuè ſed propriè imagines adorari dicendæ ſunt. Vt autem ſoluamus rationes aduerſariorum, notandum eſt cum Payua *lib.*9.*c.*3.& Vaſquez *lib.*2. *de ador. diſp.*8. *c.*12. 14. 15. 16. latriam,in Synodo ſeptima *act.*4.6.7. & apud Patres non ſignificare ſecundùm ſe Notam exteriorem reuerentiæ, ſed affectum ſubmiſſionis; quare huiuſmodi affectum Patres vocant latriam in ſpiritu; Notam verò ipſam, ſolùm prout ſubeſt, & perficitur interno ſeruitutis & ſubmiſſionis affectu erga Deum. Idémque de Hyperdulia & Dulia proportione quadam. Adorationem verò & ſalutationem latiùs patere, & eſſe communia ad ſignificandum ſecundùm ſe, & notam externam, quæ ſimplex adoratio dicitur,ſeu honoraria, & affectum ſeruitutis. Quo poſito reſpondeo priori ſententiæ quando ſeptima Synodus, & Patres negant imaginibus Christi latriam *Ad* 1.

eſſe

eſſe intelligendos de latria in ſpiritu, hoc eſt, de affectu ſeruitutis & ſubiectionis; hic enim non poteſt reſpicere imagines ſolas ſecundùm ſe, quia cùm nullam virtutem aut numen habeant;ſed tota illorum excellentia ſit prototypum, & exemplar in ipſis incluſum,velut anima in corpore,ſit, vt ſeruitus & ſubmiſſio affectus, quæ tantùm reſpicit excellentiam ſuperiorem, non poſſit in ſolas imagines ſecundùm ſe terminari. Quare illis ſecundùm ſe tribuimus notam huius animi & affectus ſubmiſſi, dum eas oſculamur & amplectimur; ſed ſpiritu noſtro totum hoc in exemplar, per imagines tamquam vicarias dirigimus, vt etiam Concilium Tridentinum docet. Quòd ſi ſpiritus noſter & affectus ſubmiſſionis reſpiceret ſignum illud imagini exhibitum, id inane & ſtultum aut ſuperſtitioſum eſſet. Ideo imagines numquam per ſe adorari poſſunt, non adorato ſimul eadem adoratione & ſigno, exemplari;atque ideo idem venerationis motus pertinet & ad prototypum, & ad imaginem, ſed diuerſa ratione: ad prototypum,quatenus illi volumus exiſtimationem excellentiæ conciliare, illique nos ex affectu ſubmittimus; ad imaginem, quatenus illi tamquam vicariæ ſecundùm repræſentationem, notam adorationis exhibemus;vt affectu ipſo directa,tranſeat in exemplar;& ex affectu & ſigno vna compleatur adoratio. Cùm verò S. Thom. cæteríque Theologi dicunt imagines Dei & Chriſti adorari latria, intelligunt quatenus nota, & affectus, in exemplar per imaginem tranſit, illique nos ſubmittimus; & imago eſt veluti animata exemplari. Quod dictum eſt de adoratione latriæ, ſeu ſeruitute in ſpiritu, & ſigno externo reſpectu imaginum ſanctiſſimæ Trinitatis, Chriſti, & Crucis, proportione quadam dicendum eſt de adoratione hyperduliæ B. Virginis, & duliæ

Ad 2. aliorum Sanctorum. Dicimus etiam ad alteram, Catholicos nullam virtutem aut diuinitatem exiſtimare ineſſe imaginibus, vt docet Concilium Tridentinum;vnde non tribuunt latriam imagini ſecundùm ſe, ſed prototypo per ado-

Ad 3. rationem imaginis, tamquam vicariæ, ſecus ac facerent hæretici. Itémque ad vltimam imagini ſecundùm ſe non tribui latriam, ſed prototypo;imagini verò ſecundùm ſe ſolùm adorationem in ſigno; ita vt ex nota adorationis & affectu ipſo eam in exemplar dirigente vna compleatur adoratio prototypi. Ex quibus etiam patet reſponſio ad ſecundam opinionem, quatenus primæ ſuffragatur, quoad alteram enim partem nobis fauet.

Illud tandem præclarè ſtatuit Concilium Trid. *ſeſſ. 25. in decreto, de Sanctorum inuocatione, reliquiis, & imaginibus,* in ſacris imaginibus pingendis vitandam omnem laſciuiam & procacem venuſtatem; etſi enim omnino curandum ſit, vt quàm optimè ſacræ pingantur imagines; quod id etiam in prototypi honorem redundat, vt Alexander ille Macedo vidit, qui ob id à nemine præterquam ab Apelle pingi voluit,vt teſtis eſt M.Tullius & Petrus Crinitus *lib. de honeſt. diſcipl.* & intuentium deuotionem excitet,cùm informes & turpes contemtum potius pariant, quàm reuerentiam; vnde & Thebis lex fuit, quæ pictoribus atque ſculproribus præcipiebat,vt imaginum formas quoad poſſent optimè exprimerent, pœnáque pecuniaria malè pingentes mulctaret; vt ſcribit Ælianus *lib. 4.* vitandum tamen eſt, quicquid intuentium oculos ac modeſtiam poteſt offendere;quod facile ſolet accidere.Et ob id præclarè cauit Plutarchus *lib. de educat. puerorum,* Ariſtoteles *lib. 7. pol. c. 17.* & Plato ne vllæ prorſus obſcœnæ pingerentur; ne puerorum animi deprauarentur. Atque hæc ſint diſputata occaſione adorationis imaginis exiſtentis in altari,cui exhibetur reuerentia à ſacerdote ſacrificaturo.

An liceat recto capite ſacrificare. CAP. IV.

SVMMARIVM.

1. *Sacrificium euangelicum nudato capite offerendum, & cur.*
2. *Et num in publico vel priuato ſacello ob ægram valetudinem, cum pileolo poſſit celebrari.*

1. SIcut Romani veteres, vt *in quæſtionibus Romanis, q.* 10. docet Plutarchus, & Macrobius *lib.* 1. *Saturn.* velato capite venerari Numen & ſacrificare conſueuerunt, vereri inſtituto in Italiam ab Ænea delato, vt ſcribit Aurelius Victor *in Breuiar. hiſtoriæ Romanæ.* Seruius *lib.* 3. *Æn.* & alij Virgilium ſequuti *lib.* 3. *Æn.* ita canentem:

> *Quin vbi tranſmiſſæ ſteterint trans æquora claſſes,*
> *Et poſitis aris iam vota in littore ſolues,*
> *Purpureo velare comas adopertus amictu:*
> *Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum*
> *Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet.*
> *Hunc ſocij morem ſacrorum, hunc ipſe teneto;*
> *Hac caſti maneant in religione nepotes.*

Ita in veteri Teſtamento, vti populus reliquus velato capite ornabat in memoriam Moſaici veli, ſic etiam ſacerdotes quandocumque ſuo munere fungebantur, cooperto capite Domino miniſtrabant. de quorum capitis integumento plura diſſerit Ioſephus *lib.* 3. *de Antiq. c.* 8. S. Hieronymus *epiſt.* 127. & Abulenſis *in cap.* 13. *Leuit.* At verò è contra in nouo Teſtamento vti viris reliquis aperto capite orandum eſt, vti docet D. Paulus 1. *ad Corinth.* 11. *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite deturpat caput ſuum, &c.* & Tertullianus *in Apolog. c.* 30. ita multo magis ſacerdotibus ſacrificandum. Ratio diuerſitatis ea aſſignanda eſt, quòd vetus Teſtamentum datum fuerit ſeruis in timore, *Exod.* 19. cui ſubiectio & velatio capitis debetur; ob quam etiam ſubiectionem *ibid.* D. Paulus iubet, vt fœminæ etiam in nouo caput velent, quòd ſub viris ſint poteſtate; nouum autem filiis in libertate, quam per Chriſtum caput noſtrum conſequuti ſumus, *ad Galat.* 4. libertati autem decet nihil ſuper caput habere, vt vir ſit imago & gloria Domini, nempe ſecundùm Dominum, & non deturpet caput ſuum, Chriſtum. Quare optimo etiam iure ſacerdos cùm ſeſe ſacro præſentat altari Deo oblaturus immaculatum corpus & ſanguinem Chriſti, caput aperit; idque non ſolùm generali præcepto, vt putauit Nauarrus *de celebr. Miſſ. conſil.* 4. *num.* 5. quo omnia diuina myſteria piè & religioſè celebranda ſunt (quod etiam nudatione capitis tamquam reuerentiæ ſigno indicatur, vt colligi poteſt ex Plutarcho *in moral. probl.* 10. & deinceps, Alex. ab Alex. *lib.* 2. *c.* 19. & Lipſio *lib. de Amphit. c.* 20.) ſed etiam quòd peculiari iure id ſtatutum ſit in Concilio Romano ſub Zacharia *c.* 13. *& can. nullus Epiſcopus, de conſecr. d.* 1. quo Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus prohibentur cum baculo ad altare accedere, aut capite velato ei aſſiſtere, ſub excommunicationis pœna, vt meminit etiam Micrologus *c.* 2. & in Concilio Treuerenſi ſub Archiepiſcopo Ioanne *c. de Miſſæ officio*, vbi habetur: *Ieiunus quilibet celebret, & velato capite altari aſſiſtere, aut illud ita accedere nullus omnino præſumat.* *Leuit.* 21.

Sed dubitari poteſt, an ſi quis ob frigus malè habeat, licitè cum pileolo celebrare poſſit? Et quidem Nauarrus *de celebr. Miſſ. conſilio* 4. etiam bene valentem publicè celebrare poſſe tectum amictu ſentit, quòd videatur antiquitus conſueuiſſe ſacerdotes eo tectos celebrare: videatúrque indulgentia ſi circa collum amictus complicetur, vt indicant verba precationis in eius impoſitione: nempe, *Impone Domine capiti meo galeam ſalutis, ad expugnandos diabolicos incurſus.* cúmque ſequitur, putans quoque Epiſcopum & regularium Prælatos cum ſubditis poſſe diſpenſare, Ludouicus Miranda *in Manuali Prælatorum, tom.* 2. *quæſt.* 8. *art.* 4. *concl.* 5. Id tamen Azorio non placet *lib.* 10. *c.*28. nec aliis. nam quicquid antiquitus vſitatum ſit, cùm potuerit etiam tunc poſt impoſitionem in capite demitti ad collum, cùm iam vſus contrarium obtinuerit, poſſet nunc generare ſcandalum, quod ipſemet Nauarrus aliquando paſſus eſt, vt ipſemet ſcribit. Quoad pileolum idem Nau. *loco cit.* Angelus *v. Miſſa.* §.9. Sylu. *v. Miſſa.* 1. §.2. Armilla §. 7. Tabiena §. 18. Henriquez *lib.* 9. *c.*26. ſentiunt ex rationabili cauſa poſſe etiam publicè celebrari cum pileolo, præſertim albo, cùm magis accedat ad amictum, vt, v. g. ob frigus, quia *canon, nullus Epiſcopus, citatus,* dicit, id non temere præſumendum. videtur autem præſumtio abeſſe, ſi adſit cauſa; & poſſe Epiſcopum cum ſubdito, ſicut & Prælatum regularem cum ſuo, diſpenſare, etiam ſano, ceſſante ſcandalo, ſentit Miranda *loco citato.* Magis tamen probandum videtur, quod docet Turrecremata *citato can. nullus Epiſcopus,* Azorius *loco citato.* & alij, id non licere niſi fortè in priuato ſacello, & graui ex cauſa; ne, ſi publicè id fiat, adſtantes offendantur, cùm vbique (ſi neſcio quas ſeptentrionales regiones excipias, in quibus nimis ingraueſcit frigus) vſus contrarius vigeat. & vix Gregorius XIII. Pontifex Maxim. compatiens infirmæ valetudini Reuerend. Pallauicini Niciæ Epiſcopi, peculiari priuilegio illi conceſſerit, vt publicè (excepto tamen canone) vteretur in celebratione pileolo.

De corporalis explicatione & compoſitione Calicis. CAP. V.

SVMMARIVM.

1. *Corporalis etymologia, & vſus, ac myſtica ſignificatio.*
2. *Oportet eſſe lineum, & non ſericum.*
3. *Album.*
4. *Mundiſſimum.*
5. *Benedictum ab Epiſcopo, vel habente priuilegium.*
6. *Celebratio abſque huiuſmodi linteo eſſet ex ſuo genere peccatum mortale.*
7. *Secularibus, & non exiſtentibus in ſacris, illud tangere non licet.*
8. *Eadem conditiones requiruntur in palla, qua tegitur calix.*
9. *Cùm ob vetuſtatem diuino cultui ſeruire nequeunt, in profanos vſus conuerti non poſſunt.*
10. *Extinctum incendium Tuitienſis oppidi ſacri corporalis beneficio.*
11. *Calix velo cooperiendus.*

GRadibus altaris conſcenſis, & dextera educto è theca, quæ iuxta rubricas 1.
Miſſalis, ſiniſtra ſtatuitur in parte Euangelij, corporali, in medio altaris illud explicamus, & expandimus. quod tamen in Miſſa ſolemni fit poſt dimiſſionem

nem Catechumenorum, ex S. Germano *in Theoria*, Amalario *lib.* 3.*c.*19. Innocentio *lib.*2.*c.*56. & aliis. Dicitur autem corporale ex S. Germano *in Theoria*. Iſidoro Peluſiota *epiſt.*123. Alcuino *lib. de off. Eccl.* & Rabano *lib.*1.*inſtit.c.*33. quia in eo reponatur Chriſti corpus; & quia conſequenter illud velat, & palliat, vocatur etiam Palla. *can. ſacratas,d.*23. quamuis Pallæ nomen latiùs pateat, & altaris etiam linteum ſignificet. *can. ſi per negligentiam, de conſecr. d.*2. Porrò communis eſt ſententia, Germani, Iſidori Peluſiotæ, Innocentij *locis cit.* S. Hieronymi *in Matth. c.*27. Remigij *in explicatione Miſſæ*, S. Thomæ 3.*p. quæſt.* 51. *art.*2. & *q.*83.*art.*3. Alenſis 4.*p.quæſt.*36. *art.*4. Bedæ in illud *Marci c.*15. *Ioſeph mercatus ſyndonem,&c.* Alcuini *de diu. off. c. de celeb. Miſſæ*, Durandi *in Rationali, lib.*4.*c.*29. Petri Comeſtoris *c.*180. Gabrielis *lect.*15. *in can.* Soti *lib.*4. *ſent.diſt.*13.*quæſt.*2. *art.*3. & aliorum, corporale ſignificare ſyndonem qua Chriſtus Dominus è cruce depoſitus, inuolutus eſt; quæque Taurini adhuc ſumma cum veneratione adſeruatur, cum Chriſti lineamentis diuinitus impreſſis; quod etiam habetur ex Euſebio Papa *can. conſultò, de conſecr. d.*1.

2. Iam verò quia ſyndon fuit linea, alba, & munda, eadem de cauſa corporale debet eſſe lineum, non autem ſericum, aut ex auro, aut alia pretioſa materia. patet *ex can. conſultò, citato, de conſecrat. d.*1. & Concilio Coyacenſi *c.*3. & communi omnium ſententia. præſertim cùm linum ex viridi in album vertatur, & perficiatur multis preſſuris, & tonſionibus, quæ cum Chriſti paſſione habent analogiam, ex Amalario *lib.* 3. *c.*19. S. Remigio, & aliis. cúmque linteum à tinea, qua reliquæ veſtes conſumuntur, immune ſit, & nitore ſplendeſcat, vt obſeruant ad aliud propoſitum D. Ambroſius *ſer. in natiuit. Apoſtolorum*, 2. & D. Auguſtinus *ſer.*26. *de diuerſis*, nobis etiam innuere poteſt, in ſola Eccleſia, quæ non habet maculam, neque rugam, hoc diuinum ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti reperiri: itémque, quemlibet illius participem, de corde ſuo corruptiones malarum concupiſcentiarum debere excludere, ne à peccatis prauiſque actibus, tamquam tineis penetretur, & corrumpatur. Sub lino tamen Tabiena, Armilla *v. Miſſa*, & Azor *lib.*10.*c.*28.*quæſt.*8. etiam cannapem comprehendunt; quòd veſtes cannape pro lineis communiter habeantur; & vſu receptum ſit, vt corporalia plura ex eo fiant. *Vide lib.* 2. *c.* 8. *n.* 10.

3. Itémque debet eſſe album, *ex dicto can. conſultò, de conſecr. d.* 1. vbi dicitur: *Conſultò omnium ſtatuimus, vt ſacrificium altaris non in ſerico panno, aut tincto quiſquam celebrare præſumat, ſed in puro lineo, vel linteo ab Epiſcopo conſecrato, terreno ſcilicet lino procreato, atque contexto; ſicut corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſyndone linea munda ſepultum eſt.* Idémque habemus ex Syluestro Papa *in Pontificali Damaſi*, & apud Petrum Comeſtorem *c.*180. Concilio Rhemenſi *c.*3. apud Burchardum *lib.*3. *c.*98. Hieronymo *in c.*27. *Matth.* Beda *in c.*15. *Marci*, Nauarro *c.* 25. cum Summiſtis *v. Corporale.* Circa oram tamen, vbi non ponitur Chriſti corpus, ſicut etiam Palla, vbi non imminet Chriſti ſanguini, ornari poteſt ſerico, & pretioſiori materia, ex Suarez *diſp.*81.*ſect.*6. cùm in regulis Miſſalis dicatur, ne in medio, vbi ſcilicet corpus Chriſti collocatur, ſit ſericum.

4. Prætereà oportet eſſe mundiſſimum. nam *Matth. c.*27. dicitur, *Ioſeph inuoluit illud* (nempe Chriſti corpus) *in ſyndone munda*: vt meritò Patres agnoſcant diuini conſilij myſterium, quòd oportuerit mundiſſimum Chriſti corpus etiam ſyndone inuolui munda, & ſepulcro includi nouo. idémque præcipitur *prædicto can. conſultò.* & in Concilio Rhemenſi apud Burchardum *loco cit.* vbi dicitur: *Altaria mundiſſimis linteis, ac Pallis, diligentiſſimè cooperienda.* & in Lateranenſi Concilio ſub

Innoc. III *c.*19.& *de cuſtodia Euchariſtiæ, c. relinqui*, præcipitur, vt oratoria, vaſa, corporalia, & veſtimenta munda & nitida conſeruentur; quòd nimis videatur abſurdum, in ſacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis. Et antea Leo IV. *Hom. ſeu epiſt. per Prouincias ad Epiſcopos miſſa, legenda Presbyteris. Corporale*, inquit, *mundiſſimum ſit: altare ſit coopertum mundiſſimis linteis.* Et in Concilio Coyacenſi celebrato anno 1050. *c.*3. ſtatuitur: *Altare ſit honeſtè indutum, & deſuper lineum indumentum mundum; ſubtus calicem, & deſuper corporale lineum mundum, & integrum.* Qua ſanè in re deploranda eſt incredibilis & nullo modo ferenda plurium ſacerdotum negligentia, qui iis linteis, & pallis, & purificatoriis, in hoc diuino ſacrificio vtuntur, quibus ne ipſi quidem ſine ſtomacho, & horrore in profana menſa ad manus abſtergendas adhiberent. quod ſine graui peccato non fit, ex Armilla *v. Corporale, n.*5. Syluest. *v. Vaſa, & v. Miſſa* 1. *q.*2. iuxta illud Platonis *in Phædone, Impuro purum attingere, nefas eſt, ob inſignem erga diuinum cultum irreuerentiam.* quæ enim conuenientia candoris lucis æternæ, cum ſordibus? quæ proportio inquinatiſſimi amictus, cum eo, quem in transfiguratione probauit Chriſtus *Matth.*17. cùm facta ſunt veſtimenta eius alba, velut nix; & quem in reſurrectione adamauit in Angelis *Matth.*28. *Marci* 16. *Io.*20. *Lucæ* 24. Et in exercitibus, qui eum in cœleſtibus nuptiis comitantur. *Apoc.*19. in albis equis amicti byſſino albo, & mundo; cæteriſque eius cœleſtis Regiæ ciuibus, & beatis *Apoc.*4.5.6.7. qui ſunt ante thronum, & in conſpectu Agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum: ac tandem in ipſa ſponſa Eccleſia, cui *Apoc.*19. datum eſt, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido; & quam Chriſtus *ad Eph.*5. lauit in ſanguine ſuo, vt exhiberet ſibi eam, non habentem rugam, neque maculam? nónne *Leuit.* 10. Deus Aaroni & filiis eius præcepit: *Pectuſculum quoque, quod oblatum eſt, & armum, qui ſeparatus eſt, edetis in loco mundiſſimo?* nónne *Leuit.*24. ipſum candelabrum, in quo ponendæ erant lucernæ extra velum in tabernaculo fœderis, voluit eſſe mundiſſimum? *Super candelabrum* (inquit) *mundiſſimum ponentur ſemper in conſpectu Domini.* nónne etiam *Exod.* 19. vt Deus populum alloqueretur per Moyſem, & ſeſe ei vtcumque oſtenderet, præcepit illi, vt veſtimenta ſua lauaret? Si in figura tanta munditiες, quanta eſſe debet in veritate? Origenes *Hom.*25. *in Matth.* ex ſumma munditie debita altari, etiam cordis, quod Dei altare quoddam eſt, ſummam debere eſſe contendit. *Quis* (ait) *ferat altare Dei conſpurcari? vt altare mundum ſit, vt ornetur, vt niteat curamus: curemus igitur, & toto corde curemus, vt cordis altare ornatum ſit, virtutum ſplendore nitidum, nulliſque peccati ſordibus inquinatum. Procul à corde, Chriſti throno ſordes, procul ſit ſpurcitia, auro ſplendeſcere oportet tanti Regis ſolium, non ſordeſcere.* Huc alludit etiam D. Hieronymus *in c.*27. *Matth.* cùm ait: *Corpus Domini linteamine puro obuoluendum eſt; quod ſpecialiter facit, qui pura mente ſuſcipit.* & Primaſius *in* 1. *ad Corinth. c.*11. *Si in linteo* (ait) *aut vaſe polluto non licet mittere, & id nullus audet, &c.* omitto, quæ hac eadem de re *lib.* 2. *c.*14. *in fine*, ex Petro Damiani *lib.*4. *ep.*14. diſſeruimus. Quare etiam rectè ad maiorem munditiem & reuerentiam ſtatuit Concilium Illerdenſe apud Gratianum *de conſecr. d.*4. vt ad corporalia, pallas, & ſimilia lauanda, habeantur propria vaſa, in quibus nihil aliud fiat.

Debet ſimiliter corporale ab Epiſcopo, vel habente priuilegium benedici, *ex* 5.
citato can. conſultò. S.Th.3. *p. q.*83. *art.* 3. *ad* 8. Innoc. *lib.*2. *c.*56. Soto 4. *d.*13. *q.*2. *art.*4. *ad* 7. Duratque huiuſmodi benedictio, ſeu conſecratio vſque dum notabiliter ſcindatur, ex Sylu. cæteriſque Summiſtis *v. Corporale*; & patet, quia etiam aræ, & calices notabiliter fractæ non retinent conſecrationem.

Porrò

6. Porrò ſi quis celebraret abſque huiuſmodi Corporali benedicto, ex ſuo genere peccaret mortaliter; quia faceret contra præceptum & conſuetudinem Eccleſiæ, valde grauem, ex S.Thom. 3.*p.q.*83.*art.*3, Soto 4.*d.*13. *q.*2. *art.*3. Suarez, & aliis. Quamquam ex eodem Soto *ibidem*, & Azoro *lib.*10.*c.*17.*q.*11. non tenetur ſacerdos ſemper explorare an ſit benedictum; ſicut neque ſi adſint ſuppoſitæ requiſitæ pallæ, ara lapidea, & ſimilia.

7. Prohibentur verò ſeculares, clerici qui non ſunt in ſacris, & Moniales (niſi póſt primam ablutionem, vt iterum diligentiùs lauent, ex licentia Epiſcopi, vel conſuetudine. ex Palud. Syluest. Ang. Tabiena & aliis Summiſtis) Corporalia, & ſacra vaſa tangere. De vaſis, conſtat ex Sixto I. *ep.*2. vbi ait: *Cognoſcat veſtra ſapientia, chariſſimi fratres, quia in hac ſancta ſede Apoſtolica, nobis, & reliquis Epiſcopis, cæteriſque Domini ſacerdotibus, ſtatutum eſt, vt ſacra vaſa non ab aliis quàm à ſacratis, Dominóque dicatis, contrectentur hominibus. indignum enim valde eſt, vt ſacrata Domini vaſa, quæcumque ſint, humanis vſibus ſeruiant, aut ab aliis quàm à Domino familiaribus, eiſque dicatis, tractentur viris: ne pro talibus præſumtionibus iratus Dominus, plagam imponat populo ſuo.* de Corporalibus, & ſimilibus ex Stephano *ep.*1.*c.*3. & habetur *can. veſtimenta de conſecr. d.*1. vbi vetat ſacra veſtimenta, quæ in diuino miniſterio ſeruiunt, ab aliis tangi, quàm à ſacratis hominibus, videatur ad hoc idem *can.*72. *Apoſtol. can. ſacratus. d.*23. *can. nemo per ignorantiam. de conſecr. d.*1. Concilium Romanum ſub Syluestro *c.*9. Bracarenſe I. *c.*18. Bracarenſe III. *can.*2. Pariſienſe tempore Ludouici *lib.*1.*c.*45. D. Athanaſius *Apol.*2. *contra Arianos.* & Gregórius Nazianzenus *orat.*17. *de ſtatu Epiſcopali.* vbi etiam affert exemplum Ozæ *lib.*2. *Reg.c.*6. Sacriſta tamen laicus in religionibus Mendicantium ſolet ex priuilegio tangere, vt patet ex Collectore Priuileg. Mend. *tit. laici fratres.* Nauar. *c.*25.*n.*84. Emanuele Roderico *tom.*2. *q.*123.*art.*2. Henriquez *lib.*9. *c.*28. ſentit tamen Sotus 4. *d.*13. *q.*2. *art.* 3. *in reſp.ad* 3. tactum huiuſmodi, ſi abſit contemtus, non eſſe peccatum mortale.

8. Corporalis conditiones requiruntur etiam in palla, quæ calici ſuperponitur, ex Innocentio *lib.*2.*c.*56. Durando *lib.*4.*c.*29. & aliis. quòd antiquitus eodem met corporali etiam operiretur calix. vt colligitur etiam ex Concilio Coyacenſi *c.*3. vbi habetur: *Sit ſubtus calicem, & deſuper Corporale lineum mundum & integrum.* quare, cùm nunc palla ſit ſeparata, requiret etiam Corporalis conditiones; ſignificat autem ſudarium, quod fuit ſuper caput Chriſti, *ex citatis*; etſi aliqui, vt dicemus *lib.*4.*c.*11. apud Thom. VValdenſem *tom.*3.*tit.*4. *c.*42. Sotum 4. *d.*13.*q.*2. *art.*5. & Hugonem de S. Vict. *lib.*2. *de off. c.*38. velint, ſignificare velum, quo Chriſti Domini nuditas in cruce velata eſt.

9. Quæ diuino cultui inſeruire ob vetuſtatem nequeunt, non ſunt in profanos vſus conuertenda, *ex regula iuris in* 6. *Semel Deo. & can. quæ ſemel* 19.*q.*3. *& aliis*, vt *lib.*2.*c.*13. diximus. & patet exemplo Baltaſſaris regis grauiſſimè à Deo plexi, quòd in profanos vſus ſacra vaſa conuertiſſet. ex quo etiam infert Sotus 4.*d.* 13.*q.*2. *art.*3. *ad* 3. futurum peccatum mortale, ſi quis v.g. ſacro calice vteretur, ſeu potiùs abuteretur in communi menſa ad bibendum, aut ſacro corporali ad purgandas nares; quòd huiuſmodi abuſus inſignem contemtum contineat. Quare cùm apta amplius non ſunt, comburenda ſunt, eorúmque cineres honeſto in loco reponendi. *ex can. Altaris. de conſecr. d.*1. Panorm. *ibid.* S. Clemente *ep.*2. Syluestro cum Summiſtis. *v. Conſecratio. & v. Corporale.*

10. Semper autem, quæ diuino cultui mancipata ſunt, reuerenter tractanda ſunt, & religioſè habenda. vt illis verbis dicit S.Hier. *ep. ad Theophil. Alex.* ſacratos ca-

lices,& ſancta velamina,& cætera,quæ ad cultum dominicę pertinent paſſionis, non quaſi inania, & ſenſu carentia ſanctimoniam non habere, ſed ex conſortio corporis & ſanguinis Domini, eadem, qua corpus eius & ſanguis maieſtate veneranda. quod etiam olim miraculo confirmauit Deus.nam,vt ſcribit Rupertus Abbas *lib. de incendio oppidi Tuitienſis.c.3.* ſacrum Corporale haſtili supernè alligatum, & vorantibus omnia flammis obiectum, ignem repreſſit, eodem incolume permanente.

Statuitur ſuper expanſo Corporali calix præparatus, coopertus velo, ex Rubricis,vt etiam in lege omnia vaſa tabernaculi tecta portabantur,ne aliorum oculis paterent,*Num.4.* in quibus Origenes *Hom.13.& 15.in Leuit.& 4.in Num.* docet ſignificari myſteria ſacrificij indignis & populo colenda,ob myſteriorum reuerentiam. propter quam etiam D. Baſilius *lib.de Spiritu ſancto.c.27.* ait Moyſem non omnia, quæ in templo erant, paſſim eſſe omnibus peruia, quòd ſciret pro ſua ſapientia res vſu tritas, & vndecumque parabiles expoſitas eſſe contemtui; cæterùm ei, quod ſepoſitum eſt, quódque rarum eſt, huic natura coniunctam eſſe ſummam admirationem, ac ſtudium. Quod etiam Platoni viſum ſcribenti, non eſſe ſacra myſteria, & arcana omnibus propalanda; Pythagoræ & Laërtio, ſuis ſymbolis res magnas occultanti; Druidibus Gallorum tradita, ſine ſcripto, doctrina, ex Io. Pico *initio Heptapli*; Ariſtoteli ex induſtria in acromaticis libris quærenti obſcuritatem, vt conſtat ex Plutarcho *in vita Alex.* Gellio *lib. 20. c.4.* & Themiſtio *initio Phy.* Ægyptiis ſuis illis occultis Hieroglyphicis ex Cicerone *lib.1. de natura deorum*, ſapientiam obtegentibus; denique aliis pluribus Philoſophis, vt videre eſt apud Petrum Crinitum *lib.6.de honeſt. diſcip.c.3.* videatur etiam *lib.2.c.12.n.2.* 11.

De libri Liturgiæ in dextera altaris parte præparatione.

CAP. VI.

SVMMARIVM.

1. *De depoſitione præparationéque libri Liturgiæ in dextera altaris parte, eiúſque ſignificatione myſtica.*
2. *An ſit peccatum mortale celebrare ſine libro.*

CVm liber Liturgiæ clauſus delatus fuerit, quòd lex vetus teſtimonia quidem de Chriſto contineret, ſed clauſa & inuoluta vmbris figurarum,in altari depoſitus aperitur, & præparatur, ad ſignificandam Saluatoris mundo oſtenſionem claram, & manifeſtationem. Solus enim Agnus ſeptem ſignacula libri ſacramenti Incarnationis, & paſſionis ſuæ, aperire potuit, vt rectè docet Nicolaus Cabaſila *in expoſitione Liturgiæ.c.1.& 16.* & Hugo de S.Vict. *lib.1.off.c.14.* Id verò fit in dextera altaris parte, ex Hugone *in ſpeculo. c. 7.* & Durando *lib. 4. Ration.c.15.* quòd Chriſtus Dominus in lege promiſſus,prius venerit ad Iudæos, quàm ad Gentes, iuxta illud Domini apud S.Matthæum *c.15. Non ſum miſſus niſi ad oues Iſrael,&c.* Iudæi enim propter legem à Deo illis datam,& alia priuilegia, erant quaſi in parte dextera; Gentes autem quòd idola colerent,in ſiniſtra. At illis reſpuentibus Euangelium, iſtis verò credentibus, Deus hos, loco illorum ſuſcepit, 1.

Apoc.5.

ſuſcepit; & iuxta figuram Iacob *Gen.c.*48. data eſt dextera minori, ſiniſtra verò maiori. vnde & D. Paulus ait *Act.* 13. *Vobis* [Iudæis] *oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes; ſic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem Gentium,&c.* vt etiam *Actor.c.vltimo.* Sed in fine iterum ponitur in dextera, ex eodem Hugone, quòd in fine etiam Iudæorum reliquiæ ſuſcepturæ ſint fidem Chriſti. *Ezechiel. c.*37. *Iſaiæ c.*11. *Oſeæ c.*3. *ad Romanos c.*11. *ad Hebr.c.*8.

2. Sed quæres an ſacerdos ſacrificans neceſſariò in altari Liturgiæ librum habere debeat? Reſpondemus, etſi in iure communi nihil hac de re decretum ſit, neceſſariò tamen ſaltem librum Canonis in altari promtum habere debere, ſub peccato mortali. tum ex communi ſententia D. Antonini 3.*p. tit.*13.*c.*6.§.6. Angeli *v.Miſſa,num.*37. Tabiena *num.*12. Armillæ *num.*6. Sylueſt. *Miſſa.* 1.*q.*2.*verſu, Tertium.* Graſſij *p.p.lib.* 2. *c.*43. Toleti *lib.*2. *c.*2. *inſtit.* Nauar. *c.*45. *num.*84. Henriquez *lib.*9.26.29. Suarez *tom.*3.*diſp.*81.*ſect.*6. Azor *lib.*10.*c.*29.*q.*4. Ledeſmæ 4.*d.*13. *q.*2. *art.*4. Soti *ibid.* tum quia aliàs ſe exponeret graui periculo erroris, cùm humana memoria ſit labilis. tum quia faceret contra generalem conſuetudinem Eccleſiæ rationabilem, quæ vim legis habere ſolet, *can. conſuetudo.d.*1. tum quia continet myſterium, vt dictum eſt. Idque verum eſt etiam in caſu neceſſitatis quamuis ſacerdos ſit adeò inſtructus, vt moraliter non dubitet poſſe integrè omnia ſine libro dicere, ex citatis Doctoribus. quia ſi erret, non poſſit iuuari; ſecus atque accidat, cùm quis memoriter quidem dicit,ſed præſente libro.

De Sacerdotis ante Miſſam inclinatione. CAP. VII.

SVMMARIVM.

1. *Cur ſacerdos, Miſſam inchoaturus, ad altaris crepidinem ſe iterum profundè inclinet.*

1. RECtè ſcripſit D. Cyprianus *ſer. de orat. dominica*, placendum diuinis oculis etiam habitu corporis. etenim,teſte D.Thom. 2.2.*q.*83.*art.*12. decet, vt homo Deo ſeruiat ſecundùm totum illud, quod habet à Deo: cùm igitur & animam & corpus ab illo acceperit, illi vtroque ſeruire debet. præſertim cùm ex D.Auguſtino *lib.de cura pro mortuis.c.*5.*& epiſt.*121.*ad Probam.c.*9. & D.Thom.2.2. *q.*81.*art.*7. huiuſmodi ſignis exterioribus actiùs excitemur interiùs in Dei venerationem. Hæc itaque corporis inclinatio, vt diximus *hoc eodem lib.c.*3. humilitatem & reuerentiam ſignificat. vt conſtat ex Iudith *c.*9. *&* 10. *Matth.*26. *Lucæ* 22. *& Act.c.*21.& aliis. Ideo reuerſus ſacerdos ad altaris crepidinem, in Miſſis priuatis (in ſolemni enim confeſſio fit, antequam aſcendatur ad altare) ſe iterum profundè inclinat; tum ob maiorem reuerentiam diuini Numinis in tanti myſterij celebratione; tum ob ſui demiſſionem, & deſpicientiam. nam ſe quaſi puluerem & cinerem cum Abrahamo ante conſpectum Domini confitetur: tum ad Chriſti Domini ſacerdotis in æternum exinanitionem indicandam, quippe qui inclinauerit cœlos,& deſcenderit,formam ſerui accipiens. vt obſeruat etiam Durandus *lib.*4. *Ration.c.*7. tum quòd non niſi optimum ſortiri poſſint effectum ſacrificiũ, cæteráque opera ſpiritualia, quæ ab humilitatis radice prodeunt. Non enim à proceris cedris, ſed ab humilibus arbuſtis ſuauiſſimum prodit,

dit balſamum; nec manè inceperint dies, quibus diuina opera initio diſtincta ſunt. *Gen.* 1. ſed veſpere; neque figulus aliúſve artifex conceptam animo formam in materiam optimè queat imprimere, niſi antea cera, argilla, & cætera huiuſmodi bene ſubacta & mollia reddita fuerint; quòd certè in re propoſita facit humilitas, quæ ſacrificaturi animum quàm optimè parat, ad diuina chariſmata ſuſcipienda. Sola enim humilitas, D. Gregorio teſte *lib.* 2. *ep.* 54. eſt officij ſacerdotalis erectio. Etenim pupilla oculi quo nigrior eſt, eo magis acutè videt; eóque melius quo profundior. quare etiam quo quiſque humilior eſt, eo Deo acceptior. ideo & Daniel *c.* 3. ad benedicendum Dominum Sanctos & humiles corde prouocat. atque, vt aduertit Gregorius *in Paſtorali*, Deus *Exod.* 27. oſtendens quantum ei placeret humilitas, præcepit altare vacuum eſſe, & non ſolidum. quod ſignificat cor eminentia quidem perfectionis altum eſſe oportere, ſed humilitate vacuum, & concauum, vt quæ ibi offeruntur Deo grata ſint & accepta. Probè igitur S. Auguſtinus *ep.* 36. *ad Dioſcorum* ſcripſit, vti Demoſthenes ter rogatus, quid præcipuum eſſet in oratoria facultate, ter reſpondit, Actionem; ita, ſi de præceptis Chriſtianæ religionis interrogaretur, ſemper ſe reſponſurum, Humilitatem.

De crucis ſigno Miſſæ principio. CAP. VIII.

SVMMARIVM.

1. *Signum crucis Miſſæ initium; & cur.*
2. *Eiuſdem vſus frequentiſſimus in omnibus ſacramentis.*
3. *Idem præmittendum ſingulis actionibus.*
4. *Eodem fideles ſua quæque ſignaſſe.*
5. *Eius virtus multiplex.*
6. *Inſtitutio, & vſus illius ex Apoſtolorum traditione manauit.*
7. *Vſque ad mundi finem ſignandi mos duraturus.*
8. *Quæ membra eodem munienda ſint.*
9. *Eiuſdem myſteria.*
10. *Signandi modus.*

HVmana natura ne mediocre quidem ſibi Numine auxilióque diuino non 1.
adiuta, promittere poteſt, vt etiam Iamblicus vir à Chriſtiana religione alienus, *lib. de myſteriis Ægyptiorum* teſtatur. Hinc fit vt diuinum myſterium auſpicantes ſacro nos ſigno crucis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, muniamus. Hoc enim eſt *Tau*, & ſignum illud, quo Dei electos & Sanctos pro cuſtodia ſignandos, vt populo Dei factum eſt *Exod.* 12. prædicitur apud Ezechielem *c.* 9. vt docet Tertullianus *lib. aduerſus Iudæos*, *& lib.* 3. *aduerſus Marcionem, c.* 11. Cyprianus *lib.* 2. *aduerſus Iudæos*, & Hieronymus *in c.* 9. *Ezechielis*; & de quo etiam *Apocal.* 14. ſcribitur. Habentes nomen eius & nomen Patris eius in frontibus ſuis, vt teſtatũ Oecumenius, Beda, Anſelmus & Rupertus. Signantur autem electi ſigno crucis, tamquam res Deo cariſſimæ & pretioſiſſimæ, vti ſolent Principes rebus cariſſimis ſtémmata propria, ſeu nomina imprimere. vt ad idem propoſitum notauit Ribera & Pererius *in Apocal.* Et licèt nos ſemel

tantùm

tantùm nos ſignemus, ad vnicam diuinitatem reſpicientes, Æthiopes tamen, vt ex eorum Liturgia conſtat, ter, nempe ad cuiuſque ſanctiſſimæ Trinitatis perſonæ nomen, ad perſonarum diſtinctionem ſignificandam, id faciunt. Itaque vbi veteres Hebræorum Pontifices aurea lamina Dei ineffabili nomine inſculpta frontem muniebant, ſic in nouo Teſtamento, Petro Damiani teſte *lib. 3. ep. 9.* ineffabile crucis myſterium, quod ei ex Ruperto *lib. 1. de off. c. 26.* ſucceſſit, ſacerdotum frontem & pectus decorat; & veluti validiſſima & inſuperabilis armatura, vt appellat S. Martialis *ep. ad Burdigal. c.8.* & Ephrem *lib. de armat. ſpirituali c.2.* ſeu infractum ſignum, vt vocat S. Clemens *lib. 3. conſtit. c.16.* contra omnes mentis euagationes, & tentationes inimici in tanto ſacrificio, communit. Id enim, vt D. Ignatius loquitur *ep.8. ad Philippenſes*, trophæum (quo etiam nomine appellat Clemens *lib.8.c.16.*) contra diaboli potentiam eſt, quod vbi videt, horret; & audiens timet; &, vt dicebat S. Antonius, eo debilitatus aufugit. Vnde D. Chryſoſtomus *Hom. 55. in Matth. Si crucem faciei tuæ impreſſeris, nullus ſceleſtorum dæmonum, cùm haſtam viderit, qua lethale vulnus accepit, congredi tecum audebit.* Quinimmo, vt vtar verbis S. Arnaldi *tr. de duobus vltimis verbis Domini in cruce*, diſparent dæmones ad viuificum ſignum, nec temere accedunt ad conſecratam ſanguinis balſamo domum. Quare Cyrillus *Catech. 4. c.8.* diſſerens de ſigno crucis, ait, quòd *ſi quis id occultet, tu manifeſtè ſigna te fronte, vt dæmones ſignum regis videntes, trementes procul fugiant.* Similia habet *Catech. 13.* vt etiam Origenes *Exod. 25. Hom.6.* Lactantius *lib.4. de vera ſap. c.27.* & Metaphraſtes *in vita Danielis Stylitæ.* Quod & probat Iſidorus *in Gloſſa lib.1. Reg.16.* exemplo ſpiritus infeſtantis Saulem, qui haud ob ſonum pſalterij, vt tale erat, ſed vt Domini crucem figurabat, compeſcebatur. Quamquam ea etiam de cauſa 2.
initio adhiberi poſſit, vt ad Deum dirigatur intentio noſtra. Hæc enim in rebus etiam per ſe bonis, plurimum valet. quod vt in naturalibus actus & operationes ab obiecto ſpeciem & dignitatem ſortiuntur, vt diſputant Philoſophi *lib.2. de anima*; ita in moralibus ab ipſa intentione, qua voluntas in operationem fertur, ſeu fine deſumat. quam ob cauſam rectè S. Gregorius *lib.28. Moral. c.13.* rectam in bonis operibus intentionem baſibus, quibus innituntur columnæ, totum virtutis ædificium fulcientibus, comparauit. & D. Bernardus *ſer. 40. in Cant.* exponens illud, *Pulcræ ſunt genæ tuæ*, docet, faciem animæ eſſe mentis intentionem, quòd ex ea rectitudo operis, ſicut ex facie pulcritudo corporis, æſtimetur; noluiſſe autem Spiritum ſanctum dicere faciem vnitatis numero, ſed genas numero multitudinis, quòd duo in recta intentione neceſſariò requirantur, res ſcilicet & cauſa. id, eſt, quid intendas, & propter quid. Et Richardus de S.Vict. *lib. de ſtatu interioris hominis. p.1. c.7. Quod* (inquit) *eſt corpus ſine anima, hoc eſt opus ſine bona intentione.* Vt igitur in Ethnicorum ſacrificiis, vt conſtat ex Apuleio, ſacerdos ea præconis voce: *Hoc age.* monebatur debita cum intentione & diligentia ſacrificium peragere; ita in noſtro ad hoc idem diligenter præſtandum ſacro crucis ſigno monemur. Idem fit ad Dei opem & auxilium implorandum & 3.
impetrãdum, quòd hoc ſigno illico & implicitè à Deo per Chriſti crucifixi merita petamus, quicquid multis verbis explicitè peteremus diuinam opem implorantes in tanti ſacrificij oblatione, & cæteris actionibus; non enim ſola voce, ſed etiam ſignis & nutibus ſæpe loquimur. Rei typum in Moyſe vide mus expreſſum, cuius oratio tunc à Deo victoriam populo impetrabat. *Exod. 17.* cùm in crucis figura contra Amalech, manus ad cœlum leuabat. vt ad hoc idem propoſitum obſeruarunt Iuſtinus *dialogo cum Tryphone*, Irenæus *lib.4. contra hereſes c.41.*

dit balſamum; nec manè inceperint dies, quibus diuina opera initio diſtincta ſunt. *Gen.* 1. ſed veſpere; neque figulus aliúſve artifex conceptam animo formam in materiam optime queat imprimere, niſi antea cera, argilla, & cætera huiuſmodi bene ſubacta & mollia reddita fuerint; quòd certè in re propoſita facit humilitas, quæ ſacrificaturi animum quàm optimè parat, ad diuina chariſmata ſuſcipienda. Sola enim humilitas, D.Gregorio teſte *lib.*2. *ep.*54. eſt officij ſacerdotalis erectio. Etenim pupilla oculi quo nigrior eſt, eo magis acutè videt; eóque melius quo profundior. quare etiam quo quiſque humilior eſt, eo Deo acceptior. ideo & Daniel *c.*3. ad benedicendum Dominum Sanctos & humiles corde prouocat. atque, vt aduertit Gregorius *in Paſtorali*, Deus *Exod.*27. oſtendens quantum ei placeret humilitas, præcepit altare vacuum eſſe, & non ſolidum. quod ſignificat cor eminentia quidem perfectionis altum eſſe oportere, ſed humilitate vacuum, & concauum, vt quæ ibi offeruntur Deo grata ſint & accepta. Probè igitur S.Auguſtinus *ep.* 56. *ad Dioſcorum* ſcripſit, vti Demoſthenes ter rogatus, quid præcipuum eſſet in oratoria facultate, ter reſpondit, Actionem; ita, ſi de præceptis Chriſtianæ religionis interrogaretur, ſemper ſe reſponſurum, Humilitatem.

De crucis ſigno Miſſæ principio. CAP. VIII.

SVMMARIVM.

1. *Signum crucis Miſſæ initium; & cur.*
2. *Eiuſdem vſus frequentiſſimus in omnibus ſacramentis.*
3. *Idem præmittendum ſingulis actionibus.*
4. *Eodem fideles ſua quæque ſignaſſe.*
5. *Eius virtus multiplex.*
6. *Inſtitutio, & vſus illius ex Apoſtolorum traditione manauit.*
7. *Vſque ad mundi finem ſignandi mos duraturus.*
8. *Quæ membra eodem munienda ſint.*
9. *Eiuſdem myſteria.*
10. *Signandi modus.*

HVmana natura ne mediocre quidem ſibi Numine auxilióque diuino non 1. adiuta, promittere poteſt, vt etiam Iamblicus vir à Chriſtiana religione alienus, *lib. de myſteriis Ægyptiorum* teſtatur. Hinc fit vt diuinum myſterium auſpicantes ſacro nos ſigno crucis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, muniamus. Hoc enim eſt *Tau*, & ſignum illud, quo Dei electos & Sanctos pro cuſtodia ſignandos, vt populo Dei factum eſt *Exod.* 12. prædicitur apud Ezechielem *c.*9. vt docet Tertullianus *lib. aduerſus Iudæos*, & *lib.*3. *aduerſus Marcionem, c.*11. Cyprianus *lib.*2. *aduerſus Iudæos*, & Hieronymus *in c.*9. *Ezechielis*; & de quo etiam *Apocal.* 14. ſcribitur. Habentes nomen eius & nomen Patris eius in frontibus ſuis, vt teſtatur Oecumenius, Beda, Anſelmus & Rupertus. Signantur autem electi ſigno crucis, tamquam res Deo cariſſimæ & pretioſiſſimæ, vti ſolent Principes rebus cariſſimis ſtémmata propria, ſeu nomina imprimere. vt ad idem propoſitum notauit Ribera & Pererius *in Apocal.* Et licèt nos ſemel tantùm

tantùm nos ſignemus, ad vnicam diuinitatem reſpicientes, Æthiopes tamen, vt ex eorum Liturgia conſtat, ter, nempe ad cuiuſque ſanctiſſimæ Trinitatis perſonæ nomen, ad perſonarum diſtinctionem ſignificandam, id faciunt. Itaque vbi veteres Hebræorum Pontifices aurea lamina Dei ineffabili nomine inſculpta frontem muniebant, ſic in nouo Teſtamento, Petro Damiani teſte *lib. 3. ep. 9.* ineffabile crucis myſterium, quod ei ex Ruperto *lib. 1. de off. c. 26.* ſucceſſit, ſacerdotum frontem & pectus decorat; & veluti validiſſima & inſuperabilis armatura, vt appellat S. Martialis *ep. ad Burdigal. c.8.* & Ephrem *lib. de armat. ſpirituali c. 2.* ſeu infractum ſignum, vt vocat S. Clemens *lib. 3. conſtit. c.16.* contra omnes mentis euagationes, & tentationes inimici in tanto ſacrificio, communit. Id enim, vt D. Ignatius loquitur *ep.8. ad Philippenſes*, trophæum (quo etiam nomine appellat Clemens *lib.8.c.16.*) contra diaboli potentiam eſt, quod vbi videt, horret; & audiens timet; &, vt dicebat S. Antonius, eo debilitatus aufugit. Vnde D. Chryſoſtomus *Hom. 55. in Matth. Si crucem faciei tuæ impreſſeris, nullus ſceleſtorum dæmonum, cùm haſtam viderit, qua lethale vulnus accepit, congredi tecum audebit.* Quinimmo, vt vtar verbis S. Arnaldi *tr. de duobus vltimis verbis Domini in cruce*, diſparent dæmones ad viuificum ſignum, nec temere accedunt ad conſecratam ſanguinis balſamo domum. Quare Cyrillus *Catech.4. c.8.* diſſerens de ſigno crucis, ait, quòd *ſi quis id occultet, tu manifeſtè ſigna te fronte, vt dæmones ſignum regis videntes, trementes procul fugiant.* Similia habet *Catech. 13.* vt etiam Origenes *Exod.25. Hom.6.* Lactantius *lib.4. de vera ſap. c.27.* & Metaphraſtes *in vita Danielis Stylitæ.* Quod & probat Iſidorus *in Gloſſa lib.1. Reg.16.* exemplo ſpiritus infeſtantis Saulem, qui haud ob ſonum pſalterij, vt tale erat, ſed vt Domini crucem figurabat, compeſcebatur. Quamquam ea etiam de cauſa 2. initio adhiberi poſſit, vt ad Deum dirigatur intentio noſtra. Hæc enim in rebus etiam per ſe bonis, plurimum valet. quod vt in naturalibus actus & operationes ab obiecto ſpeciem & dignitatem ſortiuntur, vt diſputant Philoſophi *lib.2. de anima*; ita in moralibus ab ipſa intentione, qua voluntas in operationem fertur, ſeu fine deſumat. quam ob cauſam rectè S. Gregorius *lib.28. Moral. c.13.* rectam in bonis operibus intentionem baſibus, quibus innituntur columnæ, totum virtutis ædificium fulcientibus, comparauit. & D. Bernardus *ſer. 40. in Cant.* exponens illud, *Pulcræ ſunt genæ tuæ*, docet, faciem animæ eſſe mentis intentionem, quòd ex ea rectitudo operis, ſicut ex facie pulcritudo corporis, æſtimetur; noluiſſe autem Spiritum ſanctum dicere faciem vnitatis numero, ſed genas numero multitudinis, quòd duo in recta intentione neceſſariò requirantur, res ſcilicet & cauſa. id, eſt, quid intendas, & propter quid. Et Richardus de S. Vict. *lib. de ſtatu interioris hominis. p.1. c.7. Quod* (inquit) *eſt corpus ſine anima, hoc eſt opus ſine bona intentione.* Vt igitur in Ethnicorum ſacrificiis, vt conſtat ex Apuleio, ſacerdos ea præconis voce: *Hoc age.* monebatur debita cum intentione & diligentia ſacrificium peragere; ita in noſtro ad hoc idem diligenter pręſtandum ſacro crucis ſigno monemur. Idem fit ad Dei opem & auxilium implorandum & 3. impetrãdum, quòd hoc ſigno illico & implicitè à Deo per Chriſti crucifixi merita petamus, quicquid multis verbis explicitè peteremus diuinam opem implorantes in tanti ſacrificij oblatione, & cæteris actionibus; non enim ſola voce, ſed etiam ſignis & nutibus ſæpe loquimur. Rei typum in Moyſe vide mus expreſſum, cuius oratio tunc à Deo victoriam populo impetrabat. *Exod. 17.* cùm in crucis figura contra Amalech, manus ad cœlum leuabat. vt ad hoc idem propoſitum obſeruarunt Iuſtinus *dialogo cum Tryphone*, Irenæus *lib.4. contra hæreſes c.41.*

Tertullianus *lib.aduerſus Iudæos,c.*10.*lib.*3.*contra Marcionem,c.*18. Cypr. *lib.aduerſus Iudæos,c.*21.*& in exhortatione ad Martyr.c.*8. Damaſcenus *lib.*4.*de fid.c.*22. Origenes *Hom.* 8. *in diuerſa loca Euangelij.* Ambroſius *ſer.* 56. Nazianzenus *orat.* 6. Proſper *lib.de promiſſ.& præd.p.*1.*c.vlt.* & Auguſtinus *lib.de quinque hæreſibus.c.*2. Et denique
4. fit,vt initio breuiſſime fiat fidei noſtræ proteſtatio præſcripta *Matth.*28.

Haud igitur mirum, vt cum Chryſoſtomo loquar *Hom. quod Chriſtus ſit Deus,* 2.
ſi crucis ſignum in ſacra menſa, & cum corpore Chriſti in myſticis cœnis fulgeat; nec in noſtra tantùm quæ D. Petri eſt, ſed etiam in D. Iacobi Liturgia, Marci & aliorum, in quibus frequentiſſimè hoc ſigno, dona patenæ, calices, ſacerdos, & populus ſignantur, reliquiſque ſacramentis perficiendis adhibeatur. Vt enim D.Dionyſium omittam *de Eccl.hier. c.*4. 5.6. Cyprianus *tract. de baptiſmo Chriſti, In Cruce* (ait) *Domini gloriamur, crucis virtus omnia peragit ſacramenta, ſine quo ſigno nihil eſt ſanctum, neque aliqua conſecratio meretur effectum.* quod etiam repetit *tract. de Paſſione Chriſti.* & D.Auguſtinus *ſer.*181. *de temp. c.*3. *Signo* (inquit) *crucis conſecratur corpus dominicum, ſanctificatur fons Baptiſmatis,initiantur Preſbyteri,& cæteri gradus eccleſiaſtici, & omnia quæcumque ſanctificantur, cum inuocatione Chriſti nominis hoc ſigno conſecrantur.* & *tr.*118.*in Io. Quid eſt quòd omnes norunt lignum crucis, niſi crux Chriſti? quod ſignum niſi adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ, qua regenerantur, ſiue oleo quo chriſmate vnguntur, ſiue ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* & denique *ſer.*19. *de Sanctis, qui eſt in Appendice* 75. *Crucis myſterio rudes catechizantur, eodem fons regenerationis conſecratur, eiuſdem ſigno crucis per manus impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt; cum eiuſdem crucis charactere Baſilicæ dedicantur,altaria conſecrantur, altaris ſacramenta cum interpoſitione dominicorum verborum conficiuntur; Sacerdotes & Leuitæ per hoc idem ad ſacros ordines promouentur, & vniuerſaliter omnia Eccleſiæ ſacramenta in huius virtute perficiuntur.* Et ne nimius ſim vniuersè etiam dixit Iuſtinus Martyr *Apol.*2. ſine crucis ſigno,nihil eorum, quæ ad ſalutem noſtram conducunt, conſummari. quod iiſdem prorſus verbis repetit Chryſoſtomus *Hom.*55.*in Matth.*

Quin etiam Patres ſingulis fidelium actionibus, nedum in ſacris, pro cuſto- 3.
dia præmittendum admonent. S. Martialis *epiſt. ad Burdigal. c.*8. *Crucem Domini* (inquit) *in quem credidiſtis, Deum verum,& Dei filium ſemper in mente,in ore,& in ſigno tenete.* Tertullianus *lib. de corona mil.c.*3. *Ad omnem proceſſum atque promotum, ad omnem aditum, & exitum,ad veſtitum,ad calceatum,ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia,ad ſedilia,quæcumque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.* Cyrillus *Catech.*4. *Fac autem hoc ſignum, & manducans, & bibens, & ſtans, & ſedens, & loquens,& ambulans,& in omni negotio tuo.* & *Catech.*13. *Sed in fronte fidenter ſignaculum crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat, in panibus comedendis, in poculis bibendis, in egreſſu, & ingreſſu, ante ſomnum recumbendo, & reſurgendo,eundo,& quieſcendo, magna hæc eſt cuſtodia.* Ambroſius *ſer.*44. *Debemus ergo ſurgentes gratias Chriſto agere, & omne diei opus in ſigno facere Saluatoris.* Hieronymus quoque *epiſt.*22.*ad Euſtochium, c.*16. *Ad omnem actum, ad omnem inceſſum, manus pingat crucem.* Chryſoſtomus *Hom.*21.*ad pop. Crucem fronte imprime, ſic enim nec ipſe diabolus lædere poterit.* Iuſtinus iunior Imperat. verba facturus ad populum, ſe ſigno crucis fronte ſignauit; vnde Corippus Africanus dum illius laudes perſequitur, canit:

Ipſe coronatus ſolium conſcendit auitum,
Atque crucis faciens ſignum venerabile, ſedit:
Erectâque manu cuncto præſente ſenatu
Ore pio, hæc orans ait, &c.

Cum

Cùm Macedonius Patriarcha Conſtantinopolitanus ob fidem catholicam ab Anaſtaſio Imperatore in exilium pulſus, Gangræ obiiſſet, eſſétque condendus in ſepulcro in æde Martyris Callinici, ſublata manu dextera crucis ſigno ſepulcrum ſignauit, ex Anaſtaſio Biblioth. Theophane, & Cedreno *in annalibus anni 515*. Meminit VVilelmus Neubrigenſis *lib.2. de rebus Anglorum, c.21*. Cetelli pij viri reprehenſi ab Angelo cuſtode, quòd per obliuionem, ſigno crucis non ſe muniiſſet, vt facere conſueuerat, cùm domo egrediebatur; & moniti, caueret ne ſe deinceps dæmones ſine hoc ſacro ſigno inuenirent.

4. Sed nec ſeipſos tantùm, verùm res quoque ſuas fideles ſigno crucis munire ſolitos, conſtat. Ponendum in domorum culminibus, docet Chryſoſtomus *Hom. quòd Chriſtus ſit Deus*; pingendum in ianuis, S. Ephrem *lib. de pænit. c.3*. in ſingulis cubiculis, S. Nilus *ep. Olympiodorum, in II. Synodo Nicana. act.4*. & huc ſpectat, quod ait S. Ambroſius *in ep. ad Coloſſ.c.4. in fine: Domum ſalutat*. tam enim deuota fuiſſe videtur, vt omnis domus eius, ſigno titulata eſſet crucis; ſuper lecto, Tertullianus *lib. 2. ad vxorem. c.5*. ſuper cibo, & potu, S. Paulus 1. *ad Timoth.4*. affirmans ſanctificari, quæ apponuntur per verbum, iuxta expoſitionem S. Auguſtini *lib.2. de pecc.mer.c.26*. Chryſoſtomi, & aliorum Græcorum. Idémque conſulit Origenes *lib.3. in Iob*. Teſtatur Palladius *in Lanſiaca.c.2*. Monachum cùm aſpidem in puteo vidiſſet, ſigno crucis ſignaſſe puteum, & illæſum bibiſſe. In ſingulis poculis milites Chriſtianos id factitaſſe ſcribit Theodoretus *lib.3. hiſt.c.13*. Simile habetur apud Ionam Abbatem *in vita Euſtaſij* apud Bedam. Idem indicat Theodorus Studita *ep.ad Naueratium, quæ eſt lib.2. ep.63*. cùm ait: *Venit præfectus, huiuſmodi colloquia monet, & quod ne ſemel quidem feceras in carcere, potum præbuit, anxius accepi, ter obſignans ebibi*. Sed vnum pro omnibus addamus Chryſoſtomum *Hom. citata, quòd Chriſtus ſit Deus. Hanc* (inquit) *vbique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in ſolitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigiis, in inſulis, in lectibus, in veſtibus, in armis, in thalamis, in ſympoſiis, in vaſis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutis malè affectis, in corporibus à dæmoniis obſeſſis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in Monachorum ordinibus, adeò certatim hoc mirabile donum rapiunt omnes.*

5. Et ſanè plurimum hoc ſignum valet. Primò ad dæmones profligandos, vt initio capitis dicebamus, & teſtatur Marius Victorinus cùm *lib.3. aduersùs Arium* ait: *Myſterio enim crucis omnes aduerſæ Chriſto ab eodem Chriſto triumphatæ ſunt poteſtates*. vt enim ait S. Ambroſius *ſer.56*. vbi ſignum crucis erigitur, ſtatim & diaboli iniquitas effugatur. litteríſque prodidit Gregorius Nyſſenus *in vita Gregorij Neocæſarienſis*, in eo ſigno ſæpe dæmones in fugam actos. quod etiam de S. Antonio narrat Athanaſius *in eius vita*. & videndus Petrus Damiani *lib.6. ep.21*. & Cæſarius Heiſterbachenſis *lib.5. c.44. 47. lib. 10.c.11*. Compelluntur enim dæmones, non ſolùm ex deuotione operantis, cùm etiam ab extraneis à Chriſtiana religione nedum à Chriſtianis malis, adhibitum valeat, ex D. Auguſtino *lib.83.qq.q.79*. ſed Crucifixi virtute, vt ait Chryſoſtomus *Hom. quòd Chriſtus ſit Deus*, ſeu diuino imperio propter honorem Excellentiſſimi Imperatoris noſtri, vt *loco citato* ait Auguſtinus, hoc ſignum reuereri; & ad illius præſentiam contremiſcere. Ideo Cyrillus *Catech.13*. *Magna hæc cuſtodia* (ait) *quæ propter pauperes gratis datur ſine labore propter infirmos, cùm à Deo ſit hæc gratia. & timor dæmonum*. & Prudentius *hymno 6. ante ſomnum*.

O tortuoſe ſerpens

Qui mille per Meandros,
Fraudéſque flexuoſas,
Agitas quieta corda:
Diſcede, Chriſtus hic eſt:
Hic Chriſtus eſt, liqueſce:
Signum, quod ipſe noſti,
Damnat tuam cateruam.

Et quidem de Iuliano Apoſtata ſcribit S. Gregorius Nazianzenus *orat.1. contra eundem*, Theodoretus *lib.3.hiſt.c.3.* Caſſiodorus *lib.6.c.1.* Nicephorus *lib.10.c.3.* & Freculpus Lexouenſis Epiſcopus *lib.4.c.9.* cùm ex veteri conſuetudine ſe cruce ſignaſſet in idolorum ſacrificio reformidans teterrimos dæmones, illos fugaſſe. Simile de Iudæo in Gentilium Phano pernoctante narrat D. Gregorius *in Dialogis.* Teſtis eſt Theodorus lector *lib.1.* ſolo crucis ſigno, non autem magia vlla, dæmones potuiſſe expelli ex caſtro Thundadecro inter Perſas, & Indos, quod dæmonibus commendatum fuerat: quare viſo miraculo Cadabades Perſarum Rex caſtro poſitus, fecit cuique liberum vt Chriſtianam fidem, ſi vellet, complecteretur. Idem docet Nicephorus *lib.16.c.36.* & Anaſtaſius Biblioth.
2. *in fine Anaſtaſij Imperatoris.* Valet deinde ad veneficia, & incantationes diſſoluendas. *Signo crucis* (inquit Anaſtaſius *lib. de incarnat. Verbi*) *magica omnia compeſcentur, veneficia inefficacia ſunt, idola deſerta relinquuntur.* Auguſtinus *ſerm.19. de Sanctis. Hoc maleficia* (inquit) *deſtruit, & omnia dæmonum machinamenta ad nihilum redigit.* & Cyrillus *Catech.13. Dæmones fugat, & veneficiorum incantationúmque auertit impoſturas.* S. Eligius Nouiomenſis docens ſuos dicebat, *Chriſtianis nec auguria, nec alia quælibet figmenta poſſunt officere;* quia vbi ſignum crucis cum timore, & fide Dei præceſſerit, ibi inimicus nihil nocere poteſt; vt ſcribit S. Audoënus *lib.2. eius vitæ. c.26.* & Martinus del Rio *lib.6. diſq. mag. c.2. ſect.3. quæſt.3.* Idem docet Epiphanius *hæreſi 30.* tum exemplo virginis Chriſtianæ, quæ ſignaculo crucis, & inuocatione nominis Chriſti, vanas reddidit incantationes, & laſciuias Adoleſcentis Iudæorum Patriarchæ, qui eam deperibat; tum Ioſephi, qui cùm Tiberiadis templum inchoatum Chriſto ædificare vellet, ſeptémque fornaces ad hoc extruxiſſet, quæ incantationibus Iudæorum ardere non poterant, iniecta aqua ſigno crucis ſignata magiam & incantationem omnem diſſoluit, igne ſtatim coram omnibus emicante. Beatus Vedaſtus vaſa errore Gentilico dæmoniacis incantationibus infecta confregit, effuſo quicquid liquoris pro conuiuio Clotarij filij Clodouci Francorum Regis habuerant. eodem ſolo crucis ſigno, vt ſcribit Albinus Flaccus *in eius vita*, ſanctus Simplicius idolum Berecynthiæ, quod à bobus trahebatur, ſigno crucis illico illis defixis, ſubuertit, ex Gregorio Turonenſi *lib. de glor. confeſſ. c.77.* Cùm S. Porphyrius Gazæ Epiſcopus ante idolum Veneris, in quo dæmon reſponſa dabat, cum cruce, quæ ei præferebatur, conſtitiſſet, dæmon confracto idolo, & duobus Gentilibus interfectis, repentè fugit. Nihil autem refert num in materia permanenti, an in actione tranſeunte conſtituatur, cùm figura & ſignificatio ſit eadem, nihílque materiæ diuerſitas operetur. Alia huiuſmodi de ſigni crucis virtute contra magiam afferuntur à Dinamo *in vita B. Maximi Rhemenſ.* apud Surium menſe Nouembri; & *in vita B. VVlframi*, ab eodem Surio menſe Martio. Ex quibus Herbrandi aliorúmque hæreticorum impudentiam perſpicias, qui pro ſumma ſuperſtitione & magia habent hoc ſalutare ſignum, cùm verius radicitus omnem magiam deſtruat; vnde rectè ſcripſit Lactantius

lib.4.

*lib. 4. Inſtit. c.27. Cùm diis ſuis Gentiles immolant, ſi aſſiſtat aliquis ſignatam frontem ge-
rens, ſacra nullo modo litant.* Cuius etiam rei cauſam reddit, vt deinde fecit quo-
que Prudentius, quòd præſente Chriſtiano haud poſſet dæmon in extis ſigna
facere. Valet ad pellendos dæmones ex Energumenis; vt docet Chryſoſtomus 5.
Hom. quòd Chriſtus ſit Deus, & Lactantius *loco citato.* & patet exemplo Caſſij Nar-
nienſis Epiſcopi, qui dæmonem ex Spathario Totilæ ſigno crucis expulit, ex
Gregorio *lib.3. dialog.c.6.* & Hoſpitij apud Gregorium Turonenſem *lib.6. hiſt.c.6.*
Nec tantùm ex Energumenis Chriſtianis, ſed etiam Ethnicis, ex Tertulliano
in Apolog. c.37. Valet ad morbos ſanandos ex Cyrillo *catech.13.* & Chryſoſto- 4.
mo *Hom. 55. in Matth.* qui etiam *Hom.8. in c.3. ad Coloſſ.* ſuperſtitioſa remedia,
quæ ægrotis applicantur, idololatriam ſapere ſcribit, & ſubdit: *Fidelis eſt? cru-
cis ſignaculo vtatur, hoc duntaxat habet ſcutum, hoc ſolum pharmacum.* Et ipſemet vxo-
rem Præſidis Antiochiæ morbo torminum liberauit crucis ſigno aquæ ad bi-
bendum impreſſo, vt ſcribit Leo Imperator *in Encomio Chryſoſtomi,* & Metaphra-
ſtes. Exemplum habemus matris S. Gregorij Nazianzeni ſanatæ ab inedia pa-
ne cruce ſignato, apud eumdem *orat.19.* Cæci eodem ſigno illuminati, à ſancto
Apollinari *in eiuſdem vita.* Piæ fœminæ, quæ habebat cancrum in mamilla, nul-
lis medicamentis ſanabilem, reſtitutæ valetudini ſigno crucis apud D. Auguſti-
num. Longobardi militis, cui obriguerat, brachium dum vellet percutere D.
Hoſpitium, ab eodem ſigno crucis ſanitati reſtituti, apud Gregorium Turo-
nenſem *lib. hiſt. c.6.* Teſtatur Theophanes captos Turcas militantes in exercitu
Perſarum, Conſtantinopolim ductos, inuentos in fronte crucis ſtigmate ſigna-
tos; rogatóſque à Mauritio Imperatore quid ſibi id vellet, reſpondiſſe cùm
ipſorum Prouincia peſte laboraret, illud remedium pro ſalute conſequenda
fuiſſe à Chriſtianis edoctos, nec fruſtrà. videndus etiam Zonaras *lib. 3. annal.*
& Nicephorus *lib. 18. c.20.* Omitto, quæ de Macario Patriarcha Antiocheno,
dum in Bauaria moraretur, ſcribit Anonymus *in illius vita.* Itémque quæ refert
Gregorius Turonenſis *lib. 1. de miraculis, c.5.* Valet ad carnis tentationes, à dæ- 5.
mone, & miniſtris eius immiſſas, peruincendas, ex Prudentio *in hymno ante
ſomnum.* Ad quod etiam alludens D. Hieronymus *ep.1.* ad Eliodorum, inquit: *In-
tus hoſtis, expedite rudentes, vela ſuſpendite, & crux antennæ figatur in frontibus.* Eſt præ-
clarum exemplum apud Damaſcenum *in vita Ioſaphat,* qui excitatas tentatio-
nes à dæmone, & impudicis fœminis, ſigno crucis ſe muniens ſuperauit. Itém-
que aliud ſanctæ Iuſtinæ apud Metaphraſtem *in vita illius*; vt taceam, quod de
Chriſtiana virgine diximus, *in hoc eodem* §. 5. Noui ego Patauij egregium ado-
leſcentem Philoſophiæ ſtudioſum, qui iis tentationibus impetitus, eas adeò
facile ſigno crucis in pectore impreſſo extinguebat, ac ſi carbonibus ſuperfu-
diſſet aquam, eodemmet diuinam crucis virtutem mirante, ac pæne tremente.
Ex ipſomet proſtibulo illæſam virginem exiiſſe ſigni crucis beneficio, conſtat
ex Palladio *in Lauſiaca, c.148.* Valet ad auertenda pericula. Autor eſt Cyprianus 6.
orat. pro Martyr. S. Ambroſius *lib. 2. ad Virg.* & Metaphraſtes, S. Teclam à D.
Paulo edoctam, ſigno crucis è mediis flammis prodiiſſe incolumem. De Co-
prete, poſtquam per ſemihoram in igne fuiſſet, idem docet Palladius *in Lauſia-
ca, ſect.49.* ſanctus Tiburtius eodem armatus, immunis ſuper carbonibus ambu-
lauit, ex eius actis. Eodem remedio Victorius Epiſcopus vrbis incendium re-
preſſit, ex Gregorio Turon. *lib. de glor. conf. c.56.* quod etiam Rhemis fecit S. Re-
migius, ex Hincmaro *in vita eiuſdem,* & Leo IV. anno 847. Romæ, ex Anaſta-
ſio Biblioth. *in illius vita*; & Gregorius VII. anno 1082. Eccleſiæ S. Petri, ex Ber-

tholdo Conſtantienſi. Mare repreſſit ſanctus Hilarion depictis in ſabulo tribus crucibus, anno 365. quod, quaſi obicem indignans, ad immenſam altitudinem intumuit, ne Epidaurum funditus euerteret. vt in eius geſtis ſcribit S. Hieronymus. quem imitatus, anno 821. Theodorus Studita, vt in eiuſdem geſtis docet Michaël Studita, ligno cruce efformata, defixáque in ripa fluminis exundare ſoliti agrum Ptelearum ſingulis pæne annis, eluuionem compeſcuit. Veneni vim hoc ſalutari ſigno extingui, ſcribit D. Chryſoſtomus *Hom. 55. in Matth.* & conſtat exemplo D. Benedicti, apud Gregorium *lib.2. dialog. c.3.* & Monachi apud Palladium *in Lauſiaca, ſect.2.* vt antea retulimus *num.4.* & Iuliani Epiſcopi Boſtrenſis *in prato ſpirituali, Io. Euirati, c.94.* Theodorus Archimandrita eodem auertit ſolitas frugum calamitates, teſte Gregorio eius diſcipulo. Feroces beſtias hoc vnico telo occiſas, non tantum ſcriptis docuit S. Chryſoſtomus *Hom.55. in Matth.* ſed etiam facto. Cum enim Alexandrinum agrum vaſtaret Leo, eóque tranſmiſſa eſſet, a D. Chryſoſtomo crux, vt beſtia prope crucem acceſſit, ſtatim interiit, vt ex eius vita edocemur. Pari ratione ingentem draconem interfecit S. Donatus, ex Sozomeno *lib.7.c.25.*& Nicephoro *lib.12.c.45.* Ioannitius Anacorita hoc ariete captiuos Græcos è Bulgarorum carcere liberauit anno 825. vt ex ſcriptore eius vitæ conſtat. S. Martinus cadentem arborem, ſibique ruinam minantem, alio ſigno crucis auertit; ſéque eo munitum ſecurum hoſtium cuneos penetraturum Iuliano Imperatori promiſit, ex Seuero Sulpicio. Eodem tutus vexillo Conſtantinus Magnus ſæpius de hoſtibus triumphauit, ex Euſebio *in eius vita, lib.1. c.7. & 9.* Simile Gallicano eius genero accidit; vt enim refert Sigonius *lib. 3. de Imp. occid.* cùm aduersùs Scythas bellum gereret, ei ex improuiſo apparuit puer cum cruce, imperans vt arrepto gladio ſe ſequeretur, victoriam enim conſequuturum. quod probauit euentus. Phritigernes Gothus contra Athanaricum item Gothum decertans, anno 370. vexilli crucis beneficio victor euaſit, ex actis S. Nicetæ apud Metaphraſtem die 15. Septembris. Pari modo Theodoſius anno 394. contra Eugenium initurus prælium, ſigno crucis ſe muniens, diuinitus inimicorum ſpiculis in eóſdem retortis, victoriam adeptus eſt, ex Ruffino *lib.2. c.33.* & cum eo Socrate *lib. 4. c. 24.* Sozomeno *lib.7. c.24.* Paulo Oroſio *lib. 7. c.35.* Theodoreto *lib.5.c. 24.* Paulo Diacono *lib.* 12. Hugone de ſancto Victore *lib. 8. excerptionum,* Claudiano *in Panegyrico Honorij,* Ambroſio *in orat. funebri de obitu Theodoſij.* D. Auguſtino *lib.5. de Ciu. c.26.* Eius filius Arcadius aureos nummos conſignari cruce præcepit, teſte Proſpero *lib. de promiſſ. & præd. p.3. c.34.* quòd virtute crucis bellum cum Perſis fuerit feliciter confectum. S. Vſuualdus Rex Anglorum erecta cruce, & ab exercitu adorata, confligens cum Rege Carduella anno 634. inſignem victoriam reportauit, ex Amalario *lib.1. c.24.* Beda *lib.3. de hiſt. Angl. c.1. & 2.* Idemque contigit Bogari Bulgarorum Principi anno 845. qui Chriſtianus effectus, & ob id in eum conſpirante exercitu, parua manu cum ſigno crucis præeunte exercitum fudit, quem etiam miraculo attonitum, Chriſtianum effecit, ex Ioanne Curopalata, & Cedreno. Chriſtianus exercitus Arabum inſidiis circumuentus anno 1144. tempore Balduini pueri Hieroſolymitani Regis, ope ſanctæ crucis, cuius partem ferebat Robertus Archiepiſcopus Nazarenus, mirabiliter ſeruatus eſt, vento cum fumo & incendiorum caumate ex fructetis & ſtipulis excitato, diuinitus in hoſtes retorto, ex VVilelmo Tyrio *lib.16.c.8.* Alphonſus VIII. Rex Caſtellæ ſanctæ crucis quæ præferebatur cum B. Virginis in vexillo depictæ imagine, beneficio ducenta Maurorum millia

prope

prope Baezam trucidauit die 16. Iulij anni 1212. ex Ioanne Mariana *lib. 11. de rebus Hiſp. c. 23. & ſequentibus*, & Ribadeneira *in vitis Sanct.* die 16. Iulij. Quare meritò in cruce ab Angelis Oueti fabricata anno 791. ab iiſdem inſculptum eſt,

Hoc ſigno vincitur inimicus.

Hoc ſigno tuetur pius.

Ex Ambroſio *Morales, lib. 13. c. 38.* & Luca Tudenſi Epiſcopo *in Chronico.* Nec te offendat, quòd *tuetur* in ſignificatione paſſiua ſumtum ſit (niſi ad Deum ipſum piiſſimum referre velis) cùm antiquis id ſæpe in pluribus acciderit. vnde Arnobius *lib.* 1. contra Gentes criminantes res noſtras obſitas eſſe barbariſmis, ait: *Enimuero diſſoluti eſt pectoris in rebus ſeriis quærere voluptatem.* Et paulo pòſt docet voces ſubinde mutatas eſſe; ita vt quod nunc cœlum dicitur, aliàs appellaretur cœlus, & quod vtres, aliàs vtria; ſimiliter filus, quod filum, fretus quod fretum, & pane quod panis, & ſangue quod ſanguis, & eadem ratione iugulus & candelaber, quæ iugulum & candelabrum. & S. Hieronymus *in Ezech. c.* 40. ait: *Illud ſæpius monuiſſe ſufficiat, noſſe me cubitum & cubita neutrali appellari genere, ſed pro ſimplicitate, & facilitate intelligentiæ, vulgique conſuetudine ponere & genere maſculino. non enim nobis cura eſt vitare ſermonum vitia, ſed ſcripturæ ſanctæ, obſcuritatémque quibuſcumque verbis diſſerere.* idem repetit *cap.* 47. Sed redeo ad inſtitutam orationem. D. etiam Cyprian. *lib. 2. aduerſus Iudæos, c.* 16. de ſigno crucis ſcripſit, *Eo nos & tuti ſemper ſumus, & vincimus.* & Auguſtin. *ſer. 19. de Sanctis. Quod faciebat in terris Chriſti corporis præſentia, hoc facit cum fideli innocatione nominis Christi victorioſæ crucis inſignita memoria.* videri poſſunt alia apud Iacobum Gretzerum *lib. 3. de cruce, c. 18. & ſeq.* Martinum del Rio *lib. 6. diſq. magic. c. 2. ſect. 3. quæſt.* 3. & Thomam Bozium *lib. 2. de ſignis Eccleſiæ.* Valet denique ad Chriſtianæ fidei proteſtationem, 7.
cùm ſolùm fideles Catholici eo ſe ſignent, etiam inimicis ſubſannantibus; ne Chriſtus eos coram Patre erubeſcat, cùm ipſum non erubeſcant illi coram hominibus. Qua de cauſa D. Auguſtinus *tract.* 118. *in Io. & in Pſalm. 30. concione* 3. & Cyrillus *catech.* 13. ſignum Chriſti; Ambroſius *ſer.* 43. ſignum Saluatoris, iuxta illud *Matth.* 24. *Tunc apparebit ſignum filij hominis*; & *Apoc.* 7. Ioannes ſignum Dei viui, crucis ſignum appellant. vnde quidam ex ſatellitibus in actis S. Afræ ſub Adriano paſſæ loquens de Narciſo Epiſcopo, & eius Diacono Felice: *Ego* (inquit) *cognoui eos Chriſtianos eſſe; ſemper enim frontes ſuas ſignabant cruce in qua Chri- ſtus eorum paſſus eſt.* vt etiam ex Theodoreto *lib. 3. c. 13. hiſt.* quidam milites pro Chriſtianis cogniti ſunt, quòd cruce ſignarent pocula, vt diximus *num.* 4. *Surius tom. 4.*

6. Ex his ſanè omnibus luce clariùs perſpicis diuinum hoc ſignum cum ipſamet Eccleſia cepiſſe. cùm eius meminerit D. Paulus 1. *ad Timoth.* 4. ex D. Auguſtino. S. Iacobus, Marcus, Dionyſius, Ignatius, Clemens, Hippolytus, Iuſtinus, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus aliíque antiqui Patres, tamquam de re notiſſima; ideóque Apoſtolorum traditionem eſſe eo ſignandos fideles, vt expreſsè teſtatur Tertullianus *lib. de corona militis, c.* 3. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, c.* 27. Auguſtinus *lib. de dictis Baſilij,* & habetur *can. eccleſiaſticarum, d.* 11. Anaſtaſius Epiſcopus Nicænus *qq. in Scripturam, q.* 91. & Cyrillus Alexandrinus *lib. 6. contra Iulianum, circa initium.*

7. Idem ad mundi vſque finem duraturum colligimus ex Hippolyto martyre *opuſc. de conſummat. ſeculi*, vbi ſcribit Antichriſtum inter cætera ſui aduentus ſigna, prohibitúrum ne quis fidelis pretioſam crucem dextera in fronte pingat. Cui conſentit Cyrillus *catech.* 13. ſcribens crucē eſſe proprium Chriſti ſignum, quod Antichriſtus non audebit imitari; qui tamen in cæteris Chriſtum æmulabitur.

labitur. Qua in re ſe Antichriſti præcurſores, & membra probant Nouatores,
hoc venerabile ſignum improbantes.

Hoc ſalutari ſigno ſignandos nos in fronte docent Clemens *lib.8.c.16.* Hip- 8.
1. polytus Martyr *loco cit.* Iuſtinus *Apol. ad Antoninum Pium,* Tertullianus *lib. de*
cor. mil. c.3. Cyprianus *lib.de lapſis, lib.2. contra Iudæos, lib.4. epiſt.6.aliàs 56.& tract.*
de Aleatoribus. Cyrillus *catech. 4. c. 8.* Hieronymus *epiſt. 8. ad Demetriadem, c.16.*
Chryſoſtomus *Hom.quòd Chriſtus ſit Deus, & Hom.21. ad populum,* Ephrem *lib. de*
pœnit.c.3. Metaphraſtes *in actis S. Anyſæ,*& alij. Idque, iiſdem teſtibus, fit, vt eli-
minata verecundia ſignificemus nos Chriſti crucem non erubeſcere; ſed potiùs
in ea quaſi corona & diademate nos gloriari, iuxta illud Chryſoſtomi *Hom.55.*
in Matth. Veluti coronam læto animo crucem Chriſti circumferamus. & *Homilia in Pſal.*
109. Ecce nunc ipſa vita quaſi honorabilior (crux ſcilicet) *& omnes eam in fronte cir-*
cumferimus, non ſolùm non erubeſcentes, ſed ea etiam gloriantes, non ſolùm priuati, ſed
etiam qui ſunt ipſi diademate redimiti, eam potius geſtant, quàm diadema; & meritò qui-
dem, eſt enim innumerabilibus diadematibus melior; diadema enim ornat caput, crux au-
tem munit mentem. Et Cyrillus *catech.13. & epiſt.ad Conſtantinum de cruce in cælo vi-*
ſa. Gloriatio Eccleſiæ catholicæ eſt omnis actio Chriſti, gloriatio gloriationum crux. S. Au-
guſtinus *conc.3. in Pſal. 30. Non ſine cauſa ſignum ſuum Chriſtus in fronte nobis figi vo-*
luit, tamquam in ſede pudoris, ne de Chriſti opprobrio Chriſtianus erubeſcat. & *in Pſalm.*
141. Quia verò in fronte erubeſcitur; ille, qui dixit: Qui me erubuerit coram homi-
nibus, & ego erubeſcam illum coram Patre meo, *ipſam ignominiam quodammodo,*
& quam Pagani derident, in loco pudoris noſtri conſtituit. & *ſerm. de S. cruce,* in illud:
Abſit mihi gloriari, &c. Noli erubeſcere de cruce Chriſti, ideo in fronte tamquam ſede pu-
doris ſignum accepiſti, recole frontem tuam, ne linguam expaueſcas alienam: ſignum vete-
ris Teſtamenti circumciſio in latenti carne, ſignum noui Teſtamenti crux in libera fronte.
denique *tract. 43. in Ioannem. Elegit Chriſtus redemtor noſter genus mortis, vt in cruce*
penderet, & ipſam crucem in frontibus fidelium figeret, vt dicat Chriſtianus: Abſit mihi glo-
2. *riari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Signandos in ore docet S. Ephrem *loco*
citato, de pœnit. c.3. Et docet exemplo ſuæ ſororis Macrinæ Gregorius Nyſſenus,
in eius vita. & conſtat ex Liturgia initio Euangelij; ſdque fit, vt quaſi frænum
iniiciamus linguæ ne effutiat verba, quæ Chriſtianum dedeceant, iuxta illud
3. Dauidis, *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* In pe-
ctore, præter Ephrem & Nyſſenum *locis citatis,* canit Prudentius *in hymno an-*
te ſomnum,

Fac cùm vocante ſomno
Caſtum petis cubile,
Frontem locúmque cordis
Crucis figura ſignet.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ,
Tali dicata ſigno
Mens fluctuare neſcit.

Scribit Gregorius Turonenſis *lib.5.hiſt.c.19.* & Paulus Diaconus *lib.3.c.6.* Tibe-
rium Chriſtianum Imperatorem, qui Iuſtino ſucceſſit, cùm ambularet in Pa-
latio, vidiſſe humi crucem in marmore inciſſam contra Theodoſij Minoris &
Valentiniani legem latam anno 427. quæ incipit: *Cùm ſit nobis, lib. 1. Cod. tit.8.*
iuſſiſſéque erigi, & dixiſſe: *Cruce Domini frontem & pectus munire debemus, & nos*
eam pedibus terimus? & ne eius pietas abiret irremunerata, ibi amplius centum
aureorum

aureorum millia reperiiſſe. Extátque huius rei etiam Canon 73. ſextæ Synodi,
qui ita habet : *Cum crux nobis viuifica ſalutare oſtenderit, nos omnem diligentiam adhi-
bere oportet, vt ei per quam ab antiquo lapſu ſaluati ſumus, eum quem par eſt, hono-
rem habeamus. quamobrem & mente, & ſermone, & ſenſu adorationem ei tribuentes cru-
cis figuras, quæ à nonnullis in ſolo ac pauimento fiunt, omnino delere iubemus; ne inceden-
tium conculcatione victoriæ nobis trophæum iniuria afficiatur. eos itaque, qui deinceps cru-
cis figuram in ſolo conſtruxerint, ſegregari decernimus. Porrò dum pectus & cordis locum
ſignamus, id facimus ad malas cordis cogitationes diuino auxilio auertendas, & ad fortitudi-
nem in bonis operibus conſequendam.* Denique ex eodem Ephrem, tamquam omnium 4.
membrorum armatura, in omnibus membris, ac toto homine: vt enim pro
nobis totis Chriſtus in cruce mortuus eſt, ita toti muniendi ſumus, & in nobis
totis Chriſtus glorificandus.

9. Signi verò crucis forma indicat Chriſti crucis figuram, ligno erecto, altero 1.
tranſuerſo iuncto, in qua eminebat ſupra tranſuerſum longitudo ligni, qua de
re Iuſtinus dialogo cum Tryphone, Irenæus *lib.2.c.42.* & Aug.*epiſt.*120.*c.*26.*& in
Pſ.*103. vbi ait, erat latitudo, in qua porrectæ ſunt manus; longitudo à terra ſur-
gens, in qua erat corpus infixum, altitudo ab illo innexo ligno ſurſum quod
eminebat, profundum vbi fixa erat crux, & ibi omnis ſpes vitæ noſtræ. Sæpe
autem in crucibus fabricandis aliter factum eſſe, rectè docet Iuſtus Lipſius *lib.
1.de cruce, c.6.7.8.9.* & innuit Seneca *in lib. de conſol. ad Marciam, c.20.* verbis il-
lis: *Video iſthic cruces, non vnius quidem generis, ſed aliter ab aliis fabricatas. ſunt, qui ca-
pite in terram verſo, ſuſpendant; alij per obſcœna ſtipitem agunt; alij brachia patibulo ex-
plicuerunt; alij fidiculis, &c.* quare in formanda cruce nos qualis Chriſti crux fue-
rit, indicamus, dum manum ſurſum deorſum ducimus, & tranſuerſum ducta
ſupra medium ſecamus. Myſticè verò Chriſtianam perfectionem denotat, vt 2.
placet D. Auguſtino *ſerm.19 de Sanctis, in Appendice autem, 75. & citata epiſtola,* &
Petro Damiani *lib. 6. epiſtola 22.* ita vt in eius latitudine dilectio intelligatur,
& charitas proximi, quæ non tantùm ad amicos manu dextera ſignificatos,
ſed etiam vſque ad inimicos, in ſiniſtra extendenda ſit. In longitudine, lon-
ga & perſeuerans laborum & perſequutionum ſuſtinentia, quam patienter fer-
re debet, ad patriam ſuſpirans noſtra peregrinatio, tam pro dilectione proxi-
morum, quàm pro exhibitione omnium bonorum operum. In altitudine emi-
nentia ſpei, penetrans vſque ad interiora cœli, vbi ciues illi viſione pacis fruun-
tur. In profunditate denique Chriſtiana fides: nam adeò profundum eſt my-
ſterium crucis, vt multorum, qui ſapientes dicebantur, defecerint ingenia.
vnde dixit D. Paulus crucis myſterium Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus
autem ſtultitiam viſum eſſe. D. verò Bernardus *ſerm.1.de S. die Paſchæ. His nam-
que*, inquit, *virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur, & eſt ſupereminen-
tior charitas; à dextris obedientia, patientia à ſiniſtris, radix virtutum humilitas in pro-
fundo.* At ex diuo Gregorio Nyſſeno *orat. 1. de reſurrectione*, ſignificatur, non
tam perfectio Chriſtiana, quàm effectus paſſionis Chriſti. eminentia enim
crucis oſtendit Chriſti Domini paſſione cœlum apertum eſſe, & placatum
Deum, *ad Coloſſ. 1.* pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in ter-
ris ſunt, ſiue quæ in cœlis. Profunditas & pars ima, deuictum diabolum &
euacuatum infernum, cùm dicat S. Paulus, *ad Hebr. 2. Vt per mortem deſtrue-
ret eum, qui mortis habebat imperium.* & *ad Coloſſ. 2. Chirographum decreti, quod erat
contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus, & poteſta-
tes traduxit palam, confidenter triumphans illos in ſemetipſo.* Latitudo denique ſeu

brachia, ortum & occaſum reſpicientia, vniuerſum orbem redemtum, *Io.12. Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*; eódem tendit quod dixit Irenæus *lib.5.c.17.* nempe ſignificate populum Iudaicum, & Gentilem ſub eodem vno Chriſti titulo connexos; vtriuſque enim populi Saluator eſt Chriſtus, ideóque in nomine Ieſu omne genu flectendum, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Alia de crucis ſacramento & præſtantia diſſerit Tertullianus *in Apol.c.16.* Hieronymus *in c.11. Marci*, Maximus Taurinenſis *Hom. 11. de cruce*, & Iuſtinus *in Apol.2.*

Inter ſignandum à ſuperiori parte deſcenditur ad inferiorem, quia Chriſtus 10. de cœlo deſcendit ad terram, vt nos eleuaret ad cœlos: & a ſiniſtra proceditur ad dexteram, tum vt oſtendamus Chriſtum de morte tranſiiſſe ad vitam, & nos à ſiniſtro Chriſti latere ad dexterum tranſlatos, & ſic oues ex hœdis effectos, ex Gloſſa *can. numquid, de conſecrat. d.5.* Turrecremata *can. eccleſiaſticarum, d.11.* Nauarro *de orat.c.19.num.100.* tum quia nos ipſos, & alios vno eodémque modo ſignare debemus, & alios à ſiniſtris ad dexteram ſignamus; quare etiam nos ipſos. Etſi Innocentius *lib. 2. c. 45.* Archidiaconus *dicto can. eccleſiaſticarum*, Dominicus, & Cardinalis à dextera procedant ad ſiniſtram, quòd Chriſtus à Iudæis tranſierit ad Gentes. Fit manu dextera, vt docet S. Hippolytus *orat. de conſum. ſeculi*, & Iuſtinus *in reſponſione, queſt. 118. ad orthodoxos*, quia Deo danda ſunt meliora: eſt autem honorabilior dextera, quàm ſiniſtra. quòd auerſatus dæmon ſtrigis præcepit vt ſiniſtra ſignum crucis facerent, vt docet ex Florimundo Conſiliario Regio in Senatu Burdegalenſi, Martinus del Rio *lib. 5. diſquiſ. mag. in Appendice.* Communiter fit plena manu, ideſt, quinque digitis, ad quinque Chriſti vulnera inſinuanda: à multis tribus tantùm, ex Innocentio *loco cit.* & Leone IV. *Hom. ſeu epiſt. per prouincias ad Epiſcopos miſſa*, quia effingitur ſub inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis: ab aliis duobus coniunctis, vt indicent contra Eutychianos duas eſſe in Chriſto naturas, cùm illi vnico ſe ſignarent digito, vt vnitatem naturæ in Chriſto demonſtrarent, nempe ſolùm diuinam, ex Nicephoro *lib.18.c.53.* Dum formamus dicimus *in nomine*, non autem in nominibus, oſtendentes vnicam ſanctiſſimæ Trinitatis virtutem, & diuinitatem. Sed ad perſonarum proprietates oſtendendas, dicitur in fronte *Pater*, quòd ab alia perſona non procedat, circa ventrem *Filius*, quia à Patre genitus, & ab eo in Virginis vterum miſſus ſit, & in ventre ipſo terræ ſepultus. *Spiritus ſanctus* medium locum obtinet à ſiniſtra in dexteram partem, tamquam charitas & nexus Patris & filij, tertióque loco nominatur, quia à Patre filióque procedit, vt in Concilio Florentino contra Græcos, & alibi oſtenſum eſt. Porrò quótnam crucis ordines reperiantur in Miſſa, alibi dicemus.

De Antiphona & Pſalmo, *Iudica me Deus*, ante Introitum.

CAP. IX.

SVMMARIVM.

1. *Vetus Antiphonæ vſus initio Miſſæ.*
2. *Rectè in anteintroitu vſurpatus Pſ.42.* Iudica me Deus, *qui & paucis explicatur.*
3. *Mos canendi alternatim Antiphonas, & Pſalmos, à cœleſti hierarchia petitus ab Ignatio.*

4. *Verſiculus,*

4. *Verſiculus*, Gloria Patri,& Filio,& Spiritui ſancto, *ab Apoſtolis mananit,fuitque quaſi teſſera diſcernendi Catholicos ab hæreticis.*

1. SEquitur Antiphona, *Introibo ad altare Dei*.ex *Pſalmo* 42.deſumta:quódque Dauid dixit de ſacrificio laudis in monte ſancto, & Tabernaculo cœleſtis Ieruſalem, in quam omnes, qui ingrediuntur, continuò ſacerdotes fiunt, vt ex illorum verbis *Apoc.* 5. intelligi poteſt: *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes*; ſacrificium ſcilicet laudis offerentes, cùm *Pſal.* 83. dictum ſit: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Eccleſia Chriſti accommodat ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, quod in altari ſanctificato offertur. ideóque præclarè D. Auguſtinus *in eundem Pſal.* 42. ait: *Ad illud altare ille ſolus accedit, qui ad iſtud ſecurus accedit. Illic inueniet vitam ſuam qui in iſto diſcernit cauſam ſuam.* docétque S.Ambroſius *lib.*4. *de ſacram.c.*2. *lib.*5.*c.*2. *& lib. de his qui initiantur myſteriis,c.*8. etiam ſuo tempore dici ſolitam. eiuſdémque meminit Nazianzenus *orat.*28. *circa finem. nempe num.* 44. Micrologus *de eccleſ. obſer.c.*23. Berno *cap.*25. Rodulphus *propoſit.*23.& alij.

2. Deinde ſi officium non ſit lugubre (eo enim caſu omittitur, quòd lætitia & exultatio illi repugnet) exorditur ſacerdos Pſalmum à principio, & alternatim cum miniſtro vice populi, integrum recitat. debuit enim rem maximam auſpicaturus, ab ipſo bonorum omnium largitore Deo auxilium flagitare, cùm nec ipſi quidem Indorum Brachmani, Perſarum Magi, Pythagorei, & Academici,quicquam aggreſſi dicantur, niſi diuini Numinis inuocatione præmiſſa,vt ex Timæo Platonis,Marco Tullio *lib.* 2. *de legibus*, & Io. Pico Mirandulano viro eruditiſſimo *in Hectaplo*, conſtat. A Deo igitur ſacerdos ſacrificaturus petit, vt diſcretus à gente non ſancta, & profana,libérque à tentationibus, iuuetur diuina luce, & gratia.iuxta etiam illud *Pſal.* 56. *Miſit Deus miſericordiam ſuam,& veritatem ſuam, &c.* qua deducatur, & tandem adducatur (præteritis pro futuris poſitis more Prophetarum ad rei certitudinem ſignificandam, ex Euthymio) montem ſanctum, & cœleſtem Ieruſalem. Se verò ingreſſurum ad altare in quo Deus lætitia ſuæ hilaritatis & exultationis per ſacrificia colitur, illumque celebraturum, eíque de beneficiis acturum gratias. Ob id depellendam triſtitiam, vt etiam dixerat *Pſal.*41. præcedenti, nec inconſolabili fletu conturbandum, cùm adhuc futurum ſit, vt Deum laudet,eiúſque miſericordias confiteatur, non ſolùm ore, ſed etiam cythara ſeu opere, ita vt optimè,voces & opera, quæ duo raro in hac peregrinatione concordant, ſine repugnantia conueniant, & conſentiant; cùm ſua ſalus, ſuúſque Saluator ſit Deus. Huius Pſalmi loco in Liturgia D. Iacobi dicitur: *Proinde hanc orationem & gratiarum actionem tibi offero, vt mihi ſpiritus tuus paracletus mittatur, fortificans & inſtaurans me ad hanc Miſſam.*

3. Videtur autem mos alternis verſibus dicendi Antiphonas (quod nomen oppoſitionem ipſam vocum, ſeu alternationem, vel reciprocationem, ex Iſidoro *lib.* 6. denotat) è cœlo manaſſe. tum quòd *Iſaiæ c.*6.duo Seraphim clamarent alter ad alterum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* tum quòd S. Ignatius I.apud Græcos Antiphonarum auctor ritum alternis verſibus canendi Antiochenæ Eccleſiæ tradiderit, quòd obiecta ei fuerit Angelorum viſio alternatim hymnis ſanctiſſimam Trinitatem collaudantium, ex Caſſiodoro *lib.* 10. *c.*9. Amalario *lib.*4.*c.*7. VValfrido *lib. de rebus Eccleſ.c.*28. Socrate *lib.*6.*c.*8. Nicephoro *lib.*3.*c.*8.& aliis;qui mos deinde eſt in toto orbe receptus.

4. Porrò verſiculus, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat, &c.* aſſeritur ab Alcuino *lib. de diu. off.* S. Remigio *in expoſitione Miſſæ*, Sigiberto *in Chron. anni* 382. Radulpho *propoſit.*8. Durando *lib.* 4. *Rationalis, c.*5. & Turrecremata *can. Iacobus, de conſecrat. d.* 1. compoſitus à D. Hieronymo rogatu Damaſi. quod eſſe non poteſt, tum quia ex Theodoreto *lib.* 2. *hiſt. c.* 24. Sozomeno *lib.* 3. *c.* 19. Tripartita *lib.* 4. *c.* 33. Socrate *lib.* 6. *c.*9. cantabatur in Græcia tempore Conſtantini Imperatoris, vt paulo pòſt etiam dicam; tum quia meminit illius S. Athanaſius *lib. de virginit.* vbi Virginem hortatur, vt à cibo Deo gratias agens dicat: *Miſerator & miſericors Dominus eſcam dedit timentibus ſe. Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.* Et de eodem diſſerit Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, c.* 27. 28. Alij, vt VValfridus *c.* 25. & Hugo de ſancto Victore *lib.* 2. *diuin. offic. c.*11. exiſtimant in Concilio Nicæno compoſitum, indéque in toto Oriente, Occidente, & Africa diffuſum. verùm neque hi ſimpliciter loquendo rectè ſentiunt, cùm huiuſmodi verſiculum reperiamus in Liturgia ſancti Iacobi, & Marci. Verius igitur ſentiendum eſt eſſe Apoſtolorum verſiculum, vt ex citatis Liturgiis diui Iacobi, & diui Marci conſtat, variata tamen paululum concluſione. apud Iacobum enim dicitur: *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, nunc, & ſemper, & in ſecula.* At in Concilio Nicæno apud Sozomenum *lib.*3. *c.*19. & Hieronymum *epiſt. ad Damaſum*, quæ inter geſta Damaſi refertur *tom.* 1. *Conciliorum.* Romano ſub Damaſo anno 382. Concilio Vaſenſi anno 463. *c.*5. Narbonenſi celebrato anno 589. *can.*2. & Sophronio *in Prato, c.*119. ſtatutum, vt diceretur: *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.* & vt adderetur ad ſingulorum Pſalmorum concluſionem, vt eſſet quaſi teſſera diſcernendi Catholicos ab hæreticis. Etenim in duobus errabant Ariani, primùm quidem, quòd dicerent: *Gloria Patri, per Filium, in Spiritu ſancto*; qui modus etſi etiam à Patribus ſit vſurpatus, vt conſtat ex D. Baſilio *lib. de Spiritu ſancto, c.*7. 27. 28. 29. & D. Leone *ſerm.* 1. *de nat. Domini*, cùm ait: *Agamus ergo dilectiſſimi gratias Deo Patri, per Filium eius, in Spiritu ſancto.* qui tamen catholicè de ſanctiſſima Trinitate ſentiebant, quod non faciebant Ariani, Verbo, & Spiritui ſancto diuinitatem adimentes, & ſolum Patrem Deum exiſtimantes, illo verborum inuolucro ſe occultabant, ex Theodoreto *lib.* 2. *hiſt. c.*24. Sozomeno *lib.* 3. *c.*19. Tripart. *lib.* 4. *c.*33. & Socrate *lib.*6. *c.*9. quod etiam miraculo damnauit Deus. accidit enim, teſte Theodoro Lectore *lib.* 2. *collectaneorum* circa annum 500, vt cùm Deuterius Epiſcopus Arianus vellet baptizare quemdam, qui Barbas vocabatur, & relicta forma catholica diceret: *In nomine Patris, per Filium, in Spiritu ſancto*, illico euanuerit aqua fontis præparati; quo viſo miraculo catechumenus ad Catholicos transfugit, & miraculum euulgauit. Et Ammoni Epiſcopo Chriſtus aliquando apparuit, cúmque admonuit illius clericos, dum in choro canerent, in recitatione verſiculi, *Gloria Patri, &c.* ſincopando ſolitos omittere *Filium*, ne ei æqualem cum Patre gloriam tribuerent, vt teſtatur Surius *tom.* 6. vt etiam Sophronius *in prato ſpirituali, c.*119. & Sanchez *lib.* 3. *exemplorum, c.*10. narrant, dæmonem in habitu monachi aliquando apparuiſſe Euſebio, qui eum Monachum credens, more ſolito illi dixit: *Ora Pater*; ille neſcio quæ ſubmurmurans, quaſi Pſalmum recitaret, alta tandem voce concluſit: *Sicut erat in principio, &c.* quod cernens Euſebius diſtinctè dicere cœpit: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat, &c.* quo audito dæmon ſeipſum prodens, ſtatim aufugit. Deinde verò quòd Filium, & Spiritum ſanctum, Arius, Macedonius,

donius, & alij aliquando ſine gloria fuiſſe ſentirent; ſed illam filium promeruiſſe obediendo, & Spiritum ſanctum ſeruiendo. qua de re Athanaſius *ep. ad Serapionem*, ſexta Synodus *act.* 18. Sozom. *lib.* 4. *c.* 26. Vtramque igitur impietatem in hoc verſiculo damnat Eccleſia Catholica. Primam quidem vniformiter canens: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto,* cum S. Iacobo, S. Marco in Liturgiis, Concilio Nicæno I. apud Sozomenum *lib.* 3. *c.* 19. aliiſque Patribus. Vnde Greg. Taumaturgus, vt *in eius vita* docet Nyſſenus, ſic diuinitus edoctus eſt: *Trinitas perfecta, qua gloria atque æternitate & regno non diuiditur, aut abalienatur.* non enim creatum quid vel ſeruitium in Trinitate, neque aduentitium tamquam prius non exiſtens, & poſterius adueniens; non ergo defuit aliquando Filius Patri, neque Filio Spiritus ſanctus, ſed incommutabilis & immutabilis ſemper ipſa Trinitas: Athanaſius *in Symbolo. Sed Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vna eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas.* Lucifer Calaritanus *lib. de Moriendum pro filio Dei: Indignè fers*, ait, *Arij vermis* (Conſtantium Imperatorem Arianum alloquitur) *cur defendamus quòd claritas, poteſtas, magnitudo, æternitas, diuinitas vna ſit Patris, & vnici eius Filij, non eſſe nouum quod nos legati afferebamus in tuo palatio, & confirmando non deſinimus ſemper ſic fuiſſe & eſſe creditum à Chriſtianis, ſicut apud Nicæam contra hæreſim tuam Arianam, & omnes errores videtur eſſe ſacra fides conſcripta, &c.* Concilium Romanum ſub Damaſo *Anathematiſmo* 20. *Si quis* (inquit) *negauerit vnam Patris, & Filij, & Spiritus ſancti diuinitatem, autoritatem, poteſtatem, gloriam vnam, dominatum vnum, regnum vnum, voluntatem & veritatem; anathema eſto.* S. Leo *epiſtola encyclica ad Flauianum. Cùm enim Deus, & omnipotens, & æternus Pater creditur, conſempiternus eidem Filius demonſtratur in nullo à Patre differens, quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de æterno natus eſt coæternus, non poſterior tempore, non inferior poteſtate, non diſſimilis gloria, non diuiſus eſſentia.* Videndus hac eadem de re S. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto. c.* 27. 28. 29. & *in ep.* 41. *ad Maximum*, & Gregorius Nazianzenus *orat. de laudibus Baſilij.* Ex quibus etiam error eorum confutatur, qui, teſte Vigilio Papa *epiſtola ad Eleutherium. c.* 2. conantes imminuere ſanctiſſimæ Trinitatis nomen, non dicebant: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*; ſed: *Gloria Patri, & Filio Spiritui ſancto.* Alterum verò dum dicitur: *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum Amen.* qua ſingulas ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas, & in principio, & nunc, & ſemper, in omnem æternitatem fuiſſe, eſſe, & futuras, vt in diuinitate, quippe cùm nulla ſit creatura, ita in gloria æquales, & in maieſtate coæternas. qua de re Athanaſius *epiſt. ad Serapionem*, Auguſtinus *lib.* 21. *de Ciu. c.* 23. & Damaſcenus *lib.* 2. *de fide. c.* 1. vnde meritò Concilium Vaſenſe II. celebratum anno 463. *c.* 5. ait: *Et quia non ſolùm in ſede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem, & totam Africam, & Italiam propter hæreticorum aſtutiam, qua Dei filium non ſemper cum Patre fuiſſe, ſed à tempore cœpiſſe, blaſphemant; in omnibus clauſulis poſt, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen, dicitur. & nos in vniuerſis Eccleſiis noſtris, hoc ita dicendum eſſe decernimus.*

De generali confeſſione, & deprecatione ante Introitum.

CAP. X.

SVMMARIVM.

1. *Confeſſionis generalis,* Confiteor, &c. *vſus optimus, & perantiquus.*
2. *Et licèt non ſit Sacramentum, vnde particularia peccata non ſunt recenſenda, vtilis*

tamen eſt, cùm peccati deteſtationem contineat, & iuuet ad venialium culparum expiationem; & num ex opere operato, vel tantùm ex opere operantis.

3. *An recenſenda ſit inter ſacramentalia. Idémque de tunſione pectoris.*
4. *De* Miſereatur, *deprecatione.*

TVm Sacerdos memor eius quod *Prouerb.* 18. dicitur, *Iuſtus initio ſermonis accuſator eſt ſui,* ſe multitudine iniquitatum grauatum agnoſcens, Deo, B. Virgini, Sanctiſque omnibus, & populo, quos offendit, dum in Deum omnium Dominum peccauit, generaliter peccata ſua confitetur; imitatus filium prodigum, qui ad patrem reuerſus: *Pater*, inquit, *peccaui in cœlum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Et quidem initio Miſſæ confeſſionis generalis faciendæ, non tantùm recentiores, ſed etiam antiquiores meminere, vt D.Auguſtinus *ſer.*48. *de temp.* Stephanus Heduenſis *lib. de ſacramento altaris. c.*12. Micrologus *lib.de eccl. obſer.c.*1.*&* 23. & alij. cámque in Latina Eccleſia inſtituiſſe Damaſum exiſtimat Platina *in illius vita,* & Radulphus *lib.de canonum obſer.propoſ.*23. At Berno Augenſis *c.* 25. & alij apud Io. Stephanum Durantium *lib.*2. *de ritibus Eccl.c.*12. autorem faciunt Pontianum, qui annis 150. ante Damaſum floruit. Ipſæ etiam Græcorum Liturgiæ à peccatorum accuſatione initium ſumunt: *Peccatorum* (habet D.Iacobi Liturgia) *multitudine inquinatum ne me ſpreueris Domine Deus noſter. Ecce enim accedo ad diuinum hoc & ſupercœleſte myſterium tuum; & indignus quidem, ſed de tua bonitate confiſus, emitto tibi vocem. Deus mihi ſis peccatori propitius; peccaui in cœlum, & coram te, nec dignus ſum, qui oculos vertam huic ſacræ & ſpirituali menſæ.* Itémque D. Marci initio ſtatim Deo gratiis actis, quòd ad eam vſque horam protexerit, ſubdit: *Dignatus denuo ſiſtere coram te in loco ſancto tuo, remiſſionem petentes peccatorum noſtrorum, & propitiationem omni populo tuo.* Denique S.Seuerus Patriarcha Alexandrinus in ordine oblationis, antequam gradus aſcendat, à Deo veniam petit omnium peccatorum contra legem admiſſorum. 1.

Non eſt autem huiuſmodi generalis confeſſio ſacramentum, vt rectè docet 2.
S.Thom. 3.*p.q.*84. *art.*3. *& opuſc.*22. *c.*2. & reliqui Theologi. Vnde etiam abſolutio non fit modo indicatiuo, aut imperatiuo, ſed tantùm deprecatiuo, Miſereatur, &c. & non recenſenda ſunt particularia peccata, vt fit in ſacramento Pœnitentiæ, vt etiam notauit Innocentius III. *lib.*2.*c.*13. & Turrecrem. *can.Iacobus,de conſecr. d.*1. ne ſcandalizetur populus. Eſt tamen huiuſmodi publica ge-
1. neralis confeſſio vtilis, tum quòd peccatorum omnium deteſtationem contineat. vnde etiam Dauid *lib.*2. *Reg. c.*12. cùm dixit, *Peccaui*, audiuit à Nathan: *Dixi:Dominus quoque transtulit peccatum tuum,*quod explicans idem met *Pſal.*32.ait: *Confitebor aduerſùm me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei.* etenim confeſſio, vt verbis vtar Chryſoſtomi *Hom. de confeſſ. peccati,* affert ſalutem,cui contemtus attulit mortem. qui etiam *Hom.*20. *in cap.*4. *Geneſ.* hac de re plura diſſerit. D.Baſilius *in Pſal.*37. explicans verba illa, *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt,&c.* ait: *Docet item nos hic ſermo, vt ne noſtra ipſorum mala obtegamus, & ne patiamur, vt quaſi quoddam atramentum aut putrilago peccata in imum animæ fundum ſidant, & comprimantur, quæ veluti cauterio notam inurant conſcientiæ, quemadmodum in febre, quæ ſi intro altiúſue ſerpat, morbum longè validiorem facit; ſi verò in apertum ſe promouerit, ſpem remiſſionis, velut indice promittit, ſic & animæ contingit.* & S.Ambroſius *lib.*2. *de pœnit.c.*6. explicans illud *Iſaiæ c.*43. iuxta Septuaginta: *Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero; tu autem memor eſto, & iudicemur ſimul. Dic*

tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris, ait: *Ego memor non ero propter gratiam, tu autem memor eſto propter conuerſionem: memor eſto, vt ſcias donatum eſſe peccatum; ne glorieris quaſi innocens, ne te iuſtificando plus ingraueris. Sed ſi vis iuſtificari fateve delictum tuum, ſoluit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum*, & c.7. *Nouit omnia Dominus, ſed expectat vocem tuam, non vt puniat, ſed vt ignoſcat. non vult vt inſultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat; preueni accuſatorem tuum, ſi te ipſe accuſaueris, accuſatorem nullum timebis; ſi te detuleris ipſe, etſi mortuus fueris, reuiuiſces.* Auguſtinus denique *lib. de ſalutaribus documentis. Eſt*, ait, *genus quoddam ſerpentis, quod cùm cœperit ire ad bibendum aquam, antequam veniat ad fontem euomit omne venenum; imitare tu hunc ſerpentem in hac parte.* Sed & libet Arrianum Gentilem hominem audire ita de pœnitentia poſt admiſſum peccatum diſſerentem *lib.7. de rebus geſtis Alexandri. Plerique enim quamuis ſe deliquiſſe ſciant, id tamen tamquã rectè factum pertinaciter defendunt, culpam ſuam per hunc modum celatum iri exiſtimantes. Qui quidem mihi magno errore teneri videntur. Summa enim medicina peccati eſt (quantum ego exiſtimo) & peccatum confiteri ſuum, & eiuſdem pœnitentiam præſeferre. nam qui iniuriam accipit, illam haudubie aliquanto lenius perfert. ſi eum qui intulit, & fateri ſe deliquiſſe, & iniuria pœnitere animaduertat. Ad hæc qui violat alterum ſi dolere ſe facto doceat, bonam ſpem cæteris præſtat ſe poſthac nihil admiſſurum tale.* Hæc ille. tum quòd valeat ad impetrandam 2.
remiſſionem peccatorum venialium, vt docet S.Thom. 3.*p. q.*87. *art.*3. *& in* 4. *d.*17.*q.*3.*art.*3 *quæſtiunc.*3. *& d.*21. *q.*2. *art.*1. *opuſc.*22. *c.*2. Victoria *in ſum. num.*142. Gabriel *lect.*15 *in Can.* Soto 4.*d.*15.*q.*2.*art.*3. Valentia *tom.*4.*d.*7.*q.*4.*p.*1. Suarez *in* 3.*p.* S. Thom. *tom.* 4. *diſp.*12.*ſect.*2. Azor *lib.* 4. *c.*11. *q.* 5. & communis ſententia Theologorum, & conſtat ratione S. Thom. quòd ad remiſſionem peccati venialis non requiratur nouæ gratiæ infuſio, ſed ſufficiat actus procedens ex gratia quo aliquis deteſtetur peccatum veniale explicitè, vel implicitè, ſed in recitatione confeſſionis generalis facta modo conuenienti, eſt talis peccatorum venialium deteſtatio; ergo per eam remittentur. Teſtatur Cæſarius *lib.*8.*c.*13. Petrum religioſum iuuenem dum Vilarienſi Abbati Miſſæ miniſtraret, & confeſſionem generalem dixiſſet, & abſolutionem deuotè reciperet, audiuiſſe de cœlo vocem illi dicentem: *Dimiſſa ſunt omnia peccata tua.* Eſt tamen inter Theologos non parua diſſenſio an id fiat ex opere operato, an ex opere operantis. & quidem fieri ex opere operato, tenent VValdenſis *tom.*3. *tit.*4. *c.*68. Canus *relect. de ſacram.p.*1.*ad* 6.*lib.*12.*de locis.c.*13.*ad* 9. Ledeſma 1.4.*q.*28.*art.*3. Maior 4.*d.*13. Victor *num.* 142. Sotus *loco citato.* Valentia *vbi ſuprà*, cum aliis. quorum fundamentum eſt quòd inter ſacramentalia à pluribus adnumeretur, iuxta illud apud Sotum, & alios,

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

quibus ex operato remitti venialia arbitrantur. Fieri verò ex opere operantis in quantum eſt cum aliquo deteſtationis peccatorum motu, docent Paludanus 4.*d.*16.*q.*1. *art.*2. *concl.*4. *& d.*21.*q.*2. *art.*2. *concl.*2. Gabriel 4.*d.*16.*q.*5. *art.*3. *dub.*3. Alenſ. 1.4.*q.*65.*m.*3.*art.*4.§.2. S. Thom. *locis cit.* Durandus 4.*d.*21.*q.*3. Rich.4.*d.*16. *art.*5.*q.*1. *ad* 2. Turrecrem. *can. tres. de pœnit.d.*1. Petrus Soto *tr. de pœnit. lect.*19. Abulenſis *lib.*4.*Reg. c.*2. *q.*39. Suarez *tom.*4. *d.*12. *ſect.*1. Graff. *lib.*1. *c.*25. *n.*19. cò quòd peccatum non tollatur abſque pœnitentiæ actu, quo nos peccaſſe doleamus, vt diximus *lib.*1. *c.*8. & quòd nulla ſit in Eccleſia ſpecialis benedictio ad hoc inſtituta, nec extat decretum vllum hac de re, ideóque, vt mox dicemus, non eſſe in numero ſacramentalium; etiamſi daremus ſacramentalia ex opere operato remittere venialia. Accedit probabilius videri Eccleſiam non habere poteſta

poteſtatem inſtituendi ſigna ſenſibilia, ſeu cauſam inſtrumentalem, quæ poſſit ex opere operato hunc effectum conferre, vt habent ex Chriſti Domini inſtitutione ſacramenta, cùm nullibi conſtet Eccleſiæ à Chriſto talem autoritatem pro dimittendis venialibus ex opere operato, conceſſam; ſiue ſcripturas conſideres, ſiue traditionem, & vſum Eccleſiæ, ſiue Patrum autoritatem, aut quoduis aliud. qua de re fusè diſſerit Suarez *loco citato tom.4.in 3.p.* S. Thom. *diſp.12.ſect.2.* videndus etiam Viguerius *n.217.litt. A.* Sylueſter *v. Aqua benedicta. n.1.* Angelus, Tabiena.

Quamuis confeſſio generalis vnum è ſacramentalibus eſſe videatur Gloſſæ 3.
in Prooemio 6.v. benedictionem, Hoſtienſi *cap. omnis de pœnit. & remiſſ.* Ledeſmæ 2.4. *q.7. art.3.* Soto 4.*d.11 .q.2. art.4.* Valentiæ *tom.4.d.7.q.4.p.1.* Azorio *lib.4. c.11.q.5.* tum quòd à multis tale cenſeatur; tum quòd valeat ad delenda venialia, ex dictis: eam tamen à ſacramentalibus reiicit S. Thom. 3.*p. q.87.art.3.* Turrecremata *can. tres. de pœnit.d.1. n.8.* Suarez *tom.4. d.12. ſect.2.* cum aliis.tum quia antiquiores Theologi non recenſuerint inter ſacramentalia: tum quia hac de re in decretis nihil extet; tum quia nulla ſit ab Eccleſia inſtituta benedictio ſpecialis, ob quam inter ſacramentalia poni debeat (vt neceſſe eſſet) niſi ſacramentalium nomine abuti velimus. quòd ſi ſacramentalium nomine velimus intelligere quicquid ad venialium remiſſionem conducit, vt manifeſtè ſumſit Azor cùm ex nouem, quæ numerat ſacramentalia, quatuor prima, nempe orationem Dominicam, tunſionem pectoris, generalem confeſſionem & eleemoſynam, ait non eſſe ab Eccleſia inſtituta, nimis amplè ſumetur. & addenda erunt etiam alia, vt ieiunium, & alia pœnitentiæ opera, remiſſio iniuriarum, cùm *Lucæ 6.* dicatur, *Dimittite, & dimittetur, &c.* Sumtio Euchariſtiæ, *can. cùm omne. de conſec. d.2.* auditio Miſſæ, qua de re *lib.1. c.8.n.3.* diximus, & alia. Quod diximus de confeſſione generali, dictum etiam volumus de pectoris tunſione, quam exemplo Publicani *Lucæ* 18. vſurpamus; nempe delere poſſe venialia, vt docet S. Auguſtinus *lib. de medicinali pœnitentia. c.2. & can. tres ſunt. de pœnit.d.1.* & Hugo Card. *in c.* 18. *Lucæ*, recenſens octo modos dimittendi venialia, illis verſibus,

Confiteor, tundo, reſpergor, conteror, oro,
Signor, edo, dono, per quæ venialia pono.

Etenim tunſio pectoris ſignum eſt pœnitentiæ, *Lucæ* 18. *&* 23. ideo D. Auguſtinus *in Pſal.31.* dixit: *Tunſio pectoris, obtritio cordis*: itémque ſymbolum petitionis veniæ de peccatis, quæ cùm à ſolo Deo impetratur, eſt etiam latriæ ſignum, vt docet Corduba *lib.1.q.5.dub.6.* Eiuſdem tunſionis meminit Tertullianus *lib.3. aduerſus Marcionem. c.18.* Cyprianus *de orat. dominica*, Nazianz. *orat.15.* Maximus Taurinenſis *Hom.3. de Quadrag.* Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum *c.54.* & S. Auguſtinus *ſer.48. de temp.* vbi etiam, vt dixi, meminit confeſſionis generalis, cùm ait: *In hoc ipſo quod ſonuit* Confiteor, *pectora tutudiſtis.* vt etiam *Hom.50.c.8. & ep.108. & in Pſalmum* 146. vnde meritò intulit VValdenſis & Nau. *de horis canonicis, c.4.* huiuſmodi cæremoniam ab Apoſtolis inductam in Eccleſiam: non eſſe tamen tunſionem hanc inter ſacramentalia ponendam, quicquid Gloſſa, Hoſtienſis, Sotus & alij citati exiſtimauerint; cùm D. Auguſtinus & Patres non loquantur de ea tanquam aliqua inſtitutione cum peculiari benedictione Eccleſiæ, ſed de efficacia eius ad obtinendam remiſſionem peccatorum, vt eſt actus pœnitentiæ: vt rectè S. Thom. & Suarez *locis citatis* explicant, & fatetur Azor *lib.4.c.11.q.5.*

Sequitur deprecatio, *Miſereatur tui*, &c. qua Deum precamur, adhibitis 4.

etiam B. Virgine & Sanctis omnibus tamquam patronis, vt faciliùs exaudiamur, vt indulgentiam & abſolutionem peccatorum largiatur. contrà quàm fiat in ſacramenti Confeſſionis abſolutione, vt docet S. Thom. 3.p.q.84.art.3. vbi non oratio deprecatiua, ſed indicatiua adhibetur. & quæ diximus de generali confeſſione, nempe non delere venialia ex opere operato, dicimus etiam de hac deprecatoria abſolutione; non ſolùm ſi dicatur à laico, contrà quàm ſenſerit Victoria *n.*142. & Ledeſma 24.*q.*7.*art.*3. ſed etiam ſi dicatur à ſacerdote, contra Sotum 4.*d.*18.*q.*4.*art.*1. quamuis fiat nomine Eccleſiæ; etſi tunc propter merita Eccleſiæ maiorem vim impetrandi habere poſſit talis deprecatoria abſolutio. Et ſubduntur verſiculi ex Pſalmis, ad maiorem in Deum ſpem excitandam, & populi circumſtantis deuotionem augendam, cum ſalutatione & reſponſione eiuſdem populi, qua de re inferiùs diſſeretur.

De oratione, *Aufer à nobis quæſumus Domine, &c.* CAP. XI.

SVMMARIVM.

1. *Veteri ritu iungendæ manus inter orandum, ſummáque modeſtia præferenda.*
2. *Sacerdotis ad ſacrum altare ingreſſuri animum ſolaribus radiis puriorem eſſe oportere, quod in lege veteri multipliciter figuratum eſt.*
3. *Precationis huiuſmodi ante aſcenſionem graduum, ritus perantiquus.*
4. *Secernendi ſunt ſeculares à Choro.*

1. TVm prouocat ſacerdos populum ad orandum iunctis manibus, & modeſta corporis inclinatione. Et ſanè inter celebrandum ſummam animi demiſſionem modeſtámque corporis compoſitionem oportere ſacerdotem præſeferre, dicetur *c.*19. omninóque certum eſt, cùm inter orandum cuilibet fideli idem faciendum ſit, vt docet S. Cyprianus *lib. de orat.* & Tertullianus *in Apol. c.*30. *& lib. de orat. c.* 11. *&* 12. vbi ait: *Atqui cum modeſtia & humilitate adorantes, magis commendamus preces noſtras, ne ipſis quidem manibus ſublimiùs elatis, ſed temperatè & probè elatis, vultu quidem in audaciam erecto, &c.* præclaréque diſputat de compoſitione, & moderatione totius corporis Baſilius *regula* 17. fuſiùs diſputat Hieronymus *ep.*8.*c.*7. S. Bernardus *lib.*4. *de conſid. c.*6. *& ſer.*85. *in Cant.* eſt enim exterior corporis, ſenſuum, ac membrorum compoſitio indicium internæ quietis & virtutis: nam *ex viſu,* inquit Eccleſiaſticus *c.* 19. *cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis annunciant de illo.* & Thalaſſius Monachus *Hecatondadis* 3.*n.*65. *Geſtus* (ait) *exteriores ſigna ſunt motuum intrinſecus latentium, ſicut ignotarum arborum fructus producti.* Sunt autem iungendæ manus inter ſacrificandum, niſi aliud expreſsè præcipiatur, vt notat Sotus 4.*d.*13.*q.*2.*art.*5. éſtque humilitatis ſignum perantiquum, vt ex Nicolao ad Conſulta Bulgarorum dicemus *c.*18. de eleuatione autem manuum dicetur infrà *cap.*16. & 19. *Tom.* 5. *Biblioth. SS. Patr.*

2. Porrò cùm cœleſtes illi Seraphim ac puriſſimi ſpiritus ante Deum alis non tantùm facies velent, quòd in illius magnitudine contemplanda intellectu deficiant, ſed etiam pedes, quaſi de affectuum impuritate verecundentur, vt in illud *Iſaiæ* 6. *Vidi Dominum,* notauit D. Chryſoſtomus. meritò ſacerdos iam in-

greſſurus non in veteta Sancta Sanctorum, ſed ad altare Deo oblaturus ſacrificium corpotis,& ſanguinis vnigeniti eius filij, precatur,vt dignetur ab ipſo auferre cunctas iniquirares, vt alrari mereatur cum miniſtris puris mentibus aſſiſtere. Quamuis enim ſacerdotium peragatur in rerra, in cœleſtium tamen rerum claſſem ordinémque referendum eſt, vt dixir Chryſoſtomus *lib.3. de ſacerdotio.* ideo etiam ſubiecit: *Iccirco neceſſe eſt ſacerdotem ſic eſſe purum, ac ſi in ipſis cœlis collocatus inter cœleſtes illas virtutes medius ſtaret.*& *lib.6. Sacerdotis animum ſolaribus radiis puriorem eſſe oportet.* Nec aliud ſanè myſticè figurabat lex illa *Leuit.21. Omnis, qui habuerit maculam de ſemine Aaron ſacerdotis, non accedet offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo.* & iterum, *Nec accedat ad altare, qui maculam habet, & contaminare non debet ſanctuarium meum.* quæ exponens D.Baſilius *Hom.2. de bapt.c.2. At* (inquit) *maculam & vitium iam in nouo Teſtamento non referre oportet ad corpus, ſed ad iuſtificationes euangelicæ pietatis; quando videlicet præceptum Dei vel non plenè, vel inutile, vel non ita fit, vt Deo placere poſſit. Neceſſarium itaque ſemper eſt, maximè verò tanti ac talis myſterij celebrandi tempore ſeruare præceptum Apoſtoli, dicentis:* Cùm has itaque promiſſiones habeamus, repurgemus nos ipſos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei. Similia haber etiam *c.3.* Eamdem animi perfectionem adumbratam corporis perfectione & integritate, lege illa præcepta, docet eriam Cyrillus *lib.11.de adorat.* S. Greg. *p.p. paſtoralis.c.10.* & Philo *lib.de Monarchia.* Hoc idem ſibi voluit lex de veſtimenrorum ablutione *Exodo c.19.*vt illis verbis docet D.Ambroſius *lib.1.off.c.50. Caſtificabatur olim populus per biduum, aut per triduum, vt ad ſacrificium purus accederet; & lauabat veſtimenta ſua. Si in figura tanta obſeruantia, quanta in veritate? Diſce ſacerdos quid ſit lauare veſtimenta tua, vt mundum corpus celebrandus exhibeas ſacramentis. ſi populus ſine ablutione veſtimentorum ſuorum prohibetur accedere ad hoſtiam ſuam, tu illotus mente, pariter & corpore, audes pro aliis ſupplicare? audes pro aliis miniſtrare?* Idem lex de victimis, quæ probabantur, vel improbabanrur in ſacrificiis, *Deuter.15.* & alibi. Audiamus Philonem *initio libri de victimis* his verbis diſſerentem: *Adhibetur hæc cura non propter victimas, ſed vt ſine animi culpa ſint, qui res mactandas offerunt. Submonentur enim his ſymbolis vt quoties accedunt ad altaria vel nuncupaturi vota, vel reddituri, nullum vitium nullúmque morbum afferant in anima; ſed conentur omnino nitidam & immaculatam in conſpectu Dei adducere, ne viſam auerſetur.* Similia habet D. Hieronymus *ep.1.ad Fabiolam,*de veſtitu ſacerdotis, Clemens Alexandrinus *in exhortatione ad Gentes.* & Chromatius *lib.de octo beatitudinibus.* Denique innuebant hoc idem (vt de cæteris vaſis taceam) lucernæ earúmque forcipes & emunctoria in miniſterium tabernaculi, quæ non rantum ex auro, ſed ex auro mundiſſimo fieri voluit Deus, *Exod.25.* Illáque animalium *Ezechielis c.1.* rectitudo pedum,vt obſeruat eriam S.Gregorius *Hom.3.in Ezechielem.* diuinis enim in rebus rectitudo eſſe debet, & abeſſe impuritas omnis & defectus. Quare Petrus Damiani *lib.4.ep.14.* cùm dixiſſet, Nadab & Abiu filios Aaron diuinitus eſſe crematos, quòd ſacrificium Deo offerre alieno igne præſumſiſſent, *Leuit.c.10.* ſubdit: *Nam cùm ad offerendum Deo terribilis ſacramenti libamen accedimus, cauendum valde eſt, ne alienum ignem, hoc eſt, libidinis flammam, vel cuiuſcumque vitij fomitem inter ſalutares hoſtias deferamus; ſed ille potius ignis in noſtrarum mentium thuribulis ardeat, illa cor noſtrum diuini amoris flamma ſuccendat, quam Dei ſpiritus per inuiſibilem gratiam noſtris viſceribus adminiſtrat.*

Cæterùm orationis huius vſus & ritus, ex antiquis etiam meminit Micrologus *lib. de rebus Eccl.c.23.* & quid ſimile repetitur apud Græcos; etenim S. Baſi- 3.
lius

lius *in Anaphora*, *Sed tu* (inquit) *Domine dignos efficito nos, qui puro corde ſtemus coram te, tibique miniſtremus, atque offeramus ſacrificium hoc reuerendum & incruentum.* Et S.Seuerus Patriarcha Alex. *in ordin. oblationis ante graduum aſcenſionem: Dignos efficito nos Domine Deus, vt cum ſcientia, & timore, ſpiritualiſque ordinationis bonitate, coram te ſincerè ſanctèque ſtemus, tibique miniſtremus tamquam Domino, & conditori omnium.*

4. Denique dum Sancta Sanctorum vocatur locus ſacrificio peculiariter dedicatus, vt etiam eum appellat S. Iacobus *in Liturgia*, Euſebius *lib.*10.*c.*4. S.Germanus *in Theoria*, Concilium Turonicum II. *can.*4. *& de honeſt. & vita cleric.c.*1. euidenter oſtenditur à ſecularibus laicíſque locum diſcretum eſſe oportere; prout expreſsè ſtatuit Clemens apud Gratianum *can. ſacerdotum. de conſecr. d.*2. illis verbis: *Sacerdotum aliorúmque clericorum Eccleſiæ ſeruientium honores à laicorum loco diſcretè apparere conuenit: quamobrem nulli laicorum liceat in eo loco, vbi ſacerdotes & reliqui clerici conſiſtunt (quod Preſbyterium vocatur) quando Miſſa celebratur, conſiſtere; vt liberè & honorificè poſſint ſacra officia exercere.* & Concil. Laodicenum *c.*19. *Et poſtquam Preſbyteri Epiſcopo pacem dederint, tunc & laicos pacem dare, & ſic oblatio offeratur, ſolis autem miniſtris altaris liceat ingredi ad altare, & ibidem communicare.* & Concilium Turonenſe II. celebratum anno 570. *can.*4. *Laici ſecus altare, quo ſancta miniſteria celebrantur, inter clericos tam ad vigilias, quàm ad Miſſas, ſtare penitus non præſumant: ſed pars illa, quæ à cancellis versùs altare diuiditur, choris tantùm pſallentium pateat clericorum.* Sexta Synodus celebrata Conſtantinopoli anno 681. *can.*69. *Nulli hominum liceat, qui ſit in laicorum numero, intra ſacrum altare ingredi; ab eo tamen nequaquam prohibita poteſtate, & autoritate imperiali, quando voluerit creatori dona offerre ex antiquiſſima traditione.* quod etiam fatetur Theodoſius Iunior *in actis Concilij Epheſini.* cùm ait: *Sacra altaria munerum tantùm offerendorum cauſa accedimus, quibus quoque oblatis, ad extimum communéque atrium mox nos recipimus.* Idémque in Concil. Romano ſub Ioanne XII. anno 964. ponitur. videndus hac quoque de re Ignatius Nicænus *in vita Taraſij Patriarchæ*, Samonas Epiſcopus Gazenſis, Euſebius *lib.*10.*c.*4. & Paulinus *in vita S. Ambroſij.* Nec dubium ſi fiat, quin infinitis euagationibus præcidatur occaſio, & ſacerdotum & clericorum altari miniſtrantium.

De cultu ac veneratione ſacrarum Reliquiarum. CAP. XII.

SVMMARIVM.

1. *Sanctorum merita & iuſtitiam, etiam peccatoribus apud Deum prodeſſe, ideóque meritò inuocari, & adhiberi precatores pro nobis apud Deum.*
2. *Sacras eorum reliquias ſemper includi ſolitas ſacris altaribus.*
3. *Religioséque colendas diuinis miraculis, definitione Eccleſiæ, Patrum teſtimoniis, fidelium conſuetudine, & multiplici ratione contra Nouatores euincitur, obiectionéſque ſoluuntur.*
4. *Quomodo eædem colendæ, & habendæ.*
5. *Altaris oſculum perantiquum, & debitæ venerationis ſignum. & cur iunctis manibus ſacerdos ſimul ſuperiorem & anteriorem lapidem altaris contingat.*

1. ANimaduertit Theodoretus in Exodum *q.*67. Moyſem *Exod.*32. cùm ſe haud ſufficientem putaret ad Deum placandum, adhibuiſſe etiam patrocinium

Patriarcharum. *Recordare* (inquit) *Domine Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum.* & Salomon *lib.2.Paralip.6. Memento miſericordiarum Dauid ſerui tui, &c.* Quos etiam imitatus Dan.*c.3. Ne auferas*, inquit, *miſericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum.* Pari igitur modo ſacerdos, ſe indignum ad Deum ſacrificio demerẽdum agnoſcens, ſtatim ac aſcendit ad altare, ſe inclinans precatur Deum, vt per merita Sanctorum, quorum ibi adſeruantur reliquiæ, & quas altaris oſculo veneraturus eſt, ſuis peccatis propitietur. Solet enim Deus ob Sanctorum, qui eum dilexerunt, patrocinium, miſericordiam facere in millibus, qui ea digni non ſunt, *Exod.34. Ieremiæ 32.* Ideo D. Auguſtinus *q.149.in Exod.*ait: *Admonemur, cùm merita noſtra nos grauant, ne diligamur a Deo, releuari nos apud Deum illorum meritis poſſe, quos Deus diligit.* Et Hieronymus *in c.37. Iſaiæ*, explicans verba illa *4. Regum 20. Protegam ciuitatem iſtam, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum*, inquit: *Propter me, & propter Dauid ſeruum meum, illud ſignificans quòd non merito ſuo, ſed Dei clementia conſeruentur, immo patris eorum Dauid memoria, in quo admonentur, & ſuæ negligentiæ, & illius fidei atque iuſtitiæ, quòd in tantum iuſtitiam diligat Deus, vt etiam poſteros ſanctorum hominum non ſuo merito, ſed maiorum virtute tueatur.* Similia ſcripſit Ambroſius *lib. de viduis*, explicans illud *Lucæ 4. Et rogauerunt illum pro ea.* Idem ſupplicandi ritus eſt etiam in Anaphora D. Baſilij, qui etiam *in ep. ad Iulianum Imp. citata in 2. Nicena Synodo, act.2. & 4.* dicit: *Suſcipio & ſanctos Apoſtolos, Prophetas, & Martyres, qui pro me apud Deum ſupplicant, quo per illorum interceſſionem propitius ſit mihi Deus noſter benigniſſimus, & remiſſionem peccatorum mihi gratis largiatur.* ſed hac de re agetur *lib.4.c.3.n.2.& 3.*

Hinc illud etiam intelligimus in altari debere includi reliquias. nam Felix I. *ep.2. ad Galliæ Epiſcopos, & in Pontificali Damaſi*, ſupra ſepulcra ſeu memorias Martyrum Miſſas celebrari præcipit. vt etiam in Concil. Romano fecit Syluester. Nulláque altaria erigenda vbi non ſint aliquæ reliquiæ, decretum eſt à Patribus in Concilio Carthaginenſi V.*can.14.* Ea verò deſtruenda, in quibus nullæ ſunt, habetur *can. placuit. de conſecr. d.1.* & Gregorius *lib.9.ep.71.* ſcribit ad Melitem Abbatem idolorum delubra non eſſe deſtruenda, ſed aſpergenda aqua benedicta, conſtruenda altaria, in eiſque ponendas reliquias. legimus eamdem Eccleſiæ conſuetudinem apud S. Paulinum, qui *ep.12 ad Seuerum* ait: 2.

Ecce ſub accenſis altaribus oſſa piorum
Regia purpureo marmore cruſta tegit, &c.

& *Natali octauo S. Felicis,*

Cernimus & multos peregrino à littore vectos
Ante ſacram ſancti proſtratos Martyris aram, &c.

D. Ambroſium *in exhortatione ad Virgines, & epiſtola ad ſororem de inuentione corporum SS. Geruaſij & Protaſij*, Hieronymum *lib. contra Vigilantium*, Prudentium *hymno de S. Hippolyto*, Cyrillum Monachum *in vita S. Euthymij*, vbi Martyrius Ieroſolymorum Epiſcopus deponit ſub ara in dedicatione templi anno 485. partem reliquiarum Martyrum Tarachi, Probi, & Andronici, Sozomenum *lib.5.c.9.* Caſſiodorum, *lib.6.c.11. hiſt. Trip.* Nicephorum *lib.10. c.18. lib.14. c.43.* & Rabanum *lib.2.c.43.* Et videtur cœpiſſe Apoſtolorum tempore. Nam, vt inſinuat D. Auguſtinus *ſer.11. de Sanctis*, qui eſt quartus de Innocentibus, ideo *Apocal. 6.* oſtenſæ ſunt D. Ioanni animæ Martyrum in cœlo ſub altari, quòd in terris eorumdem corpora ſub altaribus haberentur. *Sub ara*, inquit Auguſtinus, *Dei, vidi animas occiſorum. quid reuerentius, quid honorabilius dici poteſt, ſub illa ara requieſcere, in qua Deo ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ, in qua Dominus eſt ſacerdos?* Ad eamdem

dem conſuetudinem alludit S. Germanus, cùm *in Theoria* dicit, Eccleſiam eſſe conſummatam in Martyribus, & in throno ſanctarum eorum reliquiarum fundatam. Porrò non mirum includi Sanctorum reliquias in conſecratione altaris, quòd Chriſtum denotat ex S. Thoma, quia eorum vita abſcondita eſt cum Chriſto totius ſanctitatis origine, & fonte, in Deo, vt cum D. Thom. placuit *4.d.13.q.2.art.3.ad 6.* Sed num ſit de eſſentia conſecrationis altaris reliquiarum ſanctarum incluſio, diximus *lib.2.c.14.num.4.*

3. Conſtat etiam venerationem reliquiarum Sanctorum, ſiue ſint eorum corpora aut partes, oſſa, carnes, cineres, ſiue aliæ res, vt veſtes & alia, quæ ad ipſos pertinent, vel eos tetigerunt, non eſſe genus ſuperſtitionis, vt impiè ſenſit Eunomius, & Vigilantius eius diſcipulus, ex D. Hieronymo *lib. contra Vigilantium, & epiſt. ad Riparium*, & Gennadio *lib. de eccleſiaſt. dogm. c.* 73. quod auſus eſt etiam deinde dicere Claudius Taurinenſis ex Iona *lib.* 1. *de imag.* Conſtantinus Copronymus ex Suida, Ioannes Caluinus, Centuriatores, & alij noſtri temporis Nouatores, ex Lindano *dialog.2.* Alano *dialog.3.c.12.* Bellarmino *lib.2. de reliq. & imag. c.1. & 2.* Gregorio de Valentia *lib.1. de idolol.* & aliis; ſed eſſe fuiſſéque ſemper pium ritum totius Eccleſiæ catholicæ, à Deo probatum, ab Eccleſia definitum, celebratum à ſanctis Patribus, ſtabilitum conſuetudine fidelium, ab ipſa denique ratione confirmatum. Et quidem hunc ritum Deo probari, ſole clariùs patet; cùm, vt argumentatur ſeptima Synodus *act.* 3. & S. Thom. *3.p. quæſt. 25. art. 6.* per eas Deus innumera efficiat miracula, vt teſtes ſunt omni fide digniſſimi, Iuſtinus *quæſt.*28. à Chriſtianis propoſita, Hieronymus *epiſt.* 27. agens de ſepulcro Eliæ, Abdiæ, & Ioannis Baptiſtæ, Ambroſius *epiſtola vltima ad ſororem, & ſerm.* 91.92. S. Paulinus *in Natali* 6.7.8. *S. Felicis*, Sulpitius *in vita S. Martini*, Auguſtinus *lib.22. de Ciu. c.8. & 9. ſerm. 91. & epiſt.* 137. Baſilius *orat. in Mamantem*, dicens omnibus nota eſſe Martyris miracula, quibus aliis ſanitatem, aliis vitam reddidit. Chryſoſtomus, qui *lib. contra Gentiles de reliquiis beati Babilæ Martyris*, dicit quotidiana à martyribus edi miracula. Gregorius Turonenſis *lib. de gloria martyrum, & de gloria confeſſorum*, & alij, ſiue eas diutiſſimè incorruptas & incolumes conſeruando, vt de SS. Geruaſio & Protaſio docet Auguſtinus *lib.9. confeſſ. c.7.* ſiue ſpiratione ſuauiſſimi odoris, vt de Hilarione ſcribit S. Hieronymus *in eius vita*, & experti ſumus nos Patauij ad ſepulcrum B. Antonij Vlyſiponenſis, affirmárque de reliquiis S. Stephani Lucianus in actis inuentionis eiuſdem; de reliquiis S. Euphemiæ apud Chalcedonem Euagrius *lib. 2. c. 3.* quæ etiam, teſte Zonara *annalium tom. 3.* & Glica *annal. p. 3.* definitionem Catholicæ fidei Concilij Chalcedonenſis in loculo incluſam, approbauit, & Anatholio Patriarchæ, ac Marciano Imperatori ſua manu porrexit, libello hæreticorum ad pedes reiecto; de reliquiis S. Seuerini dum transferrentur anno 488. ſcribit Eugyppius eius diſcipulus; de corporibus SS. Marcellini & Petri in Gallias tranſlatis Eginhardus quatuor libris de eorum miraculis; ſiue ſtillicidio mirifici liquoris, vt ad ſepulcrum S. Andreæ hoc quoque tempore notiſſimo, & S. Gliceriæ Martyris vnguenti ſuauiſſimi morbis omnibus mederi ſoliti, ex Nicephoro *lib.18. c.* 32. & quatuor militum legionis Melitenæ, quorum reliquiæ Iuſtiniano Imperatore præſente, & earum contactu ſanato, olei ita largiter effuſi, vt eiuſdem Imperatoris pedes & totam veſtem purpuream humectarit, ex Procopio *lib. 1. de ædif.* Iuſtin. Imper. vt iam ad conſpectum reliquiarum S. Iulittæ fontem derepente in arida regione exortum, dicit Baſilius *in orat. de eadem*: ſiue addendo gratiam & decorem, vt docet Sul-

pitius *epiſt. ad Baſulam* de S. Martino; ſiue iungendo partes diuiſas, vt conſtat factum in corpore B. Staniſlai ex Ioanne Longino *in eius vita*, & B. Herculani ex D. Gregorio *lib.3.dialog.cap.35.* ſiue illuſtrando ſplendore, vt de SS. Iuuentino & Maximo, docet Chryſoſtomus *ferm. de iiſdem*, & de S. Staniſlao Io. Longinus; ſiue reuelando fidelibus, vt honeſtiùs conderentur, vt factum eſt Chriſtianæ fœminæ de reliquiis Euſebij, Heſtabonis, & Zenonis Gazenſium, apud Sozomenum *lib. 5. c.* 8. Luciano ipſomet teſte *anno* 415. Gennadio *de viris illuſtribus*, *c.* 47. & Nicephoro *lib.* 14. *c.* 9. de corporibus S. Stephani & ſociorum. S.Ambroſio de SS.Geruaſio & Protaſio, ex S. Auguſtino *lib.9.confeſſ.c.7.& lib.22. de Ciuit. c.*8. Pulcheriæ Auguſtæ anno 438. de corporibus quadraginta Martyrum, ex Sozomeno *lib.9. c.2.* qui idem refert *lib.7. c. vlt.* de oſſibus Habacuc & Michææ; teſtantur etiam acta S. Fructuoſi Martyris ſub Valeriano & Galieno, cùm poſt mortem combuſtus eſſet, & noctu fideles ex eius reliquiis, vt quiſque potuit, ſibi vendicaſſet, fidelibus apparuiſſe, & monuiſſe, vt quod quiſque per charitatem de cineribus vſurpaſſet, ſine mora reſtituerent, vnóque in loco ſimul condendos curarent; ſiue veneratores eleuando in extaſim, vt ad reliquias S.Spiridionis ſcribit Metaphraſtes *in eius vita*; ſiue dæmonum oraculis indicendo ſilentium, vt factum Daphnitico, eiúſque templo diuinitus concremato, ob reliquias S.Babilæ, docet Chryſoſtomus *lib.aduerſ. Gentes, tom.* 5. Theodoretus *lib.3. c.*10. & Sozomenus *lib.5. c.*19. ſiue ſanando ægroto ex Iuſtino *quæſt.*29. citata, & Theodoreto *lib.8.ad Græcos*, & docet de reliquiis S.Stephani Auguſtinus *lib.22. de Ciuit.c.* 8. *& 9. & ſerm.*51. *de diuerſis*, Lucianus, & Metaphraſtes die 2. Auguſti, de illuminatione cæci ad reliquias SS. Geruaſij & Protaſij. S.Ambroſius *ſerm. 91. & epiſt.* 85. & Auguſtinus *lib.* 9. *Conf. c.* 7. & alterius cæci tactu reliquiarum SS. Siſinnij Martyris, & Alexandri, Paulinus *in fine vitæ S. Ambroſij*, & tertij ex contactu reliquiarum S. Medardi Epiſcopi Nouiomenſis anno 564. Venantius Fortunatus *lib.2.* & Athalongi Presbyteri ad reliquias S. Quilliani & ſociorum, Sigebertus *in Chron.* anno 746. quod & vmbram S.Petri, & zonam ac ſemicinctia S. Pauli feciſſe, docent Apoſtolorum Acta *c.*19. ſiue eiiciendo dæmones ex obſeſſis corporibus, ex D.Ambroſio *ſerm.* 91. Iuſtino *loco cit.* & de ſudariis Pauli *Act.* 19. Narrátque Thomas Faſellus *lib.* 10.*de rebus Siculis, c.*2. ad S. Philippi reliquias in Sicilia anno 1541. ad ducentos energumenos liberatos: ſiue reſuſcitando mortuos, vt de oſſibus Eliſæi conſtat *lib.4.Regum.c.*13. & ſcribit Auguſtinus *ſer.*32.33.*de diuerſis*,*lib.*22.*de Ciuit.c.*8. de reliquiis S.Stephani, & Baſilius *de S.Mamante in orat. eiuſdem*; denique in honorem quorumdam Sanctorum ſolet etiam certis diebus quotannis Deus renouare miracula, vt conſtat tum ex lapide tincto ſanguine S. Thomæ Apoſtoli, vt diximus ex Oſorio Petro Maffeo & Ioan.Lucena *lib.3. c.5. vitæ P.Xauerij*, *hoc eodem lib.c.*3. tum ex S.Euphemiæ reliquijs, quæ, teſte Nicephoro *lib.*18.*c.*31. quotannis ipſo paſſionis eius die ſanguineum liquorem ſolent emittere, tum ex ſanguine S.Ianuarij, qui in eiuſdem feſto ad conſpectum capitis ſingulis annis ebullire ſolet, vt teſtis locuples eſt Neapolis tota. Et vidimus ipſi Genuæ anno 1609. in priuato quidem, ſed regio pæne cultu ornato ſacello Illuſtriſſimi Marci Antonij de Auria, in ampulla vitrea D.Io.Baptiſtæ ſanguinem, qui quotannis à primis veſperis feſti decollationis eius, vſque ad finem octauæ colliqueſcit, & leniter fluit; cùm toto reliquo anni tempore concretus & immobilis perſeueret. Et eſt pars illius, qui aſſeruatur Neapoli in Eccleſia S. Ioannis à Carbonara, prædicto etiam modo quotannis liqueſcens; videtur autem veriſimile

riſimile hunc & illum, qui ibidem repoſitus eſt in Eccleſia S. Georgij, teſte Thoma Bozio *lib. 9. de ſignis Eccleſiæ, c.*8. ſumtum eſſe ex illo, quem Gallicana Matrona collegit datis muneribus ſpiculatori in decollatione D.Ioan.Baptiſtæ, & in patriam rediens detulit in vrbem Vaſatentem, & repoſuit in altari Eccleſiæ ab ea ædificatæ in illius honore, vt docet Gregorius Turonenſis *lib.*1*.de gloria Martyrum,c.* 12. Eiuſdem Præcurſoris ſacros cineres Genuæ in ſummo templo aſſeruatos, delatos in conſpectum ſæuientis pelagi ſtatim tempeſtatem & fluctus reprimere ſolitos, non tantùm teſtis eſt Genua tota, verumetiam peregrini nautæ, & inſtitores innumeri. Theofridus Abbas *ſerm. de venerat. Sanctorum*, paucis multa complectitur, cùm ait: Quid apud Deum eorum poſſint animæ ortus exanimatorum corporum oſtendunt quotidie. Si quid fortè natura negat, vel improuiſus caſus in humanis debilitat ad eorum ſepulcra clementia diuina reſtaurat. Cæcitatem illuminant, greſſus conſolidant, linguas reparant, aures reſerant, dæmonibus imperant, carceres aperiunt, vincula reſoluunt, eliſos erigunt, iniuſtos corrigunt, iuſtos diligunt. Hæc operantur per corpora ſpiritus, qui iam diuinis aſſiſtunt obtutibus. Eamdem venerationem definitam 2.
ab Eccleſia habemus à Felice I. cum Concilio Romano *epiſt.* 2. & in Synodo ſeptima *act.* 1. in confeſſione Catholica Theodoſij & Baſilij Ancyrani, vbi dicitur Apoſtolica traditio. & *act.*3.in fine epiſtolæ Theodori, vbi etiam optimis argumentis probatur, & *act.*4. *& 7. in vltima definitione.* Concilio Carthaginenſi V. *can.* 14. Gangrenſi *can.*5. Bracarenſi III. *can.*5. Epauonenſi *can.* 25. Lateranenſi ſub Innocentio III. *c.*62. & in Tridentino *ſeſſ.*25. vbi habemus affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliáque ſacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ cauſa Sanctorum memorias fruſtrà frequentari, omnino damnandos eſſe, prout iam pridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Eccleſia. Idémque poſtea definiuit Pius IV. in Bulla ſuper forma iuramenti profeſſionis fidei. Patres quoque multi ſunt in reliquiarum adoratione prædicanda; ſed ne nimij ſimus antiquiores tantùm videamus. Clemens Romanus *lib.6. conſtit.c.*30. *Eorum,* 3.
ait, *qui cum Deo viuunt, nec reliquiæ ſine honore manent.* Iuſtinus *quæſt.*28. à Chriſtianis propoſita, dicit corpora & ſepulcra Martyrum habere virtutem aduersùs dæmones, & ad ſanandos morbos, qui arte medicinæ curari non poſſunt. Tertullianus *lib.*2*.ad vxorem,* dicit, ſolitos fideles reptare in carceres ad oſculanda vincula quibus vinciebantur Martyres. Pius I.*ep.*2*.ad Iuſtum.Cùra,* inquit, *ſanctorum Martyrum corpora, ſicut membra Dei, quemadmodum curarunt Apoſtoli Stephanum, carceres Sanctorum viſita, ne quis tepeſcat in fide.* Cyprianus *lib.*3*.epiſt.*6. *aliàs* 37. hortatur fideles ad peculiarem curam adhibendam corporibus Martyrum, & Confeſſorum, qui licèt paſſi non eſſent, in carcere tamen pro Chriſti fide obierant, nempe vt magnificentiùs cæteris ſepelirentur, & haberentur. Baſilius *in Pſalm.* 115. ſcribit in lege veteri ſacerdotibus, & Deo dicatis, præceptum fuiſſe: *Non contaminabitur ex aliquo mortuo*, nunc autem qui contingit oſſa Martyrum, fieri ſanctificationis participem ex gratia reliquiis inſidente. Nazianzenus *orat.*1. *in Iulianum. Quorum,* ait, nempe Martyrum, *vel ſola corpora idem poſſunt, quod animæ ſanctæ, ſiue manibus contrectentur, ſiue honorentur, quorum vel ſola ſanguinis gutta atque exigua paſſionis ſigna id poſſunt, quod corpora. hæc non colis, ſed contemnis, & aſpernaris?* Chryſoſtomus *orat. de SS. Iuuentino & Maximo. Iccirco eos ſæpe inuiſamus, tumulos adoremus, magnáque fide tumulos eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam aſſequamur. Etenim ſicut milites vulnera in præliis ſibi inflicta Regi monſtran-*

tes

tes fidenter loquuntur, ita & illi in manibus abſcißa capita geſtantes, & in medium afferen-
tes, quæ voluerint apud Regem cælorum impetrare poſſunt. Proinde magna fide promtitudi-
néque huc veniamus, quo & viſis Sanctorum monumentis, & conſideratis eorum prælijs, in-
de varios theſauros undequaque colligamus. Nyſſenus *oratione de S. Theodoro* dicit, pro
magno munere habere, ſi quis poſſit de puluere ipſo, quo Martyris loculum
caſu aliquando obducitur, habere. Et ſanè huiuſmodi puluere collecto circa
Sanctorum ſepulcra reſuſcitatum mortuum docet S. Gregorius *lib.* 3. *dial. c.*17.
ægrotos ſanitati reſtitutos, Gregorius Turonenſis *lib.* 2. *de miraculis S. Martini,*
*c.*1. *& lib.*4. *c.*1. Itémque *lib.*2. *de gloria Martyrum, c.*45. & Euodius *lib.*1. *de miraculis*
*S. Stephani, c.*12. apud quem etiam *lib.*2. *c.*2. habetur miraculum de oleo ſanctifi-
cato ad morbos curandos lampadis collucentis. vt etiam Venantius curatus eſt
oleo lampadis ante imaginem S. Martini poſitæ, ipſo teſte *lib.*4. *vitæ S. Martini.*
Idémque Manreſæ accidit paulo antè oleo accepto ex lampade poſita ante ima-
ginem B. Patris Ignatij in ſpelunca in qua pœnitentiam egit. Gennadius *lib. de*
eccl. dog. c. 37. ſcribit reliquias veluti membra Christi ſinceriſſime honorandas.
Damaſcenus *lib.* 4. *de fid. c.*16. vocat eas fontes ſalutiferos ex quibus plurima ad
nos beneficia manant, ſuauiſſimúmque vnguentum profluit. Photius Patriar-
cha Conſtantinopolitanus *lib. de ſeptem Synodis. Sanctorum*, inquit, *templa, & ſe-*
pulcra, & reliquias fideliter adoramus. Theofridus Abbas *ſer. de Sanctorum reliquiis, Has*
(ait) *ſingulis prouinciarum & ciuitatum populis dedit* [Deus] *in ſolatium, vt dum im-*
portunis vrgentur incurſibus hoſtium viſibilium & inuiſibilium, per harum defenſentur me-
ritum. Omitto S. Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum, & alios ſuprà cita-
4. tos. Conſuetudo eſt euidens. nam *Eccli. c.*49. oſſa Ioſeph viſitata ſunt, & poſt
mortem prophetauerunt. Ioſias *lib.*4. *Reg. c.*23. volens euertere omnem idolola-
triam, & ſuperſtitionem, cùm multa combuſſiſſet corpora in monte ſepulta,
oſſa Eliſæi, & alterius Prophetæ tamquam ſancta ſeruauit intacta. Contactus
religioſus fimbriæ Christi Hæmoroiſſæ attulit ſanitatem, *Matth.*9. ſepulcrum
eiuſdem dicitur glorioſum, *Iſaiæ* 11. quod impletum eſſe ob fideles magno cum
religionis affectu illud viſitantes, dicit D. Hieronymus *epiſt.* 17. Exangue cor-
pus eiuſdem vnguentis vngere piæ fœminæ voluerunt, *Marci* 16. *Lucæ* 24. vi-
ros timoratos religioſè curaſſe Stephani corpus, ſcribit S. Lucas *Act.*8. pone-
bat populus *Act.* 5. in plateis infirmos, vt veniente Petro, eius vmbra illos ab
ægritudinibus liberaret; delatis à corpore D. Pauli *Act.* 19. ſudariis & ſemi-
cinctiis recedebant languores, & egrediebantur ſpiritus nequam. Quo tempo-
re SS. Petrus & Paulus paſſi ſunt, Orientales Romam venerunt, vt eorum tam-
quam Gentilium ſuorum reliquias vendicarent, ex D. Gregorio *lib.* 3. *epiſt.*30.
B. Ignatij reliquiæ Antiochiam ſolemni ritu fidelium humeris ſunt deportatæ,
vt teſtatur D. Chryſoſtomus *Hom. in eius laudem.* Smyrnenſes, vt ex eorum epi-
ſtola conſtat, apud Euſebium *lib.*4. *hiſt. c.*14. S. Polycarpi ambuſta oſſa ex cineri-
bus ſelecta, quæ vocant pretioſiora lapillis pretioſis, auróque puriora, decoro
& conſentaneo loco repoſuiſſe teſtantur. Scribit Diaconus Pontius *in vita S.*
Cypriani, cùm capite plectendus martyr eſſet, fratres adſtantes flentes linteami-
na & oraria ante eum poſuiſſe, ne diffluens ſanctus cruor abſorberetur à terra;
tanti martyris faciebant reliquias. Cùm martyrium conſummaſſet S. Suſanna
Serena Auguſta Diocletiani vxor, noctu in illius ædes aduenit, illiúſque cor-
pus propriis manibus curauit, linteo inuóluit, aromatibus condiuit, & decen-
ter ſepeliuit; retento velo, quo ſanguinem eius abſterſerat, apud ſe in argentea
theca, erátque in precibus die ac nocte, vt eius acta teſtantur. Paula Romana
præſepe,

præſepe, in quo vagiit paruulus Dominus, deoſculabatur venerabunda, ex D. Hieronymo *epiſt.* 27. Euſebius explicans *lib.* 13. *prep. c.*7. ſuæ ætatis ritum circa reliquias Sanctorum: *Quotidie*, inquit, *factitamus, qui verè pietatis milites, & Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipſis facimus, quorum interceſſione ad Deum non parum iuuari profitemur.* Ruffinus etiam *lib.*2 *hiſt.c.*33. ait, Theodoſium Imperatorem circuiſſe cum ſacerdotibus, & populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apoſtolorum thecas iacuiſſe proſtratum cilicio, & auxilium ſibi fida Sanctorum interceſſione poſtulaſſe. Theodoſius Iunior eius nepos cùm mortem Conſtantinopoli obiiſſet, Epiſcopus Chrebrorum diligenter ſaccum eius quæſiuit, eúmque licèt ſordidum, induit, ſperans ex mortui ſanctimonia, inde aliquid ſe recepturum, ex Socrate *lib.*7.*c.*22. Vita functo in peregrinatione S. Germano Antiſiodorenſi Epiſcopo B.Petrus Chryſologus illius cucullam & cilicium tamquam ingentem theſaurum ſibi vſurpauit, cingulum Antiſtes alius, pallium alius, duo tunicam, duo ſagulum diuiſerunt, ex Conſtantio *lib.* 2. *c.*19. *vita illius*, & Hieronymo Rubeo *lib.* 2. *hiſt. Rauen.* ligneum eius vaſculum ſeu patinam Placidia Imperatrix, quam auro ambiit. ex eodem Conſtantio *lib.*2. *c.*13. & Rubeo *loco cit.* Cyriacus dux exercitus Iuſtiniani Imperatoris cõtra Perſas profecturus Theodoſij Cœnobiarchæ cilicium multis precibus expetitum induit pro thorace, & mirabiliter reportauit victoriam, ex Cyrillo hiſtorico apud Surium die 11. Ianuarij. Cùm D.Gregorius audiuiſſet aſſeruari apud Ioannem Abbatem tunicam S. Ioannis Euangeliſtæ, magna diligentia conquiſitam Romam tranſmittendam curauit, anno 592. *ex eodem lib.* 2. *epiſt.*3. Indict.11. Eamdémque ſub altari S.Ioannis collocatam, multis clarere ſolitam miraculis teſtatur Io. Diaconus *in vita S. Gregorij.* Tunica Saluatoris inuenta in Zaphat anno 593. tranſlata eſt Ieroſolymam, ibíque publicæ venerationi expoſita, ex Sigeberto *in Chronico*.S.Benno Miſnenſis Epiſcopus toto vitæ tempore Sanctorum reliquias, tamquam cœleſtem theſaurum veneratus eſt, vt ſcribit Emſerus *in eius vita, c.* 25. & Martinus del Rio *lib.*6.*diſq. magic.c.*2.*ſect.*3.*q.*3. vt etiam eodem theſauri nomine reliquias S. Meletij vocat Nazianzenus in carmine de ſua vita, illis verbis:

Eccleſiámque vectus eſt poſt ad ſuam
Theſaurus ingens hoc bonum agnoſcentibus, &c.

Addamus tandem Ethnicum, nobíſque ob Serapidis templum demolitum, infenſiſſimum Eunapium Sardianum *in Ædeſij vita*, qui Chriſtianorum mores ſuæ ætatis, nempe anno 389. declarans ait, Alexandriæ cõdita capita Martyrum, quos Chriſtiani vt diuos colerent, iiſdem genua ſubmitterent, ſéque illorum ſepulcris proſternerent; legatóſque precum apud Deum eoſdem habere dicerent. Quid igitur mirum, ſi ad hæc vſque tempora Eccleſia Catholica retinuerit eumdem pium ritum venerationis reliquiarum? Atque vt in cœlis, ſic etiam & in terris verum ſit illud Pſalmi, *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis
confortatus eſt principatus eorum.* Tandem idem confirmat ratio. tum ex Tertullia- 5.
no *lib. de reſurrectione carnis*, & Ambroſio *ſerm.* 93. quia Sanctorum corpora fue- 1.
runt veluti veſtimenta, & organa animarum, ad omne virtutis opus; ideóque
ſi licuit Iacob deoſculari Ioſephi tunicam loco illius, vt ex Leontio *lib.*5. *contra
Iudaos*, in ſecunda Nicæna Synodo conſtat, cur non etiam nobis Sanctorum
oſſa, & reliquias? tum ex eodem Ambroſio *loco cit.* & D. Thom. 3. *p. quæſt.*25. 2.
*art.*6. quia deſtinata ſunt, ſicut earum animæ, ad æternam in cœlis gloriam. tum 3.
ex Nazianzeno *orat.* 1. *in Iulianum*, & Smyrnenſibus *in epiſt. citata*, quia honor

Io.Bapt.Scortia de ſacrif.Miſſæ. Ff corporis,

corporis, quod Chriſtum glorificauit in paſſione, eſt perſpicua nota amoris in Chriſtum. quos ſequutus Hieronymus *epiſtola ad Riparium*, *Honoramus*, inquit, *reliquias Martyrum, vt eum cuius ſunt Martyres, adoremus; honoramus ſeruos, vt honos ſeruorum redundet ad Dominum.* Tum ex D. Thoma, quia fuerunt habitatio Spiritus ſancti. 1. *Corinth.* 3. *& 6. Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti*, ideo cùm ſint honoranda templa, ex D.Hieronymo *ep.*18.*ad Marcellam*,Chryſoſtomo *Hom.*3.*in* 2. *ad Corinth.* Photio Patriarcha *lib. de ſeptem Synodis*, & Synodo VII. *act.* 6. quia Dei habitatio, erunt etiam honore dignæ Sanctorum reli-
1. quiæ. Verùm obiicient Nouatores, in Sanctorum reliquiis non manet niſi materia prima, quæ fuit in Sanctis, præſertim in cadaueribus,& cineribus; vel ad ſummum etiam quantitas cum aliquibus accidentibus:at ſi hoc ſufficit, poterimus etiam venerari vermes, & terram, cùm in ea conuertuntur. Reſpondemus cum Vaſquez,Bellarmino, Suarez *locis cit.* & Sanchez *lib.*2.*de decal. c.*43. *num.* 2. & aliis, quod manet in reliquiis adoratur propter habitudinem ad perſonam cuius fuerunt, quæ eſt relatio rationis, ſeu quædam moralis dignitas, quæ tamdiu perſeuerare cenſetur, quamdiu morali & humano modo res exiſtimatur ad ſanctum pertinere; & ſanctus cum illa, vel in illa apprehenditur: quomodo verò morali modo res prædictam habitudinem perdere cenſetur, non amplius reliquiæ loco habetur, nec amplius ad ſanctum pertinere putatur. ideo nec amplius eſt venerabilis: vt accidit cùm præſefert indecentiam. Quare cùm generantur vermes, non eos adoramus, quia cenſetur materia illa amiſiſſe habitudinem prædictam, & præſeferre indecentiam. quod non accidit in oſſibus, pilis, & cineribus adhuc prædictam habitudinem retinentibus. quod præclarè illis verbis expreſſit Ambroſius *ſerm.*93. *de S. Nazario & Celſo. Si dicas mihi quid honoras in carne iam reſoluta atque conſumta? Honoro in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices, honoro virtutis memoriam perennitate virtutis: honoro per confeſſionem Domini ſacratos cineres; honoro in cineribus ſemina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum oſtendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent fideles corpus illud, quod reuerentur, & dæmones? quod & afflixerunt in ſupplicio, quod glorificant in ſepulcro? Honoro itaque corpus,*
2. *quod Chriſtum honorauit in gladio, quod cum Chriſto regnabit in cœlo.* Ar, inquit Iulianus Apoſtata apud Cyrillum in Iulianum *lib.*10. & huius temporis Nouatores, Chriſtus Dominus *Lucæ* 11. *Matth.* 23. reprehendit Iudæos, quòd Prophetarum ſepulcra ædificarent? verùm id non tantùm negamus,verumetiam pernegamus. Etenim ex D. Chryſoſtomo *Hom.*75. *in Matth.* Hilario *ibid. can.* 23. & Beda *in c.*11. *Lucæ*, Chriſtus Iudæos reprehendit de hypocriſi, quia etſi ſepulcra ædificarent Prophetarum, vt à ſuis maioribus, qui illos occiderant, viderentur diſſimiles, intus tamen & ipſi homicidæ erant, cùm vellent Prophetarum Dominum occidere.Ob id permittendo,& non imperando ſubdidit Chri-
3. ſtus: *Verumtamen implete menſuram patrum veſtrorum.* Concilium quoque Eliberitanum celebratum circa annum 313. non aliud reprehendit in accendendis cereis ad Martyrum ſepulcra, ne Sanctorum ſpiritus inquietentur, vt ait *can.* 34. quàm ſuperſtitioſum vſum cereorum more Gentilium putantium defunctos cereis euocari, & illuminari, de qua re Plinius *lib.* 28. *c.*2. & Suetonius in Tiberio *c.* 98. qui videbatur inter fideles etiam irrepere. Ideóque non tantùm Sanctis, qui adhuc viuunt, ſed etiam defunctis huiuſmodi ſuperſtitioſus vſus improbabatur, illiſque ſummopere diſplicebat, quòd Patres Concilij inquietare dixerunt. Cæterùm ceſſante ſuperſtitione id honeſtum & pium eſt, cùm

ordinetur

ordinetur in honorem Sanctorum; non quòd ipſi tali lumine egeant, ſed vt nos ſignificemus eos in æterna gloria viuere, & nos de eorum gloria lætari, vt colligimus ex D. Hieronymo contra Vigilantium. Quo etiam ſenſu accipiendum eſt quod ipſe *ibidem* dicit, eos ſcilicet, qui interdiu cereos Martyribus accendunt, habere zelum, ſed non ſecundùm ſcientiam; ſecundùm tamen fidem ſuam habere mercedem. De his enim & ipſe loquitur, qui putabant lumina Martyribus prodeſſe, ſicut ſuis idolis putabant Gentiles. abſolutè enim laudat accenſionem cereorum in honorem Martyrum, cùm ſcribens ad Riparium dicat: *Sicut laudata eſt Maria Magdalena, quòd in honorem Chriſti, licet Chriſtus non egeret, vnguentum effudit: ita accendentes cereos Martyribus, etſi Martyres non egeant ſecundùm propriam fidem habere mercedem.* & paulo pòſt ſubdit: *Illud fiebat idolis, ideo deteſtandum eſt, hoc fit Martyribus, idcirco recipiendum eſt.* 4.

4. Sed iam re contra Nouatores conſtituta, adorandas ſcilicet reliquias, Catholico quærenti de modo, quo eas debeamus venerari; reſpondemus vt de imaginibus diximus, relatiuè, nempe prout cogitatione cum eo cuius ſunt, aut quem tetigerunt, coniunguntur: non autem ſine eo, & ſecundùm ſe, vt rectè docet S. Thom. 3. *p. quæſt.* 25 *art.* 4. & 22. *quæſt.* 103. *art.* 3. Capreolus 3. *d.* 9. *q.* 1. *art.* 1. Almainus *ibidem quæſt.* 1. VValdenſis *tom.* 3. *c.* 120. Gabriel *in can. lect.* 50. & 3. *d.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 2. Vaſquez *lib.* 3. *de ador. d.* 4. Henriquez *lib.* 8. *c.* 32. *num.* 4. & alij quia res inanima, quales ſunt reliquiæ, ſecundùm ſe, non eſt capax honoris, & cultus, niſi coniuncta ſit cum rationali, quæ dignitatem & excellentiam habet; cùm ſecundùm ſe homo maior ſit re inanimata: atque adeò res inanima ſecundùm ſe ſit homini ſubiecta, & non contrà; ob id homo non ei debet ſeruitutem, ſeu ſubiectionis notam, & reuerentiam, quam dicit adoratio ſeu veneratio. Idémque ſenſerunt D. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, c.* 17. Damaſcenus *lib.* 4. *de fide, c.* 12. & Patres Synodi ſecundæ Nicænæ *act.* 4. Quare eodem adorationis motu, cum eo cuius fuerunt, reliquiæ, adorari debent; cùm nullam aliam excellentiam, aut ſanctitatem habeant, quàm eius cuius fuerunt; cui ſeruitus & reuerentia in ſpiritu defertur. Ideóque Dulia ſi ſunt Sanctorum, Hyperdulia ſi B. Virginis, latria ſi ſint Chriſti, colendæ ſunt, vt de imaginibus diximus. Reliquiæ enim in eo ſolùm ab imaginibus differunt, quoad præſentem diſputationem, quòd in imagine eſt reſpectus quidam repræſentationis Prototypi; in reliquiis verò reſpectus ex contactu, vel alia ſimili ratione, ad eum cuius ſunt. Illud peculiarius habet crux in qua mortuus eſt Chriſtus, quàm aliæ cruces & imagines, quòd vtrumque reſpectum habeat repræſentationis, ſi ſub figura crucis maneat, & contactus ſeu reliquiæ, cùm tetigerit Chriſtum. quam ob cauſam dixit S. Thom. 3. *p. quæſt.* 25. *art.* 4. duplici titulo adorandam. Si etiam quæras, an liceat ſuſpenſas collo reliquias deferre? reſpondeo etiamſi id negauerit Angelus *v. Reliquiæ num.* 4. & Ciruelus *de ſuperſt. p.* 3. *c.* 4. ſi tamen honorificè id fiat, & ex deuotione, licere, ex S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. Antonino 3. *p. tit.* 12. *c.* 8. Nauar. *in Manuali, c.* 11. *num.* 35. Syluestro, Roſella, Armilla, Tabiena *v. Reliquiæ*, Martino del Rio *lib.* 3. *diſq. mag. p.* 2. *q.* 4. *ſect.* 3. Suarez *tom.* 1. *quæſt.* 25 *art.* 6. *diſp.* 55. Vaſquez *lib.* 3. *de ador. diſp.* 3. *c.* 8. *num.* 115. Sanchez *lib.* 2. *de decalogo, c.* 4. *num.* 27. 28. tum quia iure naturæ non eſt per ſe malum, nec continet vllam indecentiam, cùm fiat ex pia affectione in honore ſancti, nec iure eccleſiaſtico interdictum eſt. tum ex vſu Eccleſiæ, vt patet de particulis veræ crucis Chriſti in S. Macrina, quæ in annulo ſub pala à collo ſuſpenſo geſtare eas ſolebat, ex Gregorio Nyſſeno *in eius vita*; in S. Paulino, qui oſtenſione particulæ eiuſdem ligni

ſibi à Melania allatæ,extinxit incendium, vt docet ipſemet *Natali* 10. *S. Felicis*, in S. Gregorio qui eodem teſte *lib.*12. *epiſt.*7. *Indict.*7. ad Adulonaldum puerum Theodelindæ Reginæ Longobardorum filium,miſit filateria ſuſpendenda collo, in quibus erat de ligno S. Crucis, & aliis apud Chryſoſtomum *Hom. quòd Chriſtus ſit Deus*, & Euagrium *lib.* 4. *c.*26. & de clauo poſito ab Helena in capite regum apud Ambroſium *in oratione in Theodoſium.* In Concilio autem Bracarenſi III. *can.* 5. reprehenduntur tantùm Epiſcopi, qui in ſolemnitatibus Martyrum reliquias de collo ſuſpendebant maioris pompæ & oſtentationis gratia, vt ſcilicet à Diaconis in ſellulis portarentur; cùm nec ſummus quidem Pontifex diaconorum aut clericorum humeris, ſed laicorum tantùm geſtetur. Ideóque iubet Concilium vt in capſellis leuitarũ humeris portentur;aut certè ſi Epiſcopus ipſe deferre velit,pedibus quos vnà cum populis proceſſione præcedente deferat. Cætera quæ de reliquiis quæri poſſunt petenda ſunt *ex titulo, de reliquiis & veneratione Sanctorum.* Azor *lib.*9. *c.*8. Sanchez *lib.*2.*de decal.c.*40.*num.*27.28.*& cap.* 43.*toto.* & Summiſtis *v. Reliquiæ.* Illud vnum monemus, reliquias cùm ſumma veneratione habendas, qua de re S. Gregorius *lib.*3. *regiſtri, Indict.*12. *epiſtola* 30. *ad Conſtantiam Auguſtam*, docet non ſolùm non contingendas, ſed ne aſpiciendas quidem niſi admodum reuerenter & piè. Et quoſdam ob ſolum aſpectum diuinitus morte mulctatos; ob id conſuetudinem fuiſſe, vt non ipſæ reliquiæ diuiſæ aliò mitterentur ob deuotionem, ſed ſolùm mitteretur aliquid quod ad eas fuiſſet admotum. *Cognoſcat*(inquit) *tranquilliſſima domina,quia Romanis conſuetudo non eſt quando Sanctorum reliquias dant, vt quicquam tangere præſumant de corpore, ſed tantummodo in pyxide brandeum mittitur atque ad ſanctiſſima Sanctorum corpora ponitur, quod eleuatum in Eccleſia, quæ eſt dedicanda, cum veneratione reconditur. Et tanta per hoc ibidem virtutes fiunt, ac ſi illuc ſpecialiter eorum corpora deferantur.* Vnde contingit vt beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, ſicut à Maioribus traditur,dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent,prædictus Pontifex hoc ipſum brandeum allatis forficibus inciderit, & ex ipſa inciſione ſanguis effluxerit. Non diſſimilia habet Gregorius Turonenſis *lib.*1. *de miraculis, c.* 28. & epiſt.legatorum Hormiſdæ Papæ ad eumdem,rogantium vt petitas reliquias Iuſtiniano concederet,data anno 519. Nicolaus etiam ad Conſulta Bulgarorum *c.*7. dicit, mundis licere reliquias deferre, ſed non concedendum immundis, quòd ſcriptum ſit, *Mundamini qui fertis vaſa Domini.*

Sacerdos denique ex veteri conſuetudine, vt videre eſt apud Iuſtinum *in fine* 5.
2. *Apologiæ*, Tertullianum *lib.de orat.c.vltimo*,Cyrillum *Catech.*5 *myſtag.* Nyſſenum *orat.de S.Baptiſmate*, Chryſoſtomum *Hom.*77.*in Io.* Amalarium *lib.*3.*de Eccl.off.c.*4. inter orandum oſculatur altare, quod venerationis ſignum eſſe conſtat,ex diuo Ambroſio *ep.*14. Chryſoſtomo *Hom.*3.*in* 2.*ad Cor.* Hieronymo *ep.*7.*&* 27. Synodo II. Nyſſena *act.*4.*& act.*6.*tom.*5. §. *Papè quanta inſania:* idque fit, tum propter reliquias incluſas; tum quia & ipſum ſacrum eſt, Deóque dicatum, ex Nyſſeno *loco cit.* Ambroſio *ep.*14. Chryſoſtomo *Hom.*20. *in* 2. *ad Cor.* & aliis, quos citauimus *lib.* 2. *c.*13. quare ſi de præſepe dixit Nazianzenus, *Præſepe adora: nam, quæ Deo oblata ſunt, eius participatione & contrectatione fiunt ſancta.* & Dauid de Arca Dei: *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt*; quidni etiam veneremur altare ſedes corporis, & ſanguinis Chriſti,vt vocat Optatus *lib.*6. *contra Parmenianum.* Quare nec mirum ſi altaria conſecrata data ſint in cuſtodiam Angelorum, vt diximus ex Sophronio vel potiùs Ioanne Euirato eius comite itineris *in prato ſpirituali. act.* 4. *&* 10. referente bis viſos Angelos in altaribus conſecratis, aſ-

ſerentes

ſerentes ex die conſecrationis à Deo ſibi in cuſtodiam traditis; tum denique ad ſignificandum Chriſtum, cuius figuram refert altare, ex D. Auguſtino *ſerm.* 11. *de Sanctis*, & S. Thomas 3. *p. q.* 83. *ar.* 3. in incarnatione ſibi deſponſaſſe Eccleſiam, eámque oſculatum eſſe, ſecundùm illud. Quaſi ſponſum decoratum corona, *Iſaiæ* 61. & ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. *Apocal.* 21. eáque ratione complexum ſponſæ votum *Cant.* 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui*, vt ſentit Innocentius *lib.* 2. *c.* 15. Turrecremata *can. Iacobus. de conſecr. d.* 1. Durandus *in Rationali lib.* 4. *c.* 9. Gabriel *lect.* 15. Sotus 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 4. Aut certè ex D. Bonauentura *in expoſitione Miſſæ*, & Stephano Heduenſi *c.* 12. pacem à Chriſto Iudæis, & Gentibus nunciatam eſſe, & facta vtraque vnum. qua etiam de cauſa ita iunctis manibus altare contingit ſacerdos, vt ſuperiorem & anteriorem altaris partem digitis contingat, ad oſtendendum Chriſtum Dominum eſſe lapidem angularem facientem vtraque vnum, ſed de altaris oſculo erit iterum ſermo *lib.* 4. *c.* 4.

De thurificatione CAP. XIII.

SVMMARIVM.

1. *Thurificationis vſum in Miſſa ſolemni ab Apoſtolis manaſſe.*
2. *Non eſt autem ſacrificium, vt apud Hebræos, ſed ſacrificij tantùm cæremonia.*
3. *Quæ ratio thurificationis adhibendæ.*
4. *De thymiamate in Dei & Sanctorum honorem ſolito adoleri.*

1. IN ſolemnioribus deinde Miſſis adhibetur thurificatio altaris, vt etiam in reliqua ſacra actione Euangelij ſanctæ Euchariſtiæ, Sacerdotis, Cleri, & populi, idque antiquiſſimo Eccleſiæ vſu, cùm de ea meminerit Canon Apoſtolorum quartus, D. Iacobus, & Marcus *in Liturgia*, Dionyſius *de eccl. hier. c.* 3. Soter *epiſt.* 2. Damaſus *in Sylueſtro*, Seuerus Patriarcha *in ordine oblationis*, Chryſoſtomus, & S. Germanus *in Liturgiis*, Amalarius *lib.* 3. *c.* 5. Innocentius *lib.* 2. *c.* 16. & 17. Ideóque fallitur Platina in Sixto I. & alij, qui aſſerunt initium habuiſſe à Leone III. qui vixit circa annum 808.

2. Sumſit hunc ritum Eccleſia catholica ab Hebræis, *Exod.* 25. 30. 40. *Leuit.* 1. & 10. *Num.* 16. *lib.* 1. *Reg. c.* 2. & 3. plura enim ſcripta in lege, vel conſuetudine laudabili introducta apud Hebræos, non ſolùm non ſpreuerunt Apoſtoli, ſed etiam in Eccleſiam introduxerunt; vt quæ fuerant dudum conſuetudinis Iudaicæ, fierent obſeruantiæ Chriſtianæ, vt dixit D. Leo *ſer.* 7. *de ieiunio* 7. *menſis.* quamquam apud eos ſacrificium eſſet; apud nos verò, teſte D. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 5. Soto 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 5. & aliis, ſit tantùm cæremonia ſacrificij, contrà quàm exiſtimauerit Canus *lib.* 12. *de locis theol. c.* 13. cùm vnicum tantùm ſit Eccleſiæ ſacrificium, ex *Can.* 3. *Apoſtolorum*, Irenæo *lib.* 4. *c.* 32. Iuſtino *dialogo cum Tryphone*, Auguſtino *lib.* 10. *de Ciuit. c.* 20. & *lib.* 17. *c.* 20. & aliis, vt diximus *lib.* 1. *c.* 3. *n.* 7. Conſtat etiam adhibitum thus in Gentium ſacris, ex Virgilio *ecloga* 8. Tibul. *lib.* 2. *eleg.* 2. Athenæo *lib.* 6. *c.* 6. Macrobio *lib.* 3. *Satur. c.* 13. Plinio *lib.* 22. *c.* 14. & *lib.* 12. *c.* 14.

3. Adhibetur autem thuris ſuffitus, tum vt malus odor, ſi adſit, depellatur loco, ex S. Thom. *loco citato.* cùm is facile oriri poſſit ex adſtantium multitudine

tum ex Hugone de S. Vict. *ſer.36.* Steph. Heduenſi *cap.12.* & Gabriele *lect.15.in can.* ad denotandum qualis non eſſe debeat celebrantis & adſtantium oratio, iuxta illud Dauid *Pſal.141. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*; cui etiam S.Ioannes *in Apoc.* comparat Sanctorum orationes. tum ex S.Germano & Amalario, vt ſignificetur Chriſti & Euangelij bonus & ſuauis odor, qui deinde non tantùm in miniſtros Euangelij, ſed in totum myſticum corpus diffundendus eſt; quam etiam ob cauſam *c.2. huius libri* non tantùm ex S. Germano, ſed etiam ex D. Auguſtino *Hom.6. in Apocal. & ſer.98.* diximus ipſum thuribulum denotare Chriſtum, in quo diuinitatis ignis, cum humanitate continetur: tum ob tanti ſacrificij honorem, & reuerentiam; repræſentat enim huiuſmodi thurificatio, Magorum thus & myrrham, necnon & aromata, quæ ſepeliendo Domino ſunt oblata, vt teſtatur *in Theoria* S. Germanus.

Adoleri denique in Eccleſiis feſtis diebus, in Dei & Sanctorum honorem 4.
etiam thymiama, conſtat ex Anaſtaſio Biblioth. *in Sergio*, vbi ait: *Hic fecit thymiamaterium aureum maius, cum columnis & coopercido, quod ſuſpendit ante imagines tres aureas B. Petri Apoſtoli, in quo incenſum & odor ſuauitatis feſtis diebus, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur.* Et ante ipſum Sergium annis centum S.Gregorius miſit Secundino Abbati, aloem, thymiama, ſtyracem, & balſamum ſanctorum Martyrum corporibus offerenda, vt conſtat *ex eiuſdem epiſtola 7.lib.12.Indict.7.* Atque hæc diſputata ſint de iis, quæ in Miſſa ante introitum continentur. iam reliqua perſequamur.

De Introitu Miſſæ. Cap. XIV.

SVMMARIVM.

1. *Introitus quid, & vnde dictus.*
2. *Ab Apoſtolis, & non à Cœleſtino primùm inſtitutus.*
3. *Quibus partibus conſtet.*
4. *Quæ illius myſtica ſignificatio.*
5. *Cur inchoetur ex abrupto, & non eo modo quo inchoantur horæ canonicæ.*

SVccedit Introitus, quem Amalarius *lib.3.c.5.* S.Thomas *3.p.q.84.art.4.* VValdenſis *tom.3.tit.4.c.32. de ſacramental.* & Hugo de S. Vict. *lib.2. off.c.16.* extendunt vſque ad epiſtolam. Cæteri ſolùm vſque ad finem verſiculi; *Gloria Patri & Filio, &c.* quos perſpicuitatis gratia ſequemur. Partem hanc Introitum appellatam exiſtimat Renanus *in Tertulliani librum de corona militis*, quòd caneretur à Clericis dum ad diuina myſteria conueniens populus, templum intrabat. Remigius & Conradus Brunus *lib.2.ceremon.c.1.* quòd ſit procemium, & initium Miſſæ. Rectiùs Micrologus *lib. de Eccl. obſer.c.1.* Rupertus *lib.1.diu.off.c.28.* Rabanus *lib.1. inſtit.c.33.* Io. Beleth *c.35.* Turrecremata *can. Iacobus. de conſecr. d.1.* & cæteri omnes, quòd dicatur à Choro introeunte ſacerdote ad altare, cùm & ipſe in Anteintroitu dixerint: *Introibo ad altare Dei.* 1.

Illius autorem fuiſſe Cœleſtinum primùm cenſet VValfridus *c.22.* Amalarius 2.
lib.3.c.5. Alcuinus *lib.de diu.off.c.quid ſignificent veſtimenta.* Micrologus *c.1.* Innoc. *lib.2. c.18.* Sigibertus ad annum 426. Dionyſ.Carthuſianus *in expoſit.Miſſæ* & Turrecr.

can.

*can. Iacobus.de conſecr. d.*1. eum tamen non ſelectos verſiculos, ſed ipſoſmet Pſalmos decantari iuſſiſſet,ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius,Stephanus Heduenſis *c. vltimo*, Berno Augenſis *c.*1. Hugo Vict. *lib.*2.*off.c.*14. etſi deinde Pſalmis relictis horis canonicis, verſiculi pro introitu ſint delecti. Sed omnino certum eſt, vt rectè aduertit Thomas VValdenſis *tom.*3. *de ſacram. tit.*4. *c.*31. Sotus 4. *d.* 13.*q.*2.*art.*4. Bellarm. *lib.*2. *de Miſſa,c.*16. & alij multo antiquiorem eſſe Pſalmorum, aut verſiculorum eorum vſum in Miſſa, vt conſtat, tum ex ipſomet S. Dionyſio, qui *lib. de Eccl. hier.c.*3. ait: *Itaque Pontifex, vbi orationem ſupra diuinum altare peregit, & ipſum incenſum adolere inchoans,omnem templi ambitum circuit, demum ad ſacrum altare iterum rediens, Pſalmorum incipit melos,concinentibus ſecum ſacra carmina omnibus eccleſiaſtici ordinis gradibus.* tum ex D.Baſilij & Chryſoſtomi Liturgiis, Caſſiano *lib.*3.*c.*11. & Hieronymo *lib.*18. *in Iſaiam.* tum denique, quia pars illa, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, iam ante Cœleſtinum extabat, *ex c.* 9. *n.*4. fortè Cœleſtinus vel à Græcis tranſtulit ad Latinos, vel ad meliorem ordinem redegit.

3. Conſtat autem Introitus (ſi lugubres excipias) tribus partibus, Antiphona, verſiculo Pſalmi congruente ſolemnitati, & Gloria Patri, &c. & ex S. Thom. 3.*p.q.*83.*art.*4. frequentiſſimè non tantùm verſiculus, ſed etiam Antiphona ſumitur ex Pſalmo aliquo, quòd Pſalmi, teſte Dionyſio *de Eccl. hier.c.*3. contineant per modum laudis quicquid in ſacra Scriptura continetur, maximè quòd ob rhythmum faciliùs memoria retineatur, & pauciſſimis verbis plura magnáque diuina myſteria concludantur. vnde non incongruè Radulphus *propoſit.*9. Pſalmos mannæ comparauit;quòd ſicut olim manna habuit omne delectamentum & omnem ſaporem ſuauitatis; ita Pſalmi omnium orationum affectum, & ſenſum cuiuſlibet intentionis, quod fusè docet etiam Chryſoſtomus *Hom.*6 *.de pœnit.* vbi quærit cur ſic omnes Pſalmos adamemus, vt veluti vnguentum odoriferum ſemper habere velimus in ore, ſintque Pſalmi in noſtris conuentibus initium, medium, & finis? & reſpondet, quia in Pſalmis incluſi ſint omnes perfectiſſimæ orationis affectus, omníſque generis petitiones omnibus ſtatibus accommodatæ, peccatoribus, iuſtis, incipientibus, & perfectis: laudationes ac gratiarum actiones Dei mirabiles, compunctionis, & amoris Dei affectus ſingulares, fragilitatis humanæ intimæ cognitiones, auxiliíque diuini, neceſſariæ poſtulationes. vt etiam S. Baſilius *in Proœmio ad Homilias in Pſalmos,* ait vnum Pſalmorum librum omnia in ſe complecti. quod etiam ait Athanaſius *ad Marcell.*

4. Quærenti verò ad quid ſit inſtitutus Introitus? Dicimus Rabanum *lib.*1.*c.*30. voluiſſe fuiſſe inſtitutum,vt loco tintinnabulorum veteris Teſtamenti intelligeretur, quando ingrediatur ſacerdos Sanctuarium, ſeu ad altare, vt populus attentiùs ſacrificio aſſiſtat.Sanctum Thom. 3.*p.q.*83.*art.*4.vt ſit prius ſacrificium, ſcilicet laudis, præparans ad incruentum corporis & ſanguinis Chriſti, iuxta illud Pſalmi, *Sacrificium laudis honorificabit me.* S. Germanum verò dum agit de Antiphona, Innocentium *lib.*2.*c.* 18. Hugonem *lib.* 2. *offic.c.* 14. Anaſtaſium Epiſcopum Nicænum *in qq. in Scripturam,* Iuonem Carnutenſem *lib.de conuenientia noui & veteris ſacrificij*, Rupertum *lib.*1. *off.c.*28. Albertum *tr. de Miſſa*, Bonauenturam *ibidem.* Amalarium *lib.*3.*c.*5. Turrecrematam *can. Iacobus.de conſecr.d.*1. Sotum 4. *d.*13. *q.*2. *art.*4. rectiùs exiſtimare ſicut ingreſſus ſacerdotis ad altare, ſignificat Chriſti aduentum in hunc mundum, ita introitum eſſe inſtitutum ad ſignificandas voces, clamores, atque ſuſpiria Prophetarum, ac Patriacharum deſideran-

deſiderantium aduentum eius. *Iſaie 6. Emitte Agnum Domine dominatorem terræ.* & 64. *Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes.* &, *Veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ Iſraël.* & *Lucæ* 10. *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, &c.* Ad quorum etiam votorum & clamorum frequentiam ſignificandam, iuxta Iſaiam c. 28. *Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi modicum ibi:* reiteratur initium, vt notauit Gabriel *in can. lect.* 15. Innocentius, Albertus, Sotus, & Turrecrem. vt igitur hæc & ſimilia denotentur olim in aduentu Chriſti impenſa, ita & nunc venienti in Euchariſtia ſunt impendenda, vt tam celebrans, quàm populus, inuiſibilem & gratioſum eius aduentum ſub ſpeciebus ſacramentalibus exoptent, miſericordiam venturi precentur, certique de promiſſione lætentur, vt idem Gabriel *loco citato* ſentit.

Illud etiam meritò notauit Albertus, Miſſam non incipere more horarum canonicarum à precibus: *Domine labia mea aperies. Deus in adiutorium meum intende. Conuerte nos Deus, &c.* Sed chorum ex abrupto ſtatim prorumpere in clamorem, ad indicandum deſiderium aduentus Domini; quòd ardor ſuſpirantium ad amorem potius, quàm ad orationem compellet. At dices, ſolum Introitum tempore Aduentus huiuſmodi Patrum deſiderium ſignificare, vt, *Rorate cœli deſuper, &c.* At in aliis, tam de tempore, quàm de feſtis Sanctorum non præſeferri tale deſiderium. Reſpondet Albertus, & Turrecremata Chriſtum expectatum fuiſſe à Patribus vallatum Sanctorum cœtu, quaſi Regem cum ſuis aulicis, *Iſaiæ* 33. *Videbunt Regem in decore ſuo*; ideo dum canimus de Apoſtolis: Nimis honorati ſunt amici tui Deus; de Martyribus: In virtute tua Domine lætabitur iuſtus. de Confeſſoribus: Sacerdotes tui Domine induant iuſtitiam; de Aduentu eius: Gaudemus à Patribus exoptato; cùm ex eius virtute Sanctorum omnium ſanctitas emanarit. Verſus verò Pſalmi denotat per Chriſti aduentum completa eſſe iam vaticinia, quæ de Chriſto venturo erant. Cui tandem additur quaſi in gratiarum actionem verſiculus: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, quod cœlos diſruperit; & viſitauerit, ſedentes in tenebris, & vmbra mortis, ſuo in terras aduentu, in Miſſæ introitu ſignificato. diximus autem de hoc verſiculo glorificationis ſanctiſſimæ Trinitatis, *hoc eodem lib. 3. c. 9.* 5.

De ſupplicatione, *Kyrie eleiſon.* CAP. XV.

SVMMARIVM.

1. *De excellentia ſupplicationis huius.*
2. *Cur ter à ſingulis diuinis perſonis miſericordiam poſtulemus.*
3. *Vſus perantiqua, nec à D. Gregorio inuenta; & quæ differentia inter Latinos & Græcos.*
4. *Cur Græcè, & non Latinè vſurpetur.*
5. *Mirabiles effectus huius ſupplicationis.*
6. *Eadem antiquitus etiam vſos Gentiles.*

TVm Deo ſupplicamus Græcè dicentes, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, tum ad exprimenda vota, & orationem populi Patribus antiquis conſentientis & exoptantis Chriſti in ſacram Euchariſtiam aduentum; tum ad diuinam miſericordiam implorandam, vt rectè notauit Gabriel *lect.* 16. 1.

Et

Et quidem hac ſupplicatione nulla aut breuior aut vberior eſſe poteſt, valdéque ſimilis ſupplicationi Publicani *Lucæ c.* 18. qua placatus Dominus ei largitus eſt veniam. Etenim duobus tantùm verbis conſtat, quorum altero Dei beneuolentiam captamus; tum humilitate noſtra, cuius beneficio oratio cœlos penetrat, dum nos ſeruos inſinuamus; tum appellatione Domini, quo Deum, & noſtrum, & cæterarum rerum omnium prædicamus Dominum; tum appellatione Chriſti, quippe qui miſericordiæ oleo non tantùm vnctus ſit, ſed etiam diffluat: altero omnia ſimul à Deo poſcimus, dum miſereri precamur, quæ & in hac & in futura vita à Deo nobis donari optamus, vt etiam notauit Nicolaus Cabaſila *c.*13. & ſimul etiam peroramus, & Deum allicimus, dum implicitè promimus noſtras quibus Deum miſereri volumus, miſerias.

2. Quia verò alia eſt miſeria ignorantiæ, alia culpæ, & alia pœnæ; ideo ter à ſingulis ſanctiſſimæ Trinitatis perſonis, miſericordiam poſtulamus, vt S.Thom. 3.*p.q.*83.*art.*4. Innocentius *lib.*2.*c.*19. Durandus *lib.*4.*Ration.c.*12. & Sotus 4.*d.*13. *quæſt.*2.*art.*4. ſentiunt.

3. Huiuſmodi ſupplicandi mos eſt perantiquus, non ſolùm in Iacobi & Marci Liturgiis, vbi id in diuerſis Miſſæ partibus ſæpe repetitur, vt etiam in Græcis Baſilij, & Chryſoſtomi; ſed etiam in Latina, cùm eius meminerit Amalarius *lib.*3.*c.*6. VValfridus *c.*22. S. Remigius *in expoſitione Miſſæ*, Stephanus Heduenſis *cap.*12.*& c.vltimo*, Micrologus *c.*1. Berno Augenſis *c.*1. ſed non ita certum, quiſnam à Græcis ad Latinos traduxerit. nam Micrologus cum citatis, exiſtimat id tribuendum Gregorio, quod etiam ſentit Durandus *lib.*4.*c.*12. Turrecremata *can. Iacobus, de conſecr. d.*1. & Platina; falluntur tamen: nam ipſemet Gregorius cùm id ei obiiceretur, quaſi Græcos ritus in Eccleſiam Latinam transferret, *lib.*7. *epiſtola* 63. dicit id ſe non inſtituiſſe, ſed cùm iam eſſet in Miſſa Latina, & abiret in diſſuetudinem, ſe reſtituiſſe vti erat; ideóque non tantùm, Kyrie eleiſon, vt dicunt Græci, ſed etiam, Chriſte eleiſon, vt Romana Eccleſia antea habebat, decantari. & inter Græcos populum ſimul cum ſacerdote hæc dicere, inter Latinos verò priùs ſacerdotem dicere, tum reſpondere populum, licèt Græce proferant etiam Latini conſuetudine vereri. Et ſanè videmus ante Gregorium annos 150. in Concilio Vaſenſi II. *c.*3. præceptum fuiſſe vt diceretur, *Kyrie eleiſon*, quia in ſede Apoſtolica, & per totas Orientales, atque Italiæ prouincias id fieret; etſi in Galliis dulcis & nimium ſalubris conſuetudo fuiſſet intermiſſa, dicendi frequentiùs cum grandi affectu, & compunctione. Et ante Concilium Vaſenſe S. Auguſtinus *ep.* 178. *ad Paſcentium* dicit, ab omnibus Chriſtianis, Latinis, Græcis, Barbaris, ſupplicari Deo Græcè, vt miſereatur. qua in re miror Alcuinum *c. de celebrat. Miſſæ*, S. Remigium, Io. Stephanum Durantium. *lib.*2.*c.*13. & alios affirmaſſe, vt à Latinis Græcè, ita à Græcis Latinè dici. denique Hugo de S. Vict. *lib.*2. *off. c.*14. Sotus *lib.*4. *ſent. d.*13.*q.*2. *art.*4. & alij exiſtimant à S. Syluestro circa annum 320. à Græcis ſumtam, ad Latinos (ſed idiomate Græco) eſſe traductam ſupplicationem.

4. Sed cur Græcè potius dicitur, quàm Latinè? Dicimus id factum, tum ex D. Auguſtino *epiſt.*178. & S. Remigio, vt vnum eumdémque Dei populum, Græcos, & Latinos eſſe, & vtrorumque vnam fidem oſtenderemus. tum ex eodem Auguſtino *lib.*2. *de doctrina Chriſtiana.c.*10.*&* 11. D. Gregorio *loco citato*, & Iſidoro *lib.*6. *c.vltimo*, ad ſeruandam antiquitatem, ob autoritatem Sanctorum, qui ita à principio vſurpauerant, cùm Græci inter Gentiles fidem primi receperint. Tum ex Beleth *c.* 36. Alb. & Turrecremata *can. Iacobus. de conſecr. d.*1. quia ad fi-

dem diſſeminandam Romam SS. Petrus & Paulus, è Græcia venerint. tum ex iiſdem quòd Apoſtoli Græcè ſcripſerint, ſi S. Matthæi Euangelium excipias, & primam ac vltimam epiſtolam D. Pauli. tum quòd ſapientia maximè floreret in Græcia, & ideo Græca hæc ſupplicatio ſignum eſſet maximæ ſapientiæ.

5. Porrò hac eadem, Kyrie eleiſon, ſupplicatione S. Geminianum Mutinæ Epiſcopum in fugam Attilæ exercitum conieciſſe, Mutina incolumi, ſcripſit Gulielmus Durandus *in Rationali. lib.4.c.*12. & innuit etiam, licèt obſcuriùs, Carolus Sigonius de Imperio occidentali. Autor eſt etiam Paulus Diaconus, ſeu maius Theophanes *lib.16.* Iuſtiniani tempore terræmotu pæne euerſa Antiochia, relictos ciues nudis pedibus inſtituta ſupplicatione, Kyrie eleiſon vbique perſonante, diuinitus monitos, vt domorum relictarum ſuperliminaribus inſcriberent, *Chriſtus nobiſcum, ſtate.* eo præſtito iram Dei ceſſaſſe.

6. Tandem iiſdem verbis, Kyrie eleiſon, in captandis auguriis ſuis antiquitus vſos Gentiles in commentitiis Numinibus inuocandis, ex Arriano *lib.2. de doctrina Epicteti*, docet Didacus Couarruuias *lib.4. var. reſol.c.*22. quod tamen Eccleſiæ catholicæ nihil officit; aliàs neque panes edere, aut aquam, vel vinum bibere, aut veſtimentis operiri, aut domibus nobis vti liceret, cùm eadem & Gentiles faciant, cæterique à vero Dei cultu abhorrentes. licebat enim Hebræis captas in bello virgines reſciſſis capillis, certiſq; cæremoniis in matrimonium ducere; quo etiam, ad rem noſtram explicandam, nempe ex Gentilibus & profanis etiam diſciplinis poſſe nos aliquid vtilitatis capere, vtitur D. Hieronymus. licèt etiam, vt præclarè explicat D. Baſilius *Hom.*20. *ad Adoleſcentes*, quomodo ex Gentilium doctrinis proficiant, apibus ex floribus, quibus inſident, mel auferre, dimiſſo quod inutile eſt; & nobis roſas legere deuitatis ſentibus; quare licuit etiam Patribus, ſi quid vtile inuenerunt in Gentilium ſermonibus, ac doctrina carpere, reliquo quod noxium erat prætерito. denique ipſi Gentiles ab Eccleſia ſuffurati ſunt, cùm ſumſerint ex Prophetis.

De hymno, *Gloria in excelſis Deo.* Cap. XVI.

SVMMARIVM.

1. *Hymni in Eccleſia vtiles, & quid hymni nomine intelligatur.*
2. *Quis Angelicum hymnum,* Gloria in excelſis Deo, *compleuerit.*
3. *Cur à ſolo ſacerdote inchoetur, & in medio altaris.*
4. *Paucis explicatur pars ab Angelis compoſita.*
5. *Tum pars ab hominibus addita.*
6. *In quibus Miſſis prædictus hymnus omittendus.*
7. *De eleuatione, & coniunctione manuum, & ibidem præſcriptis capitis inclinationibus reuerentiæ cauſa.*

Inde veteri conſuetudine, vt colligere licet ex Plinio 2. *lib.* 10. *ep.* 2. Tertulliano *in Apolog.c.*2.*&* 39. & aliis, de quibus Pamelius *in Apol.Tertulliani.num.*520. canendi Pſalmos, & hymnos Eccleſia catholica vſa conſilio (ne blateret VViclеffus apud VValdenſem *tom.* 3. *tit.* 2. *c.* 18.) diui Pauli ſcribentis ad Epheſios *c.*5. *Implemini Spiritu ſancto, loquentes vobis in Pſalmis, & hymnis, & canticis,* 1.

ſpiritu

ſpiritualibus. & ad Coloſſenſes 3. *Docentes & commonentes voſmetipſos, in Pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes.* Et Chriſti Domini exemplum ſequuta, qui *Matthæi c.* 26. hymno dicto, exiit in montem Oliueti, ſubiicit hymnum Angelicum (eſt autem hymnus, laus Dei cum cantico, vt interpretatur D.Auguſtin. *in Pſal.* 72. Iſidorus *lib.* 6. *c.* 34. Radulphus *propoſitione* 13. & Gloſſa *can. de hymnis. de conſecr. d.* 1.) cuius initium in nocte natiuitatis Domini fecerunt Angeli, *Lucæ c.*2. ex quo deinde toti factum eſt nomen ex Alberto, Hugone de S.Victore, & Turrecremata *locis antea citatis.* nempe, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* & ſanè per huiuſmodi oblectamenta aurium infirmorum animus in pietatis affectum conſurgit, vt loquitur D.Auguſtinus *lib.*10.*Confeſſionum*; qui etiam *lib.*9.*c.*6. id ſuo declararat exemplo, *Fleui,* inquit, *in hymnis & canticis tuis, ſuaueſonantis Eccleſiæ tuæ, vocibus commotus vehementer; voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum; & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Vt omittam, quæ ſcribit Ariſtoteles *lib.*8. *pol.* & Boëtius *in Prologo Muſicæ.* docentes quomodo affectus animi variè concitentur diuerſitate melodiæ. Porrò ſi iubilarunt omnes filij Dei, Angeli videlicet cùm natus eſt Orbis, *Iob c.* 38. quidni iubilent, & ſummè iubilent, & iubilationis cantent hymnum, cùm natus eſt Conditor orbis?

2. Sed incertum eſt, quiſnam hunc Angelicum hymnum compleuerit, quam ob cauſam Concilium Toletanum III. *c.*12. dicit in communi, ab eccleſiaſticis Doctoribus compoſitum. Et quidem Micrologus *c.*46. & alij apud Durandum *in Ration.lib.*4.*c.*13. & Io. Stephanum Durandum *lib.* 2. *c.* 14. id tribuunt Symacho, qui vixit anno 509. Alcuinus *c.de celebr. Miſſæ.* Hugo de S. Vict. *lib.*2. *c.*11. *diu.off.*Io.Beleth *c.*36.S.Remigius *in expoſitione Miſſæ,*Gloſſa *can.nocte.de conſecr.d.*1. adſcribunt Hilario Epiſcopo Pictauienſi qui vixit anno 350. etſi alij velint ſolùm è Græco tranſtuliſſe, vt Durand. *lib.*4.*Ration.* Hoffmeiſter *in declaratione Præfat.Miſſæ,* & Io.Carolus Bouius Epiſcopus Oſtunenſis *in ſcholiis in Clementem.lib.*7. *c.*47. Alij autorem faciunt Theleſphorum, qui floruit anno 140. vt VValfridus *c.*22. Amalarius *lib.*3. *c.*8. Innocentius *lib.*2. *c.*20. Stephanus Heduenſis *c. vltimo.* Rabanus *lib.*1.*c.*32. Rupertus *lib.*2. *diu.off. c.*21. Berno Augenſis *c.*2. Bonauentura *in expoſitione Miſſæ,* Turrecremata *can.Iacobus.de conſecr. d.*1. Pamelius *in Tertulliani lib.de orat.num.*1. Omnino probabilius alij, qui id Apoſtolis tribuunt, cùm ferè integer habeatur apud D.Clementem *lib.*7.*conſtit. c.*47. 48.*lib.*8. *c.* 20. (in Liturgia enim D.Iacobi habetur tantùm pars ab Angelis compoſita) & Theleſphorum inſtituiſſe cantari in Natiuitatis nocte Miſſam cum hymno huiuſmodi ſolemniter.Symachum autem etiam in dominicis,& feſtis ſolemnioribus,ex Anaſtaſio Bibliothecario *lib.de Romanis Pontificibus.* ex quibus etiam intelligis, quàm antiquus ſit eius in Miſſa vſus.

3. Cùm inchoat ſacerdos ſolus, tum ſequitur Chorus, quòd Angelo annunciante natum Dominum, canentéque, *Gloria in excelſis Deo*, facta ſit multitudo beatorum ſpirituum,& proſequuta hymnum,ex Stephano Heduenſi *c.* 12. Turrecremata *can.Iacobus.de conſecr. d.*1. & aliis. Idque in medio altaris,ex Durando *l.b.*4.*c.*13. quòd Chriſtus mediator ſit Dei, & hominum.

4. Iam verò ea pars, quæ ab Angelis facta eſt, primò Deo, in excelſis maximè, ſeu cœlis habitanti, gloriam concinit; non enim ſolùm in cœlis gloriam Deo optant, cùm etiam ab hominibus in terris ſit meritò glorificandus; & Iſaias de eadem laude prophetans *c.*49. dixerit; *Laudate cœli, exulta terra, iubilate montes lau-*

dem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum. vbi D. Hieronymus *lib.13. Præcipitur* (inquit) *cœlo & terra, vel iis virtutibus, quæ in cœlo morantur, & terra, vt Angelis & hominibus, vt Dei concinant laudem.* Haud enim antea debita gloria dabatur Deo; non à Gentilibus, quippe qui Dei gloriam ad idola tranſtuliſſent, nec à Iudæis, cùm Dei legem exteriùs tantùm vtcumque ſeruarent, & ad ſuam potius vtilitatem, quàm Dei gloriam, & multos haberet errores. deinde hominibus bonæ voluntatis pax optatur; ſiue bona voluntas referatur ad homines, ita vt non omnibus hominibus poſcatur pax, cùm, Propheta teſte, non ſit pax impiis, & impij cor mare feruens vocetur à Salomone: ſed iis ſolùm, qui bonam habent voluntatem. vt exponit D. Auguſtinus *lib.14. de Ciu. c.8.* Hieronymus *ep. 29. ad Theodoram*, & Beda *in c.2. Lucæ.* ſiue referatur ad Deum, vt vult Euthymius, nempe vt in terra hominibus ſit pax bonæ voluntatis Dei, & diuini beneplaciti, idest, quos Deus amat, & gratos habet, & in quibus ſic complacuit Deus, vt voluerit incarnari filium, ne periret homo. ſiue denique bona voluntas referatur ad pacem, videlicet hominibus pax, pax, inquam, bonæ voluntatis, nempe perfecta. ſignificat autem pacis nomen omnimodam ſalutem, & proſperitatem, iuxta illud *Reg. lib.2. c.18. Eſtne pax puero Abſalon?* hoc eſt, bene ne valet, & eſt incolumis.

Vide Fr. Arias tr. 5. Chriſtum eſſe doctorem c.5.

Altera verò ab hominibus adiecta primò Dei laudes continet. Neque enim ex D. Aug. *in Pſal.54.* laus Dei à corde & ore Chriſtiano recedere debet; & variis ſynonymis iteratur, quia non tantùm lingua, ſed etiam corde, & vita ſeu operibus, laudandus eſt Deus. Ideo D. Auguſt. *in Pſal.* 148. *Cùm laudatis Deum, toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta, Deum toti laudate.* tum gratiarum actionem, propter magnam gloriam Dei, quæ in aduentu Chriſti maximè reſplenduit, vt indicat S. Ioannes *c.1. Vidimus gloriam eius, &c.* denique ternam deprecationem, vt noſtri miſereatur, qui venit tollere peccata mundi, & ſedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis, & cum Spiritu ſancto in gloria Patris regnat Deus, & cum vtroque glorificatur. & deſumtus eſt finis ex D. Paulo *ad Philipp.2. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* 5.

Omittitur hic hymnus in Miſſis defunctorum, & luctus, v.g. Quadrageſimæ; quòd ex S. Thoma *3.p.q. 83. art. 4. & in 4. d. 15.* in hoc hymno commemoretur cœleſtis gloria; ideóque meritò reticeatur, quando lugetur propria, vel animarum Purgatorij miſeria: ſic etiam in communibus feriis, vt oſtendatur differentia inter communes & ſolemnes dies. *cap. conſilium, de celebr. Miſſæ.* Ob id cùm ſolemnitates præſentis vitæ repræſentent ſolemnitatem æternæ vitæ, in feſtiuis tantùm diebus canitur, & in votiuis B. Virginis (licèt non diceretur tempore Radulphi Iungrenſis Decani *ex eius propoſ.* 20. etſi non poſſit admodum antiquus eſſe, cum citet *prop. 15.* Vrbanum VI.) & Angelorum, cum Deo regnantium, ad ſignificandum nobis congratulandum eſſe Sanctorum meritis, qui per Chriſtum, cuius Natiuitatem celebrarunt Angeli, facti ſunt eorum ſocij, ex Stephano Heduenſi *c. vlt.* S. Thom. *in 4. d.15.* & Turrecremata *cit. can. Iacobus.* Omittitur etiam in die SS. Innocentium, quòd petineant ad vetus Teſtamentum, cuius tempore nondum erant cœli portæ apertæ, & reſeratæ. Notat autem Emanuel Rodericus *tom.1. quæſt.43. art.15.* dicendum etiam cùm Miſſa votiua dicitur pro re graui, iuxta rubricas Pij V. Tunc autem cenſeri rem grauem, cùm v. g. ſit aliqua proceſſio generalis; quæ numquam fieri ſolet, niſi res ſit grauis, vel cùm dicuntur Miſſæ in aliqua Eccleſia pro ſalute alicuius Principis, 6.

vel totius Reipublicæ, vel pro aliqua intentione temporale bonum commune immediatè concernente, vel cùm fit in gratiarum actionem pro re aliqua graui petita & obtentá, veluti pro victoria parta, vel ſupradictis rebus adeptis. Ob id cenſentur per Pium V. reuocata priuilegia Alexandri IV. & Sixti IV. quibus concedebatur Minoribus, vt poſſent dicere in omnibus Miſſis votiuis: *Gloria in excelſis Deo*, vt habetur *lib. monumentorum ordinum, & in ſupplemento fol.* 100. *conceſſione* 389.

7. Porrò ſacerdos inchoans hymnum, primùm manus extendit, & eleuat; deinde iungit. Eſt autem eleuatio manuum inter ſupplicandum Deo ſignum reuerentiæ, ex S. Thoma 3.*p.quaſt.* 83.*art.*5. Soto 4.*d.*13.*quaſt.*2.*art.*5. & Hugone de S.Victore. idque non ſolùm apud Chriſtianos, vt conſtat *ex* 1.*ad Tim.*2. *Volo viros orare in omni loco, leuantes manus puras*, Tertulliano *in Apolog. c.* 30. vbi extenſionem manuum innocentiam ſignificare docet, quod priùs dixerat Athenagoras *in Apol. pro Chriſtiani.* S. Gaudentio *ſerm.* 9. Saluiano *lib.* 1. *de prouidentia*, Ioanne Climaco *gradu* 15. & Chryſoſtomo *Hom.*39. *in* 1. *ad Cor.* ſed etiam apud Hebræos, vt patet de Moyſe *Exodi* 17. Dauide *Pſal.*43.*&* 141. Salomone *lib.*3.*Reg. c.*8. Ieremia *Thren.* 3. *Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cœlos, lib.* 1. *Eſdræ c.* 9. *Curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum*; & apud Gentiles: nam & ipſi orantes manus extendebant, & leuabant ad Deum, vt videre eſt apud Virgilium *Æneid.lib.*2.

---- Oculos ad ſydera lætus

Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit.

Et 4.*Æneidos*,

Multa Iouem manibus ſupplex oraſſe ſupinis.

Horatium *lib.*3. *Ode* 23. Pierium Valerianum *lib.*6. *Hieroglyphic. & lib.*35. & Alexandrum ab Alexandro *lib.* 2. quaſi natura ipſa hæc humilitatis & reuerentiæ ſigna erga Deum inſeruerit in noſtris animis. Nonnumquam tamen huiuſmodi eleuatio manuum fit etiam ad auxilium, & miſericordiam poſtulandam etiam ab hominibus, ideo dixit D.Auguſtinus *lib.de cura pro mortuis c.*5. Orantes de manibus corporis ſui faciunt, quod ſupplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus. de earumdem manuum eleuatione iterum dicetur *c.*19.*num.*8. De coniunctione verò earumdem dicemus *infrà c.*18.§.1. Et cùm Deum nominat, cùm Ieſum Chriſtum, cùm adorat, cùm gratias agit, cùm deprecatur, ſacerdos caput inclinat cruci in altari conſtitutæ, vt aliàs diximus, cùm & reuerentiæ, & adorationis indicium ſint, vt manifeſtè colligitur ex D.Chryſoſtomi *Liturgia*, *& c.decet, de immunitate Eccl. lib.* 6. & inter venerationis ſigna recenſet etiam Lampridius in Alexandro, caput flectere.

De ſalutatione ad populum adſtantem. CAP. XVII.

SVMMARIVM.

1. *Myſticam ſalutationem ex ſacris litteris petitam, ab Apoſtolis ipſis in ſacrificium tranſlatam ad excitandam attentionem. & cur id fiat ſepties; & in quo Epiſcopi ſalutatio à cæterorum ſalutatione differat.*
2. *Ex eadem Apoſtolica traditione manaſſe adſtantium reſponſionem*, Et cum Spiritu

tuo. *& cur non pariter reſpondeatur:* Dominus etiam tecum.

1. *An ob id neceſſe ſit ſaltem duos alios præter ſacerdotem ſacrificio adeſſe.*

Additur ſacra illa, & vt appellatur à D. Dionyſio *lib. de eccl.hier.c.*3 digniſſima, myſtica, & ſupramundana ſacerdotis ad populum adſtantem ſalutatio, *Dominus vobiſcum*, ſumta, teſte Iſidoro, Ioan. Beleth *c.*36.& Alcuino *lib.de diu.off.* ex diuina Scriptura, in qua ſæpe legitur, tum vnitatis, tum multitudinis numero. vnitatis quidem, vt cùm Angelus *Iudicum c.6.* Gedeonem ſalutauit, *Dominus tecum virorum fortiſſime*, & Gabriel *Lucæ c.*1. B. Virginem, *Aue gratia plena, Dominus tecum.* multitudinis autem cùm Booz *Ruth c.* 2. meſſoribus dixit, *Dominus vobiſcum.* & *lib.*2. *Paralip. c.* 15. Prophetæ Azæ & exercitui cum victor reuerteretur, *Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo.* Sed cùm Deus non poſſit rebus omnibus non eſſe præſens, *Pſal.*138. *Sapient.*1. *Iſaiæ* 6. *Ieremiæ* 23. *Act.*17. quia alioquin poſſet Deus de vno loco ſe ad alium transferre, eſſétque mutabilis & finitus. vt enim rectè argumentatur Anſelmus *in Proſol. c.* 14. *&* 20. Scotus & Ægidius *in* 1 *d.*37. ſicut ſe habet quantitas molis ad locum in corporalibus, ita quantitas virtutis ad locum in ſpiritualibus: at ſi infinita eſſet quantitas corporalis, occuparet omnem locum; ergo etiam cùm Deus ſit infinita quantitas virtutis in ſpiritualibus, occupabit omnem locum; idéoque rebus omnibus præſens erit. Hinc fit, vt cùm hic precamur, vt adſit cum adſtantibus, petamus, vt ſingulari modo cum eis ſit, vt optabat Salomon *lib.*3. *Reg. c.*8. *Sit Dominus, &c.* nempe ſuo auxilio & protectione aſſiſtat, præſit, doniſque cumulet; iuxtà modum illum loquendi Nicodemi *Io. c.* 3. *Nemo poteſt facere hæc ſigna, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* & *Act.* 10. *Quoniam Deus erat cum illo.* Incepiſſe autem in ſacrificio adhiberi ab Apoſtolis, conſtat ex Concilio Bracarenſi I. *c.*21. vbi dicitur, retinendam vt ab Apoſtolis tradita eſt, & omnis retinet Oriens; non vt Priſcilliana prauitas per mutauit. Et eam habemus apud D. Iacobum *in Liturgia*, Clementem *lib.* 8. *conſt. c.*15. *&* 18. Dionyſium *de eccl.hier. c.*3. Soterum *can. hoc quoque, de conſecr.d.*1. & apud Burchardum *lib.*3.*c.*74. Baſilium, & Chryſoſtomum *in Liturgiis*, Cyrillum *lib.*12.*in Io.c.*54. Auguſtinum *lib.*15.*de Ciuit.c.*12. Ambroſium *lib. de dignitate ſacerdot. c.*5. vt omittam Nicephorum *lib.* 14. *c.*43. Amalarium *lib.*3. *c.*9. Remigium *in expoſitione Miſſæ*, Micrologum *c.* 2. Stephanum Heduenſem *c.*12. Rupertum *lib.*1.*c.*31. Petrum Damiani *lib.de Dominus vobiſcum*, Radulphum *prop.* 23. Alenſem 4.*p.quæſt.*36.*m.*5. Durandum *lib.*4.*c.*14. VValdenſem *tom.*3.*tit.*4.*c.*71. Canoniſtas *can. hoc quoque, de conſecratione d.*1. Innocent. S.Thom. Bonauent. *locis citatis*, Nauarrum *Miſcellanea de orat.* 77. Id autem fit tum vt ſacerdos pacem ſe habere cum tota plebe fidelium doceat, ex Petro Damiani *in fine lib. de Dominus vobiſcum*, tum ad excitandam attentionem ante lectionem, Euangelium, & orationes, teſte Ruperto *lib.* 1. *off. c.* 31. & quinquies quidem ſe vertendo ad populum, & bis ad altare, propter ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti, quam excluſis ſeptem peccatis mortalibus, populo exoptat, ex Gloſſa *can. hoc quoque, de conſecr.d.*1. Innoc. *lib.*2.*c.*24. S.Thom. 3.*p.q.*83. *art.*5. Durando *lib.*4.*c.*14. S.Anton. & aliis. Epiſcopus tamen prima vice non dicit, *Dominus vobiſcum*, ſed, *Pax vobis*, ex Liturgia D. Iacobi, & Baſilij, Chryſoſtomo *Hom.*3.*in epiſt.ad Col. & Hom.* 33. *in Matth.* & Ambroſio *lib. de dignit. ſacerd. c.*5. quòd Epiſcopi ſint ſpecialiter vicarij Chriſti Paſtoris ſummi, cuius prima poſt reſurrectionem vox ad diſcipulos fuerit, *Pax vobis*, ex S. Remigio, Stephano Heduenſi, Petro Damiani, Innocentio, S. Thoma, Durando, VValdenſi, & Gloſſa *locis citatis*, cæte-

tis

ris verò vicibus dicit more cæterorum, vt ſe vnum ex ipſis oſtendat, ex Innocentio.

2. Populus verò vel eius loco Clerus, & Miniſter, cum D.Paulo 2. *ad Tim.* 4. reſpondet ſacerdoti ſalutanti, *Et cum Spiritu tuo*, ex eadem traditione Apoſtolorum; cùm meminerit eius D. Iacobus in Liturgia, Clemens *lib.*8. *c.* 15.16. Chryſoſtomus *Hom.*36. *in* 1. *ad Cor.* & *Hom.*18. *in* 2. *ad Cor.* Iſidorus Peluſiota *ep.*122. decretúmque fuiſſe in Concilio Aurelianenſi III. vt reſponderet etiam populus, affirmat Micrologus *de Eccl. obſer.c.*7. & Radulphus *propoſ.*23. Indicat autem huiuſmodi reſponſio, vt notat Amalarius *lib.*3.*c.*9.& Turrecremata *can. Iacobus. de conſecr. d.*1. eumdem debere eſſe pietatis affectum Præſulis,& populi, iuxta illud *Pſal.*54. *In domo Dei ambulauimus cum conſenſu.* Addamus nos inde etiam patere quantum poſſit exemplum ſuperioris in ſubditorum animis, cùm non aliter aut faciant,aut viuant, quàm videant fieri à ſuperiori, *Eccli.*10. ſicut iudex, ita & populus. ob id Ioſue *c.* 3. in tranſitu Iordanis ſacerdotes cum arca præire iuſſit, quo facto remiſit aquæ vis. Quare dignam Pontifice ſententiam Clementis refert Paulus Emilius in Ludouico Rege. *Non antea ſanctis viuetur moribus, quàm imbuti ſanctitate ſint morum magiſtri. videmus enim ſubditos æmulari mores ſuperiorum, eo prorſus modo, quo vmbra corpus*, qua de re Plato *lib.*8.*de rep.*& *lib.* 4. *de legib.* Xenophon *lib.*1. *vitæ Cyri*, M.Tul.*lib.*3. *de leg.* Liuius *lib.*1. Ouidius *lib.vltimo Metamor.*Plutarchus *in Lycurgo*,Tacitus *lib.*18.& Iuuenalis *Satyra* 6.plura diſputant. At cur, inquies, populus non reſalutat ſacerdotem eodem modo, *Dominus etiam tecum*,ſed,*Cum Spiritu tuo?* Reſpondet Albertus, vt indicetur ſacerdotibus ad altare ſtandum pæne ſine corpore,& ſolicitudinibus ſeculi,& veluti in vno Deo ac ſacrificio abſorptis; ſicut videmus contigiſſe Moyſi colloquenti cum Deo, qui vnà cum monte nebula obtegebatur, ne aliis in rebus diſtraheretur.

3. Porrò quia pluraliter dicitur,*Dominus vobiſcum*,&c,*Orate fratres*,&c,*Benedicat vos Deus*, Soter *can. hoc quoque, de conſecrat. d.*1. præcepit ne celebrarentur Miſſæ niſi duobus ſaltem præſentibus ſacerdoti celebranti; quod etiam tenuit Hugo *ibid.* & VValfridus *c.*22. At verò Gloſſa *ibidem*, Archidiaconus, & Turrecremata, & *in ſumma, tit. de celebr. Miſſæ*, Hoſtienſis, Innocentius *lib.*2. *c.*25. Petrus Damiani *lib. de Dominus vobiſcum*, S. Thomas 3.*p.q.*83.*art.*5.*ad* 12.Alenſis 4.*p. quæſt.*36. *m.*5. Demochares *lib.*4.*c.*30.31. Sotus 4.*d.*13. *quæſt.*2.*art.*5. Nauarrus *tit.de tempor. ordin. conſilio* 37. Azor *lib.*10.*c.*29.Suarez *diſp.*87.*ſect.*1. Henriquez *lib.*9.*c.*30.& reliqui Theologi tenent licere Miſſam celebrare cum vnico miniſtro. tum quia canon ille videntibus & conſentientibus ſummis Pontificibus propter neceſſitatem, & vtilitatem ſacrificij, aucto Clero & repente deuotione populi non frequentantis Eccleſias, abierit in diſſuetudinem, contrarióque abrogatus ſit vſu: retineri tamen in his etiam Miſſis ſolitariis plurales ſalutationes, quia in vno alloquamur totam Eccleſiam, & totum corpus in membro, ſicut vnus etiam pro tota reſpondet Eccleſia, & ob antiquorum reuerentiam: tum quia in Concilio Nannetenſi *c.*30.citato ab Iuone 3.*p.c.*70. permittantur ſacerdotes, ſi vnum ſecum,qui reſpondeat,habeant,celebrare.

De

De exhortatione ad orandum, & quandoque genufleƈtendum. CAP. XVIII.

SVMMARIVM.

1. *Vetus institutum exhortatio ad orandum, & quando fiat, & quo reuerentiæ ſigno.*
2. *Indictio genuflexionis, & erectionis Apoſtolica traditio, & quæ eiuſdem ſignificatio.*
3. *Vt etiam ab Apostolis edocti oramus genuflectentes, excepto paſchali tempore, non ſine myſtica ratione; etſi neceſſitas quandoque vrgeat, etiam ſtraui.*

ANte Collectas adſtantes ſacerdos ad ſecum orandum excitat; quòd Deus 1.
vnanimes diligat, multorúmque precibus exoratus, faciliùs exaudiat; idque antiqua Eccleſiæ conſuetudine, vt videre eſt in Liturgiis D. Iacobi, Marci, Baſilij, & aliorum. Vnde D. Auguſtinus *epiſt.* 107. *ad Vitalem. Nunquid vbi audieris ſacerdotem Dei ad eius altare populum hortantem ad orandum, vel ipſum clara voce orantem, &c. non reſpondebis, Amen.* & Stephanus Heduenſis *c.* 12. *Exclamat ſacerdos: Oremus, monens ſe, & alios orare, quia Dominus orauit, & diſcipulos ad orandum excitauit.* & inter Græcos non ignobilis autor Nicolaus Cabaſila *in expoſitione Liturgiæ, c.* 12. *Hortatur*, ait, *ad orationem, vt qui ad orandum ſit ordinatus, & ſit populi Præpoſitus, Interceſſor, & Mediator.* Vranius ſcriptor vitæ S. Paulini Nolani Epiſcopi vocat huiuſmodi orationis indictionem, dare orationem. Seruatur mos hic ſemper ante Collectas, vt notauit etiam cum Durando *lib.* 4. *Rationalis*, Nauarrus *lib. de oratione, & horis canonicis, c.* 19. *num.* 171. nam etiam ante ſecretam, cuius finis eſt initium Præfationis, dicimus: *Oremus.* non quidem immediatè, vt perperam aliqui faciunt, ſed longè antè, ſcilicet ante Offertorium, tum actis, quæ neceſſariò agenda erant, abſque alia orationis indictione, ſubiicimus ſecretam. Quo etiam tempore caput flectimus conſtitutam in altari crucem venerantes, qua de re aliàs diximus; & ſimul humilitatis gratia manus ante pectus iungimus veteri quoque fidelium conſuetudine. Vnde Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum hac de re diſſerens, ait: *Dicitis quòd Græci fateantur, quòd in Eccleſia, qui non conſtrictis ad pectus manibus ſteterit, maximum habeat peccatum. Hoc vt fieret, præceptum fuiſſe nuſquam, ni fallor, inuenitur: ac per hoc niſi fiat, peccatum non eſt: nam quidam faciunt hoc, quidam aliud genus humilitatis; nec iſtud eſt peccatum, niſi fortè quis pertinaciter recuſauerit facere quod omnes videris facientes. Verùm & hoc cùm ſit, non niſi humilitatis gratia fit, vt reuera ſcriptum eſt:* Oratio humiliantis ſe nubes penetrat. *Proinde ſiue hoc, ſiue aliud quid humilitatis excogitare poteſt homo, non eſt reprehendendus.* & paulo pòſt veluti declarans Hieroglyphicum: *Quia in Euangelio reproborum ligari manus & pedes reperiuntur: quid aliud iſti agunt, qui manus ſuas coram Domino ligant, niſi Domino quodammodo dicunt: Domine, ne manus meas ligare præcipias, vt mittas in tenebras exteriores; quoniam ecce ego iam eas ligaui, & ecce in flagella paratus ſum.* Hæc Nicolaus, alludens ad illud 1. *Corinth.* 11. *Si nos ipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.*

In diebus autem pœnitentiæ dicatis, poſt Oremus, ante Collectas indicitur 2.
genuflexio, & deinde leuatio. quam inſtitutionem manaſſe etiam ab Apoſtolis docet S. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, c.* 27. vbi etiam explicat, cur id fiat. ait enim: *quoties genuflectimus, & rurſus erigimus, re ipſa oſtendimus quòd propter peccatum in ter-*

terram

ram delapſi ſumus. & per benignitatem eius, qui condidit nos, ad cœlum reuocati ſumus. quæ ſane ratio videtur ſumta ex Iuſtino *quæſt.* 115. Eiuſdem ritus meminit etiam Auguſtinus. *Ideo enim* (inquit apud Thom. VValdenſem *tom.* 3. *tit.* 4. *c.* 31.) *Diaconus clara voce in modum ſancti praconij admonet cunctos, vt ſiue in orando, ſiue in genuflectendo, ſiue in pſallendo, ſiue in lectionibus ſolicitè audiendis, vnitas ſeruetur ab omnibus.* Ad hoc idem videtur alludere Caſſianus *lib. de canonico orat. & Pſalm. modo, c.*7. cùm ait: *Cum is, qui orationem collecturus eſt, è terra ſurrexerit, omnes pariter eriguntur; ita vt nullus antequam inclinetur ille genuflectere, nec cùm è terra ſurrexerit, remorari præſumat.*

3. Flectendi genua in communi dum oramus, exemplo Chriſti, qui poſitis genibus orauit Patrem *Lucæ* 22. & D. Pauli *ad Epheſios cap.* 3. & *Act.* 20. traditionem Apoſtolorum eſſe docet Origenes *Hom.* 5. *in Numeros*, his verbis: *In eccleſiaſticis obſeruationibus ſunt nonnulla, quæ quidem facere neceſſe eſt, nec tamen ratio eorum omnibus patet: nam, v.g. quòd orantes genua flectimus, & quòd ex omnibus cœli plagis ad ſolam orientis partem conuerſi orationem fundimus, non facile cuique puto ratione compertum.* & paulo pòſt: *Et tamen hæc operta & velata portamus ſuper humeros noſtros, cùm ita implemus ea, & exequimur, vt à Magno Pontifice, & eius filiis (Chriſto videlicet, & Apoſtolis) tradita & commendata ſuſcepimus.* Quin & Gentiles flexis genibus precari ſolitos, conſtat ex Liuio *lib.* 26. & 30. Apuleio *de aſino aureo, lib.*6. Suetonio *in Vitellio, c.*2. Arnobio *lib.*7. Certis tamen diebus, Dominicis ſcilicet, & à Paſchate ad Pentecoſten, ſtantes, ſolitos orare Chriſtianos, docet Tertullianus *lib. de Corona milit. c.*3. Irenæus *lib. de Paſchate*, & Iuſtinus *quæſt.* 115. & ſtatuit Concilium Nicænum *can.*20. *aliàs* 29. & Concilium Carthag. VI. *c.*20. vt pro ratione temporum iugem memoriam haberemus, tum lapſus noſtri, tum gratiæ Chriſti per quam à lapſu reſurreximus. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, c.*27. exiſtimat eſſe admonitionem reſurrectionis, quam in futuro ſeculo expectamus; vt interim non negligamus ad æternam vitam parare viaticum. Quòd ſi quæ maior vrgeret neceſſitas oraſſe ſtratos in terra; vt etiam nunc fit in Sabbato ſancto, & fecit Dauid *Pſal.* 118. *Adhæſit pauimento anima mea*, & ſeniores vigintiquatuor coram Agno, *Apocal.*5. conſtat exemplo legionis Chriſtianæ in epiſtola Marci Aurelij Antonini Imperatoris ad Senatum Romanum apud Iuſtinum Martyrem poſt orationem ad Antoninum, quæ proſtrata exercitui ſiti pæne enecto contra Barbaros militanti pluuiam à Deo impetrauit, quæ Barbaris ignea potius quàm aquea fuit, iuxta illud *Pſ.*134. *Fulgura in pluuiam fecit.*

Vide has de re lib. 3. c. 3. n. 2. & c. 7. n. 1.

De Collecta. Cap. XIX.

SVMMARIVM.

1. *Collectæ nomen multiplex, quid hoc loco ſignificet, & cur.*
2. *Collectarum ritus antiquus.*
3. *Earum autores plures. Gelaſij, & Gregorij diligentia limauit quas in Miſſali Romano habemus. Prudentérque vetitum ne quæ dicerentur, niſi antea probarentur.*
4. *Meritò communiter diriguntur ad Patrem per Filium, adiuratur, & concluditur in vnitate Spiritus ſancti, & quid aduertendum in his concludendis.*
5. *Quid denotent verba:* Per omnia ſecula ſeculorum.

6. *Quot adhibenda in Miſſa.*
7. *Orientem verſus communiter dicenda, & cur.*
8. *Qua corporis compoſitione ex veteri Eccleſiæ conſuetudine.*
9. *Quanta reuerentia Ieſu & B. Virginis nomina proferenda.*
10. *Cur Eccleſia maiori reuerentia nomen Ieſus colat, quam ipſum nomen Deus.*

SVbiungit ſacerdos communem orationem, ſeu Collectam, prout feſtiuitas aut Eccleſiæ neceſſitas, & res exigit. Collectæ enim nomen, etſi ſæpe hominum cœtum & congregationem ſignificet, vt *Leuit.* 23. *Deut.* 16 *lib.* 2. *Paralip.* 7. *ad Hebræos* 10. apud D. Hieronymum *in Epitaph. Paulæ ad Euſtochium.* aliàs eleemoſynas, vt 1. *Corinth. c. vltimo,* apud D. Leonem *ſerm.* 2. 3. 5. *de Collectis,* Gregorium *lib.* 7. *epiſtola vltima.* aliquando Miſſam, vt apud D. Auguſtinum *in Breuiculo collationis tertij diei.* Tertullianum *lib. de fuga & perſeq.* Caſſiodorum *in Trip. lib.* 7. *c.* 32. *lib.* 9. *c.* 38. eo quòd ad eam colligeretur populus: frequenter tamen ſignificat preces, & orationes, vt in hoc loco ex Alcuino *lib. de diu. off. c. de celebrat. Miſſa,* VValfrido *c.* 22. Micrologo *c.* 3. Innoc. *lib.* 2. *c.* 27. Durando *lib.* 4. *c.* 15. ſiue quòd dicerentur populo congregato, & collecto, vt vult Alcuinus, Beleth *c.* 37. Hugo de S. Vict. *lib.* 2. *offic. c.* 16. ſiue quòd ſacerdos legatione fungens apud Deum pro populo omnium petitiones & orationes compendioſa breuitate colligat, & hac oratione concludat, ex Innocentio *lib.* 2. *c.* 27. Hugone, VValfrido, & Micrologo *locis citatis*; & fauet Caſſianus *lib. de canonico orat. & Pſal. modo. c.* 7. & Concilium Agathenſe *can.* 21. vt habetur *de conſecrat. d.* 5. *can. conuenit.* quare, vt notauit Illuſtriſſ. Baronius *in Martyrologio,* die 22. Iunij ex Vranio dicitur tunc ſacerdos orationem colligere populi tacitè orantis. vnde etiam ſolent collectæ continere deprecationem, vt populi preces exaudiantur. 1.

Earum ritus perantiquus eſt, vt conſtat ex Liturgia Iacobi, Marci, & cæterorum, & Origene *Hom.* 11 *in Ieremiam,* numquam enim fideles congregabantur in Eccleſia quin finis eſſet oratio, vt videre eſt 1. *ad Timoth.* 2. Iuſtino *in Apol.* 2. Tertulliano *in Apol. c.* 39. 2.

Illarum autores extitere plures. quas in Miſſali Romano habemus Gelaſius limauit ex VValfrido *loco cit.* Bernone Augenſi *c.* 1. & Sigiberto *in Chron. anni* 487. Eſpenceus *in comm. lib. de collectis eccleſiaſticis*, deinde S. Gregorius additis & detractis nonnullis, & perpolitis aliis diſpoſuit, & in librum redegit, ex VValfrido & Micrologo, & habentur excuſæ apud Pamelium *tom.* 2. *Liturgicon Eccleſiæ Latinæ.* Ne quæ verò irrepere poſſent à Dei cultu alienæ, & offenſionem præbere, rectè prudentérque conſtituerunt Patres in Concilio Africano VIII. *c.* 70. Mileuitano *c.* 3. & 12. & Carthaginenſi III. *can.* 23. quibus S. Auguſtinus interfuit, vt nullæ dicerentur, quin priùs in Concilio probatæ fuiſſent. quod etiam teſtatur VValfridus *c.* 22. Micrologus *c.* 5. Innocentius *lib.* 2. *c.* 27. & Radulphus *propoſ.* 23. & Pius V. in editione Miſſalis ſuo iuſſu editi, cauet, ne quid addatur, vel mutetur in cæremoniis, vel precibus; vt etiam præceperat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *c. de obſeruand. & vitand. in celebrat. Miſſæ.* qua in re grauiter peccari poſſe ex Syluestro, Soto, Suarez, & aliis diximus *lib.* 2. dum de ritu ſeruando diſputauimus. 3.

Cæterùm quoad formam, cùm optimus orationis ordo ſit, teſte D. Gregorio Nazianzeno apud S. Germanum *in Theoria,* inchoare à Deo, & in Deo finire, exactè id ſeruatur in collectis: nam directio fit ad Patrem, adiuratio & impetratio per filium, & concluſio in Spiritu ſancto. Et ſanè paucis exceptis, quæ 4.

ad

ad filium, vel ad ſanctiſſimam Trinitatem, omnes ad Patrem diriguntur, vt obſeruat Concilium Carthag. III. *can.* 23. quòd oratio obtentura ſit per Chriſtum, quippe qui ſit Mediator inter Deum & homines, & aduocatus noſter, per quem omnia petimus, & obtinemus. Ob id incongruum eſſet dirigere orationem ad S. Trinitatem, & concludere, *per filium tuum.* nam eo modo faceremus Chriſtum filium Trinitatis. Quòd ſi omiſſa voce, *filij*, diceremus, per Chriſtum Dominum noſtrum, videremur diuidere Chriſti perſonam in duas, alteram coniungendo cum Trinitate, quam inuocaremus, & excludendo alteram, per quam inuocaremus. Ideo cùm diriguntur ad ſanctam Trinitatem, rectiùs concluduntur: *Qui viuis, & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum.* & cùm diriguntur ad filium: *Qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia, &c.* Ad Spiritum ſanctum autem nullæ ex antiquis diriguntur. cuius rei cauſas affert Speculator *lib. de modo orandi*, & S. Thom. 4. *d.* 15. *quæſt.* 4. *art.* 5. *quæſtiuncula* 3. *ad* 2. Id tamen fit in hymnis, vt in, *Veni Creator, &c. Nunc ſancte nobis Spiritus, &c.* &, *Veni ſancte Spiritus.* Optimum igitur viſum eſt communiter dirigere collectas ad Patrem. non ſequitur tamen inde non inuocari in illis etiam filium, & Spiritum ſanctum; docet enim Tertullianus *lib. de orat.* propter eſſentiæ vnitatem ſemper in Patre intelligi etiam Filium, & Spiritum ſanctum. quod etiam docet pluribus S. Fulgentius *lib.* 2. *ad Monimum*, & S. Marcellinus Martyr *epiſt. ad Salomonem*, vt docuimus *lib.* 2. *c.* 1. & Abulenſis *in c.* 6. *Matth. quæſt.* 88. ideóque non excluduntur aliæ perſonæ: cùm nihil poſſit dari ab vna perſona ſine aliis, cùm opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa: ſed indicatur vnitas diuinitatis. Et obſeruat etiam Micrologus dum in cóclusione dicimus, cum Patre, Filium, & Spiritum ſanctũ viuere, & regnare per omnia ſecula, nos indicare alias etiam duas perſonas diuinas, cum Patre inuocare, & adorare. Vt igitur directio fit ad Patrem, ita obſecratio ſeu adiuratio fit per filium, tum quòd ipſemet Chriſtus *Ioannis c.* 14. pollicitus ſit, *Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* & *c.* 16. *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* tum quòd omnis gratia per Chriſti meritum nobis detur, iuxta illud *ad Ephesios* 1. *Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto.* vbi ait S. Ambroſius: *Omne donum gratiæ Dei in Chriſto eſt, & ſi quis ſpreto Chriſto, benedici ſe à Deo putat, errare ſe ſciat.* & D. Auguſtinus *Pſalm.* 108. *Oratio* (inquit) *quæ non fit per Chriſtum, non ſolum non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit in peccatum.* & Hieronymus explicans illud *Iſaiæ* 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur; Id eſt*, inquit, *vt quicquid Deus diſpoſuit, illius virtutibus impleatur.* & Bernardus *ſerm.* 13. *in Cant. Quicquid ſapientiæ, quicquid virtutis te habere confidis, Dei virtuti, Dei ſapientiæ deputa Chriſto, origo fontium & fluminum mare eſt, virtutum & ſcientiarum Dominus Ieſus Chriſtus.* Idem docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *c.* 5. quare quando piè aliquid per filium petitur, aut offertur, fieri non poteſt, quin ipſa petitio, aut oblatio, ſit Deo Patri acceptiſſima, quemadmodum neceſſariò apparet aureum, vel purpureum quicquid per lucidam gemmam aut vitrum aurei purpureíve coloris conſpicitur. Neque enim in cœlo, vel terra, Pater quicquam charius habet ipſo vnigenito filio ſuo. Hic igitur eſt Agnus ab origine mundi occiſus, *Apoc.* 13. qui ſui ſanguinis effuſione, & qui præceſſerant homines, & qui pòſt futuri erant, ablueret, vt ſecum cœleſti beatitudine fruerentur. & angularis lapis, qui cœleſtia pariter & terrena præterita, præſentia, & futura, connecteret, & conglutinata ſolidaret, *Iſaiæ* 28. *& ad Eph.* 2. Quare Iuſtinus *in oratione ad Antoninum*, Auguſti-

nus *lib.*1. *Confeſſ. c.*43. *& epiſt.*49. *queſt.*2. *in fine*, ſentiunt Chriſtianos nominandos eſſe quotquot è gentibus, licet aduentum Chriſti præceſſerint, ſecundùm rationem vixerunt; ita vt ipſi per fidem futuræ paſſionis eius, ſicut nos per fidem præteritæ, ſalui fierent. Vnde etiam D. Auguſtinus *lib. de catech. rud. c.*19. ait: *Eius Eccleſiæ membra erant etiam illi Sancti, quamuis in hac vita fuerint antequam ſecundum carnem Chriſtus Dominus naſceretur; ipſe enim vnigenitus Dei filius verbum Patris æquale & coæternum Patri, per quem facta ſunt omnia, homo propter nos factus eſt, vt totius Eccleſiæ tamquam totius corporis caput eſſet. Sed ſicut totus homo dum naſcitur, etiamſi in naſcendo manum præmittat, tamen vniuerſo corpori ſub capite coniuncta & compacta eſt, quemadmodum etiam nonnulli ex ipſis Patriarchis ad huius ipſius rei ſignum præmiſſa manu nati ſunt, tamen vniuerſo corpori, cuius ille caput eſt, ſub capite cohæſerunt.* Hæc Auguſtinus. Meritò igitur ipſa mater Eccleſia ſuas petitiones concludit, *per Dominum, &c.* Sed de hoc etiam dicetur infrà *lib.* 4. *c.*9. Denique concluditur, *in vnitate Spiritus ſancti*, vt tota ſanctiſſima Trinitas commemoretur. vt enim docet Stephanus Heduenſis *c.* 12. & Micrologus *c.*6. adeò ſancti Patres inuocationem ſanctiſſimæ Trinitatis in orationibus & benedictionibus probarunt; vt nihil in ipſis ratum validúmque cenſerent, niſi inuocatio Trinitatis adeſſet. ait enim Apoſtolus: *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, ſingulas perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis indicans. Porrò illud, *in vnitate Spiritus ſancti*, ex Alenſi 4. *p. quæſtio.* 37. & Innocentio *lib.* 2. *c.* 26. dupliciter poteſt intelligi. Primò in vnitate, id eſt, vnà cum ſancto Spiritu. nam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Deus, & ſic intelligit Gabriel *lect.*64. & Nauarrus *lib. de oratione, c.*19. *num.* 171. & congruit in modo dicendi SS. Iacobi, Marci, & Baſilij in Liturgiis. Secundò, *in vnitate Spiritus ſancti*, hoc eſt, in Spiritu ſancto, qui eſt vnitas, nexus, & amor Patris, & Filij. Notauit autem Nauarrus *loco cit.* quoties ferè ante collectam omittitur, *Dominus vobiſcum*, abbreuiari etiam concluſionem, & dici tantùm: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, vel: *Qui tecum viuit, & regnat, &c.* vel terminando in ipſo verbo, *filium tuum.* Sed difficultas eſt cùm dicuntur diuerſæ collectæ ſub vna concluſione, & in vna illarum fit mentio filij, & in alia Spiritus ſancti, ſitne facienda concluſio, ac ſi in vltima fieret mentio de vtroque? & quid ſi in prima ſit facta mentio de vtroque, vel altero, & in ſecunda de neutro? Reſpondet idem Nauarrus *num.* 169. concludendum ac ſi in præcedenti collecta nulla mentio facta fuiſſet, licèt aliàs ipſe aliter feciſſet. Cauendum eſt etiam ex Innocentio *lib.* 2. *c.*27. ſi miſceatur collecta pro defuncto, ne ſit finalis, ſed penultima, vel antepenultima, quòd finis ad ſuum debeat retorqueri principium.

Illa autem verba; *Per omnia ſecula ſeculorum*, quæ reperimus etiam apud Cle- 5.
mentem, Iacobum, Marcum in Liturgiis, Irenæum *lib.*1. *c.*1. & Epiphanium *hæreſi* 31. dupliciter etiam ſumi poſſunt, teſte Innoc. *lib.*2. *c.*26. nempe Antonomaſticè, ſeu per excellentiam, ſicut cùm dicimus, Sancta Sanctorum, id eſt, ſancta ſanctiora. ideo ſeculum ſeculorum ſignificabit ſeculum honoratius, & perfectius præſenti ſeculo. Et ita accepit Euthymius *in Pſal.*118. & alij apud D. Hieronymum *in c.*7. *ad Galatas.* & conſequutiuè, nempe vt ſeculum, quantum ſcilicet durat, ſeculum hoc 100. annorum, & in ſeculum ſeculi, vel ſeculorum ſeculum, quod poſt finem huius, aut multorum futurum eſt, & ita deinceps. ita vt ſint accipienda ſecula ſeculorum veluti conſequentia præcedentium, & continuata ſecula in infinitum; vt expoſuit Alcuinus, & alij apud D. Auguſtinum

Vide Plinium lib. 7. *c.* 48.

num

num *in Pſal.*71. Æternitas enim, quæ hoc dicendi modo ſignificatur, non tantùm duratione, ſed etiam perfectione excedit, & ſuperat omnia ſecula: cùm tempus, quale eſt ſeculum, habeat variationem, & non ſit totum ſimul, ſed ſucceſſiuum; habeátque vnam partem priorem, alteram poſteriorem, & tandem finiatur. vnde eſt menſura entis mutabilis, & corruptibilis; æternitas autem variationem non habeat, aut ſucceſſionem, sitque tota ſimul, & indiuiſibilis duratio, coexiſtens omni tempore, finémque non habeat. quam ob cauſam dicta eſt à Boëtio *lib.*5. *de conſol. proſa* 6. interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. Poſſeſſio quidem, vt ſignificetur eius actualitas, & quies, eſt enim duratio quædam præſens, & firma. Tota verò ſimul, quia in æternitate non eſt ſucceſſio, vt in tempore, vna parte prætereunte, & altera adueniente. Perfecta autem ad differentiam inſtantis, quod eſt totum ſimul, non tamen eſt duratio perfecta, ſed ſecundùm quid, & impropriè. Interminabilis ad ſignificandum æternitatem carere fine, ex Theologis, & Ariſtotele *lib.*1. *cæli,t.*100. 101. *lib.*12. *Met.t.*39. imò ſi propriiſſimè loquamur de æternitate, vt diſtinguitur etiam ab Æuo, carere etiam principio; cùm æternitas propriiſſimè ſit menſura diuini eſſe, quod eſt omnino immutabile, & inuariabile actu & potentia, & independens ab omni alio. Dicitur vitæ, quia illud, cuius æternitas eſt menſura, eſt viuens, vita intellectuali & perfectiſſima; quare æternum eſſe, eſt idem ac habere eſſe vniformiter, immutabiliter, ac ſine termino, contrà quàm ſit in ſeculo, ſeu tempore. qua de re S. Thom. *p.p. q.*10. *art.*5. *quodlib.*5. *q.*7. Scotus 2.*d.*1. Durand. 2.*d.*2.*q.*3. Capreolus 2.*d.*2.*q.*2.

6. Quoad numerum autem, collectæ non debent excedere numerum ſeptenarium, ex eodem Innoc. *lib.*2.*c.*27. Micrologo *c.*4. Radulpho *propoſ.*23. Durando *lib.*4.*c.*15. Alenſi *loco citato*. ſi enim quilibet ſacerdos poſſet pro arbitratu multiplicare collectas, populum adſtantem faſtidiret, tædióque facilè auerteret à re diuina. propter quam cauſam S. Baſilius, & Chryſoſtomus abbreuiarunt Liturgias veteres, vt ex Proclo Patriarcha *lib. de traditione diuinæ Liturgiæ*, diximus *lib.* 2.*c.*19. Et communiter (excipitur enim cum in duplici ſit commemoratio alterius, & dominica infra octauam alicuius duplicis habentis octauam) impari numero dicendæ ſunt, ex citatis; videlicet aut vna tantùm ob fidei vnitatem, aut tres ob ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, vel quòd ter Chriſtus in paſſione patrem orauerit, vt ſi fieri poſſet tranſiret ab eo calix paſſionis; aut quinque ob totidem Chriſti plagas, aut denique ſeptem ob ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti, ſeu ſeptem dona, & ſeptem petitiones, quas Chriſtus in oratione dominica incluſit.

7. Is autem ſitus in dicendis collectis ſeruandus eſt, quem definiet altare, in quo celebratur; quod ſi fieri poteſt, orientem ſolem ſpectare debet, vt ingreſſus templi ad occidentem; vt maximè probat Vitruuius *lib.*4.*c.*5. feciſſéque antiquos Gentiles docet Clemens Alexandrinus *lib.* 7. *Stromatum*, ita vt, qui ad altare conuerſi orant, orientem ſolem reſpiciant. Ex veteri enim Chriſtianorum conſuetudine, qui Deo preces fundebat orientem ſpectabat ſolem; idque ex Apoſtolorum doctrina fluxit, ex Iuſtino *q.*118. Tertul. *in Apol.c.*16. Origene *Hom.*5. *in Numeros*, Baſilio *lib. de Spiritu ſancto.c.*27. Cyrillo *catech. myſtag.*1. Athanaſio *in reſp. ad Antiochum.q.*14. Dionyſio *de Eccl. hier.c.* 2. *p.*2. Auguſtino *de ſer. Domini in Monte, lib.*2.*c.*9. Germano *initio Theoriæ*, Epiphanio *hæreſi* 19. Paulino *ep.*12. Damaſceno *lib.*4. *de fid.c.*13. Euthymio *in Panopl. tit.*12.*c.*27. Amalario *lib.*3. *c.*9. Stephano Heduenſi *c.*12. S. Thoma 2.2.*q.*84. *art.*3. Et id quidem tum quia

 antiquam

antiquam requiramus patriam, vt ait Baſilius, Athanaſius & Damaſcenus; Paradiſum videlicet, quem Deus in Eden ad orientem conſeruit. tum ex Iuſtino, & Auguſtino, quia præſtantiſſima quæque ad Dei honorem & venerationem deſtinanda ſunt: hominum autem opinione oriens præſtat cæteris orbis partibus. Quod non impedit quin in omni loco oremus. oriens enim exiſtit vbique precantibus. tum ex Athanaſio, Auguſtino, & Cyrillo, vt admoneamur nos conuertere ad excellentiorem naturam; cùm oriens ſit lucis regio, occidens tenebrarum; & Chriſtus oriens appelletur, *Zach.* 3. *&* 6. & Deus ipſe lux. tum ex Damaſceno quòd Chriſtus in cruce occidens ſpectaret, & cùm aſcendit in cœlum ad orientem ſolem eleuatus ſit; & adoratus à diſcipulis. tum denique ex eodem Damaſceno quòd ad Iudicium Chriſtus venturus ſit ab oriente, iuxta illud; *Sicut fulgur exit ab oriente, &c. ita erit aduentus filij hominis.* *Matth. 24.*

Ea eſſe debet corporis compoſitio, quæ & indicet modeſtiam, humilitatémque, vt diximus *c.* 11. & ſacerdotem atque adſtantes ad deuotionem excitet. Manibus verò & brachiis paſſis, & ex veteri conſuetudine fidelium, & Gentilium oſtendimus, *c.* 16. *num.* 7. quarum extenſionem Tertullianus innocentiam ſignificare dicit *in Apol. c.* 30. alij affectum & deſiderium impetrandi quod petitur à Deo, exemplo Salomonis *lib.* 3. *Reg. c.* 8. *Stetit autem Salomon ante altare Domini in conſpectu Eccleſiæ Iſraël, & expandit manus ſuas, &c.* & infrà, *Si quis cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac, tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies vt des vnicuique ſecundùm omnes vias ſuas, ſicut videris cor eius, &c.* & communiter idem fieri videmus à petentibus eleemoſynam, & ſimilibus aliquid impetrare volentibus. Quare non ineleganter dixit Quintilianus *lib.* 11. manuum geſtus habere momentum in pronunciatione, vt propemodum altera lingua pro omnibus verbis loquatur. Iiſdémque moderatè elatis, ita vt humeros non excedant, ex regulis Liturgiæ. qua de re Tertullianus *lib. de orat. c.* 11. Nos verò non attollimus tantùm, ſed etiam expandimus, & dominica paſſione modulantes, & orantes confitemur Chriſto. & inferiùs *c.* 13. Ne ipſis quidem manibus ſublimius elatis, ſed temperatè & probè elatis. habemus exemplum eleuationis manuum in Dauid *Pſal.* 62. *In nomine tuo leuabo manus meas,* vt reliqua taceamus, quæ attulimus ſuperius *c.* 16. *num.* 3. 8.

Cùm Ieſu nomen proferimus verſi ad crucem inclinamur, vt etiam cùm B. V. Mariæ nomen dicimus caput inflectimus, ex regulis Liturgiæ; non quòd ipſas ſyllabas, aut voces res inanimas veneremur, vt de imaginibus diximus; ſed quòd cultus ad res ipſas ſignificatas referatur. Qua de re octaua Synodus generalis *can.* 3. & Concilium Moguntinum *in expoſitione primi præcepti. c. de vſu imaginum,* vbi §. 2. ait, *Codicem oculis perluſtrans, cum ad venerabile & tremendum nomen Ieſu deueneris caput aperit, inclinatur, & ſuſpirans in cœlum oculos attollit, & ob id omni reprehenſione & idololatriæ ſuſpicione caret. Siquidem non litteras, quæ vili atramento* (quod etiam de ſono intelligit) *pinguntur, hîc honorat, ſed cogitatione & veneratione mentis ſuæ ad eum honorandum & adorandum rapitur, cuius memoriam hæ litteræ ei ſuggerunt.* Quàm verò antiquus ſit hic ritus, conſtat ex ipſo D. Paulo *ad Philipp.* 2. dicente, *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* & ſanè refert D. Hieronymus *in vita Hilarionis,* ad Ieſu nomen dæmones, qui in illum irruebant, terra abſorptos. Vt etiam D. Gregorius Nazianzenus *epiſt. ad Nemeſium* ait, ſæpius ſe dæmones Ieſu nomine fugaſſe. ſcripſit Surius die 6. Feb. *in vita S. Amandi Epiſcopi,* in illius conſpectum ſublime raptum puerum à malo dæmone, eóque clamante, *Ieſus me adiuuet*; dæmonem percunctatum quémnam 9.

nam Ieſum inclamaret? quod audiens S. Amandus ſuggeſſit puero vt Ieſum
crucifixum reſponderet. & ille monitus: *Adeſto*, inquit, *mihi Ieſu pro me crucifixe*,
ſtatimque conterritum malum dæmonem abiiſſe relicto puero. De huius diui-
ni nominis veneratione agens Gregorius X. *in 6. tit. de immunit. Eccl. cap. decet.*
ait: *Conuenientes in Eccleſiis nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen, à quo aliud ſub cœlo
non eſt datum hominibus, in quo ſaluos fieri credentes oporteat, nomen videlicet Ieſu Chriſti,
qui ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum, exhibitione reuerentiæ ſpecialis attollant;
& quod generaliter ſcribitur, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, ſinguli ſingulariter in ſe
ipſis implentes (præcipue dum aguntur Miſſarum ſacra myſteria) glorioſum illud nomen
quandocumque recolitur, flectant genua cordis, quod vel capitis inclinatione teſtentur.*

10. Sed cur ſancta Eccleſia maiori reuerentia colit nomen Ieſus, quàm nomen
Deus, illúdque ſplendidiſſimis vndique radiis & ſplendoribus ornat? Reſpon-
deo cum D. Thoma 3. *p. q. 37. art. 2.* Abulenſi *Exod. 20. q. 7.* Coſma Magaliano *ſect.
2. annotat. 7. in Appendice ad lib. Ioſue.* & aliis, tum quia illud nomen vnicuique 1.
glorioſius eſt, quod non ſolùm à natura & origine manat, ſed etiam propriis
& egregiis factis comparatum eſt; quale eſt hoc, quod obedientia Patris, &
humiliatione ſui ipſius pro ſalute hominum adeptus eſt, *ad Philip. 2. Humiliauit
ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. propter quod & Deus
exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu
flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* tum quia hoc nomen ſignificat Deum 2.
redemtorem noſtrum, *Matth. 1. Et vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet
populum ſuum à peccatis eorum.* quare includit & naturam diuinam; quòd nullus
niſi Deus poſſet nos redimere, vt docet D. Baſilius in illud *Pſal. 48. Frater non re-
dimit.* & Nazianz. *orat. 2. de Paſchate, circa finem*; & humanam ſine qua redemtio-
nis munus Deus non exequeretur. Redemtio autem eſt maximum beneficium,
& ſummum Dei opus; *Mirabilior*, ait D. Leo *ſer. 13. de paſſione, eſt ſecunda hominum ge-
neratio, quàm prima conditio, quia plus eſt in nouiſſimis ſeculis reparaſſe Deum quod perie-
rat, quàm a principio feciſſe quod non erat.* tum quia hoc nomen Ieſus eſt in quo ſal- 3.
uamur: nam D. Petrus *Act. 4.* ait: *Non eſt aliud nomen ſub cœlo in quo nos oporteat
ſaluos fieri.* & Iſaias *c. 12. Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia
fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. haurietis aquas in gau-
dio de fontibus Saluatoris.* & *Lucæ c. 1. Quia natus eſt vobis hodie Saluator. Pſal. 24. Pro-
pter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.* Ioel *c. 2. Omnis enim
qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Habac. 3. *Ego autem in Domino gaudebo, &
exultabo in Deo Ieſu meo.* Et in Hebræo non eſt Ieſus, ſed Ieſa, quod ſalutem in
abſtracto ſignificat, ad denotandam Saluatoris perfectionem. Salus enim Ieſu,
ſalus eſt perfecta, æterna, & diuina. Perfecta quidem cum & corporis ſit, quip-
pe quæ mortuo corpore ſalutem eámque immortalem afferre queat, quod ne-
queunt ſuis remediis afferre medici; & animæ, *Pſalmus 102. Qui propitiatur omni-
bus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.* & D. Auguſtinus *eodem Pſalmo.
Omnipotenti medico nullus languor inſanabilis occurrit.* quare idem precatur *lib. de contr.
cord. c. 5. Ieſu propter nomen tuum dulce fac mihi ſecundùm nomen tuum. Ieſu obliuiſcere
ſuperbum te prouocantem, reſpice pie miſerum te inuocantem, Ieſu nomen tuum dulce, nomen
delectabile, nomen confortans peccatorem, nomen beatæ ſpei. Quid eſt enim Ieſus niſi Salua-
tor? ergo propter temetipſum Ieſu eſto mihi Ieſus, eſto mihi Saluator benignus; noli Domine
ſic attendere malum meum, vt obliuiſcaris bonum tuum. O bone Domine Ieſu, etſi ego ad-
miſi vnde me damnare poſſis, tu non amiſiſti vnde ſaluare ſoles.* Æterna eſt, iuxta illud
Iſaiæ 45. Iſraël ſaluatus eſt in Domino ſalute æterna. Diuina denique eſt, cùm ſolus
Deus

Deus & homo medicinam hanc cunctis hominibus ſanandis conficere potuerit, vt diximus. quare hoc nomen in capite libri vitæ ab æternitate tamquam caput omnium ſaluandorum ſcriptum eſſe docet S. Bernardus *tom.2.ſerm.49.* eſt enim Chriſtus Ieſus princeps & primus in catalogo prædeſtinatorū, vtpote per quem cæteri ſalutem æternam conſequuturi ſunt. ideo S. Cyrillus *Catech.10.* *Ipſe enim ſolus Ieſus appellatur vero nomine a ſalutari medicina habens appellationem.* Videatur etiam D. Bernardus *ſerm.* 10. eorum qui dicuntur ſermones parui. tum quia inter omnia Dei attributa potiſſimum extollitur miſericordia a qua Ieſus nomen ſortitus eſt, & cui potiſſimum conuenit illud *Cant.* 1. *Oleum effuſum nomen tuum.* cùm veluti oleum foueat charitatis ignem, paſcat ſpem, contra tentationes, ſpirituales athletas vngat atque corroboret, condiat amaritudines præſentis vitæ, & omnibus animi ægritudinibus medeatur, cæteríſque nominibus ſupereminear inſtar olei liquoribus aliis. qua de re S.Bernardus *ſer.15.in Cant.* & Ambroſius *lib.de Spiritu ſancto. c. 7.* tum denique quia hoc reliqua omnia continet nomina, vt docet S.Thom. *3.p.q.37.art.2.ad* 1. S.Bernardus *ſer.2. de Circumciſione*, & Epiphanius *hæreſi* 29. cùm non ſolùm diuini Verbi maieſtas, ſed etiam humanitatis veritas, & noſtræ ſaluationis effectus, indicetur. vt quòd ſaluando nos à diabolo, ex eo detraxerit ſpolia, expoliauerit principatus, ídque celeriter, fueritque admirabilis, conſiliarius optimus, Pater futuri ſeculi, in quo ſit futura perfecta pax filiorum Dei, & naſcendo fuerit oriens, in tenebris exorto lumine rectis corde, Emanuel, ſeu nobiſcum Deus; de quibus Iſaias *c.7.8.9.* Zachar.*6.* Videndus D.Bernardus *ſer.* 10. eorum qui dicuntur parui. Vnde etiam metaphoricè fuerit Leo, Agnus, Petra, Oſtium, Paſtor, Via, & ſimilia, quæ vſque ad triginta congerit D.Hieronym.*in c.46.Ezechielis.* Meritò igitur præcipuè colitur Ieſus nomen, & ſplendentibus radiis ornatur, quaſi cætera nomina dignitate vincat, vti ſol ſplendore ſtellas; oſtenditque vti radiis Solis expelluntur è mundo tenebræ, ita aduentu Ieſu depulſam infidelitatem, & diuinarum rerum ignorantiam ab humanis cordibus, vti fuerat ab Iſaia inſinuatum *c.2. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini.* & 62. *Propter Syon non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius vt lampas accendatur, & videbunt Gentes iuſtum tuum, cuncti Reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit.* & *Malachiæ c.4. Et orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ, & ſanitatis in pennis eius.* & denique *Lucæ c.1. Illuminare his qui in tenebris & vmbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Notat autem Beda *lib.1. in Lucam c.8.* Ieſus nomen apud Græcos exprimere numerum 888. ſcribitur enim Græcè Ἰησοῦς, videlicet ι, & η, & σ, & ο, & υ, & ς, quarum numeri ſunt 10. & 8. & 200. & 70. & 400. & 200. qui fiunt ſimul 888. & indicant & præſentem reſurrectionem noſtram, vt in nouitate ſpiritus ambulemus; dies enim octauus reſurrectioni dicatus eſt, cùm Dominus octaua die reſurrexerit; & futuram ſpiritus & carnis, cum dicat Apoſtolus, *Si enim credimus quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Ieſum adducet cum eo.* vnde non tantùm huius ſancti nominis etymologia, ſed ipſe quem litteris comprehendit numerus perpetuæ noſtræ ſalutis myſteria redolet. Sumſit autem Beda *ex lib.1. oraculorum Sibyllinorum*, vbi Sibylla Babylonica quæ ſe Nurum Noë dicit, poſt multa de origine mundi, & ſequentibus ætatibus, ſic de Chriſto canit:

Alij id tribuunt Sibyllæ Cumanæ vt videre eſt apud Xystum Senenſem li. 2. bibl.

Tunc ad mortales veniet mortalibus ipſis
In terris ſimilis, natus Patris omnipotentis,
Corpore veſtitus. Vocales quatuor autem

Fert.

Fert, non vocaléſque duas, binum Geniorum.
Sed quæ ſit numeri totius ſumma docebo.
Namque octo monadas, totidem decadas ſuper iſta,
Atque hecatomadas octo, infidis ſignificabit
Humanis nomen; tu verò mente teneto
Æterni natum Chriſtum ſummique parentis.

Interpretatur autem Xiſtus Senenſis *lib.2. biblioth.* duas conſonantes S S, duo elementa à quibus incipiunt nomina duorum principalium Angelorum, boni ſcilicet, quem veterum plerique Salathielem, id eſt, Dei ſalutem dixerunt, mali verò Satan, quos Sibylla binum vocarit Genium. Sed rectiùs exponetur binum Geniorumum, id eſt, duas conſonantes naturarum ſimilium, ſeu eiuſdem rationis, & quaſi gemellas. Porrò vt apud Hebræos Ieſus nomen Saluatorem ſignificat; ita apud Græcos Medicum & curatorem ſonat, vt docent Cyrillus Hieroſolymit. *Catech.*10. Epiphanius *hæreſi* 29. Baſilius *in Aſceticis*, Salmeron *tom.*3.*tr.*37. Franciſcus Turrianus *lib.2. pro epiſtolis Pontific. c.*3. & alij. Habuit S. Ignatius hoc nomen non tantum frequentiſſimum in ore, verumetiam in corde, litteris aureis inſcriptum. vnde Io. Baptiſta Mantuanus *lib.2. de diebus ſacris.*

——Hic à lictore rogatus
Cur toties in tormentis clamaris Ieſum;
Nomen id inſcriptum cordi, ſibi ſæpe relabi
Dixit in os, id poſt factum proquirere lictor
Nixus, in exectis conſpexit vulnere cordis
Nomen id ex auro ductis ſplendere elementis.

idem docet Vincentius Beluacenſis *in ſpec. hiſt. lib.*10.*c.*57. & Antoninus *p.*1 *hiſt. tit.*7.*c.*11. ſub axilla etiam S. Euſtochiæ defunctæ Ieſu nomen veluti inciſum apparuit, ex Serario *lib.*1. *in Ioſue.*

De reſponſione populi, *Amen*. CAP. XX.

SVMMARIVM.

1. *Amen vocem Hebræam in linguam Latinam variè verti, & quæ rei cauſa.*
2. *In finiendis autem Collectis quomodo accipienda, & cur non verſa in Latinum.*
3. *Initio naſcentis Eccleſiæ non miniſtrum tantùm, ſed adſtantem populum reſpondere ſolitum Amen in fine collectæ.*
4. *Cum multiplex ſit Amen apud Rabbinos, nobis diligenter curandum vt noſtrum legitimum ſit & pium.*

1. AMen Hebræa vox eſt, & quæ, teſte D. Auguſtino *epiſt.*178. *& lib.2. de doctrina Chriſtiana. c.*10. non poteſt commodè in alienam linguam transferri. Vnde etiam variè vertitur. Septuaginta, & ex Patribus D. Iuſtinus *Apol.* 2. verterunt, *Fiat.* Aquila verò ex S. Hieronymo *ep.*137. *ad Marcellam* tranſtulit, *Fideliter.* Origenes *tr.*35. *in Matth.* S. Ambroſius *lib. de his qui initiantur c.*9. Hieronymus *loco citato.* Iſidorus *lib.*6.*c.*18. *Verè.* alij *certè*; quidam, *etiam*, vel, *ita eſt*; alij denique idem quod apud Græcos, & Latinos *Ne.* Quod inde factum eſt, quia non ſemper vno modo accipitur. aliquando enim eſt Aduerbium affirmantis, vt cùm apud S. Marcum *c.*12. dixit Chriſtus: *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc, &c.* vbi ſigni-

ficat *verè,& certè*. nam apud D. Lucam *c.21*. de eadem dicitur, *Verè dico vobis,quia vidua,&c.* & quod apud S.Matthæum *c.23*. habetur : *Amen dico vobis, venient hec omnia ſuper generationem iſtam,* apud Lucam vertitur : *Ita duo vobis,requiretur ab hac generatione*; & in Græcis pro *ita*, eſt *ναὶ*. Aliàs eſt Aduerbium conſentientis, ſeu confirmantis alterius dictum, vt 1. *Cor.* 14. *Si benedixeris Spiritu ; qui ſupplet locum idiotæ,quomodo dicet,Amen, ſuper tuam benedictionem ? quoniam quid dicas neſcit.* & Auguſtinus *in fragmento ſermonis contra Pelagianos. Fratres mei, Amen veſtrum ſubſcriptio veſtra eſt, conſenſio veſtra eſt,adſtipulatio veſtra eſt.* & Ambroſius *lib.de his qui initiantur. c.9. Poſt conſecrationem corpus & ſanguis Chriſti nuncupatur, & tu dicis,Amen,hoc eſt,verum eſt.* alludit autem ad antiquum morem, quo poſt conſecrationem vt populus oſtenderet ſe credere eſſe verum Chriſti corpus, & ſanguinem, dicebat, Amen, ex Iuſtino *Apol.2*. Dionyſio Alexandrino *ep.5. ad Sixtum,* apud Nicephorum *lib.6.c.9*. Auguſtino *lib.12. contra Fauſtum,c.10*. Leone *ſer.6. de ieiunio 7. menſis,* & Æthiopum Liturgia. Aliquando eſt Aduerbium optantis, vt id quod petitur, aut dicitur, eueniat, & fiat. vt cùm *Deut.* 27. poſt maledictiones populus reſpondit,Amen. & *lib.1.Paralip.c.16.* poſt benedictionem Dei populus reſpondit, Amen. & in fine epiſtolarum S. Paulus ſolet apponere, *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus* (aut quid ſimile) *ſit cum omnibus vobis, Amen.* Denique nonnunquam ponitur etiam loco nominis, vt obſeruat Ribera noſter *in c.3.Apoc.verſu 14.num.39. Hæc dicit Amen*; quaſi dicat, hæc dicit ille,qui ſemper eſt Amen, ideſt, qui ſemper eſt immutabilis, & verus, nec modò affirmat, & modò negat.

In collectis igitur communiter accipitur pro Aduerbio optantis fieri quod à 2.
ſacerdote à Deo petitur, ſicut & in oratione Dominica; vt ſit ſenſus,fiat,vel ita ſit. vnde S.Bernardus *ſer. 7. de cœna Domini. Itaque cùm dicitur in fine orationum : Per omnia ſecula ſeculorum, ſenſus eſt, quod rogas Dominum, hoc optamus.* & Gloſſa *lib.1. Paralip.16. Sacerdotibus orantibus omnis populus dicit,Amen,vt concordet in precibus pia ſacerdotis intentio,& populi ſancta deuotio.* Idémque ſentit Iulius I. *epiſtola pro Athanaſio.c.1.* Auguſtinus *epiſt. 107.ad Vitalem,* & Iuſtinus *in fine ſecundæ Apologiæ.* docet autem S. Hieronymus *epiſt.* 137. receptam in Eccleſia hanc vocem Hebraicam cum aliquibus aliis, quòd prima Eccleſia ex Iudæis fuerit congregata : ob id Apoſtolis viſum ad vitandum ſcandalum tradere vti à paruo imbiberant. poſtquam verò in vniuerſas gentes Euangelium promulgatum eſt, non potuiſſe ſemel ſuſceptam commodè mutari. cui etiam conſonat Auguſtinus *lib.2.de doctrina Chriſtiana*, aſſerens potuiſſe quidem interpretari, ſed ſeruatam antiquitatem propter ſanctiorem autoritatem.

Porrò mos hic reſpondentis populi Amen, cùm ſacerdos terminat oratio- 3.
nem, & collectam Miſſæ, cœpit initio naſcentis Eccleſiæ,vt ex citato loco 1.*ad Cor.*14. colligitur ; & docet illis verbis Iuſtinus *in fine Apol. Poſt preces & Euchariſtiam totus populus accinit, Amen.* & Tertullianus *lib.de ſpectaculis c. 25. Manus quas ad Dominum extuleris, poſtmodum laudando hiſtrionem fatigare; ex ore quo Amen, in ſanctum protuleris, gladiatori teſtimonium reddere.* D. etiam Hieronymus *in præf. lib.2. in epiſt. ad Galatas,* dum agit de Eccleſia Romana, dicit : *In Eccleſiis vrbis Romæ, quaſi cœleſte tonitru exaudiri clamantem & reboantem populum, Amen.* legendus etiam diuus Auguſtinus *lib. de bono perſeuerantiæ, c.23*. Quare miniſter, cùm ſolus nunc dicit, Amen, totius populi loco dicit.

Cæterùm quia in Talmudicis Maſſecheth Barachot apud Angelum Cani- 4.
num, Io. Stephanum Durandum *lib.7. c. 17.* Baronium in annum 57. & alios dum

dum reprehenditur audientium oſcitantia, legitur triplex Amen illegitimum; primum cùm qui reſpondent Amen, non intelligunt quid dictum ſit, quod autor appellat pupillum; alterum cùm antequam abſoluatur oratio Amen profertur, quod idem nominat Amen ſubreptitium: tertium quod ſectile vocat, & quaſi diſſectum, cùm reſpondens aliquid aliud agit. Nobis diligenter curandum eſt, vt Amen noſtrum legitimum ſit, & pium. Orationis enim feruor, vt docet D. Bernardus, magna vox eſt, tepiditas exigua; eo quòd aures Dei attendant magis voces cordis quàm oris.

De Epiſtola. Cap. XXI.

SVMMARIVM.

1. *Mos legendi ante Euangelium lectiones ex veteri Teſtamento, aut Apoſtolis non ab Alexandro I. ſed ab Apoſtolis ipſis manauit.*
2. *Quis eas per totum annum redegerit in ordinem.*
3. *Cur in Miſſæ ſacrificio legi Epiſtolas & Euangelium iuſſerit Eccleſia.*
4. *Cur præcedat Epiſtola.*
5. *Cur ſubdiacono lecturo Epiſtolam nõ detur benedictio, vt ſit Diacono lecturo Euangelium.*
6. *Cur legatur à ſubdiacono in dextera altaris parte, & ad altare conuerſa facie.*
7. *Dum in ſolemnibus Miſſis Prophetia & Epiſtola leguntur cur Epiſcopus & alij ſedeant.*
8. *De miniſtri reſponſione.*

1. ABſoluto Introitu ſequitur fidelis populi inſtructio in fide, quæ diſpoſitiuè quidem fit per doctrinam Prophetarum, & Apoſtolorum, quæ legitur per Lectores & Subdiaconos, vt docet S. Thomas 3.*p.q.*83. *art.*4. Sotus 4. *d.*13. *q.*2. *art.*4. Turrecremata *can. Iacobus. de conſecr. d.*1. Eſſe verò antiquiſſimum morem legendi in Miſſa lectiones, ſiue ex veteri Teſtamento, ſiue ex Apoſtolis apertè conſtat, tum *ex Can.*9. *Apoſtolorum*, vt refertur *de conſecr. d.*1. *can. omnes.* vbi iubentur omnes fideles conuenientes in ſolemnitatibus ſacris ad Eccleſias, ſcripturas Apoſtolorum & Euangelium audire. tum ex D. Iacobo *in Liturgia*, vbi præcipit, vt legantur fusè ſacra oracula veteris Teſtamenti, & Prophetarum, & Incarnatio filij Dei ſingulis diebus in ſacra & diuina Miſſa. D. Paulo, qui *ad Coloſſ.*4. iubet, vt cùm lecta fuerit apud eos epiſtola, curent etiam legi in Eccleſia Laodicenſium, & ſic etiam 1. *ad Theſſal.*5. Et quamuis præcisè non iubeat fieri tempore Miſſæ, veriſimile tamen eſt, id factum eo tempore. Clemente *lib.*2. *Conſtit. c.*57. qui præcipit, vt legantur primùm libri Moyſis, tum epiſtola ſua, de qua D. Hieronymus *lib. de ſcriptoribus eccleſiaſticis*, in Clemente, Euſebius *lib.*4. *hiſt. c.*22. & Nicephorus *lib.*4. *c.*8. deinde epiſtolæ D. Pauli; tandem per Diaconum vel Preſbyterum Euangelium. Idémque colligitur *ex eodem lib.*7. *c.*61. *&* 63. *& lib.*8. *c.*4. *&* 21. Dionyſio *lib. de eccleſiaſt. hier. c.*3. dicente: *Deinceps igitur per miniſtros agiographorum librorum lectio conſequenter fit.* Iuſtino, qui *in Apol.* 2. dicit omnes, qui in agris & oppidis morantur, die dominico in vnum conuenire ad Synaxim, & legi commentaria Apoſtolorum, & Prophetarum. Tertulliano, qui *in Apolog. c.*39. ait: *Cogimur ad diuinarum litterarum commemorationem.* quo loco *n.*501. plura congerit Pamelius. tum denique quia de hoc ritu clariſſime meminit Damaſus *ep.*2. *ad D. Hieronymum*, affirmans die dominico epiſtolas D. Pauli

recitandas, Ambroſius *in præfat. in Pſalmos. Quantum* (inquit) *laboratur in Eccleſia vt fiat ſilentium cum lectiones leguntur.* Auguſtinus *ſer.10. de verbis Apoſtoli. Hoc, ait, de Apoſtolica lectione percepimus, deinde cantauimus Pſalmum, poſt hac euangelica lectio, &c.* & *ſer.33. de verbis Domini.* in lectione Apoſtolica gratias Deo actas fuiſſe dicit de fide gentium; in Euangelio ad cœnam nos vocatos eſſe. Concil. Tolet. IV. *c.11.* dicit in quibuſdam Eccleſiis Hiſpaniæ poſt Apoſtolum decantari laudes priuſquam prædicetur Euangelium; cùm canones præcipiant poſt Apoſtolum non laudes, ſed Euangelium annunciari. Omitto poſteriores S. Germanum *in Theoria*. Cabaſilam *c.22.* & alios. quia tamen variè fieri potuit pro varietate Eccleſiarum primis Eccleſiæ temporibus, & Miſſa productior reddi ex prolixiore lectione ſacrorum librorum, potuit in hac re modum aliquem præſcripſiſſe Alexand. I. creatus anno 121. vt etiam accidit tempore Conc. Bracar. I. *can.20.* quod ita ſtatuit: *Placuit vt per ſolemnium dierum vigilias & Miſſas omnes eaſdem, & non diuerſas lectiones in Eccleſia legant.* Et hoc ſenſu accipiendum erit quod ſcribit Hugo de S. Victore *lib.2. diu.off. c.11.* Durandus *lib.4. c.16.* & Genebrardus *in Chron.* anno 385. & alij, eum Epiſtolam & Euangelium in Miſſa legi decreuiſſe. & ad eumdem fortè alludit VValfridus *c.22.* ſcribens lectiones Apoſtolicas & euangelicas ante celebrationem ſacrificij, quis primùm ſtatuerit, non adeò certum eſſe, credi tamen à primis ſucceſſoribus Apoſtolorum eam diſpenſationem factam. Videtur autem mos deſumtus ab Hebræis, vt notat Amalarius *lib.3. c.11.* vt conſtat ex lib. Eſdræ, & Actibus Apoſtolorum *c.13. verſu* 15. *& c.17. verſu* 3.

Quærenti verò quis ordinauerit lectiones & epiſtolas quibus nos per totum 2.
annum vtimur? Reſpondeo id Damaſi iuſſu feciſſe D. Hieronymum, ex VValfrido *c.22.* Micrologo *c.25.* Hugone *lib.2. c.11.* Radulpho *propoſitione* 23. Bernone *c.1.* & conſtat ex Prologo eiuſdem libri Comitis ſeu lectionarij, *in Liturgiis Pamelij.*

Ea autem maximè de cauſa Eccleſia in celebratione ſacrificij legi Epiſtolas & 3.
Euangelia præcepit, teſte VValfrido *loco citato.* quòd in Euangeliis hoc ſacrificium celebrari iubeatur, & in epiſtolis qualiter debeat celebrari doceatur. Addit Nicolaus Cabaſila *c.22.* quòd eorum lectio & auditio nos præparent, & prępurgent ante myſteriorum ſanctificationem.

Præcedit Epiſtola, tum quia, vt docet Alenſis 4. *p.q.37. de officio Miſſæ, §.5.* Ru- 4.
pertus *lib.1. c.32.* Hugo *lib.2. c.17.* Durandus *lib.4. c.15.* & Innocentius *lib.2. c.29.* epiſtola legis & Prophetarum perſonam gerens, præcurſoris munus agit ante Euangelium; ſicut Ioannes præiuit ante faciem Domini parare vias eius, *Malachiæ c.3.* quamuis ſæpiſſimè ſumatur de Apoſtolis, & non de veteri Teſtamento, in eo tamen gradu eſt, ac ſi ſemper de lege & Prophetis eſſet, ex eodem Hugone & Turrecremata *can. Apoſtolica, de conſecr. d.1.* tum quia, teſte Alcuino *cap. de celebr. Miſſæ*, & Nicolao Cabaſila *c.22.* denotat Apoſtolos præmiſſos à Domino, qui ipſe erat iturus, vt viam Euangelio pararent. tum denique ex VValfrido, vt ex minoribus animus audientium ad maiora ſentienda proficiat, & ab imis conſcendat ad ſumma; iuſti enim ſemita, Salomone teſte, eſt veluti ſemita Solis, quæ creſcit vſque ad perfectum diem, qua etiam de re dicetur *c.24. §.1.*

Sed cur ſubdiacono lecturo Epiſtolam non benedicitur, vt fit Diacono le- 5.
cturo Euangelium? Reſpondet Hugo de S. Vict. *lib.2. off. c.20.* quia legem & Prophetas, quos lectio ſignificat, inuiſibilis inuiſibiliter miſit Dominus; Apoſtolos verò & Euangeliſtas, quorum perſonam gerit Diaconus, viſibilis factus, & oſculo oris ſui dilectam Eccleſiam oſculatus viſibiliter docuit.

Legitur

6. Legitur in dextero altaris cornu ex Antiſiodorenſi, Durando *lib.* 4. *c.*15. & aliis, quia, vt diximus ſuprà *c.* 6. Chriſtus primùm ad Iudæos venit, qui dicebantur eſſe in dextera; cùm fuerit populus electus; & deinde ad Gentes. Et faciem ſubdiaconus ad altare vertit, quòd lex & Prophetia omnis ordinaretur ad Chriſtum,cuius figuram refert altare, vt aliàs dictum eſt.

7. In Miſſis ſolemnibus, dum legitur Prophetia & epiſtola, Epiſcopus, miniſtri, & reliqui ex regulis Liturgiæ ſedent; idque ex veteri ritu, vt docet S.Ambroſius *in epiſt. ad Cor.* Amalarius *lib.*3. *c.*10.11. Hugo de S. Victore *lib.*2. *off.c.*17. Rupertus *lib.*1.*c.*32. & Innocentius *lib.*3.*c.*34. quia doctrina Chriſtiana in ſilentio & quiete audienda eſt.

8. Finita epiſtola miniſtri reſpondent,Deo gratias, nomine totius populi,quòd cœleſtis doctrinæ nos participes facere dignatus ſit Deus. quo etiam dicendi modo religioſi ſunt vſi tamquam Aduerbio vocandi, vt docet D. Auguſtinus *in Pſalm.* 132. & ſanè prædixerat Iſaias *c.* 51. de Eccleſia euangelica, *Gaudium, & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* hac de re dicemus *lib.* 4. *c.* 6. *&* 31.

De Reſponſorio, & aliis verſiculis. Cap. XXII.

SVMMARIVM.

1. *Mos recitandi verſus poſt epiſtolam antiquus.*
2. *Reſponſorium ſeu Graduale a quo inſtitutum; eius Etymologia, & cauſa; & cur omittatur in Paſchate.*
3. *Alleluia cur Graduali poſtponatur: eius ſignificatio. & cur dicatur Hebraicè veteri conſuetudine; à Septuageſima ad Paſcha omittitur, & num Damaſus ex Græcis Liturgiis in Latinam inuexerit.*
4. *De Tractu in diebus luctuoſis.*
5. *De ſequentia ſeu proſa in ſolemniſſimis diebus, quis inuenerit, & quis admiſerit in Miſſa.*

1. QVatuor ſunt genera verſiculorum, qui poſt Epiſtolam recitantur; ne tempus,quo Diaconus ad recitandum Euangelium proficiſcitur ad ambonem, & ſe præparat, fruſtrà & ocioſè prætereat. qui ſanè mos antiquus eſt, etſi tempore Concilij Toletani IV. *can.*11. in Hiſpania non eſſet vniuerſalis, cùm doleat & conqueratur, quòd in quibuſdam Eccleſiis Hiſpaniæ laudes poſt Apoſtolum canerentur. cùm hæ debeant ſequi poſt Euangelium propter gloriam Chriſti, quæ per Euangelium prædicatur. vnde etiam præcipit,ne deinceps fiat. qua de re etiam Berno Augenſis *c.*1.paulatim tamen vſus omnibus probatus eſt & receptus,vt docet VValfridus *c.*22.

2. Et quidem primùm dicitur Reſponſorium, ex Hugone *lib. de ſpeculo Eccleſ. c.*7. *& lib.*2. *de off. c.*18. Iſid. *lib.*6.*c.*18. *lib.*1.*de off. c.*8. Rabano *lib.*2.*inſtit.c.*51. Durando *lib.* 4. *c.*19. quòd vno incipiente cæteri reſpondeant. vel, vt putat Turrecremata *tract.*66. *in reg.* S. Benedicti quòd debeat reſpondere ſeu congruere lectioni epiſtolæ, vt ſi fuerit ex Geneſi, libris Regum, Actibus Apoſtolorum, reſponſorium etiam regulariter ex iiſdem fiat. Idem appellatur Graduale, non quòd caneretur in gradibus altaris, vt voluit Durandus *loco citato*, & Beleth

*c.*38. ſed quòd cantetur dum Diaconus lecturus Euangelium, ambonis gradus aſcendit, vt dicit Rhenanus in Tertullianum *lib. de corona militis*, Bellarminus *lib.*2. *de Miſſa, c.*16. & alij. Teſtatur verò Rupertus *lib.* 2. *off.c.*21. Sigibertus ad annum 426. & Turrecremata *can. Iacobus, de conſecrat. d.*1. Graduale fuiſſe inſtitutum à Cœleſtino; & præter citatam cauſam, ne ſcilicet traduceretur mora ocioſè, Hugo *loco citato*, dicit ſignificare profectum ex lectione Epiſtolæ, perceptúmque fuiſſe fructum ab auditoribus quaſi prædicationi conſenſerint, & progrediantur de virtute in virtutem. Rupertus *lib.* 1. *c.*34. & Innocentius pœnitentiæ lamentum, iuxta pœnitentiam quam ad Ioannis prædicationem, quæ per Epiſtolam deſignatur, multi egerunt. ideóque cantari cantu graui & mœſto. Et Paſchatis tempore lætitiæ deputato ea de cauſa non dici, ſed duplicari Alleluia; vt ſignificemus fœlicem ſtatum Eccleſiæ in regno Chriſti; cùm abſterget Deus *Apoc.* 21. omnem lacrymam ab oculis Sanctorum; ſicut econtra à Septuageſima ad Paſcha omittitur Alleluia, & duplicantur quæ ad pœnitentiam pertinent.

Alterum igitur verſiculum Alleluia nuncupamus quod magnam continet exultationem; ideóque adhibitum eſt à Dauide in titulo Pſalmi 104. & aliis, in quibus exultat, & celebrat magnifica Dei opera, vt notat Caſſiodorus *in eumdem* 104. *Pſalmum*. Poſtponitur Graduali, ex Rabano *lib.*2.*c.*51. VValfrido *c.*22. Innocentio *lib.*2. *c.*32. Durando *lib.*4.*c.*20. quia conſolatio ſequitur luctum, iuxta illud, *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Porrò vox hæc Hebræa eſt, eiúſque Doctorum interpretationes varias affert Turrecremata *can. hi duo hymni, de conſecr. d.*1. S. Germanus *in Theoria* interpretatur vt, Al, ſignificet, venit, vel apparuit, el, Deus, uia, laudate: aut etiam, Al, ſignificare patrem, el, Filium, uia, Spiritum ſanctum. Sed communis ſententia eſt, idem eſſe quod *laudate Deum.* ita Theodoretus *in Pſal.* 146. Auguſtinus *tract.*8. *in epiſtolam D. Ioannis, & ſerm.* 151. *de tempore, & ſerm.* 1. *de diuerſis, & in Pſal.* 106. 118. Petrus Comeſtor *in Apocal.* D. Hieronymus *epiſt. ad Marcellam*, S. Remigius & alij, eo quòd Hallelu, ſit imperatiuum Hebraicum, laudate, ja verò vnum ex decem nominibus Dei, ſignificétque inuiſibilem, vel vniuerſalem; ob id idem eſſe ac, laudate Deum, vel quod in idem recidit, vt vult S. Ambroſius *in Pſal.* 118. & Iſidorus *lib.* 1. *de off. c.*13. laus Dei. Sed cur retenta eſt Hebræa, & peregrina vox, cùm potuerit in Latinum conuerti? S. Hieronymus *loco citato* ait, id factum quòd prima Eccleſia fuerit congregata ex Iudæis, ideo ad euitandum credentium ſcandalum nihil fuiſſe innouatum. Poſtquam verò in omnes gentes Euangelium diſſeminatum eſt, non potuiſſe ſemel ſuſcepta mutari. S. Auguſtinus *lib.*2. *de doctrina Chriſtiana, c.*10. & Iſid. *lib.*1. *off.c.*13. *& lib.*6. *Etymolog.c.*19. id factum putant propter Sanctorum autoritatem. Rupertus *lib.*1. *c.*35. & Hugo de S. Victore *lib.* 2.*c.*19. ad ſignificandum gaudium, quod denotat Halleluia, ab hac vita peregrinum eſſe, cùm ſit proprium cœli, cùm inter alia, quæ de cœleſti Ieruſalem leguntur *Tobiæ c.*13. recenſeatur, & per vicos eius Halleluia cantabitur. & *in Apoc.* 19. *Et audiui vocem quaſi tubæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Halleluia, gaudeamus, & exultemus, &c.* licèt ſtillicidium aliquod ſtillauerit in pectora Apoſtolorum per Chriſti reſurrectionem; qua nobis etiam data eſt ſpes canendi aliquando cum cœleſtibus ciuibus idem Halleluia. Rectè autem (quicquid blateret Lutherus, qui idem in Quadrageſima & Hebdomada ſancta cantari in ſuæ Miſſæ formula iubet) ex D. Auguſtino *in Pſal.* 106. *&* 110. *& epiſt.* 119. *ad Ianuarium, c.*15. *&* 17. Humberto Cardinali in

Margin: 3. (beside "Alterum igitur verſiculum…"); Matth.5. (beside "ta illud, Beati qui lugent")

in diſputatione contra Græcos, & Concilio Tolet. IV. *can.* 10. *& can.hi duo hymni.de conſecr.d.*1. veteri conſuetudine Eccleſiæ nouem hebdomadibus à Septuageſima ad Paſcha, quo exilij noſtri tempus,gemitus,& pœnitentia celebratur,& mœſtitiæ diebus omittitur Halleluia, verbum iubilationis & gaudij plenum, vt diximus, & confirmat S. Thomas, & Gloſſa *in c.* 19. *Apocal.* licèt Dei laus in corde & ore noſtro ſemper eſſe debeat, quia *ex can.citato*, ſuper flumina Babylonis ſedemus, & flemus dum recordamur Sion, in qua Deum hymnus docet. *Pſal.* 136.
Id enim eſt quod inſinuat S. Auguſtinus dum *loco citato* ait hanc antiquam Eccleſiæ traditionem canendi ſolùm certis diebus Alleluia, non vacare ſacramento.addit Amalarius *lib.* 4. *c.* 2. cùm Latina lingua qua vtimur, in prædictis diebus mœſtitiæ & ieiuniorum dicendo, Laus tibi Domine, ſit humilior Hebræa,quæ tunc omittitur, nos admoneri humiliori conuerſatione, veſtitu & ſimilibus tempori conformandos, cùm amictus hominis enunciet de illo *Eccl.* 19. Cæterùm vox Alleluia in Græcis Liturgiis perantiqua eſt,vt conſtat ex Liturgia S.Iacobi,Baſilij,& aliorum: in Latina verò quando inceperit,non omnino & prorſus indubitatum eſt.S.enim Gregorius *lib.*5.*epiſt.* 63. videtur dicere ex Ieroſolymorum Eccleſia per S. Hieronymum Damaſum accepiſſe, vt in Romana Eccleſia concineretur Alleluia;verùm id non ita accipiendum eſt, vt tempore Damaſi Romæ cani cœperit Alleluia, ſed ſolùm, vt caneretur extra tempus paſchale.vt idem Gregorius *ibidem* declarat. & D. Auguſtinus *in Pſal.* 106. teſtatur non recenti vſu, ſed antiqua traditione ab Eccleſia catholica toto orbe diffuſa Alleluia cantari ſolitum. Quare ſolum peculiarem aliquem vſum ab Eccleſia Ieroſolymitana Romanam accepiſſe poſſumus ex verbis S. Gregorij intelligere. vſus enim eius varius fuit, vt idem S. Auguſtinus docet *epiſtola* 119. *ad Ianuariam*, *c.* 17. Erat verò Sozomenus *lib.* 7. *c.* 19. & alij Græci apud Humbertum Cardinalem in diſputatione habita anno 1054.Conſtantinopoli contra Græcos, aſſerentes in Eccleſia Romana,non niſi ſemel in anno decantari Alleluia (quod certè Vigilantius hæreticus Hieroſolymis introducere conatus eſt, vt teſtatur D.Hieronymus *in lib. contra eumdem.*) etenim Damaſi & ſucceſſorum tempore adeò huius vocis vſus frequens erat, vt etiam in funere defunctorum adhiberetur; vt de funere Fabiolæ tradit S.Hieronymus *epiſt.*30.& extra Eccleſias Ruſtici, atque Agricolæ loco ſecularium cantionum, ad laboris moleſtias ſubleuandas canerent Alleluia, ex eodem D. Hieronymo *epiſt.* 17. & infantuli ipſi balbutiente ore concinerent,vt de Paula ſcribit idem D.Hieronymus *ad Latam epiſt.*7.*&* 27.vbi etiam, ſicut & in vita Paulæ ait, eadem voce Monachos ad Synaxim ſolitos conuocari. S. Germanus Antiſiodorenſis dum in Britannia eſſet anno 436. Chriſtianos contra Paganorum exercitum adhortans intonans Alleluia,hoſtes vicit.ex Sigiberto *in Chron.*

4\. Tertium genus dicitur, Tractus, & ſunt aliqui verſus ex diuinis litteris deſumti, qui dicuntur in diebus, & officiis luctus, & Tractus à trahendo appellati,quòd tractim & grauiter cantentur: quaſi deploretur diuturnitas incolatus, ac Eccleſiæ gemitus ſignificetur,ex Alcuino *lib.de diu.off.c.de Septuageſima*,Ruperto *lib.*4 *c.*6. Hugone de S. Victore *in ſpeculo.c.*7. *& lib.*2.*de off.c.*19. Soto *lib.* 4. *ſent. d.*13.*quæſt.*2.*art.*4. Innocentio *lib.*2.*c.*32. Stephano Heduenſi *c.*12. Tales ſunt, *De profundis*, *Qui habitat*, *Ad te leuaui*, *Super flumina Babylonis*, *&c.* eóſque inſtitutos à Gelaſio, ſcribit Rupertus *lib.* 2. *c.* 21. Alij à Cœleſtino, Durandus *lib.* 4. *c.*21. à Theleſphoro. Adhibentur autem à Septuageſima ad Paſcha & Miſſis defunctorum.

Vltimum

Vltimum eſt Proſa, ſeu ſequentia, quæ etiam Iubilatio dicebatur, ſúntque 5.
quidam verſus rhythmici, qui in feſtis ſolemniſſimis, vt Paſchatis, Penteco-
ſtes, Corporis Chriſti, dicuntur. Et eos primùm ad Miſſas Nicolaus admiſit, ex
Durando *lib.4.c.22.* Ioan. Beleth *c.38.* & Hugone *lib. 2. c. 11.* quos omnium pri-
mus inuenit Notherus Abbas de S. Gallo, qui deinde fuit Epiſcopus Leodien-
ſis circa annum 850. ex Trithemio, Radulpho *prop.23.* Durando, Beleth, Hugo-
ne *locis citatis*, & Bonauentura *in expoſitione Miſſæ.* *Veni ſancte Spiritus*, dicitur
compoſita à Roberto Rege Franciæ, ex Trithemio, Durando, & Paulo Æmilio.
Lauda Sion Saluatorem, à S. Thoma Aquinate facta eſt, cum reliquo officio cor-
poris Chriſti ex eius opuſculis.

De Oratione, & iis, quæ inter Epiſtolam & Euangelium fiunt. Cap. XXIII.

SVMMARIVM.

1. *Sancta indignè tractare nefas.*
2. *De ſacrificantis benedictione à Diacono lecturo Euangelium in ſolemni Miſſa petenda.*
3. *Eidem curandum ne huiuſmodi benedictionem infructuoſam reddat.*
4. *An ſit mortale crimen ex officio Epiſtolam aut Euangelium legere in peccato mortali, dubium.*
5. *Cur Diaconus Euangelij librum in ſiniſtro brachio portet.*
6. *De Acolytis cum accenſis cereis præcedentibus Diaconum.*
7. *De Thuribulo præcedente Euangelium.*
8. *De aſcenſu in Ambonem.*

ABſoluta Epiſtola cum verſiculis, ſacerdos in medio altaris Deum orat, vt 1.
Iſaiæ c.6. mundet eius cor, & labia; cùm etiam ignito calculo Iſaiæ labia munda-
rit, vt miſeratione diuina mundatus dignè valeat enunciare Euangelium. Si-
miliſque precatio adhibetur etiam in Liturgia S. Iacobi ante thurificationem.
Domine, inquit, *Ieſu Chriſte Dei verbum, qui tua ſponte & Deo & Patri victimam irre-
prehenſam in Cruce obtuliſti, ille duplicis naturæ carbunculus, qui forcipe labia Prophetæ
attigiſti, & eius peccatum abſtuliſti, ſange & noſtros, qui peccatores ſumus, ſenſus, ac nos pur-
ga omni macula, puróſque nos ſiſte ſancto altari tuo, ut tibi laudis ſacrificium offeramus.*
Ratio enim naturalis docet id quod ſanctum eſt indignè tractare nefas eſſe, vt
ipſemet Plato *in Euthiphone, & lib.4.de Republ.* & Ariſtoteles *lib.2. Eth.c.3. & 6. &
lib.3.c.7.* docent, vt omittam S. Thomam *3.p.quæſt.64. art.6.* Sotum *lib.4. ſent.d.1.
quæſt. 5. art. 6.* & alios. cedit enim id in Dei irreuerentiam. Vnde *Leuit.19.* præce-
pit Dominus, *Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum.* & *Iſaiæ 52.* *Mundamini qui fertis
vaſa Domini.* Debet enim miniſter ſe domino ſuo conformem exhibere. &
Deut. 16. Iuſtè quod iuſtum eſt perſequeris. ideo Dionyſius *epiſtola 8. ad Demophilum.
Nefas eſt*, inquit, *ea, quæ iuſta ſunt, non ſecundùm dignitatem meritáque exequi.* & pau-
lo pòſt: *Ut mihi quidem videtur, audax nimium huiuſmodi eſt, qui non veretur ea, quæ
ſunt diuina, præter meritum exequi.* videndus etiam D. Auguſtinus *in Pſal. 103.* circa
ea verba: *Qui tegis aquis ſuperiora eius.*

In ſolemni verò Miſſa quia Euangelium cantatur à Diacono, accedens ad ce- 2.
lebrantem

lebrantem dicit: *Iube Domne benedicere*, iuxta illud D. Pauli, vt notat Innocentius *lib.* 2. *c.* 38. *Quomodo enim prædicabunt niſi mittantur?* Atque ille benedicens, vt etiam fit pæne ſimilibus verbis in Liturgiis D. Marci, Baſilij, Chryſoſtomi, ait: *Dominus ſit in corde tuo, & in ore tuo, vt dignè ac competenter enunties Euangelium ſuum.* quod etiam refert ex veteribus Amalarius *lib.* 3. *c.* 18. In Miſſis verò priuatis ſacerdos ipſe hæc eadem dicit ſibi applicando, nempe ſit in corde meo, &c. manibus ante pectus iunctis reuerentiæ gratia inclinatus, & oculis ad Dominum ſurſum modeſtè elatis, ſecundùm illud *Pſal.*122. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis*, & exemplo Chriſti *Matth.*14. *Marci* 6. *Lucæ* 9. veteríque Chriſtianorum more, vt patet ex Tertulliano *in Apoc.c.*30.

3. Curandum verò Diacono eſt, vt monet Amalarius *loco citato*, ne infructuoſam reddat ſacerdotis orationem, Dominúmque teneat in mente, nec ſinat euaneſcere impoſita verba, aut frangi crucis ſignum impreſſum per ſacerdotis manus à noxiis cogitationibus; & oſculata celebrantis manu in ſignum reuerentiæ, dum accedit ad legendum, in corde ſuo Domino dicat: Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis; timeátque illud *Pſalm.* 49. *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Debet enim imitari Dauid, qui, vt notat S.Ambroſius, & Caſſianus *Pſalm.*118. dixit priùs, *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* deinde, *In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.* atque vt eiuſdem D. Ambroſij vtar ſimilitudine, vt gallus gallinaceus non prius alios excitat quàm excitarit ſeipſum, & puluerem diſcuſſerit; ita qui alios docere parat, ſeipſum priùs ita formet, vt opera verbis conſentiant. Sapientem namque Ægyptij hieroglyphicè ſignificantes manum ori admotam effingebant, vt cum manu exequutum, quæ ore proloqueretur indicarent, qua de re paulo pòſt etiam dicetur.

4. Sed grauis inter Theologos eſt difficultas, an ſit crimen mortale ex officio ſolemniter Euangelium aut Epiſtolam pronuntiare in peccato mortali? vtraque enim pars ſuos habet defenſores. Et quidem partem negatiuam tuetur Sotus 4.*d.*1. *quæſt.*5 *art.*6.*&* *d.*24 *art.*4. Ledeſma 2.4.*quæſt.*38 *art.*5. *&* 1.4.*quæſt.*5 *art.*6. Henricus *quodlib.*6. Victoria §.214. *in nouis* 233. Henriquez *lib.*10. *c.*23. Suarez 3.*p.quæſt.*65 *art.*4. Affirmatiuam verò defendunt Syluester *v.Clericus* 2.*num.*2. Angelus *Clericus* 8.*num.*1. Caietanus 2.2.*quæſt.*60. *art.*2. *in fine.* Nauarrus *de pœnit.d.*6. *c.*1.§.*ſacerdos, num.*15. ſentientes peccare mortaliter eum, qui aliquod ſacrum officium, quod illi ex ordinatione competit, in peccato mortali exequitur: quòd committat ſacrilegium indignè res ſacras pertractans, iuxta regulam S. Thomæ 4.*d.*24.*quæſt.*1 *art.*3 *quæſtiuncula* 5. Quocirca ſaltem ne ſe exponat periculo, curare omnino debet, vt ſanctè ſuo munere fungatur.

5. At verò cur Diaconus ſanctorum Euangeliorum codicem accipiens imponit, & portat brachio ſiniſtro? An ex Alcuino *lib.de diu. off.cap.quid ſignificent veſtimenta*, & Amalario *lib.* 3. *c.* 18. vt ſignificetur temporalis & præſens vita, in qua neceſſe eſt Euangelium prædicari? An etiam vt quaſi cordi, quod in ſiniſtram partem vergit, Euangelium ſuperponamus, eóque veluti ſigillo illud muniamus, iuxta illud Sponſi, *Pone me vt ſigillum ſuper cor tuum, &c.* vt etiam de B. Cecilia teſtatur ſancta Eccleſia, ſemper Euangelium Chriſti in pectore geſtaſſe.

6. Diaconum accedentem ad recitandum Euangelium duo præcedunt. Acolyti cum accenſis cereis, non quidem, vt rectè docet Iſidorus *lib.* 7. *c.*12. & habetur *d.*21. *can.cleros*, ad fugandas tenebras, cùm rutilante ſole celebretur; ſed vel,

vt putat S. Hieronymus *contra Vigilantium*, Iſidorus *loco citato*, & Rupertus *lib.* 1. *c.*36. in ſignum lætitiæ, ex doctrina Euangelij, quòd, qui antea loquebatur per Prophetas, ſit nobis locutus in filio. vel ex eodem Iſidoro, & Alcuino *c. de tonſura clericorum*, ad ſignificandum nos de tenebris infidelitatis ad lucem veniſſe Euangelij Chriſti, qui eſt lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. vel ex Amalario *lib.*3. *c.* 18. vt ſignificemus legem & Prophetas Chriſto teſtimonium præbuiſſe. vel ex Innocentio *lib.*2.*c.*40. quòd diſcipuli bini miſſi ſint, cum miraculorum fulgore in omnem locum, in quem erat ipſe Chriſtus venturus. vel ex ordine Romano quòd in nobis cum Euangelij doctrina debeant eſſe duo præcepta charitatis, Dei ſcilicet, & proximi. aliter enim ſeruus ſciens voluntatem domini, & non faciens, plagis vapulabit multis, *Lucæ* 12. & *Iacobi ep.c.*1. *Non auditores tantum verbi, ſed factores iuſtificentur.* & *c.*2. *Fides ſine operibus mortua ſit.* Et mulieres ad fabricam Tabernaculi Dei, non tantùm inaures, ſed etiam dextrariola contulerint; eo quòd non ſatis ſit promtas habere aures ad Dei verbum, niſi ſimul manus operi admoueamus.

Ad Heb. 1.

Præcedit etiam ante Euangelium Thuribulum, tum ex Amalario *lib.* 3. *c.* 5. & 18. & Micrologo, ad ſignificandum bona Chriſti opera, & virtutum odorem, quæ euangelicam doctrinam præceſſerunt, quòd Chriſtus, teſte D. Luca, cœperit facere, & deinde docere. tum ex Innocentio *lib.*2.*c.*40. & Ruperto *lib.* 1. *de diu. off. c.*36. quia, qui annuntiat Euangelium talis eſſe debet vt dicebat S. Paulus, *Chriſti bonus odor ſumus.* 2. *ad Corinth.* 2. vt enim docet Ariſtoteles *lib.* 10. *Eth.* dum ſermones moribus diſſonant, contemnuntur, & interimunt veritatem. & D. Gregorius *in Paſtorali. Neceſſe eſt cuius vita deſpicitur, eius prædicatio contemnatur.* cuius cauſam affert Seneca *epiſt.* 6. quòd homines ſemper magis oculis, quàm auribus credant. ob id D. Paulus *ad Rom. c.*2. dicit, per huiuſmodi qui prædicant non furandum, & furantur, Dei nomen inter Gentes blaſphemari. 7.

Poſtremò Diaconus lecturus Euangelium aſcendit Ambonem veteri conſuetudine, vt conſtat ex D. Cypriano *lib.*2. *epiſt.*5. *lib.*4. *epiſt.*5. Caſſiodoro *lib.*10. *Trip. c.*4. Socrate *lib.*6.*c.*5. VValfrido *c.*6. Amalario *lib.*3.*c.*18. Idque ex Innocentio *lib.*2.*c.*43. & Alenſi 4.*p.* vt meliùs audiatur ab omnibus, ſecundùm illud *Iſaiæ c.* 40. *Super montem aſcende tu, qui euangelizas Sion. exalta in fortitudine vocem tuam.* Itémque ad denotandum veritatem euangelicam palàm annunciandam, non in latebris, vt faciunt hæretici. *Matth. c.*10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* denique ex Amalario *loco citato*, & Turrecremata *can. Apoſtolica, de conſecr. d.*1. ad indicandam eminentiam legis, & doctrinæ euangelicæ: cuius autor non Solon, Lycurgus, Numa Pompilius, Ariſtoteles, aut Plato, homines in multis decepti, qua de re Franciſcus Arias *tract.*5. *p. parua*, ſed æterna Dei ſapientia fuerit. quare recta eſt, & irreprehenſibilis in præceptis, & probitate morum; exteriorem & interiorem ſimul hominem formans; ſublimis in promiſſione præmiorum, cùm in cœleſti patria æternæ vitæ gaudia, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, ſeruantibus promittat, & donet; & denique formidabilis ſpernentibus, & tranſgredientibus, cùm gehennæ æterna minetur ſupplicia. qua de re D. Gregorius *Hom.*6. *in Ezechielem.* 8.

De

De Euangelio. Cap. XXIV.

SVMMARIVM.

1. *De celebrantis ſalutatione, & adſtantium reſponſione ; & cur poſtponatur Euangelium lectioni Epiſtolæ.*
2. *Cur præmittatur titulus, initium, aut ſequentia.*
3. *De reſponſione,* Gloria tibi Domine.
4. *Signum crucis præmittendum Euangelio, & quare.*
5. *Ritus Euangelij in Miſſa legendi Apoſtolica traditio, & cum accenſione luminum.*
6. *Cur legatur verſus Aquilonem.*
7. *Quomodo audiendum.*
8. *Infigendum oſculum Euangeliorum libro, veteri more, venerationis cauſa.*
9. *Reſponſio circumſtantium poſt lectum Euangelium.*

1. SVperuenit Euangelium, vt perfectè inſtruat fidelem populum in rebus fidei, vt etiam docet Nicolaus Cabaſila *cap.22. Liturgiæ.* Perfectioris enim manife- *Vide c.22.* ſtationis fidei ſunt, quæ per Dominum, quàm quæ per alios dicuntur. priùs ta- *§.4.* men præmittitur ſalutatio ad attentionem excitandam, & circumſtantium reſponſio, precantium vt adſit Deus legenti Euangelium, vt dignè legat. qua de re Alcuinus *de diu.off.c.de celebr. Miſſæ*, Durandus *lib.4. c.24.* Rupertus *lib.1. c.36.* Innocentius *lib.2.c.46.* & Hugo *lib.2.c.20.*

2. Præmittit autem lecturus titulum, initium, vel ſequentia ſancti Euangelij ſecundùm N. quorum verborum ſenſus eſt ex D. Bonauentura *in expoſitione Miſſæ.* verba, quæ legi debent, ſunt ſecundùm Matthæum, v. g. aut Ioannem, idémque etiam antiquitus fiebat, vt patet ex Liturgia D. Chryſoſtomi, Amalario *lib.3.c.18.* Alcuino *c.de celebrat. Miſſæ.* Sed cur dicitur ſecundùm Matthæum, aut Ioannem, & non Matthæi aut Ioannis? An quia verba ſunt Spiritus ſancti, quo inſpirati Dei homines loquuti ſunt, relata tamen & ſcripta à Matthæo, vel Ioanne, quaſi per amanuenſem? Vnde etiam Dauid *Pſal. 44. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.*

3. Clerus ac populus reſpondet, *Gloria tibi Domine*, veteri conſuetudine, vt videre eſt apud Chryſoſtomum *in Liturgia*, Innocentium *lib. 2. c. 46.* Rupertum *lib.1. c.36.* Amalarium *lib. 3. c.18.* Hugonem *lib.2. c.20.* Bonauentura *in expoſitione Miſſæ.* Cabaſilam *in Liturgia, c.22.* Idque ex citatis; vt glorificent Deum, quòd miſerit eis verba ſalutis æternæ. vt etiam *Act. 11.* Apoſtoli glorificauerunt Deum, quòd & inter Gentes dediſſet pœnitentiam ad vitam. Ex Durando autem *lib.4. c.24.* vt gratias agant, Deúmque laudent, quòd diabolum vicerit, & nos liberarit. Ex S. Germano verò confitendo Chriſtum eſſe verum Deum; ſapientiam, & verbum Patris. Ex Amalario *lib. 3. c.18.* quòd Deum populus deprecetur, ne diabolus verba ſancti Euangelij de corde illius auferat, neque corda petroſa ſint, aut ſpinoſa, ſed terra bona, vt recepto ſemine optatum afferant fructum.

4. Interim & qui Euangelium legit, librum, & ſeipſum, & qui audiunt ſe ſigno crucis muniunt, in fronte, ore, & pectore, ex Hugone *lib.2.c.20.* Innocentio *lib.2.c.44.* Amalario *loco citato,* Alenſi *4.p.quæſt.37. de officio Miſſæ.§.8.* Durando

lib.4.c.24. Micrologo *c.9.* Soto *4.d.13.q.2. art.4.* In fronte Sede pudoris, ne erubeſcamus confiteri Euangelium, & Chriſtum crucifixum. *Ad Galatas 6. Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* In ore, vt palàm confiteamur. In pectore, vt nos paratos oſtendamus ad patiendum pro eius nomine, & Euangelio, vt diximus *c.8.* & ex Amalario ne aliqua imputa cogitatio, aut diaboli ſuggeſtio poſſit impedire fructum verbi Dei.

Ritum verò legendi in Miſſa Euangelium antiquiſſimum eſſe, conſtat ex D. Marci Liturgia, Clemente *lib.2.conſtit.c.57.alias* 61. Concilio Laodiceno *c.16.* vbi cùm diſſuetum eſſet legi die Sabbati, præcipitur vt legatur etiam eo die, Concil. Carthag. IV. *c.84.* Valentino *can.2.* Anaſtaſio Papa *epiſtola 1. ad omnes Germaniæ & Burgundiæ Epiſcopos*, *c.* 1. D. Hieronymo *lib. contra Vigilantium*, affirmante toto Oriente accendi ſolita luminaria etiam rutilante ſole dum legeretur Euangelium. Auguſtino *in præfat.in epiſt.D.Ioannis, & ſer.144.de temp.* Chryſoſtomo *Hom. 6. de pœnitentia*, Ambroſio *lib. 1. off. c.8. & epiſtola 75.* Leone *ſerm. 3. & 5. de Epiphania*, Anaſtaſio *can. Apoſtolica, de conſecrat. d.1.* Germano *in Theoria.* Primis verò Eccleſiæ temporibus, quando nondum Euangelium ſcriptum erat, voce declarabatur Chriſti Domini incarnatio, paſſio, reſurrectio, aſcenſio, & ſecundus aduentus ad iudicium. vt colligitur ex Liturgia D. Iacobi, & teſtatur Henriquez *lib. 9. c.32.* cum aliis. quare ex Apoſtolis huiuſmodi conſuetudo manauit. A Paſchate etiam ad Aſcenſionem, in Euangelij lectione Cereus paſchalis accenditur ad indicandum tempus, quo poſt reſurrectionem Chriſtus Dominus mundi lux cum diſcipulis verſatus eſt, & in ſignum lætitiæ reſurrectionis ritu veteri. videatur idem Hieronymus *epiſtola 20. ad Marcellam*, Iſidorus *lib.7. Etymol. c.12.* Prudentius *in hymno ad incenſum cerei*, Auguſtinus *epiſtola 157.* Rupertus *lib.6.de diu.off.c.28.* Rabanus *lib.2.c.38.* Alcuinus *de diu. off.c.de Sabbato ſancto Paſchæ*, Durandus *lib.4.* 5.

Legitur Euangelium facie conuerſa ad Aquilonem (cur enim in ſiniſtro cornu altaris legatur aliàs diximus) quia fides, quæ in Euangelio continetur, armatura noſtra eſt, contra diabolum per Aquilonem ſignificatum *Iſaiæ c.14. Super aſtra exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis. Ieremiæ c.1. Ab Aquilone pandetur omne malum*, ita Hugo *lib. 2. c. 20.* Stephanus Heduenſis *c.12.* Alcuinus *c. de celebr. Miſſæ*, Innocentius *lib. 2. c.43.* Alb. Bonauentura *tract. de Miſſa*, Turrecremata *can. Apoſtolica, de conſecratione, d. 1.* & ferè ſemper initium eſt: *In illo tempore*, cuius rationem declarat Alenſis *loco citato 4.p.queſt.37.* 6.

Dum legitur Euangelium omnes aſſurgere & ſtare debent, ex Apoſtolorum conſtitutione, teſte Clemente *lib.2.c.57.alias* 61. Liturgia S.Marci, & aliis. & quia in aliquibus Burgundiæ & Germaniæ Eccleſiis irrepſerat abuſus ſedendi, Anaſtaſius Papa idem decreuit *epiſtola 1.ad Epiſcopos Germaniæ, & Burgundiæ, c.1.* & habetur *can. Apoſtolica, de conſecrat. d.1.* & meminit eiuſdem ritus Cyprianus *epiſtola ad Clerum, & plebem de Celerino confeſſore ordinato lectore*, Amalarius *lib.3. c.18.* Alcuinus *c. quid ſignificent veſtimenta*, Rabanus *lib. 1. c.33.* Hugo *lib.2. c.11.* VValfridus *c.22.* Micrologus *c.9.* Albertus & Bonauentura *tract. de Miſſa.* idque, tum vt oſtendamus nos ad pugnam contra diabolum paratos, vt ait Albertus: tum quòd tamquam ſerui ante dominum promti ad omne præceptum eſſe debeamus, ex Amalario. Ideo *lib.3. Reg.c.10. Beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.* Damnat Sozomenus *lib.9. c.39.* Alexandrinorum morem, apud quos contra communem vſum Epiſcopus non ſtat cùm legitur Euangelium. 7.

gelium.Quin etiam ſtabat populus cùm Dei verbum prædicabatur,cùm D.Aug. *Hom.26. ex 50.* dicat ante paucos dies indulſiſſe quibuſdam propter dolores pedum, & ægram valetudinem, vt ſedendo audirent. Similiter in reuerentiæ & humilitatis ſignum debent omnes eſſe decenter curui, ex *citato can. Apoſtolica, de conſecr.d.*1. Sancto Ambroſio *lib.1. off.c.11.* Hieronymo *lib. contra Vigilantium*, Baſilij & Chryſoſtomi Liturgia, Hugone *in ſpeculo.c.7.* Innocentio *lib.2.c.34. & 47.* Io. Beleth *c.* 39. Bonauentura *tr. de Miſſa.* Itémque capite aperto, ex iiſdem, & Hidelberto Cenomanenſium Epiſcopo, dum canit:

Inde ſiniſtrorſum Domini ſacra verba leguntur.

Plebs baculos ponit, ſtat, retegitque caput.

Et quod de baculis ſeu armis deponendis ait, habet etiam Amalarius *lib.3.c.*18. Durandus *lib.4.c.* 24. Hugo *in ſpeculo c.7.* & Concilium Aurelianenſe *can.* 22. & ſignificat eſſe Chriſtianæ charitatis profeſſionem non ſe vindicare, ſed Domino reſeruare vindictam, *ad Hebr.*10. Et ſanè vti apes, teſte Ariſtotele *lib.3.de gen. animal.* quempiam offendere non poſſunt, niſi cùm aculeo, vt dixit Poëta, vitam in vulnere ponant; ita nos lædere quemquam per vindictam haud poſſumus, niſi nos ipſos ſimul perdamus. Nec res magna eſt, ſi nos Chriſti doctrinam ſequuti, quíque dicimus quotidie: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, eius amore faciamus, quod plures Ethnici fecerunt; & cæteris faciendum ſenſerunt. Nam Pytacus cùm maledicum in ſe quempiam in ſua haberet poteſtate, ſéque poſſet vlciſci, eum dimiſit, dicens: Venia eſt vltione melior, cùm illa mitis ſit ingenij, hæc ferini. Plato quoque *lib.*1. *de Republ. & in Critone. Nullo* (inquit) *modo iniuriandum eſt, neque ſi iniuriam paſſus fueris, vlciſcendum, vt vulgus putat.* Idémque apta ſimilitudine animalium docet Plutarchus *lib. de vtilitate capienda ex inimicis. Quæ enim* (ait) *firmiſſimæ ſanitatis ſunt, ſerpentes, & lapides vorant, & concoquunt, cùm languidi & morboſi vino & pane ſiccato nauſeent: ſic ſtulti amicitias etiam corrumpunt, prudentes inimicitiis commodè vtuntur.* ſed dicemus hac de re *lib.4.c.22.n.*12. Magna igitur cum attentione & deuotione Euangelium audiendum eſt, cùm ſit quædam veluti legatio Dei ad nos miſſa, ne Chriſtum ſpernere videamur. & vtinam hac in re eos imitaremur Iudæos, qui *lib.2. Eſdræ c.*8. Moyſi libros legentem audierunt Neemiam. Origenes certè *ſuper Exodum* ſentire videtur, non minori diligentia audienda verba diuina, quàm adhibeatur in cauendo ne quid de Euchariſtia per negligentiam decidat. Quod verò monet Plutarchus, ad audiendum non accedendum vti ad ſpectaculum, putà vt tantùm delectemur, ſed vt efficiamur meliores, multo magis fidelibus in audiendo Dei verbo, quàm Ethnicis in auſcultandis ſermonibus Philoſophorum congruit. & diſertè præcepit D. Iacobus *in ſua epiſtola c.*1. *Eſtote autem factores verbi, & non auditores tantum.* cùm enim Dei verbum ſit veluti imber, terram cordis noſtri infundere debet, & germinare facere, vt ait Iſaias *c.*55. *Hom.13.*

8. Lecto Euangelio, libro oſculum infigitur antiquiſſimo ritu Eccleſiæ, vt conſtat ex Dionyſio *lib. de Eccl. hier.c.*3. ex *can. Apoſtolica, de conſecr.d.*1. Octaua Synodo generali *can.*3. Nicæna Synodo II. *act.6.& 7.* Epiphanio *ibidem*, Iona Aurelianenſi *lib.2. de imag.* Ruperto *lib.2.c.*1. Hugone *lib.2. off.c.*21. Concilio Colonienſi *in expoſit. Decalogi*; quod fit ad denotandum affectum noſtrum erga Chriſtum, in quem veneratio refertur, vt diximus de imaginibus & cruce; per ipſum enim accepimus reconciliationem, & pacem, & ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, vt ait Apoſtolus *ad Ephesios c.*2. piáque eſt ac ſancta huiuſ-

modi Euangelij veneratio; quare S. Cecilia illud in ſinu ſemper geſtabat, & B. Franciſcus, vt refert Vmbertus *in regula S. Auguſtini, c.23.* ſi quam chartulam ſacram, vel cum Ieſu nomine inueniſſet, cum magna deuotione & reuerentia eleuabat, & honeſto loco collocabat. Teſtatur Gregorius Turonenſis *in vitis Patrum, c.6.* S. Gallum in incendio ciuitatis Aruernæ ingreſſum Eccleſiam, poſt orationem accepto Euangeliorum codice, & aperto, igni obuiam proceſſiſſe, ſubitóque ita extinctum incendium, vt ne fauilla quidem remaneret. Simile ſcribit Niceph. *lib.5. c.22.* de Eccleſia S. Anaſtaſiæ ab incendio ſeruata à S. Martiniano Euangeliorum libro. Scribit denique Zonaras in Baſilio Macedone Rhoſos Chriſti fidem amplexos, viſo Euangeliorum codice ab igne extracto illæſo.

Finito Euangelio reſponderi ſolet ab adſtantibus: *Laus tibi Christe*, vt ſe 9.
erga tantum Dei beneficium, & nuncium gratos oſtendant, ſéque non tantùm credere, quod in Euangelio promittitur, verumetiam ſperare. Aliàs, vt videre eſt apud Turrecrematam *can. Apoſt. de conſecr. d.1.* dicebatur: *Deo gratias*, eadem omnino de cauſa, & aliàs ex Beleth *c.39.* *Amen.* ac ſi adſtantes dicerent: Verum eſt, quod lectum eſt, vel ita fiat. Multíque, ex eodem Beleth *c.39.* Turrecremata & S. Remigio, ſe ſigno crucis muniunt contra diabolum, ne veniat, & tollat verbum Dei de cordibus eorum, *Lucæ c.8.*

De Symbolo. CAP. XXV.

SVMMARIVM.

1. *Cur poſt Euangelium recitetur Symbolum.*
2. *Eius vſum prius fuiſſe in Eccleſia orientali quàm occidentali, & maximè Romæ.*
3. *Quid ſit Symbolum, & cur confectum.*
4. *Quoruplex ſit Symbolum.*
5. *Cur ſententiæ ſingulæ articuli nuncupentur.*
6. *Articuli quot numero, & quid doceant in vniuerſum.*

SOlemnioribus diebus, vt Dominicis, Apoſtolorum, Doctorum, & huiuſmo- 1.
di, de quibus Radulphus *propoſitione 23.* & Innocentius *lib.2. c.51.* poſt Euangelium recitatur Symbolum fidei, tum quòd ex auditu verbi Dei conſequatur fides, *ad Rom. c.10.* tum vt doceat nos Eccleſia, ſicut corde creditur ad iuſtitiam, ſic ore confeſſionem fieri ad ſalutem, *ad Rom. c.10.* vt notat Berno Augenſis *c.1.* Durandus *lib.4. c.25.* & alij, idque vſque à primis Eccleſiæ temporibus, cùm habeatur in Liturgia D. Iacobi, Marci, Chryſoſtomi, & Dionyſio *de Eccl. hier. c.3.*

Fuit tamen prius Symboli recitatio in Miſſa in orientali, quàm occidentali 2.
Eccleſia. Etenim Concilium Toletanum III. c.2. celebratum anno 610. profitetur cùm occidentalis Eccleſia ea conſuetudine careret, velle eam ex orientali Eccleſia in omnibus Eccleſiis Hiſpaniæ recipere, vt etiam in Gallia & Germania vſus eius inualuit tempore Caroli Magni, ob hæreſim Felicis Vrgelitani Epiſcopi, vt teſtatur VValfridus c.22. Quinimmo in Eccleſiis vrbis Romæ inter Miſſarum ſolemnia non receptus eſt Symboli vſus, niſi tempore Henrici II. Imperat. & Benedicti Papæ VIII. nempe anno 1014. vt ocularius teſtis eſt ipſe Berno Augenſis, qui cum Henrico aderat, ait enim c.2. *Cùm Romanorum Presbyteri*

teri ab Henrico interrogarentur cur poſt Euangelium, vt in aliis Eccleſiis fiebat, ſymbolum non canerent, me aſſiſtente audiui eos huiuſmodi reſponſum reddere, videlicet, quòd Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando vlla hæreſeos fæce infecta; ſed ſecundùm S.Petri doctrinam, in ſoliditate Catholicæ fidei permaneret inconcuſſa: & ideo magis iis neceſſarium eſſe illud ſymbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando vlla hæreſi potuerunt maculari. At Imperator domino Benedicto perſuaſit, vt ad publicam Miſſam illud decantarent. Hæc Berno. vt tamen ſemper fides conſeruaretur illæſa, Leo III. qui obiit anno 816. inſcripſit in duobus ſcutis argenteis, vno quidem litteris Græcis, altero verò Latinis, dextera læuaque pendentibus, & penſantibus libras 94. & ſex vncias, in Baſilia D.Petri ſymbolum, vt teſtatur Anaſtaſius Biblioth. in Leone III.

3. Et quidem ſi rem ſpectes, Symbolum, vt definit D.Auguſtinus *ſer.15. de tempore,* eſt fidei noſtræ comprehenſio ſimplex, breuis & plena, vt ſimplicitas ruſticitati audientium conſulat, breuitas memoriæ, & plenitudo doctrinæ. & *ſer.119. Symbolum eſt breuiter complexa regula fidei, vt mentem inſtruat, & non oneret memoriam.* Symbolum fidei regulam dixerat etiam Tertullianus *initio lib. de velandis virg. & lib. de præſcriptionibus aduersùs hæreſes, c.13.* & regulam veritatis, quæ à Chriſto tranſmiſſa venit per Apoſtolos *lib. aduersùs gent. c. 47. & lib. aduersùs hæreticos. c. 37.* vt etiam Irenæus *lib.1 adu. hæreſes. c.1.2.19. & lib.3 c.2.* Origenes *in præfatione lib. Periarchon,* Chryſoſtomus *Hom.1. in Symbolum,* Auguſtinus *lib.1. de fide & Symb.* Ruffinus *in expoſitione Symboli.* Sin verò etymologiam nominis quæras, Symbolum, ex D.Clemente *ep.1. ad Iacobum fratrem Domini,* & Ruffino *in expoſitione Symboli,* quæ vulgo tribuitur Cypriano, ſignificat indiciũ & collationem. Indicium quidem, hoc eſt, ſignum, notam, aut teſſeram, qua milites alij ab aliis diſtingui in bellis & dignoſci poſſint. cùm enim & armorum habitus par, & vocis ſonus vnus eſt, ne qua doli ſubreptio fiat, vnuſquiſque dux ſuis militibus ſymbolum ſeu teſſeram tradit, quæ Latinè ſigna & indicia nominantur; vt ſi interrogatus quis de quo dubitetur, teſſeram non proferat, vt hoſtis agnoſcatur. Eodemque modo, vt idem Ruffinus docet, & S.Maximus Taurinenſis *Hom. de traditione Symboli,* vt poſſent internoſci, quínam verè ſecundùm Apoſtolicas regulas Chriſtum prædicarent, & qui non, licèt ſe Apoſtolos ſimularent lucri & ventris gratia, vt in Actibus Apoſtolorum *c. 15.* diſceſſuri ab inuicem Symbolum tamquam teſſeram fidei compoſuerunt; & iccirco eodem Ruffino & D.Hieronymo *epiſt.61. ad Pammachium.* teſtibus, non in chartis, ſed cordibus per traditionem ſcribi voluerunt, ne facilè ab infidelibus dignoſci poſſent, & patere fraudibus. Collationem verò plurium in vnum ex eodem D.Clemente, Ruffino, Hieronymo *in c.23. Prouerb.* Auguſtino *ſer.2. de ramis palmarum.* Caſſiano *lib.2. de Incarnatione. c.3.* vt cùm multi conferunt, iuxta cuiuſque voluntatem, pro ſua parte cibos ad conueſcendum. quo ſenſu dixit Concilium Laodicenſe, vt habetur *d.44. can. non oportet.* Clericos aut laicos Chriſtianos non debere ex Symbolis celebrare conuiuia. & inde tranſlatum eſt nomen ad collationem ſermonum, quæ in hominum cœtibus, aut Conciliis fit. Vnde etiam Apoſtoli, vt concordes & vniformes eſſent in futura prædicatione fidei, Symbolum, fidei normam confecerunt, conferendo in vnum quod quiſque ſentiebat. non ſicut filij Noë, qui diſceſſuri ad inuicem *Gen. 11.* ex lateribus & bitumine conſtruere agreſſi ſunt turrim, cuius cacumen cœlum contingeret, ſed munimenta fidei, quæ ſtarent aduersùs faciem inimici, ex dominicis margaritis, & lapidibus pretioſis ædificantes. quare illi confuſione linguarum damnati ſunt, hi linguarum omnium donum conſequuti. Et ſanè valde conueniens fuit, quæ à Chriſtianis omnibus

credenda

1. credenda ſunt, redigi ad breue Symbolum, & regulam. tum vt omnes facilè re-
tinerent, quæ pertinent ad fidem, ex Cyrillo *Catech. 5.* Auguſtino *lib. de fide & Symbolo,* ſiue negotioſi ſint, quos occupatio impedit à cognitione, ſiue inſcij & ruſtici, qui ſcripturas non intelligunt, ſiue pueri vt fidem cum nutricis lacte ſugant; cùm tantopere Chriſtianæ reipublicæ interſit, vt pueri à teneris religionem & pietatem diſcant. vt non tantùm Salomon *Prouerb.* 22. ſed etiam Ethnici teſtes ſunt, præſertim Ariſtoteles *Eth.lib.2.& 7.* Seneca *ep.11.* Virgilius *lib.2. Georg.* Horatius *in Poetica,* Marcus Tullius *lib.1.& 2.Tuſc. qq.* Macrobius *lib.7. Satur. c.9.* cuius rei ea eſt cauſa ex eodem Ariſtotele *lib.de mem. & reminiſ. & lib. 1. Rhet.* & D.Auguſtino *lib.de Muſica,* quòd conſuetudo ſit difficilè mobilis, & quaſi altera natura. ad quod alludens alter Seneca *Tragœdia 6.* dixit: *Dediſcit animus ſerò, quod didicit diu.* quod etiam præclaro exemplo oſtendit Dorotheus *doctr.* 11. qui paruulas cupreſſus euelli iuſſit, quod facile fuit; tum maiorem, quòd multo difficilius factum. denique maximam, quod nullo modo fieri potuit, quòd radices altas egiſſet. Vnde conuerſus ad diſcipulos, tales etiam eſſe dixit animi noſtri habitus ſiue probos ſiue improbos, qui cùm noui ac parui ſunt, facilè euelli poſſunt, difficillimè cùm creuerint, & obduruerint. Idémque probè nouerat Iulianus Apoſtata, qui vt orbem Chriſtianum peruerteret, & traduceret ad Gentiliſmum, iuſſit in ſcholis puerorum legi libros, quos contra Chriſtum Do-
2. minum conſcribi iuſſerat, vt his aſſueti pueri, euaderent Gentiles. tum ex Irenæo *lib.1. c.3.* vt vbique eſſet fidei vnanimitas. hinc enim fit, vt Eccleſia tota, quaſi vnam animam, & cor vnum habere videatur; dum eamdem fidei regulam diligenter vbique cuſtodit, & quaſi vno ore prædicat; eáque gentium & populorum conſenſione, ſe iuſtiſſimè in Eccleſiæ gremio detentum profitetur D.
3. Auguſt. *lib. contra epiſtolam Manichæi c.4.* tum ad cautelam contra hæreticos, cùm ſoleant facilè fidem corrumpere varietate verborum, vt notauit Durandus 3. *ſent.d.25.q.2.* Quare meritò S.Ambroſius *ſer.38.* Symbolum appellat clauem qua reſerantur tenebræ, & lux Chriſti aduenit. Et S.Leo *epiſt.96.ad Pulcheriam Auguſtam.* Catholici Symboli breuem & perfectam confeſſionem, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis, ita inſtructam eſſe in munitione cœleſti, vt omnes hæreticorum opiniones ſolo poſſint gladio detruncari. & Ruffinus *in expoſitione Symboli* dicit in diuerſis Eccleſiis aliqua inueniri adiecta, in Eccleſia verò vrbis Romæ ſecus eſſe, eo quòd ibi nulla hæreſis exordium ſumſerit; & quòd ſeruaretur mos antiquus, vt qui gratiam Baptiſmi ſuſcepturi erant, publicè, & fideli populo audiente Symbolum redderent. auditus enim eorum, qui præceſſerunt, ne vnius quidem verbuli adiectionem admittit.

Porrò quadruplex eſt Eccleſiæ catholicæ Symbolum. Primum omnium & 4.
communiſſimum eſt Symbolum Apoſtolorum, ab ipſis compoſitum, vt hactenus diximus, & teſtatur Clemens *epiſt.1.* Irenæus *lib.1.c.2.* Tertullianus *loco citato.* Ambroſius *epiſt.81.ad Siricium,* Auguſtinus *ſer.115.180.* Leo *loco citato,* Chryſoſtomus *Hom.1.& 2.in Symbolum.* Ruffinus *in expoſitione Symboli,* Hieronymus *ep.61. ad Pammachium,* Fortunatus *in præfat. in expoſitione Symboli,* Vigilius *lib.4. contra Eutychem,* Maximus Taurinenſis *ſer. de Symbolo.* Sed an ſinguli Apoſtoli ſingulos articulos condiderint, an potiùs omnes totum Symbolum, etſi non ita apud omnes certum ſit, ſingulos tamen à ſingulis conditos colligimus ex D. Clemente *loco citato.* Leone *epiſt.96.* Auguſtino *ſer.115.* vbi ſingillatim à quo quiſque ſit conditus, docet Bonau. 3. *diſt.25. art.1.q.1.* Innocentio *lib.2. c.52.* Venantio Fortunato *loco citato.* Alcuino *c.22.* Rabano *lib.2. inſtit.c.16.* ſanè doctri-

na ea eſt, vt præcipua religionis Chriſtianæ capita diſtinctè & breuiſſimè complectatur; cùm & diuinæ eſſentiæ vnitatem, & trium perſonarum diſtinctionem, & actiones, quæ præcipua quadam ratione illis attribuuntur, comprehendat. vt non mirum ſit, ſi Lutherus impius Hæreſiarcha, qui diuina omnia, & humana peruertere ſolitus eſt, Symbolo pepercerit, & doctrinam eſſe Apoſtolorum confeſſus ſit. vt enim ex illius colloquiis à commenſali publicatis, anno 1571. notauit Feuardentius *in c.2. Irenæi lib.1. aduersùs hæreſes*, frequenter ad ſuos aiebat: *Symboli verba ab Apoſtolis conſtituta eſſe credo, qui in congregatione ſua hoc Symbolum verbis tam breuiſſimis & conſolatoriis confecerunt. Eſt opus Spiritus ſancti rem tanta breuitate, tam efficaciſſimis & emphaticis verbis deſcribere. Extra Spiritum ſanctum & Apoſtolos, non potuiſſet ita componi, etiamſi millia ſecula illud componere conarentur.* Hæc ille. Alterum Symbolum eſt Concilij Nicæni I. vbi contra impietatem Arij Patres conſubſtantialitatem & diuinitatem Chriſti diſtinctiùs explicarunt. & habetur in Concilio VI. Carthaginenſi *can.*10. & meminerunt Concilium Chalcedonenſe *act.*1. Ruffinus *in hiſt. lib.6.* Caſſiodorus *lib.2.c.9.* Socrates *lib.1.c.8.* Nicephorus *lib.*8. *c.*18. Cúmque à primis Eccleſiæ temporibus, vſque ad tempora Marci Papæ, qui Syluestro ſucceſſit, diceretur Symbolum Apoſtolorum, præcepit Marcus dici Symbolum Nicænum, nempe anno 336. ex Platina *in Marco*, Genebrardo *in Chron. anni* 338. Hugone *lib.2.c.*11. Ruperto *lib.2.c.21.* Durando *lib.4.c.25.* Radulpho *propoſit.* 23. vnde Iſidorus *lib.1.c.16. Symbolum* (inquit) *tempore ſacrificij populo prædicatur, trecentorum decem & octo Patrum ſanctorum collatione, apud Synodum Nicænam editum, cuius verè fidei regula tantis doctrinarum myſteriis præcellit vt de omni parte fidei loquatur, nullàque penè ſit hæreſis, cui per ſingula verba, vel ſententias non reſpondeat. omnes enim errorum impietatúmque perfidias & blaſphemias calcat. & ob hoc in vniuerſis Eccleſiis pari confeſſione à populo proclamatur.* Tertium Symbolum eſt Conſtantinopolitanum editum in Concilio I. Conſtantinopolitano, & ſcriptum à Gregorio Niſſeno, ex Nicephoro *lib.*12.*c.*13. & recitatum in Concilio Chalcedonenſi *act.*2. vbi diſtinctiùs diuinitas Spiritus ſancti contra Macedonium definita eſt, addito in Synodo Romana, eodem tempore à Damaſo celebrata poſt illud, A Patre (filióque) quam confeſſionem Patres Concilij Conſtantinopolitani confirmarunt per Euſebium, & Priſcianum Epiſcopos. vt colligitur ex epiſtola orientalium Patrum ad Damaſum, excuſantium quòd tunc Romam venire non poſſent. & ex epiſtola Damaſi, qua Conſtantinopolitana decreta approbat, & ex actis vtriuſq; Concilij. & Caſſiodoro *lib.9.c.*16. Quæ etiam particula confirmata eſt in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. & habetur *cap. vnico, de ſum. Trin. & fid. cath. lib.6.* eamdem probarunt Græci & Armeni in Concilio Florentino, & hoc eſt Symbolum, quod iam in Miſſa dicitur. Quartum Symbolum eſt D. Athanaſij, quod diebus dominicis recitatur ad Primam, & ſub eius nomine citatur à S. Auguſtino *in Pſ.*120. & Gregorio Nazianzeno *in oratione de laudibus Athanaſij*, vbi ait eum conſcripſiſſe perfectam fidei confeſſionem, quam totus oriens & occidens veneratur.

5. At cur ſententiæ fidei, quæ in Symbolo continentur, Articuli nominantur? S. Thomas 2.2.*q.*1.*art.*6. reſpondet, quia propriè articuli dicuntur quædam partes inter ſe diſtinctæ, habentes tamen inter ſe connexionem, & coaptationem, vt articuli digitorum coaptati ad motum, diſtincti; ſic orationis articuli, quibus conficitur periodus: ſic in propoſito noſtro ſententiæ principales ad ſalutem noſtram, quæ habent propter ſui ineuidentiam, diſtinctam & ſpecialem difficultatem ad credendum, rectè per Metaphoram articuli fidei dicuntur.

Et quidem plures Theologi *in 3.d.23.* totum Symbolum in 14. articulos 6.
diſtinguunt, teſte D.Thoma *art.8. loco citato.* Alij in 12. tantùm, & videtur modus commodior. tum quia 12. fuerunt Apoſtoli, qui compoſuerunt, tum quia ita etiam diuidit S. Auguſtinus *ſer.115. de temp.* Catechiſmus Romanus, & alij coniungentes articulos ſanctiſſimæ Trinitatis, in vnum, cùm ſit eadem difficultas credendi. Quorum primus vnitatem diuinæ naturæ docet. alter perſonarum diuinarum Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. quatuor ad diuinitatis operationes, primus ad eſſe naturæ ſeu creationis bonum; ſecundus ad eſſe gratiæ: vnde poſt mentionem Spiritus ſancti, cui attribuitur Iuſtificatio, dicitur *ſanctam Eccleſiam Catholicam*, *Sanctorum communionem*, *remiſſionem peccatorum*; tertius ad carnis reſurrectionem; quartus ad felicitatem, vitam æternam. Reliqua ſex ad humanitatem Chriſti. Primus ad Incarnationem, quæ per conceptionem, opera Spiritus ſancti, & natiuitate ex Virgine facta eſt. Secundus ad eius paſſionem, qua cruci affixus eſt, mortuus & ſepultus. Tertius ad deſcenſum ad inferos poſt mortem. Quartus ad eius reſurrectionem. Quintus ad aſcenſionem ad cœlos, & ſeſſionem ad dexteram Patris. Sextus ad eius aduentum ad viuos & mortuos iudicandos.

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

LIBER QVARTVS.

HACTENVS fidelium inſtructio, & Miſſa Catechumenorum, qui deinceps adeſſe non permittebantur, indicente eis exitum Diacono verbis illis: *Ite, Miſſa eſt*; vt docet Dionyſius *de eccl. hier. c.* 3. Concilium Carthaginenſe IV. *can.*84. Illerdenſe *can.* 4. S.Auguſt. *ſerm.*237. Illiſque eiectis, clauſis templi oſtiis, adhibebantur cuſtodes oſtiarij, ne quis illorum irreperet, eodem D.Dionyſio teſte. Iam ſequitur pars altera, quæ fidelium Miſſa dicitur, & continet ſacrificium, vt conſtat ex D.Ambroſio *epiſt.*33. qua de re initio operis diximus.

De Offertorio, & materia ex qua ſacrificij. CAP. I.

SVMMARIVM.

1. *Offertorium cur ita dictum, & quid ſignificet. Fidelium vetus mos offerendi oblationes pro ſacrificio, exquirendique an eſſent digna quæ Domino offerrentur; ac recitandi nomina offerentium.*
2. *Offertorij partes, autor, & cauſa finalis.*
3. *Oblatio à ſacerdote facta materiæ paulo poſt conſecrandæ, non pertinet ad ſacrificij eſſentiam, aut integritatem.*
4. *Materia ex qua conficiendum eſt Chriſti corpus, eſt panis communis, ideóque ex tritico; & quid de hordeo, milio, ſpelta, farre, ſiligine, & ſimilibus.*
5. *Neceſſe eſt coagmentatum eſſe ex aqua naturali, quicquid aliqui ſenſerint.*
6. *Coctum, non quocumque modo, ſed aſſum igne, & quæ myſtica ratio.*
7. *Differentia azymi & fermentati eſt accidentalis, ideóque vterque panis eſt aptus ſacrificio, etſi azymus exemplo & facto Chriſti magis conueniens.*
8. *Ceremonia eleuandi hoſtiam in ſignum oblationis Deo factæ antiquiſſima.*
9. *Cur huiuſmodi materia vocetur hoſtia immaculata; quum munda eſſe debeat, & exiuis figura, & cur in ea offerenda ſacerdos oret ſecretò.*

10. *An neceſſe ſit huiuſmodi materiam conſecrandam eſſe præſentem.*
11. *Num debeat eſſe determinatæ quantitatis.*
12. *Materia ex qua ſanguis Chriſti conficiendus eſt, debet eſſe vinum vitis, & quid de vino congelato.*
13. *Admiſcendum tantillum aquæ. ea tamen omiſſa tenet conſecratio, licèt peccetur.*
14. *Debet eſſe naturalis, eáque modiciſſima. & an ſit neceſſe, vt prius vertatur in vinum, quàm in ſanguinem.*
15. *In calice, non in lagena, aut dolio miſcenda ab ipſo ſacerdote, aut ſaltem ab eo benedicenda, adhibita ſolita precatione, & cur non benedicitur vinum, & omittitur aquæ benedictio in Miſſis defunctorum.*
16. *Deo offerendus mixtus calix cum deprecatione conſueta, qua ſacerdos pro ſe & vniuerſo mundo orat, non pro calice, vt obſtrepunt Nouatores. & cur vocetur calix ſalutaris.*
17. *Modum formandi crucem, in depoſitione materiæ conſecrandæ, fuiſſe etiam in vſu in ſacrificiis legis veteris, & quomodo oblata ſint in altari componenda.*
18. *Sacerdotem inclinatum non precari, vt Deo ſecundùm ſe ſacrificium placeat, vt cauillantur Nouatores, ſed conſcium de ſua imperfectione rogare dari ſibi ſpiritum humilitatis, & contritionis, vt etiam ex hac parte Deo ſacrificium placeat.*
19. *Non fruſtrà denuo ſignari oblata, & Spiritum ſanctum inuocari, vt præparatum ſacrificium benedicat.*

PRæmittitur igitur Offertorium, quod etiam offerenda dicitur ab Amalario 1.
lib.3.c.36. Hugone *lib.2.c.21.* Innocentio *lib.2.c.53.* Remigio Beleth *c.41.* Bonauentura *in expoſitione Miſſæ.* Fertum enim, ex quo vox deducitur, ex Iſidoro *lib.6.c.19.* altaris oblationem ſignificat. quare meritò, teſte VValfrido *c.22.* Micrologo *c.10.* Rabano *lib.1.c.33.* & Innocentio *lib.2. c.53.* Offertorium dicta eſt pars illa, in qua populus Eccleſiæ miniſtris oblationes ſuas offerebat, vt patet *ex Apoſtolorum can.3.* Tertulliano *in Apolog.c.39.* Concilio Aurelianenſi I.*can.16.* Matiſconenſi *can.4.* apud Burchardum *lib.5.c.35.* & D.Auguſtino *ſer.215. de tempore,* vbi ait: *Oblationes, quæ in altario conſecrentur, offerte. erubeſcere debet homo idoneus ſi de aliena oblatione communicauerit.* vt etiam dixerat Cyprianus *ſer. de eleemoſyna, Locuples & diues in dominicum ſine ſacrificio venis, & panem de ſacrificio quod pauper obtulit ſumis?* reprehendit enim diuites fœminas conſecrandum panem non offerentes. idem habetur *in epiſtola 3.* Fabiani Papæ ad Hilarium, & in Ordine Romano *de officio Miſſæ.* Et ne Cantores nihil penitus offerrent, ad fontem properabant ad deferendam aquam, ex Alcuino *lib. de off. diu. c.quid ſignificent veſtimenta,* Amalario *lib.3. c.19.* Onufrio Panuino *in explicatione eccleſiaſticarum vocum obſcurarum.* Non omnium tamen indifferenter recipiebantur oblationes, ex Concilio Carthag. IV. *can.93.* ſed eorum tantùm, qui & catholicæ eſſent communionis, & vitæ integritate pollerent, ideóque antequam ad altare inferrentur, deportabantur in gazophylacium, ſeu ſecretarium, vt vocat Poſidonius *in vita D. Auguſtini c.24.* vt priùs diſquiri poſſet, an oblationes dignæ eſſent, quæ Domino offerrentur; eorúmque, qui obtulerant, nomina recitabantur à Diacono, vt videre eſt apud Cyprianum *epiſt.ad Epiſcopos Numidas,* & Hieronymum *in Ieremiam lib.2. c.11. & in Ezechielem lib.6. c.18.* Sed quia irrepſerat abuſus, & oblationes pro peccato, in offerentium laudem & vanitatem vertebantur, mos ille ſublatus eſt. Subdiaconus deinde Diacono tradebat, Diaconus ſacerdoti, & ſacerdos in ſacrificium Dei offerebat. Vnde S. Dionyſius *de eccl. hier.c.3. Miniſtrorum autem* (inquit) *hi quidem ſtant iuxta templi portas clauſas, hi autem*

aliud

aliud quid horum, quæ proprij ſunt ordinis, operantur; hi verò miniſtratoria adornatione prælecti cum ſacerdotibus, ſuper diuinum altare apponunt ſacrum panem, & Benedictionis calicem.

2. Incipit autem Offertorium verbis illis, *Dominus vobiſcum*, quibus ſignificatur introitus ad aliud officium ſeu fidelium Miſſam, ex Amalario *lib.3.c.19.* vel vt exiſtimat Innocentius *lib.2.c.53.* propter orationem, quæ ſequi debet, quòd niſi nobiſcum fuerit Dominus, ad ſalutem noſtram orare non poſſimus. Quare, & ſubdit Subdiaconus, *oremus*, vt quiſque ad ſuam conſcientiam ſe reducat, & ſi quid velit offerre, precetur, vt acceptabile fiat Domino, & non deſpiciatur, vt ſacrificium Cain *Gen. 4.* Additur verſus veteri ritu, etſi de auctore non omnino conſtet, teſte VValfrido *c.21.* & Durando *lib.4.c.27.* Verùm Hugo de S.Vict.*lib.2.off.c.11.*dicit inſtitutum à Gregorio, ſed quædam addita ab Adriano tradit Sigebertus *in Chron. ad annum* 772. Orationes illas, quæ ante ſecretas recitantur, non conſueuerant in Romana Eccleſia ante quingentos annos recitari, ex Micrologo *c.11.* vnde non mirum ſi VValfridus, Amalarius, Alcuinus, Innocentius tranſeant à verſu ad ſecretas, nulla mentione facta de illis; ſed paulatim ex Gallia receptæ ſunt, & Romana vrbe donatæ, quòd eſſent piæ. Finitur offertorium clauſula illa: *Per omnia ſecula ſeculorum.* quæ eſt ſecretarum finis, & alta voce pronunciatur, vt populus poſſit, Amen, reſpondere, & confirmare præmiſſas orationes, ex Amalario & Micrologo. Quærenti verò cur adhibitum ſit offertorium, dicimus ex Amalario *loco citato*, & Turrecremata *can. Iacobus, & can. omnis, de conſecrat. d.1.* ad indicandum, quod dicit Apoſtolus *2. ad Corinth. 9. Hilarem datorem diligit Deus.* videtúrque ſumtum à populo Iſraël, & in Eccleſiam catholicam tranſlatum, ex Iſidoro *lib. 1. off. eccl. c.14.* VValfrido *c.27.* patet ex *Eccleſiaſtico c.50. & lib. 2. Paralip. c. 5.* vbi dicitur cùm offerrentur holocauſta cœpit populus in voce, tubis, & cymbalis, laudes canere Domino. quod ſimilitudinem fuiſſe huius, quod facit Eccleſia, dicit Auguſtinus *lib.20. de Ciuit. c.18.*

3. Fit igitur à ſacerdote oblatio materiæ paulo pòſt conſecrandæ, quæ ex communi opinione non pertinet ad eſſentiam ſacrificij. tum quia cæremonia hæc non ſemper fuit in Eccleſia catholica. tum quia ſi contingat prætermitti, ſi cætera ritè fiant, ſit perfectum ſacrificium, immo nec etiam conſtat, ad integritatem ſacrificij pertinere: licèt enim aliqui viri graues, & eruditi, integralem partem eſſe velint, cæteri tamen communiter id negant, vt Alanus *lib. 3. de ſacrificio, c. 18.* & Suarez *diſp. 75. ſect. 2. & 3.* cùm non conſtet à Chriſto adhibitam, & Eccleſia poſt oblationem illam dicat: Et benedic hoc ſacrificium tuo ſancto nomini præparatum; ideóque nihil circa rem illa oblatione fiat. niſi accidentales omnino cæremoniæ, & actiones. quamuis meritò fiat huiuſmodi eleuatio ad proteſtandam internam voluntatem ſacrificandi Deo. *Bellarm. libro 1. c. 27.*

4. Porrò materia ex qua confici debet Chriſti corpus eſt panis, vt patet. tum ex Chriſti inſtitutione *Matth.26. Marci 14. Lucæ 22. 1.Corinth.11.* tum ex præfiguratione ſacrificij Melchiſedech. tum ex definitione Eccleſiæ, vt conſtat ex Concilio Carthag.III. & habetur *de conſecr.d.2 initio,* Lateranenſi, vt habetur *cap. firmiter, de ſum. Trin. & fid. cath.* VVormatienſi *c.4.* Antiſiodorenſi *c.8.* Matiſconenſi II. *c.4.* Florentino *in decreto vnionis,* Tridentino *ſeſſ.13. c.1.* Alexandro I. *epiſt.1.* Innocentio III. *cap. cum Marthæ, de celebrat. Miſſ.* Hinc factum dicit D.Auguſtinus *lib. 20. contra Fauſtum* vt Gentiles crederent Chriſtianos colere Cererem, & Bacchum. Non ſufficit tamen quilibet panis, ſed debet eſſe communis, ſeu panis

ſimpliciter dictus. Is autem ex tritico eſſe debet, quicquid ſenſerit Gabriel *lect.* 35. *in canonem*, & Caietanus apud Sotum 4. *d.*9.*quæſt.*1. *art.*3. tum quia de illo intellexit Chriſtus *Io.* 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram, &c.* vt exponunt D. Hieronymus *in c.*9. *Zachariæ*, Auguſtinus *in Io.* vbi ait, cùm ſint multa grana ſeminum, nulli ſe Chriſtum comparaſſe, niſi frumento, ex quo mos cœpit Eccleſiæ, de hoc ſolo grano confici corpus Chriſti, & S. Thom. 3. *p. quæſt.* 74. *art* 4. tum quia hic eſt panis, qui communiter comeditur ab hominibus, & qui ſimpliciter dicitur panis. tum quia Chriſtus in pane triticeo confecit, vt omnes concedunt. S. Thom. *loco cit.* Alenſis 4. *p.q.*32. *m.*2. Bonauentura 4.*d.*11. *art.*1. *quæſt.*4. Rich.4.*d.*11. *art.*2. *quæſt.*2. Scotus *q.*6. Durandus *q.*4. Palud.*q.*1. Sotus 4. *d.*9. *quæſt.* 1. *art.*3. Turrecremata *can. in ſacramento, de conſecrat. d.*2. maximè cùm adeſſet ſolemnitas paſchalis, in qua non eſt veriſimile panes azymos fuiſſe ex alia materia. tum quia propheticè prædictum fuerat *Pſalm.* 80. *Cibauit illos ex adipe frumenti.* & *Pſalm.* 71. vbi legimus, *Erit firmamentum in terra*, Hebræa lectio habet, *Erit placenta frumenti in capitibus ſacerdotum.* Et paraphraſis Chaldaica, *Erit ſubſtantificus panis in capitibus ſacerdotum.* qua de re Ianſenius *ibidem*, & Galatinus *lib.*10. *de arcanis, c.*4. fueritque præfiguratum in panibus propoſitionis, teſte Damaſceno *lib.* 4. *c.*14. & Hieronymo *in cap.* 1. *epiſt. ad Titum*, qui à ſolis puris & ſanctificatis comedi poterant, qui ex ſimila; quæ flos eſt albiſſimæ farinæ triticeæ, fiebant ex Dei præcepto *Leuit.* 24. tum quia ita decuit ob excellentiam & dignitatem tanti ſacrificij; deque eo interpretatur D. Hieronymus illud *Iſaiæ c.*62. *Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis.* tum denique, quia Concilium Florentinum in decreto Eugenij, dicit materiam huius ſacrificij eſſe panem triticeum, & vinum de vite. & innuit etiam Concilium Carthag. III. & expreſsè Catechiſmus Pij V. dicit, nullum panem niſi triticeum putandum eſſe aptam materiam huius ſacramenti; idque Apoſtolicam traditionem nos docuiſſe, & Eccleſiæ catholicæ autoritatem firmaſſe. Nihil tamen refert, ſi paucula alia grana tritico ſint commixta, ex S. Thom. *loco cit. ad* 3. Bonauent. 4.*d.*11. *art.*4. *quæſt.*4. Maiore 4.*d.*11. *quæſt.*3. Alenſi 4. *quæſt.*32. *m.*4. Soto 4.*d.*9.*quæſt.*1. *art.*3. Turrecrem. *can. in ſacramento, de conſecrat. d.* 2. Sylueſtro *Euchariſtia* 1. *num.*4. Armilla *Euchariſtia, num.*2. Toleto *lib.*12. *inſtit. c.*25. quia talis panis cenſetur communis & vſualis. Sub tritico tamen ſunt aliquæ ſpecies accidentales; & ex his omnibus poteſt confici panis aptus ſacrificio. An verò talis ſit ſpelta, far, & ſiligo, diſputant autores, quorum aliqui affirmant, alij negant. & in particulari de ſpelta apud Cæſarium Heiſterbachenſem *lib.*9. *c.*65. Honorius III. Pontifex. Quandocumque igitur materia fuerit dubia, ita vt non conſtet panem eſſe ex tritico, non erit in illo conficiendum. Etenim ſacramenti materia debet eſſe certa, ne in re grauiſſima nos periculo exponamus, vt rectè docet Alanus *lib.*1. *de Euch. c.*11. & Suarez *diſp.* 44. *ſect.*1. & multo minus in pane ex hordeo, milio, oriza, panico, auena, lolio, maiz, fabis, cicere, caſtaneis, amygdalis, aut arborum radicibus, cùm certum ſit non eſſe panem triticeum. Qua de re S. Thom. Alenſis, Sotus, Sylueſter *locis citatis*, Ledeſma, Victoria, & alij.

Oportet etiam coagmentatum eſſe ex aqua naturali, non, v. g. roſacea, quic- 5.
quid ſenſerit Aſtenſis, & Durandus Ordinis Minorum apud Sylueſtrum *v. Euchariſtia* 1. *num.*3. & Caietanus 3. *p.q.*74. *art.* 7. probatur ex D. Thoma *art.*7. *ad* 3. Scoto 4.*d.*11.*quæſt.*6. Paludano *quæſt.*1. *art.*6. Soto 4.*d.*9.*quæſt.*1. *art.*3. *&* 6. Heruæo 4.*d.*11.*quæſt.*2. Antonino 3.*p.tit.*13.*c.*6. Sylueſt. *Euchariſtia* 1. *num.*3. Angelo *Euch.*1. *n.*7. Armilla *num.*6. Alano *lib.*1. *de Euchariſtia c.*11. Suarez *diſp.*44. *ſect.*2. quia panis vſualis

vſualis ſit communiter ex aqua naturali,tamquam parte ſubſtantiali panis; vnde ea variata variabitur etiam panis; ſicut ſi fieret ex lacte, butyro, &c. Nec Caietani fundamentum ſtabile eſt, videlicet non eſſe neceſſarium, niſi vt ſit panis;requiritur enim vt ſit panis vſualis. quare dicit Sotus huiuſmodi opinionem non eſſe tutam.

6. Similiter panis debet eſſe coctus, paſta enim ſeu maſſa ante concoctionem, non eſt apta materia ſacrificij,ex D.Thoma *3.p.quæſt.75. artic.6. ad* 1. *&* 4. *d.* 11. *art.*1. Scoto *d.* 11. *quæſt.*6. Richardo *art.*2. *quæſt.* 1. Ledeſma *art.*1. Gabriele *in can. lect.*35. Soto 4.*d.*9.*quæſt.*1.*art.*3. Sylueſtro, *Euchariſtia* 1.*num.*2. Armilla *num.*4. Suarez *diſp.*44.*ſect.*2. Toleto *lib.*2. *inſtit. c.*25. Henriquez *lib.* 8. *c.*9. quicquid ſenſerit Maior 4.*d.*11. *quæſt.*2. contra communem ſententiam. Probatur quia licèt fortè ſpecie phyſica non differat à pane, vt multi tenent, etſi oppoſitum doceat S. Thomas 3.*p. quæſt.*75. *art.* 6.*ad* 1. Caietanus *quæſt.*74.*art.*3. & alij, cùm ex maiori concoctione ex agreſta fiat vinum, ſpecie diſtinctum, differt tamen ſaltem ſpecie morali, quod ſufficit ne ſit apta materia, vt neque pulta, aut amytus; ſicut neque liquor intra vuam eſt conſecrabilis, quamuis non differat ſpecie à muſto expreſſo.accedit quia talis maſſa inconcocta non eſt cibus humanus. Quinimmo nec ſufficit quæcumque concoctio, vt ſi elixetur aqua, fiátque pulta, vel frigatur oleo,aut butyro,&c. quia non erit vſualis panis, ſed potiùs lagana, aut placenta,vel quid ſimile,ex Caietano 3.*p.quæſt.*74.*art.*3.Soto,Suarez, Henriquez *locis cit.*ſed neceſſe eſt,vt calore ignis aſſatus ſit; cùm hìc ſolùm ſit panis vſualis, & communis. Siue aſſetur in clibano, ſiue ſub cineribus,aut alio ſimili modo, ex citatis. Obſeruat autem Humbertus Cardinalis ſedis Apoſtolicæ Legatus Conſtantinopoli *in diſput. contra Græcos.* Romanam Eccleſiam in triticeo pane, aqua & igne præparato, cernere & agnoſcere ſuæ fidei typum, nempe ſe in vna mediatoris Dei & hominum Ieſu Chriſti perſona, tres perfectè credere & venerari ſubſtantias,humanam ſcilicet carnem,animam rationalem,& diuinum verbum.quandoquidem granum aſſimilatur carni,quam de ſola Virginis carne, quaſi ex terræ gremio, ſola virtute cœleſti, non autem virili commixtione factam, per animæ quaſi mobilis & præclaræ aquæ infuſionem diuina virtus animauit; quas geminas ſubſtantias,ab ipſius virginalis conceptionis exordio,verbum Dei ritè ſuſcepit, & mediante ſuæ diuinitatis calore, tamquam igne ſibi conſtrinxit & conſolidauit.

7. Quoad panis verò qualitatem, an ſcilicet debeat eſſe azymus, vel fermentatus,certum & de fide eſt,non eſſe de neceſſitate ſacramenti,aut ſacrificij, vt potius fiat in vno quàm in alio. vterque enim eſt apta materia. tum quia ita docet Leo IX. epiſtola ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Concilium Florentinum *in decreto Eugenij*, tum ex communi ſententia Theologorum. Anſelmi *lib.de fermentato & azymo*,Innocentij *lib.*4.*c.*4.S.Thomæ 3.*p.q.*74. *art.*4.Scoti 4.*d.*11.& ibidem Paludani,Scoti,*d.*9.*quæſt.*1. *art.*4. Ledeſmæ 1.4.*quæſt.* 15.*art.*4.Gabrielis *in can.lect.*35.Turrecrematæ *can.in ſacramento, de conſecrat. d.* 2. *num.*5.Caſtri *v.Euchariſtia,hæreſi* 2.Bellarmini *lib.*4.*de Euch.c.*7.*& ſeq.* tum quia differentia azymi, & fermentati eſt accidentalis reſpectu panis triticei, nec illius naturam,aut denominationem tollit; vterque enim eſt ſimpliciter panis. Sicut etiam accidentale,eſt vino, vt ſit album, vel rubrum, licèt Chriſtus in vna tantùm ſpecie panis & vini confecerit. tum quia ſi eſſet neceſſarius panis azymus,Eccleſia non poſſet permittere Græcis conſecrare in fermentato, quod tamen concedit;nec Græci in hoc aut peccant,aut ſchiſmatici ſunt, contra quàm

putet

putet Maior 4. *d.*13. *quæſt.*1. & alij apud Paludanum 4.*d.*11.*quæſt.*1.cùm hoc illis conceſſerit Concilium Florentinum. videndus hac de re Leo IX. *epiſtola citata, c.*29. S. Thomas 3. *p.quæſt.*74. *art.* 4. Caietanus *ibidem.* Certum deinde eſt debere vnumquemque ſacerdotem ſeruare conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ,cùm id decreuerit Eugenius IV. *in ſua conſtitutione quinta*, Leo IX. *epiſtola citata*, & Concilium Florentinum. quare meritò S. Thom. Caietanus,Sotus *locis cit.* Antoninus 3. *p. tit.* 13. *c.* 6. Syluester *v. Euchariſtia* 1. *num.* 2. Turrecremata *loco citato*, exiſtimant Presbyterum, qui in ſuis Eccleſiis non ſeruat conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ, vt ſi Græcus celebraret in azymo, & Latinus in fermentato, peccare, vnde punitus eſt Presbyter, *in cap. litteras, de celebr. Miſſarum.* Ratio eſt, quia violat conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ in re graui. Hoſpes autem, v.g. Græcus tranſiens per Latinorum ditionem poteſt vti ritu ſuo, cùm dicat Leo IX. *loco cit.* vt ſinatur vnuſquiſque celebrare iuxta ritum ſuæ Eccleſiæ. quamuis Ledeſma 1. 4. *q.* 15. *art.*4. putet tunc teneri celebrare iuxta ritum Latinorum;Suarez verò dicit non cogendum ad hoc, licèt ſi velit poſſit celebrare more Latino. Sed vter ritus ſit magis conueniens Chriſti facto & exemplo. Dicendum ſanè ritum Eccleſiæ Latinæ. tum quia Chriſtus confecit in azymo, vt teſtatur etiam S. Cyprianus *ſerm.de cœna Domini*, cùm inſtituerit primo die azymorum *Matth.*26.*Marci* 14. *Lucæ* 22. quicquid Niceta Pectoratus *lib.contra Latinos*,& alij Græci mentiantur,& Paſcha manducandum eſſet cum azymo & lactucis agreſtibus; alioquin hoſpes Domini ſcandalum paſſus eſſet, & Chriſtus accuſari potuiſſet. Primo autem azymorum die fermentatum inueniri non poterat in omnibus finibus Iſraël, iuxta Domini præceptum *Exodi* 12. *&* 13. qua de re fuſiùs diſputauimus *lib.*1.*c.*2. tum quia Apoſtoli, & ſucceſſores ſolebant in azymis conficere,vt teſtis eſt Epiphanius *hæreſi* 30. agens de Ebioneis, qui temporibus Apoſtolorum fuerunt, cùm de eis meminerit Ignatius *epiſtola 5 ad Trallianos, Myſteria* (inquit) *faciunt ad imitationem ſanctorum in Eccleſia ab anno in annum, per azymos, hoc eſt, non fermentatos panes.* quare mentitur Caluinus *lib.*4.*Inſtit. c.*17.§.43. aſſerens ex hiſtoriis conſtare rem nouam eſſe, & ab Alexandro introductam. Leo etiam IX. *epiſtola citata ad Michaelem, c.*5. dicit Romanam Eccleſiam a D. Petro, non ab Alexandro, vt vult Caluinus, didiciſſe qualiter diuina myſteria celebrari debeant. & per mille & viginti annos à paſſione Domini retinuiſſe eumdem morem. & *c.* 24. ait, ſanctos Martyres primitiuæ Eccleſiæ noſtris azymis ſaginatos. quare potiùs controuerſia ipſa noua eſt, cùm ex eodem Leone *c.*5. circa annum 1053. cœperint Græci reprehendere Latinos, quòd in azymo conficerent. qua de re Humbertus Legatus Leonis IX. anno 1054. in diſputatione contra Græcos, & in reſponſione ad libellum Nicetæ Pectorati contra Latinos, Innocentius III. *lib.*4.*c.*2. & Bellarminus *lib.*4. *de Euchariſtia,c.*7. *& ſeq.* Tum denique ex S. Thom. *art.* 4. Turrecremata *can. in ſacramento, de conſecrat. d.* 2. Armilla *Euch. num.*5. & Soto 4.*d.*9. *quæſt.*1. *art.*4. propter ſignificationem, cum panis azymus puritatem ſignificet, & ſanctitatem corporis Chriſti, quod ſine corruptione conceptum eſt; & quam debent habere accedentes ad hoc myſterium. 1.*Corinth.* 5. *Itaque epulemur non in fermento veteri, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.*

Eleuat autem ſacerdos panem in ſignum oblationis Deo, ex antiquis Liturgiis. & habemus exemplum *Leuit. c.* 8. *Qui poſtquam leuauerunt ea coram Domino,* [illegible] *c.* 9. *Pectora eorum, & armos dextros ſeparauit Aaron* [illegible] *Domino.* & *c.* 10. idem habetur, vt etiam *Exod.* 29. ex quo patet, vnde in Eccleſiam 8.

ſiam catholicam mos iſte inductus ſit eleuandi materiam. id verò fit in patena, à patendo dicta, quòd in latitudine charitatis debeat ſacrificium offerri, ex Innocentio *lib.2. c.59.* Non eſt tamen huiuſmodi oblatio panis & vini ſacrificium, etſi hoſtia vocetur, ſed ſolùm cæremonia ſacrificij paulo pòſt futuri, in quo Chriſtus ipſe eſt hoſtia, & cuius materia tranſiens hìc dedicatur, & præparatur, iuxta definita *lib.1.c.4.* idem fit de calice.

9. Porrò oblata materia ex qua Chriſti corpus conficiendum eſt, hoſtiæ nomine nuncupatur, proportione hoſtiarum veterum ſacrificiorum. quod etiam tempore D. Auguſtini fiebat; cùm & ipſe eam ita nominet in libro ſententiarum Proſperi. & habetur *can. cùm frangitur, de conſecr. d.2.* & dicitur immaculata, tum propter Chriſtum Agnum immaculatum, in quem mox ſubſtantia panis vertenda eſt; tum propter ipſiuſmet panis munditiem, & integritatem, quæ ſumma eſſe debet, cùm optima quæque ſint Deo dicanda, vt docuit Iuſtinus ad Orthodoxos *in reſp. queſt.*118. quare Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis circa annum 835. *in epiſtola ad Preſbyteros ſuos*, ait: *Panes quos Deo in ſacrificium offertis, aut à vobis ipſis, aut à veſtris pueris coram vobis nitidè & ſtudioſè fiant.* & diligenter obſeruetur vt panis, & vinum, & aqua, ſine quibus Miſſæ nequeunt celebrari, mundiſſimè atque ſtudioſiſſimè tractentur, & nihil in his vile, nihil non probatum inueniatur, iuxta illud quod ait Scriptura, *Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite.* & Concilium Coyacenſe circa annum 1050. *c.3.* *2. Paralip. c. 19.* *Hoſtia,* inquit, *ſit ex frumento ſana, & integra: vinum ſit mundum, & aqua munda, ita vt inter vinum, hoſtiam, & aquam, Trinitas ſit ſignificata.* & aliquando id miraculo confirmatum legimus. ſcribit enim circa annum 1222. Cæſarius Heiſterbachenſis *lib. 9. dialogorum, c.65.* cùm in villa Belle, prope Coloniam, hoſtia in patena conſecranda poſita eſſet, in qua caſu cimex fuerat coctus, nec exteriùs dignoſceretur, eam reſiliiſſe, & iterum impoſitam euolaſſe longiùs, & tertiò adhibitam quaſi turbine abiectam de altari, ab Angelis ſcilicet, ne tam fœdo vermiculo corruptus panis conſecraretur. Prædictum enim fuerat *Malach. c.1.* *Et in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Illud verò immaculatum dicitur, vt notat etiam Abulenſis, & Ribera *lib.4. de templo, c.2.* non quod alterius coloris nota non diſtinguitur, ſed quod integrum eſt, id eſt, omnibus ſuis conſtat membris, & deformitatem non habet, ſeu quod irreprehenſibile eſt, vt vertunt Septuaginta. vnde *Leuit. c.21.* dicitur, *Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo.* & ſtatim explicando quid ſit macula, dicitur, *Si cæcus fuerit, ſi claudus, ſi vel paruo vel grandi vel torto naſo, &c.* & *c.22.* *Immaculatum offeret, vt acceptabile ſit. Omnis macula non erit in eo, ſi cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens.* quare etiam meritò Concilium Coyacenſe citatum requirit, vt hoſtia conſecranda non tantùm ſit ex frumento, ſed etiam ſana, & integra, ac munda. Eadem quoad figuram ſeu formam, more antiquo orbicularis eſſe debet, vt patet ex Epiphanio, qui in Ancorato de pane ſacramentali loquens, ait, eſſe rotundæ formæ. quod etiam ait Cæſarius Gregorij Nazianzeni frater, *dialogo 3.* & colligitur ex eo etiam quòd hoſtia corona diceretur, vt apud Gregorium *lib. 4. dialogorum, c.55.* & Chryſoſtomum *Hom. 83. in cap. 26. Matth.* Eſſe autem debet integritas hoſtiæ, ſymbolum innocentiæ offerentis, ne ſacrificium auerſetur Deus, vt diximus *lib.3.c.11.* ex Philone *lib. de victimis.* Inter hæc orat ſacerdos Deum, vt dignetur ſuſcipere huiuſmodi immaculatam hoſtiam, quam pro ſuis peccatis, & negligentiis, pro circumſtantibus, & fidelibus omnibus viuis atque defunctis offert, vt ſibi ac cæteris proficiat ad ſalutem,

& vitam æternam. Orat autem ſecretò vſque ad Præfationem, vel ex Innocentio *lib.2.c.54.* redigens in memoriam, Ch iſtum Dominum ante paſſionem non ambulaſſe palàm. *Io.c.10.* vel ex Soto *4.d.13.q.2.art.4.* ob ſecretam oblationem, qua Chriſtus ſemetipſum Patri obtulit. vel denique vt ſacrificans maiore deuotione & affectu id faciat.

Ex his, & multo magis ex forma conſecrationis patet reſolutio difficultatis, an requiratur præſentia materiæ conſecrandæ. Etſi enim id negauerit Maior *4.d.11.quaſt.2.art.2.* oppoſitum tamen defenditur à reliquis Theologis. S.Thom. *4. d.11. quæſt.2. art.1. quæſtiuncula 3.* Durando *quæſt.6.* Palud. *quæſt.1.art.3.* Soto *4. d.9.quæſt.1.art.2.* Gabriele *lect.35. in can.* S.Antonino *3.p.tit.13.§.2.* Ledeſma *1. 4. quæſt.15.art.2.* quia pronomen, *hanc,* & in forma conſecrationis pronomen, *hoc,* & *hic,* deſignant rem conſecrandam præſentem modo aliquo, cùm rei abſenti non conueniat, *hic, hæc, hoc,* ſed *illud.* Tunc autem dicitur materia præſens, quando eſt coràm, non à tergo, vel alio loco, v. g. in cubiculo, ex citatis autoribus. & non nimium diſtans; alias deſignaretur pronomine *illud,* & non, *hoc,* vt rectè notat Durandus. Ideo non ſufficit viſibilitas, cùm videri etiam poſſint res diſtantes, & poſſit coopertus calix conſecrari. Nec requiritur contactus, ſed tantùm rei præſentia, iuxta communem vſum hominum. At dices: Maior poteſt conſecrari hoſtia ſub alia exiſtens, vt cùm multæ ſimul formulæ conſecrantur; ergo poteſt etiam conſecrari, ſi poſt parietem exiſtat. Sed negamus conſequentiam; cùm in priori caſu omnes formulæ cenſeantur moraliter præſentes, non item in ſecundo. 10.

Itémque an requiratur determinata quantitas materiæ conſecrandæ? & ſanè ex D. Thoma *3.p.quæſt.74. art.2.* Syluestro *Euchariſtia 2. num.5.* & aliis, vt ſine peccato fiat conſecratio, debet materia eſſe proportionata & accommodata vſui fidelium; cùm hoc ſacramentum ordinetur ad eorum vſum. Conſecratio autem magnæ quantitatis eſſet inutilis, & contineret irreuerentiam. Sed ſi quæratur, an ſi de facto id fieret, teneretne conſecratio? Dicimus, etſi Alenſis *quæſt.34.m.1.* Bonauent. *4.d.10. art.3. quæſt.2.* Angelus *Euchariſtia 1 num. 25.* Maior *4.d.11. quæſt. 1. concl. 1.* velint requiri certam quantitatem reſpectu magnitudinis, ita vt ſi fiat in maiori, non teneat conſecratio: oppoſitum tamen eſſe verius, quia cùm adſit materia panis, verborum forma, poteſtas, & intentio conſecrandi, quantauis magna materia conſecrabitur; dummodo tamen moraliter ratione pronominis ſit tota præſens. vt rectè docet S. Thomas *opuſc. 59. c.5. initio, & 4. d.11. quæſt. 2. art. 1. quæſtiuncula 3.* Durandus *4. d.11. quæſt.6.* Heruæus *d.11. quæſt.2.* Gabriel *lect.35. in can.* Palud. *4.d.10.* Caiet. *3.p.quæſt.74.art.2.* Sotus *4.d.9.quæſt.1. art.2.* Sylueſter *Euchariſtia 2. num. 5.* ideo ſuper quantacumque materia, quæ arbitrio humano iudicatur præſens, poterunt verificari verba conſecrationis. Verſùs autem minimum an detur tam parua quantitas, v.g. panis, vt conſecrari non poſſit, vel ſermo eſt de minima parte in exiſtente toti, vel de ſeparata à toto; ſi primo modo, vel intelligimus ipſam ſolam conſecrari, non conſecrato toto, in quo ineſt, & tunc validè confici poteſt in quacumque minima quantitate, quæ ſenſibiliter deſignari poteſt; quia illa pars verè eſt panis, cui applicari poteſt forma, ſi ſenſibiliter deſignari poſſit, vt requirit, & definitio ſacramenti, nempe ſacræ rei ſignum, & propria ratio formæ conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum.* vt rectè notauit etiam Suarez noſter *diſp.43. ſect.7.* Vel intelligimus conſecrari ſimul cum toto, cui inexiſtit. & tunc certum eſt nullam eſſe determinatam quantitatem in paruitate, cùm in quanto non detur pars 11.

minima

minima inexiſtens; quare deſignari non poteſt pars adeò minima, vt in minori non exiſtat etiam totus Chriſtus, ſi aſſignetur. videndum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *can.* 3. ſi autem ſecundo modo, nempe de ſeparata, & per ſe exiſtente, dicimus poſſe conſecrari, v.g. panem in quacumque minima quantitate, quæ humanis ſenſibus obiici poſſit. ita docet S. Thomas 3.*p.quæſt.*74.*art.*2. *& in* 4. *d.*11. *quæſt.*2. *art.*1. *quæſtiuncula* 3. Durand. *ibidem,q.*6. Alenſis 4.*p.quæſt.*34. *m.*1. *art.*3. Gabriel *d.*11. *quæſt.* 2. *art.* 3. quia minimus panis eſt verus panis; & ſi poteſt obiici ſenſibus, poteſt per formam conſecrationis deſignari, & poteſt eſſe ſignum ſenſibile, vt requirit ſacramentum. Sed quid ſi ob paruitatem non poſſet obiici ſenſibus, ſed ab Angelo nobis reuelaretur eſſe ibi in patena? Sotus 4. *d.*9. *quæſt.*1. *art.*3. & Ledeſma volunt poſſe conſecrari, quia eſſet materia ſua natura apta recipere conſecrationem. Maior verò *d.* 11. *quæſt.* 3. & Suarez *diſp.*43. *ſect.*7. negant, quia res illa humano modo ſit inſenſibilis; ideo non ſufficiens materia ſacramenti, quod eſt ſacræ rei ſignum. nec poſſit pronomine, *hoc,* demonſtrari. Tandem debet materia definiri per intentionem conſecrantis, cum actiones circa particularia verſentur; tam ſi loquamur de partibus alicuius continui, vt ſi ſacerdos velit vnam tantùm partem alicuius totius conſecrare, v. g. medietatem hoſtiæ; debet enim determinare quam, aliàs non fieret conſecratio; cùm non ſit ratio, cur potius hæc, quàm altera conſecretur, ex Maiore 4. *d.*11. *quæſt.*2. Angelo *Euch.*1. *num.*26. Syluestro *Euch.*2.*num.*7. Richardo, Paludano, Durando, Suarez *locis cit.* quàm de partibus diuiſis. Si quis enim ex decem formulis intendat conſecrare tantùm octo, non determinando quáſnam velit conſecrare, nulla ſequitur conſecratio. cùm non ſit maior ratio, cur has conſecret, & non illas, ex S. Antonino 3.*p.tit.*13.*c.*6.§.2. Durando *d.*11.*q.*7. Richardo *d.*10. *art.*7.*q.*2. Maiore *loco citato,* Syluestro *Euchariſtia* 2.*n.*8. ſecus verò ſi velit conſecrare omnes præter infimam, aut ſupremam; cùm ea demta, omnes ſint conſecratæ, ex Maiore, & aliis citatis. Sin autem ſacerdos intendat conſecrare decem formulas, putans eas totidem eſſe, cùm re vera ſint vndecim, vel duodecim, verè omnes conſecrat ſi intentio feratur ad omnes formulas præſentes, licèt ex errore non putet eſſe tot, ex Durando, Antonino, Syluestro. Idémque ſi ſacerdos conſecrat duas hoſtias, putans eſſe vnam, ambæ enim conſecratæ ſunt, ex Suarez, cùm illa deceptio priuata non tollat intentionem debitam, quæ adeſſe debet. ſecus eſſet, ſi præcisè vellet conſecrare hoſtiam quam oculis videt. ſola enim illa conſecraretur. Quid ſi ſacerdos deferat ad altare multas formulas conſecrandas, conſtituátque in altari, de quibus tamen in actu conſecrationis oblitus non aduertit? Dicendum eſt etiam illas conſecratas eſſe, & ſufficere intentionem virtualem manantem ex actuali, quam habuit, ex Scoto 4. *d.*11. Syluestro *Euchariſtia* 2. *num.*8. Angelo *Euch.*1 *num.*27. Nauarro *Manuali,c.*25. *num.*91. Panorm. *in cap. ſacerdos de offic. ordin.* Econtra verò notat Albert. *tract. de Miſſa*, & Syluester *loco citato,* ſi aliquæ guttæ vini extra calicem, vt in eius pede, vel altari decidant, ſi ſacerdos conficiat, non eſſe conſecratas, quia de his non habebat intentionem. Idémque exiſtimat probabilius de iis guttis vini quæ ſeparatæ à reliquo vino intra calicem ſunt, Suarez *diſp.*43. *ſect.*7. cùm debeat ſacerdos intendere conſecrare illud, quod per modum vnius continui intra calicem exiſtit.

12. Materia verò ex qua debet confici ſanguis, neceſſariò debet eſſe vinum vitis. Etſi enim in conſecratione euangelica non fiat expreſſa mentio vini, Eccleſiæ tamen traditio, & communis conſenſus Patrum docet eam eſſe mate-

riam neceſſariam. tum quia vinum illius cœnæ fuit vitis, cùm paulo ante conſecrationem dixerit Dominus *Lucæ 22. Amen dico vobis, non bibam de hoc genimine vitis, donec, &c.* tum quia id præfiguratum fuit in vino Melchiſedech *Gen.* 14. vt notat etiam D. Cyprianus *epiſt.* 63. & prædictum *Pſal.* 22. *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* quæ ſanè loca de vino vitis intelliguntur; cùm hoc ſit ſimpliciter vinum,& in communi vſu hominum.tum quia id diffinitur *can.* 3. *Apoſtolorum*, vbi prohibetur offerri ſicera,aut aliud loco vini; & in Concilio Antiſiodor.*c.*8. atque Aurelianenſi IV. *can.*4. In calice non offerendum aliud, quàm quod in mandatis ſacratiſſimis Christus inſtituit, nempe quod ex fructu vineæ naſcitur. & *can. Scriptura, de conſecrat.d.*2. dicitur, *Inſtructi ſumus,vt calicem Domini cum vino mixtum, ſecundùm quod Dominus obtulit,offeramus.* Concil. Carthag.III. cui S.Auguſtinus interfuit,*can.*24. præcipit,vt nihil amplius in hoc ſacramento offeratur,quam quod ipſe Dominus tradidit; hoc eſt, panis & vinum aqua mixtum. Idem definit expreſsè Concilium Florentinum, & Tridentinum *ſeſſ.* 13. *c.*2. videatur etiam *can. non oportet, & can. in ſacramento, de conſecratione, d.* 2. *cap. firmiter, de ſum. Trinit. & fid.catholica, & c.cùm Marthæ, de celebr. Miſſ.* tum ex communi Patrum & Scholaſticorum ſententia vſúque totius Eccleſiæ. tum denique ratione, quia vinum vitis magis competit effectui huius ſacramenti, qui eſt ſpiritualis lætitia;quia ſcriptum eſt,*Vinum lætificat cor hominis*,vt docet etiam Clemens Alex. *lib.*2. *Pædagog.c.*2. & S.Th.3.*p.q.*74.*art.*5. Ideo non ſolùm reprobatur aqua ſola, vt faciebant Aquarij, contra quos ex profeſſo diſputat S. Cyprianus *epiſt.*63.Clemens Alex.*loco cit.& lib.*1.*Strom.* Chryſoſt.*Hom.*63.*in Matth.*Epiphan. *hæreſi* 30.42.47. Iſid. *lib.*4.*Etym.c.*5.lac,de quo *can.cùm omne,de conſecr.d.*2. vel etiam mel,de quibus agitur in Conc.Carthag.III.*can.*24.Bracarenſi III.*can.*1.& in Trullano poſt VI.Synodum *can.*57.ſed etiam liquores,qui dicuntur vina,ſed non ſunt expreſſi ex vuis, vt malorum granatorum,aut mororum.nam non ſunt apta materia,ex S.Th.*art.*5 *ad* 1.Demochare *lib.*4.*c.*26.Ledeſma *loco cit.art.*5.& Soto 4.*d.*9.*q.*1.*art.*5.Sic neque ſicera,vel ceruiſia ex pomis vel ſimilibus,*ex can.*3.*Apoſtolorum.* D.Thoma,Soto,& citatis.Immo neque omnes liquores ex vite expreſſi,vt agreſta ex vuis immaturis,ex S.Th.Soto,Ledeſma,*locis cit.*Turrecrem.*can.in ſacramento,de conſec.d.*2.*n.*14.Tabiena *Euch.n.*16.Sylu.*Euch.*1.*n.*4.Gabriele *lect.*52.quia adhuc non habet ſpeciem vini. neque acetū,ex S.Th.cum citatis,Richardo 4.*d.*11.*art.*2.*q.*5.Bonau.*art.*1.*q.*4. Maiore *q.*2.Palud.*q.*1.*art.*5.& Turrecremata *loco cit.n.*10. tum quia acetum non eſt amplius vinum, cùm ſit corruptum. tum quia non eſt amplius genus potus communi vſu.tum quia regulæ Liturgiæ iubēt reponi vinum & conſecrari, ſi quando reperiatur conſecratum fuiſſe acetum. In vino autem aliquantulum acido poteſt conſecrari,quia adhuc eſt vinū;& ita exponendus eſt Innocentius *lib.*4.*c.*30.Alenſ.4.*p.q.*32.*m.*8.Gloſſa *can.ſic in ſacrificando,de conſecr.d.*2. cùm dicunt in aceto poſſe conſecrari. ſi enim intelligatur propriè de aceto, falſum eſt ex communi ſententia.imò etiam in dubio,graue peccatū committeretur conſecrando, ex regulis Liturgiæ, & ratione,cùm ſacerdos ſe exponat periculo in re graui. Ineptus eſt etiam vuæ maturæ ſuccus nondū ex vua expreſſus, ex S.Th.*art.*5.Soto,Ledeſma,Caiet.3.*p.q.*74.*art.*5.Richardo 4.*d.*11.*art.*2.*q.*4.*ad* 13. Tabiena *Euch.n.*17. Suarez *diſp.*4[illegible] *ſect.*1. Idque vetitum eſt à Iulio Papa *can. cùm omne.de conſecr.d.*2.*& can.didicimus*,Concil.Bracarenſi,& VVormatienſi,quia nondum eſt ſub forma potabili,ſed māducabili. Muſtum in rigore eſt ſufficiens materia,ex *dicto can.cùm omne.*S.Th.Palud. Ledeſma, Soto, Tabiena, Sylueſt.*Euch.*1.*n.*4. Turrecremata *loco citato,n.*2.& communi ſententia.cùm ſimpliciter ſit vinum

ex

ex vite, licèt nondum omnino purum & defæcatum. Ideo non niſi cogente neceſſitate adhiberi debet. danda eſt enim opera vt optimum & purum vinum, optimus & purus panis pro materia huius ſacramenti, quærantur, cùm etiam puriſſimam ſimilam *Leuit.* 22. & puriſſimum oleum *Leuit.* 24. & victimas immaculatas *Leuit.* 22. ſibi offerri Dominus præceperit. & *apud Malachiam c.* 1. ita loquatur, *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens, immolat debile Domino; quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum.* De vino autem congelato diſſident autores; negant Ledeſma 14.*q.*15 *art.*5.*dub.*1. Armilla *Euch.n.*19. Alanus *lib.*1.*c.*11. quia, vt ſic, non eſt potabile. Affirmant Sotus 4.*d.*9.*q.*1. *art.*5. Syluester *Euch.*2.*n.*15.*verſu, Quintum.* Angelus *Miſſa,n.*23. Candelabrum aureum *de Euchariſtia,n.*39. Suarez *diſp.*45.*ſect.*1. Et quidem ſi congeletur ante conſecrationem, deberet ſacerdos illud reſoluere, vt habeat rationem actualem potus: ſi tamen non reſoluit, adhuc conficit. tum quia eſt vinum vitis, & ſua natura potabile, etſi per accidens ſub illa diſpoſitione potari non poſſit. tum quia etiam in pane duro & cui opus ſit adhibere remedium, vt molleſcat ad comedendum, conficitur. tum quia ſub ſpeciebus huiuſmodi congelatis, poteſt manere Chriſtus, vt ſi poſt conſecrationem congeletur. ergo etiam in illis conſecrari. Antecedens patet ex regulis Liturgiæ, dum agitur de defectibus; præcipitur enim liquefaciendum ſi congeletur, & ſumendum. At, inquies, in aqua congelata non poteſt baptizari; ergo neque in vino congelato confici. Negatur conſequentia, quia Baptiſmus conſiſtit in actuali ablutione, quæ non poteſt fieri aqua congelata; hoc autem ſacramentum non conſiſtit in actuali vſu, ſed in materia conſecrata.

13. Admiſcenda eſt tamen etiam aqua. contra quàm ex Concilio Conſtantinop. VI. *can.*32. Concilio Florentino, Theophylacto *in c.*19. *Io.* Nicephoro *lib.*18.*c.*53. & Gregorio VII. facerent Armeni, qui ſolum vinum adhibebant, quos ſequuntur Lutherani, & Caluiniſtæ, ex Alano *lib.*1.*c.*13. & Bellarmino *lib.*4. *de Euch.c.*10,11. ſemper enim Eccleſia catholica tenuit ita neceſſarium eſſe aqua vinum miſceri in calice, vt ſine graui peccato omitti non poſſit. tum quia Chriſtus aquam vino admiſcuit, licet non ſit expreſſum in Euangelio. id enim teſtatur, qui interfuit, D. Iacobus *in Liturgia. Similiter* (inquit) *poſtquam cœnauit, accipiens calicem, & permiſcens ex aqua & vino, & aſpiciens in cœlum, benedicens dedit, &c.* Idem S. Marcus *in Liturgia ſua*, S. Clemens *lib.*8. *c.*12. *aliàs* 17. Iuſtinus *in* 2. *Apol. prope finem*, Irenæus *lib.*4. *c.*57. *lib.*5. *c.*2. Cyprianus *lib.*2. *epiſt.*3. *aliàs* 63. Baſilius *in Liturgia*. Theodoretus *dial.*1. Euſebius Emiſſenus *ſer.*5. *de Paſchate*, Hieronymus *in c.*14. *Marci.* Auguſtinus *lib.*4. *de Trin.c.*21. Damaſcenus *lib.*4. *de fide,c.*14. Quare falſum eſt quod ait Petrus Bleſenſis *tract. de Euchariſtia,c.*13. Chriſtum in mero vino conſecraſſe; etſi iuſtis de cauſis Apoſtoli ſtatuerint admiſcendam etiam aquam. ait enim,

Hoc in natali calicis non eſt celebratum.
Quando Paſcha nouum, vetus eſt poſt Paſcha, dicatum:
Nam panem tantùm Dominus, viniquе liquorem
In propriam mutans carnem, ſacrúmque cruorem,
Diſcipulis legitur cœnantibus attribuiſſe.

Et paulo etiam pòſt:

Et quoniam lateris de vulnere ſanguis, & vnda
Effluxere ſimul, ablutio noſtra ſecunda
Decreuit Patrum veterum cenſura modeſta

Vt ſint illa duo, &c.

Idem etiam ſenſit Paſchaſius *lib. de corpore & ſanguine Chriſti, c.*11. Rabanus *lib. de*
*corpore & ſanguine Domini, c.*28. & Thomas VValdenſis *tom.*4. *de ſacr. c.*32. & quæ
affert teſtimonia, probant ſolùm admixtionem aquæ cum vino innuere efflu-
xionem ſanguinis, & aquæ ex latere Chriſti, nullo verò modo probant Chri-
2. ſtum in calice non miſcuiſſe aquam vino. tum quia id præfiguratum fuit, Hie-
ronymo teſte *in qq. Hebraicis ſuper* 1. *Paralip.* 11. in lege veteri, in qua vinum quod
Deo in ſacrificium offerebatur, aqua mixtum erat. Itémque ſanguini vitulo-
rum & hircorum, quo Moyſes vetus Teſtamentum confirmauit, fuit aqua mix-
ta, *Hebr.*9. tum quia propheticè de hoc dictum eſt *Prouerb.*9. *Sapientia immolauit*
victimas ſuas, miſcuit vinum, & poſuit menſam. & paulo pòſt: *Venite, comedite panem*
meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. quem ſanè locum de Euchariſtia expli-
3. cant etiam D. Cyprianus *lib.*2. *ep.*3. & Auguſtinus *lib.*17. *de ciuit. c.*20. tum quia
ita ſemper eſt vſa Eccleſia Latina, & Græca ex Concilio Florentino, & conſtat
ex Liturgiis Baſilij & Chryſoſtomi. quare immeritò error hic tribuitur ab Inno-
centio *lib.*4. *c.*32. Gloſſa *in* 1. *ad Cor. c.*11. Gabriele *lect.*36. *in can.* Græcis, vt S. Ger-
manus *in Theoria*, Nicolaus Cabaſila *c.*8. Nicephorus *lib.*18. *c.*53. Damaſcenus
4. *loco citato.* Proclus Patriarcha *lib. de traditione diuinæ Liturgiæ*, & alij docent. tum
quia id definierunt, Concilium Carthag. III. *can.*24. vbi ait: Nihil in hoc ſa-
cramento amplius offerendum, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panem &
vinum aqua mixtum, Bracarenſe III. *can.*1. VVormatienſe *can.* 4. Triburienſe
*c.*19. Africanum tempore Bonifacij *can.*4. Aurelianenſe IV. *can.*4. Antiſiodo-
renſe *c.*8. Trullanum *can.*32. Florentinum *in decreto Eugenij.* Tridentinum *ſeſſ.*22.
5. *cap.* 7. *& can.*9. tum Pontifices, Alexander I. quintus a D. Petro *ep.*1. *c.*4. qui ait,
id à Patribus accepiſſe, Iulius I. *epiſt. ad Epiſcopos Ægypti.* & habetur *can. cum omne*
*crimen. de conſecr. d.*2. Martinus, vt refertur *ibid. can. non oportet.* Innocentius III. *cap.*
cum Martha. de celebr. Miſſ. Honorius III. *cap. pernitioſus. de celebrat. Miſſ.* tum quia
hæc admixtio aquæ à Chriſto facta, & ab Eccleſia ſeruata, conueniens eſt ad ſi-
gnificandum ſanguinis & aquæ fluxum ex latere Chriſti, ex Chryſoſt. *Hom.*24.
in 1. *ad Cor.* Ambroſio *lib.*5. *de ſacramentis. c.*1. Auguſt. *tr.*120. *in Io.* Theophyl. *in c.*19.
Io. Concil. VVormatienſi *loco cit.* Trid. *ſeſſ.*22. *c.*7. Paſchaſio *c.*11. Steph. Heduen-
ſi *c.*17. Rabano *c.*33. Petro Bleſenſi *c.*13. *de Euchariſtia.* Item ad vnionem populi
Chriſtiani cum Chriſto, ex Emiſſeno *ſerm.*5. Iulio I. *loco citato.* VValfrido *c.*16.
Stephano Hedneńſi *c.*12. Petro Bleſenſi *c.*12. *&* 14. Concilio Bracarenſi III. *c.*1,
Bernardo *ſer. de cœna.* Innocentio III. & Cypriano *loco citato*; cùm aqua populos
ſignificet, *Apoc.*17. & vinum Chriſtum. Sic etiam ad oſtendendum in ſangui-
ne Chriſti Baptiſmum & pretium noſtræ redemtionis, qua de re Paſchaſius
*c.*11. *&* 20. Stephanus Heduenſis *c.*17. Algerus *lib.*1. *de Euch. c.*16. Innoc. *cap. cùm*
Martha. de celebr. Miſſ. §. quæſiſti. Turrecremata *de conſecr. d.*2. *can.*1. *num.*10. Si tamen
omitteretur aqua, teneret conſecratio, ex S. Thom. 3. *p. q.*74. *art.*7. *& q.*83. *art.*6.
Alenſi 4. *p. q.*32. *m.*5. *art.*2. *& m.*6. Innoc. *lib.*4. *c.*32. Magiſtro, & Scholaſticis 4. *d.* .
Soto *d.*9. *q.*1. *art.*6. Turrecremata *can. ſic in ſacrificando. de conſecr. d.* 2. *num.*2. Alano
*lib.*1. *c.*13. Bellarm. *lib.*4. *de Euch. c.*10. Catechiſmo Romano *c. de Euchariſtia*, Con-
cil. Tridentino *ſeſſ.*22. *c.*7. etſi oppoſitum exiſtimauerit olim Armacanus *lib.*9. *c.*9.
& alij apud D. Bernardum *ep.*69. ſentientes eſſe de neceſſitate ſacramenti. Sed
qui ſciens id faceret, peccaret mortaliter, ita Syluester *Euchariſtia* 1. *num.*4. Ian-
ſenius *in Concordia. c.*131. Bellarm. *lib.*4. *de Euch. c.*10. Alanus *lib.*1. *c.*1 . Ledeſma
*p.*4. *q.*15. *art.*7. Catechiſmus *de Euch.* Quo etiam ſenſu, teſte D. Thom. *loco citato*,

&

& Turtectem. *de conſecr. d.2. c.1. & 2.* dixit Cyprianus *ep. 63.* & Iulius I. *can. cùm omne. de conſecr. d.2.* non poſſe offerri vinum ſolum, & non eſſe calicem Domini, niſi vtrumque miſceatur; quia ſcilicet iure non poteſt offerri, éſtque contra graue Eccleſiæ præceptum. qua de re Concil. Tridentinum *ſeſſ.22.c.7. de conſecr. d.2.can.1.2.3.4.6.* & de Miſſarum celebratione *c.litteras.*

14. Huiuſmodi aqua debet eſſe naturalis, ex S.Thom. *3.p. q.74. art.7.* Alenſi *4.p. q.10.m.4.art.1.§.5.* Scholaſticis *4.d.11.* Soto *d.9.q.1. art.6.* Gabrieli *in can. lect.35.* Innocentio *lib.4.c.32.* Caietano *3.p.q.74. art.7.* Eſtque ex ſuo genère mortale adhibere aliam aquam, ex Soto; cùm Chriſtus naturâlem miſcuerit vino, & ſit præcêptum graue non miſcendi in Sacramentorum materia aliud præter Chriſti inſtitutionem. *de conſecr. d.2.* Concilio Carthaginenſi III. *can. 24. &c.* licèt ſi alia, v.g. roſacea apponeretur, fieret conſecratio, cùm aqua non ſit de neceſſitate Sacramenti, ex S.Thom. *art.7.* Soto *art. 6.* & citatis. Et debet eſſe modiciſſima, vt monet Concilium Florentinum, ne poſſit reddere materiam dubiam, vel nullam ſi corrumperetur vinum. quam ob cauſam damnatus eſt Preſbyter. *cap. pernitioſus. de celebr. Miſſ.* qui multum aquæ adhibebat. Multi tamen ſextam partem nihil nocere volunt, immo Concilium Triburienſe *c.19.* permittit apponi tertiam partem. Sed res ſacerdotis arbitrio relinquenda eſt, ex Gloſſa *cap.1. de conſecr. d.2. in fine,* & Durando *lib.4. Rational. c.36.* attenta generoſitate vini; generoſum enim facilè conuertet aquam maiorem, quàm debile. vnde meritò monet Innocentius *lib. 4. c.24.* quærendum optimum vinum, vt ſua actione poſſit in ſe aquam conuertere ante conſecrationem. ex communi enim opinione S.Thom. *3.p.q.74. art.8.* Alenſis *4.p.q.32.m.5. art.2. & 3.* Scoti *4.d.11.q.2.* Paludani *q.1. art.7.* Maioris *q.2.* Richard. *art.2.q.5* Gabrielis *lect.53.* Soti *d.9. art.6. fine,* ſolet præcedere conuerſio aquæ in vinum, & deinde per conſecrationem totum vertitur in ſanguinem. Vinum enim ob actiuitatem ſui caloris facilè tantillum aquæ poteſt in ſe conuertere. Sed obſtare videtur, quia ſilo iterum aqua ſeparari poteſt; non igitur eſt conuerſa in vinum. Reſpondet S.Th. *4.d.11.* in expoſitione litteræ, quod ſeparatur non eſt aquam, ſed aqueum humorem, qui etiam ex puro vino poteſt extrahi. Sed quid ſi contingat fieri aliquando conſecrationem ante conuerſionem aquæ in vinum. vt ſi ſtatim impoſita aqua fiat conſecratio, vt contingit fieri aliquando. v.g. cùm deprehenditur, quòd in calice infuſum erat, non fuiſſe vinum, & ideo ſit ſtatim infundendum vinum cum aqua, & denuo conſecrandum, ita vt ſua actione naturali nondum potuerit aquam vinum in ſe conuertere? Gabriel *lect. 53.* Suarez *diſp.45. ſect.4.* & alij ex Scholaſticis, tenent aquam tunc manere in ſua natura, & inconuerſam; & vinum ſolum conuerti in ſanguinem; tum quia aqua non ſit materia Euchariſtiæ; tum quia aliter poſt conſecrationem ſi ſepararentur ſpecies aquæ, ſub illis conſeruaretur Chriſtus, quod non eſt dicendum. Alanus verò *lib.1. c.13.* Ianſenius *in concordia euang. c.131.* in illud, *Similiter & calicem.* Baronius *in annum* 1188. & 1192. & alij, exiſtimant eo caſu aquam vino mixtam conuerti in ſanguinem. tum quia in inſtitutione non appareat vlla mora qua vinum potuerit naturali ſua actione aquam ſibi aſſimilare, antequam totum id quod in calice erat, à Chriſto conſecraretur, & in ſanguinem verteretur. tum ex D.Cypriano, qui *epiſt.63.* dicit calicem Domini non eſſe vinum ſolum, neque aquam ſolam, ſed vtrumque mixtum; & hoc eſſe quod ſanctificatur. Damaſceno *lib.4. c.14.* ſcribente, qui fecit omnia, poſſe ex vino & aqua ſanguinem ſuum conficere, & Ambroſio *lib.4. de ſacram. c.4.* vbi ait, *Vinum & aqua in calicem Domini mittitur; ſed fit ſanguis conſecra-*

tione

tione verbi cœleſtis. & *c.5.* ante verba Chriſti, *Calix eſt vino & aqua plenus, vbi verba Chriſti operata fuerint, ſanguis efficitur.* Similia habet Irenæus *lib.4.c.57.*Hieronymus *in c.14. Marci. Format,* ait, *ſanguinem ſuum in calice vino & aqua mixtis, vt alio purgemur à vitiis & à culpis, alio redimamur & pœnis.*Auguſtinus *de Baptiſmo.Vnde & aqua mittitur in calicem, & fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis.* Paſchaſius *lib. de corpore &*
c.11. *ſanguine Domini. Aqua conſecratur, non quòd aqua permaneat, ſed vertatur, in ſanguinem.* Hildebertus: *Aqua in ſanguinem vertitur, vt populus, qui per aquam figuratur, in melius ſe mutatum intelligat.* Et denique Algerus: *Sed licèt in menſa Domini tria conſtituantur munera, ſunt tamen duo: per quam ſacrificatur, eſt aqua mixta priùs vino; ſed quando ſacratur, non niſi ſanguis erit.* citantur apud Baronium *loco citato in epiſtola Gaulfridi,* data anno 1188. ad A. Cardinalem Albanenſem Epiſcopum. tum ex Innoc. *cap.cum Martha. de celebr. Miſſ.* qui relatis tribus opinionibus, dicit illam eſſe probabiliorem, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari, non illam, quæ aſſerit aut aquam mutari in aquam, quæ de Chriſti latere fluxit; aut illam, quæ dicit aquam manere inconuerſam, vt modò diſputamus. Et notandum eſt, dum probat tertiam, non approbare quantum ad id, quod dicebat ſemper priùs conuerti in vinum; ſed quantum ad id, quod conuertatur in ſanguinem. tum quia totum quod eſt in calice (niſi feſtucæ, & ſimilia ſint) adoratur à Chriſtianis; & de toto dixit Chriſtus, *Hic eſt ſanguis meus.* tum quia totum illud cenſetur vinum per modum vnius potus. ideo totum erit materia apta, vt conuertatur; ſicut ſi in pane admiſceantur frumento aliqua alia grana, eſt panis triticeus, & vſualis. Et ſanè, vt notauit etiam Baronius *in annum* 1192. *in fine,* viſus eſt aliquando ipſe Dominus refellere opinionem aſſerentem aquam vino mixtam non mutari in ſanguinem. nam anno 1192. in Thuringia prope Erpiſfordiam, aquam in quam ceciderat particula ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, dum ſacerdos poſt communionem infirmi digitos ablueret, vertit in ſanguinem; & particulam illam in digitulum. & poſt aliquot dies peracta à Moguntino Epiſcopo & vniuerſo populo proceſſione, factiſque precibus, vt dignaretur Deus illa in priſtinam formam reſtituere, id diuinitus factum eſt, vt ſcribit Helmoldus Abbas *in Sclauorum hiſtoria.* & ad primum argumentum ſuperioris opinionis reſponderi poteſt, aquam non eſſe materiam eſſentialem, ſed integralem ſacramenti, ſicut diximus, cùm admiſcuerit Chriſtus, licèt noluerit præcipere, vt fieret talis aquæ mixtio, ſed reliquerit id Eccleſiæ præcipiendum. Ad ſecundum, ſicut aqua non poteſt conuerti in ſanguinem niſi coniuncta vino, ita nec ſanguis conſeruari ſub ſpeciebus aquæ, niſi quatenus coniunguntur ſpeciebus vini. Porrò aquæ guttam in mixtione ſufficere docent S. Thom. *3.p. q.74. art.* 8. Alenſis *quæſt.32. m.5. art.* 3. Alb. *tr. de Miſſa.* Paludanus 4.*diſt.*11. *q.6.* Sotus *d.9. q.1. art.6.* Gabriel *lect.* 53. Turrecremata *can. ſic in ſacrificio. de conſecr. d.2. num.4.* Suarez *diſp.45. ſect.3.* licèt id negauerit Panormitanus *cap.pernicioſus. de celebrat. Miſſ.*

Eam verò Sacerdos vino miſcere debet in calice, non in dolio aut lagena, 15.
ex Paludano 4 *d.11.q.1.art.6.* Armilla *Euch.num.*11. & Maiore *q.2.* ídque tempore ſacrificij, non autem domi, ex Concilio Conſtantinopolitano VI. *can.*32. quod etiam Chryſoſtomum citat, ſancto Thom. *loco citato ad* 3. Alenſi *q.32. m.5. art.* 2. Gabriele 4.*d.*11.*q.2. dub.*4. Richardo 4.*d.*11.*art.3.q.6.* Ledeſma *art.*7. Soto *art.6. concl.*10. Turrecremata *vbi ſupra*, Sylueſtro *Euchar.* 1. Suarez *d.45. ſect.*3. & ex regulis Liturgiæ; aliàs enim non eſſet ſacra cæremonia, nec myſterium haberet ſignificationem. In Miſſis verò ſolemnibus eam in calice infundit Subdiaconus,

benedi

benedicitur tamen, præterquam in Miſſis lugubribus, à ſacerdote etiam cùm infunditur à Subdiacono, ex citatis regulis Liturgiæ à Pio V. editæ. Nec mirum, cùm, vt aliàs dictum eſt, ex D. Cypriano *tr. de Baptiſmo Chriſti*, & D. Auguſtino *ſer.* 181. *de tempore*, & aliis, Crucis virtute Sacramenta omnia perficiantur. Deúmque precatur, vt qui hominem mirabiliter condidit, & mirabiliùs reformauit, per huius aquæ & vini myſterium donet eius diuinitatis eſſe conſortes, qui noſtræ humanitatis fieri dignatus eſt particeps, Ieſus Chriſtus Dominus noſter; videndum *cap. cùm Marthæ. de celebr. Miſſ. §. quæſiuiſti. in fine.* At cur, inquies, non benedicitur etiam vinum, ſed tantùm aqua? Reſpondet Durandus *lib. 4. c.* 30. hoc loco vinum ſignificare Chriſtum, qui cùm ſit fons omnis benedictionis, & ſanctitatis, non indiget benedici. aquam verò denotare populum, qui in hac vita non eſt ſine peccato. quapropter vt vniatur Chriſto, benedictione indiget. In defunctorum autem Miſſis non benedicitur, fortè quòd iam illi deſierint eſſe de numero Eccleſiæ militantis, & ſi ſalui ſunt, Chriſto vniti ſint: ſi damnati, non ſint benedictionis participes.

16. Ac mixtum calicem Deo ſacerdos offert precibus illis: *Offerimus tibi Domine calicem ſalutaris* (vt appellat etiam Cyrillus *Cathech. myſt.* 4. ne blateret Georgius Maior) *tuam deprecantes clementiam, &c.* quibus non pro calice oratur, vt idem Georgius Maior obſtrepit, ſed pro ſe, & vniuerſo mundo ſacerdos orat, dum petit vt oblatio aſcendat ad Deum cum odore ſuauitatis. qua de re Bellarminus *lib. 2. de Miſſa, c.* 17. & vocat calicem ſalutaris, Chriſti ſcilicet, vt eum appellat Simeon *Lucæ c.* 2. & ſancta Eccleſia Dominica I. poſt Pentecoſtem, & aliàs ſæpe, eo quòd huiuſmodi calicem offerendum & conſecrandum inſtituerit; & ſit etiam calix ipſe ſalutaris, cùm poſt conſecrationem ſalutem ſit allaturus.

17. Collocat calicem ſacerdos in altari formando ſignum crucis, vt etiam de pane in patena fecit, cuius rei figura præceſſit *Leuit. c.* 7. in eleuatione hoſtiæ, in qua etiam actione formabatur crux, ſiue, vt putat Burgenſis *ibidem*, eleuando hoſtiam verſùs cœlum, & deprimendo verſùs terram; & antrorſum & retrorſum mouendo. ſiue, vt vult Lyranus, priùs eleuando verſùs cœlum retrahendóq; verſùs terram; vt indicarent Deum, cui offerebatur, cœli terræque Dominum; deinde mouendo ab Oriente, & Occidente, Septentrione, & Meridie, quod magis noſtro modo congruit. & videtur ſumſiſſe ex Rabbi Salomone *Exod. c.* 29. & apud Claudium Sainctes *repet.* 9. *c.* 7. aſſerente ſolitam fieri eleuationem, rem eleuando primò ſurſum, pòſt deorſum demittendo; deinde mouendo ad Orientem, & Occidentem, ad Aquilonem, & Meridiem, ad deſignandum offerri Deo, qui cœlo, terræ ac quatuor mundi partibus dominatur. Notauit etiam Micrologus *c.* 10. & Durandus *lib.* 4. *c.* 30. iuxta antiquum Ordinem Romanum. ita oblata in altari componi ſolita, vt calix ad dexteram eſſet oblatæ hoſtiæ, quaſi ſanguinem Domini ſuſcepturus, quem ex dextero latere profluxiſſe credimus. ſed compoſitionis modus mutatus eſt, cùm hoſtia conſtituatur inter calicem, & ſacrificantem. eſt enim hac ratione calix tutior ab effundendi periculo.

18. Tum inclinatus ſacerdos, iunctíſque manibus, altare contingens orat, vt in ſpiritu humilitatis, & animo contrito ſuſcipiatur, cum circumſtantibus, & ſic placeat Domino ſacrificium, quia, vt dixit Gregorius *p. p. Paſtoralis, c.* 11. cùm is qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. & *Leuit. c.* 21. prohibetur, qui habuerit maculam, Deo panes offerre, & ad altare accedere. Reſpexit enim Deus primùm ad Abel, deinde ad munera

eius. ideo niſi perſona fuerit Deo grata, oblatio quatenus ab ipſo dimanat, accepta eſſe nequit. Nec dubitat ſacerdos, vt latrat Georgius Maior, an oblatio & ſacrificium Miſſæ Deo placeat, ſecundùm ſe; cùm id certiſſimum teneat, ſed dubitat de propria diſpoſitione; & iccirco cum tribus pueris Danielis *c.3.* ſibi dari petit ſpiritum humilitatis, & contritionis, vt etiam ex parte hac Deo placeat. Neque peccat offerendo ſine certa fide ſuæ dignitatis, cùm ad hoc non teneatur; ſed ſolùm debet non habere conſcientiam peccati mortalis, 1. *ad Cor.11. Probet autem ſeipſum homo, &c.* Meminit huius orationis Stephanus Heduenſis *c.12.*

Tandem oblata ſignat, & inuocat Spiritum ſanctum, qui præparatum ſacrificium benedicat. Neque id fruſtrà fit, vt garrit Georgius Maior, quòd iam fuerit oblatum. etenim illa prior oblatio, eſt præparatio oblationis poſterioris, in qua conſiſtit ſacrificium, vt rectè Bellarminus *lib.2. de Miſſa, c.17.* 19.

De manuum ablutione. CAP. II.

SVMMARIVM.

1. *Non ſolùm ante ingreſſum ad altare, manus ſacerdoti lauandas eſſe, verumetiam extremos digitos poſt oblata munera, veteri Eccleſiæ ritu.*
2. *Cur id fiat.*

SIcut Dei præcepto Aaron & filij eius, manus pedéſque lauabant in æneo labro, quando ingreſſuri erant tabernaculum teſtimonij, & quando ingreſſuri erant ad altare, *Exod. c.30.* ita, vt notat D. Dionyſius *de eccl. hier. c.3. p.3.* in nouo Teſtamento ſacrificaturis ſacerdotibus lauandæ ſunt manus. Primò quidem ante Miſſam cœptam cùm ad ſacras veſtes induendas accedunt. idque meritò, tum quòd non niſi mundiſſimis manibus, iuxta regulam S. Thomæ *3. p. q.80. art.7.* deceat ſacras veſtes attingere. ſéque tanto ſacrificio præparare, vel ad altare accedere. qua de re agens Chryſoſtomus *Hom.61. ad populum, Dic* (inquit) *mihi, illotis manibus ad ſacrificium eligeres accedere? non puto.* tum quòd ad orandum non niſi loti accedere conſueuiſſent Chriſtiani, nedum ſacerdotes, vt teſtis eſt Clemens *lib.8. c.38.* & Tertul *lib. de orat. c.12.* vt etiam Iudæos factitaſſe docet Ariſtæas agens de 72. interpretibus; immo etiam Gentiles, ex M.Tullio *lib.1. de legibus*, Tibullo *lib.1. Eleg.2.* Perſio *ſatyra* 2. vnde S. Chryſoſtomus *Hom.72. in Io.* docet ſolitos Chriſtianos ingreſſuros templum; nedum proceſſuros ſacerdotes ad altare, manus lauare. & *Hom.52. in Matth. In nonnullis* (inquit) *Eccleſiis hunc morem corroboratum videmus, vt diligenter ſtudeant multi, quomodo manibus loti, candidis induti veſtimentis in Eccleſiam ingrediantur.* Meminitq; huiuſmodi aquæ manualis etiam Tertullianus *in Apol. c.39.* & Cyrill. *catech. myſt.5.* Hinc manauit conſuetudo vt præ foribus templi haberetur aqua, & ſi fieri poſſet, fluens, & perennis, vt videre eſt apud Euſebium *lib.10. hiſt. c.4.* & apud Paulinum *ep.31. ad Alethium,* qui etiam *epiſtola ad Seuerum* canit: 1.

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantúmque lauat amne miniſtro.

vnde fortè eius loco ſucceſſit, vt aqua benedicta, quæ fidelibus in eorum domibus

bus vſui erat, vt ſignificant res geſtæ D. Matthæi apud Clementem *lib.*8. *conſtit. c.*35. & Alexandri Papæ *in Pontificali, & illius ep.*1.*c.*5. poneretur etiam in ipſo templi ingreſſu, ad leuium peccatorum expiationem. qua de re aliàs diximus. Deinde verò facta oblatione munerum iam imminente ſolemni myſterio, lauandi ſummi digiti, idque antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine, vt videre eſt apud Clementem *lib.*8. *c.*15. Dionyſium *lib. de eccl. hier. c.*3.*p.*3. Cyrillum *catech. myſt.*5. *initio*, Baſilium *in Liturgia*, Germanum *in Theoria*, Bedam *lib. de tabernaculo, & vaſis eius*, Innocentium *lib.*2.*c.*55. Albertum *tr. de Miſſa*, Alenſem *locis citatis.* S.Thom. 3.*p.q.*83.*art.*5. Et hoc quidem loco extremi tantùm digiti abluuntur, quòd, eodem Dionyſio teſte, maioribus culpis per pœnitentiam lotis, iuxta illud Chriſti: *Qui lotus eſt non indiget niſi vt pedes lauet*, à ſolis phantaſiis, & irruentibus infirmitatibus ſeu peccatis venialibus purgari debeat.

2. Quærenti verò, qua de cauſa id fiat, cùm iam initio lauerit manus? Reſpondeo, tum quia corporalis munditia reuerentiam oſtendit erga diuinum myſterium. vnde etiam Gentiles ibidem initio ſuorum ſacrificiorum conſueuiſſe facere, docet *in Aulularia* Plautus, natura ipſa docente non niſi cum ſumma munditia ob Numinis reuerentiam, ſacrificandum. Quare cùm ſacerdos panes oblationeſque populi tetigerit, poſt primam manuum ablutionem, digitos iterum hic lauare debuit, vt non niſi mundiſſimis manibus tantum ſacrificium, quod Deo oblaturus eſt, contingat, indecénſque exiſtimetur, etiam conuiuia illotis manibus celebrare. *l.*1. *ff. de origine iuris.* Solitas Chriſtianas fœminas ob eamdem reuerentiam nitida induere linteamina, cùm ad communionem accedebant, colligimus ex D.Auguſtino *ſer.*2. *in anniuerſario dedicationis Eccleſiæ.* vt omittam, quæ ex D.Chryſoſtomo *Hom.*52. *in Matthæum* paulo antè diximus. Sed hac de re inferiùs *c.* 29. erit ſermo. Affertur hæc eadem ratio huius nouæ ablutionis ab Amalario *lib.*3.*c.*19. Durando *lib.*4. *c.*28. S.Thom. *loco citato*, Gabriele *lect.* 17. *in Can.* tum ob Symbolum, ad indicandum ſcilicet puriſſima conſcientia ac mente, quæ noſtrarum animarum manus quædam ſunt, tantum myſterium, & celebrandum, & participandum eſſe. vt docet Cyrillus *catecheſi myſtag.*5. Clemens, Dionyſius, Germanus, Alb. Durandus, S.Thom. Gabriel *locis citatis.* cui conſonat quod ſcribit Ariſtæas, cùm ait, *Interrogaui equidem, Iudæos, & illud quoque, cuius gratia cùm vota facerent manus prius lauarent. quærenti talia demonſtrarunt illud teſtimonium eſſe ne quid perperam agant; ſed piè ſanctéque perficiant. quandoquidem vniuerſa opera manibus exercentur, rectè ſingula ad iuſtitiam & veritatem referentur. Diligenter igitur cauendum eſt, ne mores à manuum munditia diſcrepent.* Quare Anaſtaſius Synaita *oratione de ſacra Synaxi. Etenim rapinis, ſceleribus, peccatorum multitudine cooperti, tantula modo aqua ablutis manibus, ſanctiſſimum illud corpus, diuinúmque ſanguinem pro mundi ſalute largiter olim effuſum, impuri ſordidique ori admoueamus?* Videndus etiam D.Gregorius *lib.*4.*dialog. c.*32. Huiuſmodi igitur mentis ſummam puritatem expetens ſacerdos ait: *Lauabo* (non iam inter peccatores, ſed) *inter innocentes manus meas, Pſal.*25. vt etiam *Pſal.*50. dicebat Dauid: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Etenim, vt ſcribit Origenes *Hom.*8. *in Leuiticum.* ſunt quædam in ipſa purificatione differentiæ & profectus, quidam purgationum: poteſt enim de illo, qui ceſſat à peccato, dici: Mundus erit; ſed non ſtatim ita mundus videbitur, vt ad ſummum puritatis acceſſerit.

De oratione & inclinatione Sacerdotis. Cap. III.

SVMMARIVM.

1. *De ſacerdotis in medio altaris inclinatione, & precibus.*
2. *Cœli ciues Deum pro nobis deprecari, vt Catholici ſentiunt.*
3. *Ideóque à nobis vtiliter inuocari, contra Nouatorum blaſphemias.*

ABlutis manibus ſacerdos ad medium altaris accedit ex veteri Eccleſiæ ritu. 1.
ait enim Dionyſius *de eccl. hier. c. 3. p. 2. Poſtquam lauerint aqua manus hierarche*
ſacerdotis, hierartha in medio diuini altaris conſtituitur. cuius etiam rei reddit cauſam
p. 3. vt hoc ſcilicet modo oſtendamus nos ſub oculos Chriſti arbitri cunctáque
inſpicientis, degere. tum leuiter incuruatus, vt meminit etiam Dionyſius, ad
humilitatem Chriſti ſignificandam, qui formam ſerui accipiens, exinaniuit ſe-
metipſum, *ad Philip. 2.* vt ſentit Innocentius, illam fundit orationem: *Suſcipe ſan-*
cta Trinitas. cuius meminit etiam Haymo *in cap. 7. epiſt. ad Hebraeos.* Stephanus He-
duenſis *c. 12.* & Micrologus item *c. 12.* In qua toti Trinitati ſacerdos fatetur ſe
ſacrificium offerre, in memoriam Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti. (neque enim Natiuitas commemorari debuit, cùm ex
Apoſtolo 1. *Cor.* 11. in ſacrificio hoc mortem Domini annuntiemus, vt notat
Radulphus *prop. 23.* eo quòd memoriale ſit Paſſionis, & nõ Natiuitatis; vt etiam
fit in 4. parte Canonis) & in honore B. Virginis Deiparæ, S. Io. Baptiſtæ, Petri, &
Pauli, & eorum quorum reliquiæ in altari incluſæ ſunt, atque reliquorum San-
ctorum, vt pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agi-
mus in terris, *Per Chriſtum, &c.* etſi enim Deo, & non Sanctis ſacrificemus,
religiosè tamen Deo in eorum memoriam, ac honorem, & ad excitandam in
fidelibus eorum imitationem; & vt illorum meritis conſociemur, & adiuue-
mur orationibus, ſacrificamus. vt præclarè docet D. Auguſtinus *lib. 8. de ciu. c. 10.*
& 27. *lib. 20. contra Fauſtum, c. 21. tr. 84. in Io.* & Chryſoſtomus *Hom. 21. in Act.* ver-
bis illis: *Pro Martyribus offerre nihil aliud eſt, quàm in illa hora ſacrificij vocari: nam*
etiam pro Martyribus magnus honor eſt nominari Domino præſente, cùm mors illa perficitur,
& horrendum ſacrificium, & ineffabilia ſacramenta. Videndum etiam Concilium Tri-
dentinum *ſeſſ. 22. c. 3.* hac eadem de re pluribus diſſerens.

Ex quibus ſanè contra Vigilantium ex Hieronymo *ep. 53. ad Riparium,* & no- 2.
ſtri temporis hæreſes, luce clariùs colligimus totius Eccleſiæ (contra quam diſ-
putare inſolentiſſimum eſſe ſcribit Auguſtinus *ep. 118. ad Ianuarium*) ſenſum
1. eſſe cœleſtes ciues Deum pro nobis orare. quod euidenter etiam colligitur. tum
ex ſacris Scripturis, vt *Ieremia 15. Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, &c. Za-*
char. c. 1. vbi Angelus orat Dominum, vt miſereatur Ieruſalem, & vrbium Iuda,
quibus iam 70. annis iratus erat; & Dominus miſertus eſt. *lib. 2. Mach. c. 15.* vbi
Iudas vidit Oniam & Ieremiam, qui iam obierant, orare pro Iudaico populo.
ep. 2. c. 1. Petrus Apoſtolus ait, *Dabo autem operam, vt frequenter habeam vos* (nimi-
rum commendatos) *poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis. Apoc. 5.* viginti
quatuor ſeniores in cœlo procedunt ante thronum Dei, habentes phialas au-
reas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum. nempe ex Prima-
2. ſio interceſſiones pro infirmorum ſtabilitate. tum ex Patribus, & ne nimij ſimus

in

in re perſpicua, id docet Origenes *lib.8.contra Celſum*, tam de Angelis, quàm aliis beatis, cùm ait, eos ne vocatos quidem vltro Deum comprecari, generíque humano adeſſe, & cum dæmonibus certamen inire, quos viderint eorum ſalutem impugnare. Cyprianus *ep.57. ad Cornelium*: *Memores noſtri inuicem ſimus, concordes, atque vnanimes vtrobique pro nobis ſemper oremus; preſſuras, & anguſtias mutua charitate releuemus, & ſi quis noſtrum hinc prior diuinæ dignationis celebritate præceſſerit, perſeueret apud Dominum noſtra dilectio: pro fratribus & ſororibus noſtris, apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio.* Baſilius *Hom. 26.* agens de S. Mamante. *Memores eſtote Martyris quotquot illo per ſomnia potiti eſtis, quotquot in hoc loco conſtituti adiutorem ipſum ad deprecandum habuiſtis, quibuſcumque ex nomine aduocatus ipſis affuit operibus, quotquot aberrantes ad vitam eduxit, quotieſcumque ſanitati reſtituit, &c.* Gregorius Nazianzenus *orat. de laudibus Baſilij. Et nunc ille quidem in cœlis eſt, illique, vt opinor, ſacrificia pro nobis offert, & pro populo preces fundit.* Gregorius Nyſſenus *in orat. funebri S. Meletij. Non amplius ſigno & vmbra cœleſtium ſeruit, ſed in ipſam rerum imaginem intuetur: non amplius per ſpeculum, atque per tranſennam & ænigma, ſed ipſe facie cum facie collata, intercedit apud Deum: intercedit autem pro nobis, & populi erratis.* D. Hieronymus *lib. contra Vigilantium. Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando adhuc debent de ſe eſſe ſoliciti, quanto magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat veniam à Deo: Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto perſequutoribus veniam deprecatur, & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſexaginta ſex animas ſibi dicit in naui condonatas, & poſtquam reſolutus cœperit eſſe cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt. & pro iis, qui in toto orbe ad ſuum Euangelium crediderunt, mutire non poterit?* Ambroſius *lib. de obitu Theodoſij*, ſcribit, eum iam vita functum Præſulem eſſe & tutorem Arcadio, & Honorio filiis apud Chriſtum. & *lib. de viduis*, exponens illud, *Cùm ſocrus Simonis magnis febribus detineretur, Petrus & Andreas rogauerunt pro ea.* inter cætera ait: *Ergo rogauerunt pro Vidua, vtinam exiſtat aliquis tam citò, qui poſſit orare pro nobis, vel certe iſti, qui pro ſocru rogant, Petrus, & Andreas frater eius: tunc enim pro affinibus poterant, nunc iam poſſunt pro nobis, & pro omnibus impetrare.* quibus inſiſtens Placidia Valentiniani Auguſti mater ſcribens anno 449. ad Pulcheriam Auguſtam, reddens cauſam cur tam frequenter Romam inuiſeret, ait: *Vt Romam frequentibus concurſibus deſideremus inſpicere, cauſa nobis eſt amplectendæ religionis, vt terminis Sanctorum noſtram exhiberemus præſentiam, quos certum eſt pro ſua virtute in cœleſtibus conſtitutos neque inferiora deſpicere.*
tum ex Concilio Nicæno II. vbi fit inuocatio B. Virginis, & Sanctorum. & Con- 3.
cilio Conſtantienſi, & Tridentino *ſeſſ.25.* vbi contraria hæreſis damnatur. & in Concilio I. Aurelianenſi *c.29.* & Gerundenſi *c.3.* & Bracarenſi II. *c.9.* & Toletano V. *c.1.* & Maguntino I. ſub Carolo Magno *c.32.* approbantur Sanctorum
Litaniæ, ac rogationes. tum ratione à D. Hieronymo, & Ambroſio inſinuata. 4.
Si enim cœli ciues pro nobis, maximè rogati, non orant, id erit vel quia nolunt: at hoc improbabile eſt, cùm ſint maiori charitate prædìti, quàm cùm in hac vita degebant, & iam de ſua immortalitate ſecuri, adhuc de noſtra incolumitate ſoliciti, vt loquitur D. Cyprianus *lib. de mortalitate*, Hieronymus *contra Vigilantium*, Auguſtinus *ſerm.29. de Sanctis*, & Origenes *Hom.3. in Cant.* ideò ſi viuentes orabant, quam ob cauſam dicit Apoſtolus *2. Corinth.5.* legatione fungi Sanctos in terra, multo magis iam cum Chriſto regnantes. præſertim cùm cœleſtis Sanctorum vita, vt ait Athanaſius, ſit perpetua laus, amor, ſine intermiſſione, & continua precatio. & ſint membra eiuſdem corporis myſtici, *ad Epheſ.2.*

 Galat.4.

Galat. 4. ſub capite Chriſto; æquúmque ſit membra ſe inuicem diligere & adiuuare; vel quia non poſſunt nos iuuare, quod etiam pariter falſum eſt. ſi enim poterant peregrini, multo magis poterunt in patria. Quare D. Chryſoſtomus *ſer. de S. Iuuentio & Maximo*, dicit, quæcumque voluerint Sancti à Rege cœlorum impetrare poſſe. Quod exemplo comprobatum eſt in S. Potamiæna, quæ cùm carnifici promiſiſſet, ſtatim ac perueniſſet ad Dominum, ei bonum aliquod impetraturam, poſt tres dies à conſummato martyrio, ei in ſomniis apparuit, viſáque eſt eius capiti coronam imponere; paulóque pôſt, iuxta martyris prædictionem, ex impio Chriſtianorum carnifice, fortis Chriſti Martyr effectus eſt, vt ſcribit Euſebius *lib. 6. hiſt. c. 5.* Et in S. Dorothea à qua cùm irridens petiiſſet Theophilus, vt ſibi ex horto ſponſi, cùm ad eum perueniſſet poſt martyrium, mala aut roſas tranſmitteret, eidem conſummato martyrio per Angelum & roſas & mala tranſmiſit. vel quia neſciunt quid oremus, vt impiè Herbrandus, & alij eiuſdem farinæ homines blaſphemant. at neque id verum eſt, quia vnde ſciunt Angeli conuerſionem peccatorum, pro qua tantopere gaudent, & Raphaël orationes Tobiæ, quas Deo offerebat *Tobiæ* 12. inde etiam & ipſi, & Sancti omnes, ſciunt noſtras preces, & neceſſitates, in Deo ſcilicet, qui ipſis eas reuelat. vt pluribus docet D. Auguſtinus *lib. 22. de Ciu. c. 29. & lib. de cura pro mortuis, c.* 16. vbi ſcribit, eos diuino lumine colluſtratos res viuorum, & cogitationes cordis noſtri videre, & nos exaudire. & affert ad hoc exemplum Eliſæi Prophetæ adhuc viuentis, qui *lib. 4. Regum c. 5.* Giezi dixit, *Nónne cor meum in præſenti erat, quando regreſſus eſt homo de curru ſuo, &c.* idem colligitur ex Gregorio Nazianzeno oratione in Cyprianum; quem alloquens ait: *Tu ab alto nos reſpice, noſtrúmque ſermonem ad vitam dirige, &c.* Theodoreto, qui *lib.* 8. *ad Græcos* ait: *Qui peregrè aliquò proficiſcuntur petunt Martyres ſibi comites eſſe in via, aut potiùs itineris duces; qui verò iam ſoſpites redierunt gratias agunt, acceptum beneficium confitentes.* Ambroſius *lib. de viduis. Iſti* (inquit) *ſunt Dei Martyres, noſtri Præſules, Speculatores vitæ, actuúmque noſtrorum; non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere.* Hildebertus Cænomanenſis *epiſt.* 51. *Sentio enim, ſentio & dico Sanctorum animas iam cum Chriſto regnantes, ſcire quid agatur à nobis, & eaſdem (cùm oportet & expedit) orare pro nobis.* & paulo pôſt reddit cauſam. *Quia* (inquit) *qui intus claritatem Dei omnipotentis vident, nullo modo credendum eſt quod ſit foris aliquid quod ignorent.* Suppetunt etiam infinitæ apparitiones Sanctorum inuocatorum, vt mortalium neceſſitatibus ſubuenirent, ſed omittimus, vt conſulamus breuitati. videri poſſunt D. Baſilius *orat. in S. Mamantem.* Auguſtinus *lib. de cura pro mortuis, c.* 16. Gregorius Turonenſis *lib. de gloria Mart. & lib. de gloria Confeſſ.* & retulimus aliquas cùm de imaginum & reliquiarum cultu ageremus ſuperiùs. idem patet *Apoc.* 5. vbi ſeniores illi, qui cantabant: *Redemiſti nos Domine in ſanguine tuo*, offerebant viatorum orationes ſibi commendatas, Deo; eas igitur cognoſcunt; vel denique quia fiat iniuria Chriſto Aduocato, & Mediatori noſtro apud Patrem, ſi alius inuocetur, aut pro nobis oret. At hoc etiam falſum eſt, aliàs neque viuentes orare poſſemus pro inuicem, vel alterius implorare auxilium. accedit id oſtendere maiorem noſtram humilitatem & maximam ergà Chriſtum Dominum & Deum reuerentiam, cùm præſtantiores interceſſores pro nobis Chriſto & Deo ſupplicant. neque enim quicquam à Sanctis petitur tamquam per eos implendum; ſed ſolùm tamquam per eos à Chriſto impetrandum; nam beneficia, quæ à Deo petimus, implenda ſunt per Chriſtum, in cuius nomine & virtute concedi poſtulamus, cùm ſit immediatus Mediator

tor per ſemetipſum interpellans pro nobis, Sancti verò mediante Chriſto acceſſum habent ad Patrem. Ob id Eccleſia ſancta orationem hanc & alias in quibus Sancti inuocantur, concludit: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Qua etiam in re impiè delirat Caluinus *lib. 3. Inſtit. c.20.* garriens non minus profanari Chriſti intercesſionem per mortuorum (ſic cum Vigilantio apud Hieronymum, & Iuliano Apoſtata apud Cyrillum *lib.6.in Julianum*, & VViclefo apud VValdenſem Sanctos vocat) preces & merita, quàm ſi penitus ea omiſſa ſoli mortui in ore eſſent. Si enim profanaretur Eccleſia oratione mixta intercesſione Sanctorum regnantium cum Chriſto, profanaretur etiam admixta precibus & intercesſione viuorum, quod non audebit Caluinus aſſerere, contra doctrinam Iob *c. vltimo. Job autem ſeruus meus orabit pro vobis, &c.* D. Pauli *ad Romanos 15. Iacobi c.5: Orate pro inuicem, vt ſaluemini.*

3. Ex quo & illud conſequitur, piè, catholicè & vtiliter à nobis inuocari Sanctos. quo ſanè nomine non ſolùm Angelos, ſed etiam ſpiritus hominum beatorum intelligimus. & quidem de Angelis conſtat *Geneſis c.48. verſu 16. Job c.33. verſu 23.* Baſilio *in Pſalm.33.* Ambroſio *lib. de viduis.* vbi ait obſeruandos Angelos, qui nobis ad præſidium dati ſunt; Martyres obſeruandos, &c. Nazianzeno *orat. ad 150. Epiſcopos*, Conſtantinopoli diſceſſuro, vbi ait: *Valete Angeli huius Eccleſiæ Præſides, meæque præſentiæ, ac peregrinationis, &c.* Victore, qui *lib.3. de perſeq. VVandalica* ſcribit: *Adeſtote Angeli Dei, deprecamini Patriarchæ, orate ſancti Prophetæ, eſtote Apoſtoli ſuffragatores, &c.* Nilo *epiſt. ad Anaſtaſium Epiſcopum.* Maximo *in expoſitione Liturgiæ, c.25.* Synodo VII. generali *act. 6. in fine.* De hominibus verò colligimus *lib.2. Machab. c.15.* ex Onia antea defuncto manus protendente, orantéque pro omni populo, & ex Liturgia S.Iacobi, in qua dicitur: *Commemorationem agentes, ſanctiſſimæ, immaculatæ, glorioſiſſimæ, benedictæ dominæ noſtræ matris Dei & ſemper virginis Mariæ, ac omnium Sanctorum, & iuſtorum, vt precibus atque interceſſionibus eorum omnes miſericordiam conſequamur.* Dionyſio *lib. de eccleſ. Hierarchia, c.7.* dicente: *Qui Sanctorum flagitat preces, & naturæ ipſorum conſentaneas ſacras operationes abigit, &c.* Athanaſio, qui *ſerm. de Deipara*, ait: *Intercede hera & domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis.* Concilio Chalcedonenſi *act.11.* Synodo VI. generali *c.7.* Synodo VII. *act. 6. in fine.* omitto citatos Patres *hoc eodem* §. videndus Hildebertus Cænoman. *epiſtola 51.* vbi fuſe hac de re diſputat VValdenſis *tom.3. tit.12. c. 111. 112.* Valentia *duobus libris de idololatria*, & Bellarminus, qui diligenter hac de re Patrum ſententias collegit *lib.1. de beatitudine Sanctorum c.19.* vt cæteros taceam, cùm de auxiliis à Sanctis cum Deo viuentibus mortalibus præſtitis, pleni ſint omnes hiſtoricorum libri, plena omnia antiquitatis monimenta. De latis ſuppetiis Ramiro Hiſpaniarum Regi contra Saracenos anno 844. à D. Iacobo conſtituto Hiſpaniarum Patrono à Deo, docet Tudenſis, & Ambroſius Morales *lib. 13. c. 52.* De victoria præſtita à D. Martino anno 845. contra Danos Turonem obſidentes, Odo Abbas Cluniacenſis *in lib. de tranſlatione S.Martini.* De liberatione Conſtantinopolitanæ vrbis à Saracenis obſeſſæ, patrocinio B. Virginis docet Theophanes *in annalibus.* Dei genitricis auxilio ſe de Scythis plures victorias conſequutum ingenuè confeſſus eſt Ioannes Comnenus Imperator, quare non ipſe triumphare voluit, ſed B. Virginem rem geſtam anno 1123. ita deſcribit Nicætas Choniates: Biſantium reuerſus (ſcilicet Imperator) triumphum indicit, & currum argento interpunctum compingi iubet, opus admirabile, & gemmis pretioſiſſimis ornatum. cùm dies ſupplicationis adeſſet omnis generis tapetes, auro & purpura intexti vicos exornabant;

nabant; nec deerant Chriſti & Sanctorum effigies in iis ad viuum expreſſæ. erant & tabulata vtrimque propter ſpectatores ſtructa digna admiratione. fuit autem locus vrbis ſic inſtructus, qui ab orientali porta vſque ad magnum Palatium pertinet. Quadrigæ à quatuor equis niue candidioribus trahebantur. Imperator verò non conſcendit, ſed Dei genitricis imaginem in eo collocauit, ob quam lætitia exultabat, & animo pæne delinquebatur, cui victorias vt Collegæ Imperij inuictæ acceptas ferebat. Habenas viris potentiſſimis moderandas, vt cognatis ſuis currum curandum dedit. Ipſe crucem manu geſtans pedes anteceſſit, & Dei ſapientiæ templum ingreſſus atque in conſpectu omnis populi ob ſucceſſus gratiis Deo actis in Palatium abiit.

De altaris oſculo, & precum petitione. CAP. IV.

SVMMARIVM.

1. *Rurſus de altaris oſculo, & num Chriſtus pro nobis ſatisfecerit de rigore iuſtitiæ.*
2. *De petitione precum adſtantis populi.*
3. *Cur ſacerdos non ſe vertat per dexteram, vt aliàs ad altare, ſed per ſiniſtram.*

DEnuo ſacerdos adhibet altaris oſculum, ex Durando *lib.* 4. *c.*32. ad ſignificandum ſolùm per Chriſti paſſionem nos Deo Patri reconciliatos. nam dicitur *ad Epheſios c.*2. *Nunc autem in Chriſto Ieſu vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo*; cùm nemo niſi perſona diuina potuerit pro hominibus Deo de rigore iuſtitiæ ſatisfacere. vt enim grauitas iniuriæ attenditur ex dignitate perſonæ offenſæ, vt colligitur ex ipſo Ariſtotele *lib.*5. *Eth. c.*5. & ex diuinis & humanis legibus, in quibus multo grauius punitur, qui patrem, matrem, Magiſtratum, Regem offenderit, quàm qui baiulum, aut aliam ignobiliorem perſonam lædit: ita valor ſatisfactionis attenditur ex dignitate ſatisfacientis. Satisfactionis enim ratio conſiſtit in exhibitione cuiuſdam honoris, qui eo maior cenſetur, quo à maiori & digniori perſona exhibetur: habet enim rationem actionis, quæ maximè à principio eliciente dignitatem ſumit. Ideo ſolùm diuina perſona, qualis fuit Chriſti, potuit de rigore iuſtitiæ Deo ſatisfacere ob infinitam dignitatem ſuppoſiti ſatisfacientis. quare D. Baſilius *in Pſal.* 28. explicans illud: *Frater non redimit, redimet homo. Non*, inquit, *homo nudus, ſed homo Deus, Ieſus Chriſtus. quia nullus alius poterat condignum offerre pretium.* S. Leo *ſerm.* 1. & 4. *de Natiuit. Si non eſſet Deus, non afferret remedium.* Auguſtinus *in Enchir. c.*108. *Neque per ipſum liberaremur Mediatorem hominem Chriſtum, niſi eſſet Deus.* Athanaſius *lib. de incarnatione Verbi. Cùm enim Patris ſit Verbum, & ſupra omnes, meritò etiam ſolus omnia recuperare potuit, & idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur, ac apud Patrem intercederet.* S. Antonius etiam *epiſt.*6. *ad Arſinoitas*, agens de Aduentu Chriſti, ait: *Et ipſi* (Prophetæ ſcilicet) *cuncti ſpiritum in ſe gerentes peruiderunt plagam quòd inſanabilis eſſet, & quia per nullam creaturam curari poſſit niſi per Vnigenitum.* & denique Proclus Epiſcopus Cicizenus *Hom.* 1.

de

de Christi natiuit. quæ habetur in Concilio Epheſino *tom. 6. c.7. Neceſſarium*, inquit, *erat, vt huiuſmodi pretium penderetur, quod contractum debitum ad amuſſim iuſtitiæ exæquaret.* Omitto quæ de eodem altaris oſculo diximus *lib.3.c.12.num.5.*

2. Tum ſacerdos memor imbecillitatis ſuæ. dicitur enim *ad Hebræos c. 5. Et ipſe circumdatus eſt infirmitate*, vnde & ipſe indiget orationibus Eccleſiæ, & ſimul quantæ ſit molis dignè tantum ſacrificium diuinæ Maieſtati offerre, & pro populo ad Deum ad interpellandum accedere, ad humilitatis & orationis ſuffragia confugit.exemplo D.Pauli *ad Coloſſ.4. ad Theſſalon.3.ad Hebræos* 13.expoſcentis vt pro ipſo fideles orent, vt quò non pertingit infirmitas ſacrificantis, eò humiliantis ſe oratio verecunda perueniat,ad populum conuerſus:*Orate*,inquit, *fratres, vt hoc meum ac veſtrum ſacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* qua de re Stephanus Heduenſis *c. 12.* Alcuinus *de diu. off. c. de celebratione Miſſæ*, Innocentius *lib. 2. c.60.* & Gabriel *in can. lect.*17. Id autem à Leone inſtitutum dicit Radulphus *propoſ.*23. Quare ſecretò debet populus ſubdere: Suſcipiat Dominus ſacrificium de manibus tuis, ad laudem & gloriam nominis ſui, ad vtilitatem quoque noſtram, totiúſque Eccleſiæ ſuæ ſanctæ; quamuis paululum diuerſa habeantur apud D. Remigium, & Thomam VValdenſem *tom. 3. tit. 12. c.35.* quare non vnius tantùm celebrantis ſacerdotis ſacrificium eſt, cùm pro multis offeratur, & multorum precibus confirmetur,vt aduertit Paſchaſius *cap.*12. & Petrus Damiani *lib.de Dominus vobiſcum.c.*8.

3. Notat tandem Durandus *lib. 4. c. 14.* cum aliis vicibus poſt ſalutationem populi ſacerdos per dexteram ad altare ſe conuertat, ad inſinuandam ſui populi rectam inténtionem, & orationem æterna ſpectantem, ſignificata per dexteram; nunc ſe ad ſiniſtram vertere ad indicandam imperfectionem ſuam, ob quam cauſam implorauit aliorum preces, & triſtitiam, ac mœrorem de paſſione Chriſti conceptam, ad quam repræſentandam ſtatim accedit. Triſtitia enim ſignificatur ſiniſtra, iuxta illud 2. *Corinth. 6. A dextris & ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem.*

De Collectis ſecretis. CAP. V.

SVMMARIVM.

1. *Cur ſecretæ Collectæ à ſacerdote ſubmiſſa voce dicantur.*
2. *Sed earumdem concluſio pronuncietur elata voce.*
3. *Earum varietas, & numerus.*

1. SAcerdos ad altare reflexus demiſſa voce, & ſecretò orat pro acceptatione ſacrificij, recitando ſecretas Collectas. quod etiam antiquitus fieri conſueuiſſe apertè docet S.Clemens *lib.8. conſtit.c.*12. Amalarius *lib.3. c.20.* Micrologus *c.7.* Hugo *lib.2.off.c.*23. Innocentius, & alij: eiúſque cauſam S.Thomas *3.p.quæſt. 83. art. 4. ad 6.* exiſtimat eſſe, quòd circa Paſſionis tempus diſcipuli nonniſi occultè Chriſtum confiterentur. Rupertus verò *lib. 2. de diu. off. c.4.* Innocentius *lib. 2. c.54.* quòd Chriſtus ante paſſionem paululum ſeceſſerit, nec palàm apud Iudæos ambularet,licèt ſalutare nobis ſuæ paſſionis meditaretur ſacramentum. Iuo denique Carnutenſis *lib. de conuenientia noui & veteris ſacrificij*, Thomas VVal-

denſis *tom.3. tit.4.c.35.* Stephanus Heduenſis *c.12.* & Hidelbertus Cenomanenſium Epiſcopus oratione Chriſti in horto.canit enim Hidelbertus,

His ita præmiſſis ſecretò Presbyter orat,
Secretas memorans aſſimilánſque preces,
Quas egit Chriſtus cùm te iam Iuda remoto
Abſceſſu modicum, térque precatus ait,&c.

Eas verò concludit dicendo intenſa voce : *Per omnia ſecula ſeculorum.* vel ad 2.
ſignificandum Chriſtum poſt miraculum Lazari reſuſcitati , iterum palàm ambulare cœpiſſe, ex Alcuino, & Ruperto ; vel vt populus poſſit aſſentiri & confirmare,dicendo, *Amen,* quæ ſecretò orauit ſacerdos, ex Micrologo *c.12.* S. Th. *3.p.queſt.83. art.4. ad 6.* Durando *lib. 4. c.32.* Hugone *lib.2. off.c.23.* & Gabriele *in can.lect.17.* Refert Cæſarius *lib.7.c.21.* olim neſcio quò abeunte miniſtro,& longiorem,quàm oportuit,moram trahente, ſacerdotem dixiſſe : *Per omnia ſecula ſeculorum ,* vt cœptam Miſſam proſequeretur , beatæ verò Virginis , quæ in altari aderat,imaginem reſpondiſſe miniſtri loco ad ſingula.

Variantur autem ſecretæ pæne per ſingula officia , ſicut etiam reliquæ Col- 3.
lectæ. in omnibus tamen illud communiter poſtulatur , vt oblatio ſacrificij à Deo acceptetur ad ſui gloriam, Sanctorum honorem , ſacerdotis populíque ſalutem, atque impetrationem eorum pro quibus ſpecialiter celebratur. Earúmque numerus reſpondere debet Collectarum numero, ſicut etiam poſtcommunionum,ex Beleth *c.43.*regulis Liturgiæ, Gabriele *lect.17.*& aliis. Non præmittitur autem immediatè primæ ſecretæ excitatio ad orandum per ſolitum verbum, *Oremus,* quia id præmiſſum ſit ante offerendam, vt notauit Gabriel *loco cit.* & Nauarrus *lib.de orat.& horis canonicis,c.19.num.171.*vt diximus *lib.3.c.18.*

De Præfatione. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1. *Præfationis etymologia , & auctor.*
2. *Quotuplex ſit Præfatio.*
3. *Eiuſdem breuis explicatio.*

SVccedit Præfatio, ſic dicta quòd ſit prolocutio, ſeu præparatio quædam , & 1.
excitatio populi ad eam actionem, quæ propriè ſacrificium continet, & Canone explicatur, ex Durando *lib.4. c.33.* Gabriele *lect. 17.* & aliis. Eius autorem ſibi incompertum fatetur VValfridus *c.22.* Fuiſſe verò Gelaſium exiſtimat Alcuinus *lib. de diu. off.c.de celebr. Miſſarum.* D. Remigius *in expoſit. Miſſæ ,* Stephanus Heduenſis *c.20.* Rupertus *lib.2. off. c.21.* Hugo de S. Victore *lib. 2. c.13.* Durandus *lib. 4. c.33.* & Sigebertus *in Chron.* ad annum 487. & 685. Gemma denique & Radulphus *propoſ.23.* arbitrantur fuiſſe Dionyſium Areopagitam. Sed omnino certum eſt in ipſis Eccleſiæ primordiis ab Apoſtolis inſtitutam eſſe, cùm habeatur in Liturgia D. Iacobi, & D. Marci, etſi in aliquibus paulo diuerſa, & longior, & apud D. Clementem *lib.8. conſt.c.12. & 16.* Illiúſque meminerit Iuſtinus *Apolog. 2.* Cyprianus *ſerm. 6. de oratione Dominica ,* Cyrillus *catech.5. myſtag.* Chryſoſtomus *Hom. 3. in c. 3. epiſt. ad Coloſſ.* Auguſtinus *epiſt. 57. ad Dardanum,*

danum, & 120. ad Honoratum, & 156. ad Probam, & lib. de bono perſeu. c.13. Ambroſius *lib.3.de Spiritu ſancto,c.*17. Concilium Africanum *c.*70. apud Burchardum *lib.3.c.*67. Mileuitanum tempore Arcadij & Honorij *c.*12.vt cæteros poſteriores omittamus.

2. Quoad numerum iam ante annos mille Pelagius II.Epiſcopis Galliæ & Germaniæ à quibus rogatus fuerat, quótnam, & quæ eſſent, reſpondit (etſi Gratianus *can. inuenimus, de conſecrat. d.*1. & Nauarrus *lib. de oratione, & horis canonicis, c.2.num.*1.id tribuant Gelaſio) *epiſtola* 4. eſſe nouem. de Natiuitate Chriſti, Epiphania, Quadrageſima, Cruce, Paſchate, Aſcenſione, Pentecoſte, Trinitate, quæ olim in omnibus diebus Dominicis decantabatur, ex Micrologo *c.* 60. & Suarez *tom.*1. *de relig. lib.*2. *c.*4. & Apoſtolis, ſed addita eſt decima de B. Virgine anno 1094.ab Vrbano II. in Concilio Placentino, teſte Gratiano *d.*70.*c.in. Sanctorum,*& Radulpho *propoſ.*23.

3. Et quidem initio ſacerdos populo precatur, vt Deus illi adſit per gratiam, qui ſemper adeſt per ſuam præſentiam & omnipotentiam.ad quod alludit D. Auguſtinus *lib.* 14. *de Trinit. c.* 12. verbis illis: *Non omnes cum illo ſunt eo modo quo dictum eſt: Ego ſemper tecum; nec ipſe cum omnibus eo modo quo dicimus: Dominus vobiſcum. Magna itaque hominis miſeria eſt cum illo non eſſe, ſine quo non poteſt eſſe.* Græci autem loco huius ſalutationis, dicunt: *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & dilectio Dei Patris, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis*, vt conſtat ex D. Iacobo, Baſilio Germano, & Cabaſila *c.*26. Econtra verò populus orat pro ſacerdote, vt Deus ſit etiam cum illius Spiritu, vt meminit quoque D. Clemens *lib.* 8. *conſtit. c.*16. & ſanè conuenienter illi Apoſtolico præcepto, quo iubemur pro inuicem orare. vt notauit etiam Nicolaus Cabaſila *loco cit.* optátque populus, vt Deus Spiritum ſacerdotis ſubleuet, ſibíque vniat, vt non tantùm ſacramentaliter, ſed etiam ſpiritualiter conficiat.Vicisſimque monentur ſurſum habere corda. etſi enim ſemper in oratione attentio procuranda ſit, maximè tamen id faciendum eſt in ea Miſſæ parte, quæ continet ſacrificium, vt docet S. Thomas 3.*p. quæſt.*83. *art.*4. & Nauarrus *lib. de orat. & horis canonicis, c.* 14. & 15. Cùm enim, teſte D. Cypriano *ſer.*6. *de orat. dominica,* ad orationem ſtamus,inuigilare & incumbere ad preces toto corde debemus, ne tunc aliud quicquam animus cogitet quàm quod precatur. ideóque aduerſario claudendum pectus, vt ſoli Deo pateat: cùm nihil aliud ſit, quod magis debeamus cogitare quàm quod cum Deo loquamur. quod hauddubie multo magis conuenit in ſacrificio. Surſum autem corda habere debemus, tum charitatis affectu, vt ſapiamus quæ ſurſum ſunt, totique in Deum feramur, & deſpiciamus quæ ſunt ſuper terram. tum rectitudine intentionis ordinando omnia in Deum tamquam vltimum finem. tum virtute conuerſationis, configurando nos per imitationem capiti noſtro Chriſto Domino. Ad hoc idem alludens D. Auguſt. *lib.* 14. *de Ciuit. c.*13. *Bonum*, inquit, *eſt ſurſum habere cor, non tamen ad ſeipſum, quod eſt ſuperbiæ, ſed ad Dominum, quod eſt obedientiæ, quæ niſi humilium eſſe non poteſt.* & *in Pſal.* 85. *Non putreſcit cor, ſi leuatur ad Deum. frumentum tuum ſi haberes in inferioribus, ne putreſceret leuares ad ſuperiora, frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putreſcere?* Meminit horum etiam verborum *ſerm.* 44. & 50. *de tempore, lib.*14. *de Trinitate,c.*12. Sicut etiam Chryſoſtomus *Hom.4.de nat. Dei, & Hom.de Euchariſtia, & in Pſalm.* 4. in illa verba: *Filij hominum vſquequo graui corde.* quo loco ait quotidie ſacerdotem in ſacris clamare ſurſum corda, ne lutea fiant, ſed cœleſtia. & ideo à corde oportere carnem effici allatam. Cui & ſimile eſt quod dixit Plato

in Phædone: Purificatio in hoc conſiſtit, vt quammaximè poſſumus animum à corpore ſeiungamus; eúmque aſſuefaciamus per ſe vndique à contagione corporis ſeuocari, & colligi. Denique eadem verba habentur apud S. Iacobum, & Marcum *in Liturgiis*, apud D. Clementem *lib. 8. conſtit. c.12.16.* Cyprianum *ſerm.6. de orat. Dominica*, & Cyrillum *catech. myſt. 5.* S. Eligium *Hom. 11.* Se verò ad Dominum habere reſpondet populus. cuius etiam particulæ mentio eſt apud D. Iacobum, Marcum, Clementem, & citatos Patres *præcitatis locis.* Amalarium *lib.3. c.21.* Germanum *in Theoria*, Cabaſilam *c.27.* Alcuinum, Remigium, Innocentium, Rupertum, S. Thomam, Durandum, & alios. Vnde Chryſoſtomus *Hom. de Euch. in Encæniis. Ad eos*, inquit, *qui ſub horam terribilis myſticæ menſæ in vaniloquentiæ conuenticulis occupati ſunt, dixerim: Quid facis ô homo? non promiſiſti ſacerdoti, qui dixit: Surſum corda, & dixiſti: Habemus ad Dominum. non erubeſcis ea hora mendax inueniri?* & Auguſtinus *lib. de vera relig. c.3. Si tundunt pectora, qui hæc implere conantur, ita vt quotidie per vniuerſum orbem humanum genus vna pæne voce reſpondeat ſurſum cor ſe habere ad Dominum, quid adhuc oſcitamus crapulam externam?* Hæc Auguſtinus. Harmonicas violas ſolo vento, vel frigore, vel aëre humido, aut ſereno laxatis, aut contractis fidibus reddi inharmonicas docent Muſici; idem noſtro euenit cordi dum in hac mundi valle moramur, niſi eò transferatur vbi perpetua eſt quies, vt certè tranſtulerat Paulus cùm diceret: *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt*, & *ad Coloſſ.3. Si conſurrexiſtis*, inquit, *cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite vbi Chriſtus eſt, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Vt enim dicuntur conchylia in Indico mari ſeſe cœlum versùs aperire, vt vniones & margaritas gignere poſſint: ita omnino faciendum nobis eſt, ſi digna Deo & felicitate æterna concipere ac parere volumus. Additur, *Gratias agamus, &c.* quod etiam fit in Liturgiis D. Iacobi, Marci, & aliorum Græcorum. meminit huius etiam partis Clemens & Cyrillus *locis citatis.* Cyprianus *ſerm. de cœna Domini, ſub finem.* Chryſoſtomus *Hom. 18. in 2. ad Corinth.* Auguſtinus *lib. de ſpiritu & littera, c. 11. & epiſt. 57. & 120. c. 19.* Germanus *in Theoria.* Cabaſila *c.27.* Amalarius *lib. 3. c.21.* & poſteriores Latini. Et quidem D. Auguſtinus *lib. de bono perſeuerantiæ*, hanc gratiarum actionem refert ad acceptum beneficium eleuationis cordis ad Deum, ait enim, quòd in ſacramentis fidelium dicitur, vt ſurſum cor habeamus ad Dominum, munus eſt, de quo munere ipſi Deo noſtro gratias agere à ſacerdote poſt hanc vocem ij quibus hoc dicitur, admonentur, & dignum & iuſtum eſſe reſpondent. Cùm enim non ſit in noſtra poteſtate leuare cor noſtrum, ſed diuino ſubleuetur auxilio, vt aſcendat, & quæ ſurſum ſunt ſapiat, vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens, cui de hac tanta re ſunt agendæ gratiæ niſi hoc facienti Domino Deo noſtro? Non diſſimilia habet *lib. de bono viduitatis, c.27.* Cæteri verò vniuerſaliùs accipere hæc videntur. Porrò meritò initiũ ſumitur à Dei laude & gratiarum actionè. ait enim S. Ambroſ. *lib.6. de ſacram. c.5. Non debes, quaſi famelicus ad cibum de cibo incipere, ſed antè à laudibus Dei, vnde & Oratores iſti ſapientes hanc habent diſciplinam, vt iudicem fautorem ſibi præſtent, incipiunt à laudibus eius, vt beneuolum ſibi faciant cognitorem, deinde paulatim incipiunt rogare iudicem, vt patienter dignetur audire, audent & tertio poſtulationem ſuam depromere.* & D. Baſilius *lib. de conſtit. Monaſt. c.2. Omnis*, inquit, *oratio à laudibus Dei & gratiarum actione inchoanda eſt. Reſpondetur autem: Dignum & iuſtum eſt.* quæ etiam habemus in Liturgiis D. Iacobi, Marci, Baſilij, & Chryſoſtomi, & apud Clementem, & Cyrillum *locis cit.* Chryſoſtom. *Hom. 26. in Geneſim*, Germanum, & Cabaſilam. & ex Gabriele *lect. 18.* & aliis, dicitur dignum, quoad Deum, quia *Pſ.94. Ipſe eſt Dominus Deus noſter.* Iuſtum quoad nos, quia nos autem

populus

populus eius & oues paſcuæ eius. quamquam-ne ipſi quidem Angeli pro dignitate Deum laudare poſſint. cùm ex ſe ſit infinitum bonum, vnde vt ſe ſolus perfectè nouit, ita ſolus ſe perfectè laudare poteſt. ob id etſi iuſtum ſit Deum totis viribus laudare, ea tamen laus non eſt iuſta reſpectu immenſitatis & bonitatis Dei, *Eccli.*43. *Glorificate Deum quantumcumque poteſtis, maior eſt enim omni laude.* & D. Auguſtinus *in medit. c.* 34. *Immenſus es Domine, & ideo ſine menſura debes amari, & laudari ab iis, quos tuo pretioſo ſanguine redemiſti.* & *in ſoliloq. c.* 10. *Non valeo laudare te ſine te, habeam te, & laudabo te. quid enim ego ſum Domine per me, vt laudem te? numquid tenebræ laudabunt lucem, aut mors vitam? tu lux, ego tenebræ, tu vita, ego mors.* S. Gregorius *lib.*20. *Moral. c.*5. *Omne quod de Deo dicitur, eo ipſo indignum eſt, quod dici poteſt. eius enim laudi non ſufficit obſtupeſcens conſcientia; quomodo ergo ſufficit loquens lingua?* Tum ſacerdos approbans populi dictum, ſubdit: *Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare nos tibi ſemper & vbique gratias agere.* In D. Marci Liturgia habetur; *Verè quippe dignum & iuſtum, ſanctúmque & decorum, atque noſtris animabus vtile, qui es ô Dominator Domine Deus Pater omnipotens te laudibus & hymnis celebrare, tibique gratias agere, &c.* Atque ex Floro in exegeſi Miſſæ. *Æquum, ideſt, ipſo rationis pondere, ſi enim conſideres quantum Deo debes pro creatione, conſeruatione, redemtione & iuſtificatione, videbis ne minima quidem ex parte te poſſe debitas Deo gratias agere. ſalutare, ideſt, ex eodem Floro manifeſto fructu ſalutis.* optima enim, vt inquit Chryſoſtomus *hom.*26. *in Matth.* beneficiorum cuſtos eſt ipſa beneficiorum memoria, & perpetua gratiarum actio. &, vt ſcribit D. Bernardus, ingratitudo areſacit fontem ex quo diuina beneficia & gratiæ promanant. & Rupertus Abbas ſcribit, non fuiſſe difficile diuinare primos homines parum in iuſtitia originali manſuros, cùm de ipſorum creatione, tantiſque acceptis beneficiis, & creaturis illis ſubiectis, ne minimam quidem gratiarum actionem donatori egiſſe legantur. & vt habetur *Ezech.c.*46. qui ingreſſus templum vſque ad Sancta Sanctorum accedebat, egrediebatur non per portam qua ingreſſus fuerat, ſed per aliam è regione prioris, ne propitiatorio egrediens terga verteret. quod indicat non eſſe acceptum beneficium obliuiſcendum. Poëtæ quoque, teſte Seneca *lib.*1. *de benef. c.* 3. gratias tres veluti deas finxerunt, vnam quidem auerſam, quòd qui beneficium confert obliuiſci debeat, duas verò conuerſas ac nos aſpicientes, vt docerent gratiam geminatam eſſe benefactori reddendam ſemper, quia noua ſemper beneficia à Deo accipimus, cùm ab eo, veluti à ſole radij, ſemper pendeamus. Quare *Pſal.*33. dicitur: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Pſal.*70. *Repleatur os meum laude vt cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam.* vbi S. Aug. *Quid eſt tota die? ſine intermiſſione. in proſperis quia conſolaris, in aduerſis quia corrigeris, antequam eſſem quia feciſti; cùm eſſem quia ſalutem dediſti; cùm peccaſſem quia ignouiſti; cùm conuerſus eſſem quia adiuuiſti; cùm perſeueraſſem quia coronaſti.* & vbique. nam *Pſal.*102. habetur, *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino. Iſai.c.*48. *Laude mea infrenabo te, ne intereas.* Sed de gratiis Deo agendis dicemus *c.*31. *Per Chriſtum Dominum noſtrum,* quia ipſe eſt Mediator Dei & hominum 1. *ad Timoth.*2. vnde colligere licèt quàm pura & feruens eſſe debeat, cùm per eum Deo Patri ſit offerenda. *Per Quem.* meminit huius etiam particulæ Clemens *lib.*8. *conſtit. c.*16. Porrò Angeli, teſte Hugone *lib.*2. *de off.c.*24. de noſtra reparatione per Chriſtum facta, Deum laudant. quare etiam nos de tanto beneficio Deum laudare debemus, éſtque ratio ab exemplo, ſic etiam Dominationes Deum Patrem per Chriſtum adorant, quia verbo dixit, & verbo omnia fecit, ex *c.*1. *Geneſis.* Et omnia per ipſum

facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, *Iob c.1.* Tremunt poteſtates, quæ ſunt veluti cœli columnæ, *Iob c.26.* vt explicat D.Hieronymus, & Gregorius, Deum, quod nos multo magis facere conuenit, puluis & cinis, qui Deum offendimus; & quibus B.Paulus *ad Philipp.2.* dicit, *Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini.* Et beata Seraphim ſocia exultatione concelebrant; cœleſtia etenim agmina & exercitus illi beatiſſimi, tam infinii deſignati nomine Angelorum, quàm ſupremi, nempe Seraphim, & medij, omnes ſcilicet, licèt duo tantùm Poteſtates & dominationes diſtinguantur, cùm nullus excludatur communi lætitia in qua omnes conſociantur, Deum laudant, *Pſal.83. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* habetúrque pars hæc apud Chryſoſtomum *Hom.19.in Matth.& Hom. de non contemnenda Eccleſia*, & apud D.Ambroſium *lib.3. de Spiritu ſancto, c.18.* Cum quibus & noſtras voces poſtulamus admitti, ídque, vt ait Florus, non ſuperba præſumtione, ſed ſupplici confeſſione, optantes ita ab hominibus in terris Deum fide coli & laudari, ſicut & in cœlis videtur & laudatur ab Angelis. D.Marcus cùm in Liturgia dixiſſet, beatos ſpiritus inceſſabilibus vocibus clamare triumphalem, & triſagium hymnum, ſubdit: *Semper equidem omnes ſanctificas, ſed & cum omnibus te glorificantibus ſuſcipe Dominator Domine noſtram quoque ſanctificationem, quia cum ipſis te laudamus, & dicimus: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus, &c.*

De hymno triumphali: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* CAP. VII.

SVMMARIVM.

1. *Hymnus triſagius à ſanctis Apoſtolis Liturgiæ inſertus.*
2. *Quomodo diuidatur.*
3. *Cur Deus vocetur Sanctus.*
4. *Cur ter Sanctus, & ſemel Dominus acclametur.*
5. *Quare dicatur Deus Sabaoth, déque mira multitudine Angelorum.*
6. *Quomodo in creaturis omnibus eluceat diuinæ Maieſtatis gloria.*
7. *Quid ſit* Oſanna, *& quo ſenſu accipiatur in Liturgia.*
8. *Quomodo ſit exponendum*, In excelſis.
9. *Et*, Benedictus, qui venit in nomine Domini.

TRiſagius ſequitur hymnus, quem triumphalem appellat S.Iacobus, & Marcus *in Liturgiis.* Cherubicum verò S. Germanus *in Theoria*; qui ſanè non eſt 1.
additus ſacrificio Miſſæ à Xiſto, qui Octauus à D.Petro rexit Eccleſiam, vt putauit Alcuinus *lib. de off.c. de celebr. Miſſa*, Amalarius *lib.3.c.21.* Micrologus *c.11.* Stephanus Heduenſis *c.vltimo*, Rupertus *lib.2.c.21.* Hugo de S.Vict. *lib.2.c.11.* Durandus *lib.4.c.34.* ſed ab ipſiſmet Apoſtolis, vt teſtatur Nicephorus *lib.18.c.51.* & conſtat ex Liturgiis D.Iacobi, & Marci, dinóque Clemente *lib.8. conſtit.c.16.* Xiſtus enim ſolùm inſtituit, vt *in lib.de Rom.Pontif.* habetur, vt ſacerdote incipiente hymnum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & populus decantaret. & quia aliqui non dicebant in omnibus Miſſis.v.g. Quadrageſimæ, & defunctorum, Concilium Vaſenſe ſub Leone I. & Theodoſio Iuniore, ſtatuit *can.6.* vt diceretur in omnibus.

Diuiditur

2. Diuiditur autem duas in partes, quarum altera ab Angelis reperta eſt, vt conſtat *ex cap. 6. Iſaiæ*, qui in viſione gloriæ Domini audiuit Seraphim alterum ad alterum clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* quod etiam veteres pictura expreſſiſſe in Eccleſiis oſtendit epiſtola Gregorij II. ad Leonem Iſaurum, vbi ait: *Contemplantes in Eccleſia matrem Domini, Angelóſque circumſtantes, & ter ſanctum hymnum cantantes, non ſine compunctione regredimur.* Altera ab hominibus inuenta, cùm ſit pars cantici Hebræorum Chriſto in die Palmarum acclamantium, *Matth. c. 21.* Quia itaque in præfatione ſacerdos excitauit populum conſona cum Angelis voce, & glorificatione ad laudandum Deum, meritò canticum ex vtrorumque vocibus conflatum concini debuit in adoratione excelſæ & ſanctiſſimæ Trinitatis.

3. Dicitur verò Deus Sanctus, teſte D. Ambroſio *lib. 3. de Spiritu ſancto. c. 18.* quia nihil pretioſius reperimus, quod poſſit Deo tribui. Eſtque, teſte Dionyſio *lib. de diu. nom. c. 12.* Sanctitas, ab omni ſcelere libera, & ex omni parte incontaminata ac perfecta puritas. Sonat autem ἅγιος Græcè, quod eſt *Sanctus*, quaſi ſine terra: ideo cùm ab omnibus creaturis, nedum à terra ac rebus negotiiſque terrenis, Deus eleuatus ſit, & in infinitum ſeparatus, meritò dicitur Sanctus. cuius etiam ſanctitatem nos imitari præcepit *Leuit. c. 19. Eſtote Sancti, quia ego Sanctus ſum.* & *Matth. 5. Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* & *in Deuter. c. 18. Perfectus eris & abſque macula coram Domino Deo tuo.* vt enim Deus ſecundum naturam nos ad ſuam imaginem fecit, *Gen. c. 2. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* ſic etiam vult, vt notauit etiam Origenes *lib. 3. Periarch. c. 6.* Ambroſius *lib. 6. in exam.* & Baſilius *ibid. Hom. 10.* vt ſecundùm virtutes ac perfectionem ſanctitatémque ſimus perſimiles. Quare cùm perfectio rei in eo ſit poſita, vt res omne id actu habeat, ad quod potentiam habet, ſiue hoc ſit eſſentiale, vt perfectio eſſentialis, qua res habet ſuas partes eſſentiales, vt perfectus homo, qui habet corpus & animam rationalem, ſiue accidentale, cùm potentia eſt ad aliquid accidentale, v. g. potentia hominis ad ſcientiam, & alia huiuſmodi. cùm per virtutem ac ſanctitatem Deo aſſimilemur primo principio & fini noſtro vltimo, in hoc poſita erit ſumma rationalis creaturæ perfectio. perfectio enim effectus, eſt cauſæ ſuæ aſſimilatio, quod & Plato vidit, quippe qui in Phædone & Theæteto dixerit ſummum animæ bonum eſſe Dei ſimilitudinem. & M. Tul. qui *lib. 1. de orat.* ſcribit virtutem nihil aliud eſſe quàm in ſe perfectam, & ad ſummum perductam naturam. vt igitur monſtrum eſſet ſi ignis non aſcenderet, vel non calefaceret, cùm ad hunc finem à Deo creatus ſit, ita monſtrum videri debet, ſi nos Dei ſanctitatem non æmulemur, cùm ad hoc idem ab eo ſimus conditi. cùm *Leuitici c. 20.* dicamur ad hoc à Domino electi, vt perfecti ac ſancti ſimus, ſicut & ipſe ſanctus eſt.

4. Acclamatur autem Deus ter Sanctus, & ſemel tantùm Dominus, ad oſtendendum diuinarum perſonarum Trinitatem, & vnitatem diuinæ ſubſtantiæ, vt notauit S. Athanaſius explicans illud Chriſti Domini: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* S. Ambroſius *lib. 3. de Spiritu ſancto, c. 18.* Epiphanius *in Ancorato*, Procopius Gazæus *in c. 6. Iſaiæ*, Damaſcenus *epiſt. de Triſagio*, Germanus *in Theoria*, Nicolaus Cabaſila *c. 20. 21. 22.* Stephanus Heduenſis *de ſacramento altaris, c. 12.* Innocentius *lib. 2. c. vltimo*, Gabriel *in can. lect. 19.* & Hidelbertus, qui *lib. de myſteriis Miſſæ*, canit:

Ter poſitum Sanctus trinum notat eſſe; ſed vnum
Declamat Dominus, atque Deus Sabaoth.

Porrò

Porrò Sabaoth Hebræam vocem ſignificare exercitum ſeu virtutem, docet 5.
Nazianzenus *orat.4.de Theologia*, Hieronymus *ep.142.* ad Damaſum, & *in c.9. Ezechielis*, Ambroſius *lib.3.de Spiritu ſancto,c.18.lib.2.de fid.c.4.* Epiphanius *lib.1.hæreſi 29.* Gregor. *lib.29. Moral.c.28.* Cur verò Dominus Deus Sabaoth dicatur, explicat D. Aug. *lib.de conſenſu Euang.* quòd ſcilicet illi innumerabiles ſeruiant virtutes, & exercitus Angelorum, iuxta illud Danielis, *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* Nec certè mirum cùm præter eos, qui in cœlis Deo adſtant, alij mouendis cœleſtibus ſphæris deputati ſint, vt etiam Ariſtoteles cum aliis Philoſophis vidit *lib.8. Phyſ.& lib.12.Met. text.47.* 48. alij cuſtodiendis elementis, ex Origene *Hom.13. in Numeros*, Nazianzeno *orat.2. de Theologia*, Auguſtino *lib.3. de Trinit.c.4.* S.Thom. *p.p. q.13. art.2.* & *lib.3. contra Gent. c.83.* & de Angelo habente poteſtatem ſuper ignem conſtat ex illo *Apoc.14. Angelus exiuit, qui habebat poteſtatem ſuper ignem.* Vnde meritò B.Agatha dixit Tyranno, *Si ignem adhibeas, rorem mihi ſaluificum de cœlo miniſtrabunt Angeli, vt etiam fecit Angelus tribus pueris, Danielis c.3.* de Angelo aquarum dicitur *Apoc. 16. Audiui Angelum aquarum, &c.* de Angelis aëris & terræ, *Apoc. 7. Vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos ne flarent.* Alij conſeruandis animalium ſpeciebus, vt docet Alb. *in ſumma tract.2.q.7.* S.Thom.& Ludouicus Molina *p.p.q.110. art.1.* S.Aug. *lib.83.q.70.* Origenes *in c.22. Num.* Pererius *in c.32. Geneſ.* & *ibidem* R.Moyſes Ægyptius qui ad hoc adducit locum *Num.22.* de Aſina Balaam cuius motus linguæ ab Angelo erat. & *Dan.6.* vbi dicitur Angelus concluſiſſe ora leonum. Alij regnis & prouinciis, vt patet ex *Dan.c.10. Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus.* & infrà: *Cùm ergo egrederer apparuit Princeps Græcorum veniens, &c.* adducit ad hoc idem probandum S.Baſilius *lib.3.* contra Eunomium Moyſis teſtimonium, dicens: *Quòd verò rurſus ſint quidam Angeli vniuerſarum Gentium præpoſiti Moyſes nos per canticum docuit, quando diuidebat Altiſſimus Gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum ſuorum iuxta numerum Angelorum ſuorum.* eodémque modo exponunt Clemens Rom. *lib.2. Recognit.* Clemens Alex. *lib.6.Strom.* Chryſoſtomus *hom.61. in Matth.* & Theodoretus *orat.10. in Danielem.* Alij vrbibus & oppidis, vt probat illud *Iſaiæ c.62. Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes tota die & nocte perpetuò non tacebunt.* qua de re *ibidem* Abulenſis. & exemplo docet Socrates *lib.5.c.6.* Alij exercitibus, vt videre eſt *lib.2. Machab.c.11.* vbi cùm Machabæus rogaſſet Deum, vt mitteret exercitui opem laturo obſeſſis fratribus, Angelum bonum ad ſalutem Iſraël, & promto animo cum exercitu procederet, apparuit præcedens exercitum eques Angelicus in veſte candida, aureis armis, vibrans haſtam. cuius auxilio glorioſam victoriam de hoſte reportauit. Accidit etiam Galicano, teſte Sigonio *lib.3. de Imper. occidentali*, contra Scythas bellum gerenti vt ex improuiſo ſpecie pueri Angelus appareret cum cruce, iuberétque vt arrepto gladio ſe ſequeretur, ſi vellet victoriam conſequi, quod & factum eſt. Exercitus item Chriſtianus à Barbaris circumuentus anno 1144. Imperante Ieroſolymis Balduino puero, Angeli beneficio ſeruatus eſt, vt docet VVilelmus Tyrius *lib.16. c.8.* vt aliàs diximus. Alij templis, vt docet Hieronymus *ep. ad Hedibiam. q.8. & in c.1. Eccleſiaſt. & in 1. ad Cor.c.11.* Origenes *Hom.4. in Leuit.* Baſilius *in Pſal.28.* Hilarius *in Pſal.124.* Nazianzenus *orat. ad 150. Epiſcopos*, Chryſoſtomus *Hom.15. in ep. ad Hebr.* Ioſephus *lib.2. de bello Iud. c.12.* Nicephorus *lib.3.c.4.* Ado *in Chron.* anno 774. Lanſpergius *lib.4. vitæ S.Getrudis, c.61.* Alij ſacris altaribus, vt conſtat duobus exemplis apud Sophronium *in Prato ſpirituali c.4. & 10.* Alij Religioſorum locis & Monaſteriis,

vt docet S.Thomas *p.p.q.*113. & probant exemplo Metaphraſtes, & Surius die 29. Decembris, Monaſterij S. Marcelli cùm Ardaburius extrahere vellet Ioannem quemdam, Angeli enim è faſtigio Monaſterij ſatellites fulminibus abegerunt. Alij domibus ac familiis particularibus, præſertim ſi paterfamilias vir iuſtus ſit, vt ſcribit Abulenſis, qui etiam putat Angelum, qui Agar reduxit domum Abrahami, fuiſſe Angelum illius familiæ cuſtodem. idémque Gentiles ſenſiſſe docent, quæ de laribus diſputarunt. Singuli item ſingulis hominibus tamquam cuſtodes, & pædagogi, vt manifeſtè conſtat *ex Gen. c.*48. *Angelus, qui me eruit, &c. Pſal.*90. *Angelis ſuis* [Deus] *mandauit de te. Pſal.*33. *Et immittet Angelus Domini, &c. Iudith c.* 13. *Matth.* 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris. Act.*12. vbi pulſante Petro ianuam dictum eſt eius Angelum eſſe. Eſtque communis opinio Patrum, vt Iuſtini *q.*30. earum quæ à Gentibus proponebantur, Origenis *Hom.*35. *in Lucam.* etſi in eo erret quòd putet cuſtodes Angelos poſſe damnari propter eorum negligentiam, Lactantij *lib.*2.*c.*15. Baſilij *in Pſal.*33.*&* 48. explicantis illa verba, *& dominabuntur eorum iuſti in matutino.* & *lib.*3. *contra Eunomium, & in c.*8. *Iſaiæ*, Nazianz. *in orat. ad* 150. *Epiſcopos*, Hieronymi *in c.*66. *Iſaiæ, & in c.*18. *Matth. & in Ezech.c.*28. *& ep.*27. *ad Euſtochium*, Chryſoſtomi *in c.*18. *Matth, & Hom.*4. *in ep. ad Hebr.* Theodoreti *orat.*10. *in Danielem*, Ambroſij *lib. de viduis*, Auguſt. *in medit.c.*12. *& in ſoliloq. c.*27. Anaſtaſij Epiſcopi Nicæni *q.*41. *in ſcripturam.* Iſidori *lib.*1.*de ſummo bono,c.*12. Bedæ *in c.*12. *Act.* B. Nili *in Paræneſi* 153. Sophronij Archiepiſc. Hieroſol. *orat.* 2. quæ eſt Angelorum encomium. Ioannis Climaci *gradu* 5. Patrum Concilij Aquiſgranenſis *c.*132. Bernardi *in Pſal.*99. S. Thom. *p.p.q.*113. *art.*3. cum cæteris Scholaſticis, & Abulenſi *q.*59. *in c.*18. *Matth.* Denique eſt opinio etiam Philoſophorum Gentilium ſapientiorum, vt Empedoclis apud Plutarchum *lib.de Tranquil.* Menandri apud eumdem Plutarchum *lib.de Temperantia*, Platonis *in Phædone*, Senecæ *ep.*3. Et patet exemplo Angeli cuſtodis S. Ceciliæ ex eius actis, & S.Franciſcæ Romanæ ex eiuſdem vita, & ex Gulielmo Baldaſano *lib.*2.*de honeſtate,c.*2. qui etiam aliquãdo eidem alapam impegit, vt etiam Angelus cuſtos alterius *in ſpeculo exemplorum d.*10. *exemplo* 9. quòd ob impudicorum adoleſcentium conſuetudinem pæne virginitatem amiſiſſet. & S.Petri Cœleſtini Angelus ob illius pueriles leuitates, ex Surio 19.Maij. S.Onufrij Angelus teſtatus eſt, ſe ab ipſa natiuitate eius comitem fuiſſe, & ſex miliaribus viſibiliter eum comitatus eſt, vt eiuſdem vita docet. Cùm igitur ſingulis hominibus Angelus cuſtos deputatus ſit, hominúmque multitudo maxima ſit, maximus etiam ex hac parte erit numerus Angelorum; præſertim cùm Angelus cuſtos, v.g. Petri, eo mortuo non deputetur curæ alterius, ex S. Thoma 1.*p. q.*113. *art.*2. S. Antonino 3.*p. tit.*31. *c.*6. §.4. quamuis Dei benignitas tanta ſit, vt alios plures, cùm opus eſt, in iuſtorum auxilium mittat, vt conſtat *ex lib.*4. *Reg.c.*6. & docent Nyſſenus *in Cant. orat.*3. Bernardus *ibidem ſer.*39. Hieronymus *in c.*66. *Iſaiæ*, explicans verba illa: *Adducent fratres veſtros, &c.* & Chryſoſtomus verbis illis *in imperf. Hom.*40. *Nam ſicut Imperatoris optimi prouiſione vrbes omnes caſtella ſingula manu militari aduersùs hoſtilem aduentum muniuntur, &c. Ita & Deus, quoniam barbara & agreſti mente rabientes dæmones ad pacis euerſionem vbique verſantur, ad tutelam noſtram conſtituit exercitus Angelorum, &c.* vt etiam B. Nilus *loco citato* multos nobiſcum Angelos verſari dicit, qui tamen prauas actiones noſtras intuentes indignati recedant. quod etiam docuit S. Bernardus *ſer.* 7. *ſuper Cant.* ait enim: *Doleo proinde aliquos veſtrûm graui in ſacris vigiliis deprimi ſomno, nec cœli ciues reuereri, ſed in præſentia principum tamquam mortuos apparere, cùm veſtra ipſi alacritate*

permoti veſtris ſolemniis delectentur, vereor ne veſtram deſidiam quandoque abominantes cum indignatione recedant, & incipiat vnuſquiſque veſtrûm ſerò cum gemitu dicere Deo: Longè feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi. Ob id Iob *c.25. Numquid eſt numerus militum eius?* & Chriſtus *Matth.26. Putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum.* Sed quantus ſit numerus eorum incertum. & quidem Sophonius Archiepiſcopus Hieroſolym. *orat.2. cit.* dicit multitudinem eſſe immenſam, exercitum innumerum. S. Gregorius *lib.17. mor. c.7.* dicit Deo quidem eſſe finitum & limitatum, creaturis verò innumerabilem. S. Brigitta *lib.4. reuelat. c.11.* vult Angelos in decupla proportione ſuperare homines. ait enim: *Si computarentur omnes homines, qui nati ſunt ab Adam vſque ad nouiſſimum, qui naſciturus eſt in fine mundi, pluſquam decem Angeli numerarentur pro vnoquoque homine.* Cyrillus *Catech.15.* Hilarius *c.18. in Matth.* & alij apud Athanaſium, *in qq. ad Antiochum, q.2.* ſenſerunt Angelos ſuperare hominum multitudinem 99. partibus, iuxta parabolam *Matth. 18. & Lucæ c.15.* de oue perdita, quam paſtor quæſiuit, & ad ouile reduxit, relictis 99. in deſerto. S. Bernardinus Senenſis *tom.4. ſer.49.* excedere ſtellas cœli, & numerum arenæ maris, ac terræ. Dionyſius *lib. de cœleſti hier. c.14.* ſuperare rerum omnium materialium commenſurationem, qua etiam de re Durandus *lib.2. ſent. d.3. q.4.* idémque ſuadere poteſt ratio. tum quia, vt docet S. Thomas *1. d.2. q.1. art.3. & de potentia. q.6. & lib.2. contra Gentes, c.92.* ordo vniuerſi videtur exigere, vt quæ perfectiora ſunt, niſi aliud obſtet, in maiori numero producantur; cùm hæc maximè à Deo intendantur, maximéque pertineant ad perfectionem vniuerſi. ſicut etiam cœli, cùm ſint perfectiores corporibus inferioribus, excedunt in magnitudine inferiora corpora. tum quia ſi comparetur immenſitas cœli cum exiguitate terræ, multo plures eſſe debeant Angeli, qui cœlum ornant, quàm rerum ſpecies, & indiuidua præterita, præſentia, & futura, quæ hunc orbem inferiorem complent.

Additur, *Pleni ſunt cœli & terra, &c.* vt etiam in Liturgiis S. Iacobi, & Marci, quia in omnibus creaturis ſuperioribus & inferioribus elucet diuinæ Maieſtatis gloria; tum in plena omnium ſubiectione; tum in omnium ſapientiſſima gubernatione; tum in omnium admirabili perfectione, & virtute. vnde D. Paulus, *Inuiſibilia,* inquit, *Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* quare in omnibus relucet veſtigium diuinæ gloriæ. Poſſumus etiam cum D. Cyrillo *in c.6. Iſaiæ* gloriæ nomine diuinam miſericordiam intelligere. vt *ad Rom.3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* cùm enim in vnaquaque re dicatur gloria id quod eam magnificat, ac claram & venerabilem reddit, vt rectè obſeruat Ribera noſter *in c.14. Oſeæ,* ſiue id ſit ſplendor, ſiue ornatus, aut aliud aliquid, & miſericordia Dei ſit ſuper omnia opera eius, *Pſal. 144.* meritò miſericordia Dei gloria vocabitur. quare etiam tamquam ſpecioſiſſimo titulo vocatur Pater miſericordiarum. *2. ad Cor.1. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum.* & maximè ob miſericordiam exaltatur. ideo Iſaias *c.30. Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis.* vnde & Dauid dicebat, *Miſericordia Domini plena eſt terra.* & *Pſal. 35. Domine in cœlo miſericordia tua.* & ideo ante eius oculos ſemper verſari. Cœlorum etiam nomine fideles, qui ad Deum conuerſi ſunt, intelligi poſſunt: Terræ autem, qui terrena ſapiunt. quomodo etiam eaſdem voces explicat S. Cyprianus *ſer. de orat. dominica,* exponens illud, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.* nam, vt dicit Chriſtus, ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.

Margin: 6. — *Rom.1.* — *Matth.5.*

Sequitur,

7. Sequitur, *Oſanna in excelſis.* cuius particulæ, vt etiam ſequentium, meminit S. Clemens *lib.*8. *c.*20. & habetur etiam in Liturgiis D. Iacobi, & Marci. eſt autem Oſanna vox Hebræa, quæ haud commode in alienam linguam transfertur, ex D. Hieronymo *ep.*145. & Auguſtino *lib. de doctrina Chriſtiana. c.*11. *& tr.*51. *in Io.* & valde controuerſum eſt quid ſignificet. S. Auguſtinus *locis citatis* vult nihil ſignificare, ſed eſſe ſolùm interiectionem gaudentis, vt apud Latinos *vah.* ſed Ianſenius *in concordia Euangel. c.*110. & Maldonatus noſter *in c.* 21. *Matth.* putant D. Auguſtinum fuiſſe ab aliquo Hebræo deceptum, vel certè non illi ſatis rem expreſſam. non enim tota dictio lætantis vel obſecrantis eſt, ſed ſolùm vltima pars *anna*, vel *na.* Etenim præcipua pars, nempe *Hoſa*, verbum eſt, ſignificans *ſalua*, aut *ſaluifica.* Angelus Caninius *in collatione locorum noui Teſtamenti*, cum Hebræorum originibus, dicit ſignificare Ramos, quos in Tabernaculorum feſto geſtabant. cùm enim geſtantes ramos acclamarent, Oſanna, factum eſt, vt ipſimet rami Oſanna dicerentur, ob id cùm pueri acclamarent Domino: *Oſanna filio Dauid*, idem fuit, ac præcidite & dare ramos filio Dauid. vt dixit Virgilius *lib.* 6. *Æneidos*

Manibus date lilia plenis.

cui etiam ſubſcribit Illuſtriſſ. Baronius *in anno* 34. Sed vt omittam plura, quæ obiicit Maldonatus, illud obſtat quòd ſecundùm hanc expoſitionem verba non cohærent cum ſequentibus, Oſanna in excelſis, ſeu in altiſſimis, quibus ipſum cœlum deſignatur. Euthymius *in eundem locum D. Matth.* & Theophylactus docent quoſdam interpretari Hymnum, ſeu laudem, quòd *Oz*, ſcriptum per *z*, laudem ſignificet. vnde illud Pſalmi, quod poſtea occaſione acclamati Oſanna citatur à Chriſto, *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*, Hebraicè eſt *oz*. Alij apud Chryſoſtomum *Hom.*37. *in Matth.* & apud Hieronymum *ep.*145. ad Damaſum interpretantur, *Gloriam.* & fauet quod Lucas *c.* 19. qui ſolus non poſuit Oſanna, pro eo quod habet Matthæus, & Marcus, *Oſanna in altiſſimis*, habet *Pax in cœlo*, & *Gloria in excelſis.* D. Ambroſius *in c.*19. *Lucæ*, & Hilarius apud Hieronymum videri poſſunt interpretati, *Redemtionem domus Dauid*, eóque nomine reprehenditur à D. Hieronymo quòd in dictione hac nihil ſit quod domum ſignificet, quæ *Beth* dicitur, vel *Dauid*, ſed Ianſenius & Maldonatus *locis citatis* exiſtimant poſſe defendi, non quòd putarint hæc omnia in dictione *Oſanna* contineri, ſed ſolùm ſignificare ſalutem aut redemtionem. addidiſſe tamen explicationis gratia, *domus Dauid*, vt indicarent quam redemtionem peterent, qui Oſanna acclamabant Chriſto. Origenes quoque *Hom.*20. *in Matth.* per Oſanna *reſtitutionem* interpretatur, non quidem quòd Oſanna propriè ſit reſtitutio, cùm verbum ſit, & non nomen; ſed ſicut dicimus amare ſignificare amorem, ideo Ambroſius, Hilarius, & Origenes non videntur aberrare à vera interpretatione. Eſt igitur vera interpretatio D. Hieronymi *in c.*21. *Matth. & in ep.*145. ad Damaſum, & ſancti Germani *in Theoria*, Oſanna, ſeu Oſianna, vt ipſe vult (quamquam rectè etiam Oſanna ſine i, dici contendit Ianſenius) vocem eſſe compoſitam ex *Hoſa*, quod ſignificat *ſaluum fac*, ſeu *ſaluifica.* loco eius quod nouis regibus acclamari ſolet, *Viuat Rex*, & *na*, quæ eſt interiectio obſecrantis. ita vt ſignificet, *ſalua obſecro*, & æquiualet *ben fortuna quæſo*, vel *da quæſo proſperum ſucceſſum.* ſumtúmque eſt ex *Pſalmo* 117. *verſu* 24. *O Domine ſaluum me fac.* Hebræa enim ex Græca littera ex Ianſenio in eum Pſalmum, non habet *me*, ſed ſolùm, *O Domine ſaluum fac, ô Domine bene proſperare, benedictus qui venit in nomine Domini.* Porrò illo loco Matthæi; *Oſanna filio Dauid*, Irenæus *lib.*4. *c.*24. Origenes *tr.*15. *in Matth.* Hieronymus *loco*

citato,& Beda *in c.*21. *Matth.* agentem perſonam Verbi, eſſe Chriſtum putant, patientem verò nos, quaſi dicant: Salua nos quæſo Chriſte. ſed illud obſtat quòd tunc non eſſet dictum, filio Dauid, ſed fili Dauid, vt contra cæteros omnes legit Irenæus. Quare Maldonatus putat ibi perſonam agentem eſſe Deum, patientem verò Chriſtum cui turbæ beneprecentur hoc modo: Domine ſalua obſecro Chriſtum nouum Regem, & proſpera diu deſideratum Meſſiam, & ponitur perſona patiens in dandi caſu, filio Dauid, quia in Hebræo verbum hoc cum vtroque caſu dandi, vel accuſandi conſtruitur, ex eodem Maldonato & Ianſenio. Hic tamen in Miſſa, vt teſtatur etiam Ianſenius, & Bonauentura *in expoſitione Miſſæ*, intentio Eccleſiæ conformis eſt primo ſenſui Irenæi, Origenis, & Hieronymi. orat enim Eccleſia vt dignetur Deus dare nobis ſalutem, ideo nobis & non Chriſto Oſanna petimus.

Iungitur, *In excelſis*, vt etiam *Matthæi* 21. quod non vno modo intelligitur. 8.
Iſidorus *lib.*1.*de off.c.*15. Gabriel *in Can.* & Ianſenius *loco citato*, intelligunt, vt ad excelſa ſeu cœlum nos perducat. Alij in expoſitione textus S. Matthæi exponunt: O *tu qui es in excelſis*, Maldonatus & Ianſenius quoad locum D. Matthæi interpretantur, *De excelſis*. ſicut & *in Pſalmo* 148. *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis*, idest, de excelſis, ſicut dixerat de cœlis. hortatur enim Angelos, qui ſunt in cœlis, vt eum laudent, ideóque petat turba *Matth.* 21. vt Deus de cœlo hunc nouum Regem diuinitus ſeruet, ac proſperet.

Benedictus qui venit in nomine Domini, idest, Deus benedicat, proſperet, & ſe- 9.
cundet regnum eius, iuxta illud *Pſalm.* 44. *Proſperè procede & regna.* ſicut *lib.*1. *Reg.c.*10. Sauli nouo Regi acclamatum eſt, *Viuat Rex*, vel benedicatur, & laudetur ab omnibus; & quidem apud Matthæum accipitur in primo ſenſu, in Miſſa autem in ſecundo, ex Bonauentura & Ianſenio *locis citatis*. ſicut de Oſanna diximus, in Miſſa non Chriſto, ſed nobis à Chriſto, & per Chriſtum acclamari. vt etiam verbum *venit*, apud Matthæum pro præſenti tempore ſumitur, cùm in Græco ſit, *veniens*. In Miſſa verò à nobis accipiatur in præterito, *qui olim venit in hunc mundum propter nos. In nomine Domini*, cùm Chriſtus dixerit apud D. Ioannem *c.*5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me.* Iterúmque ad ſignificandum affectum, ac vehemens deſiderium repetimus, vt etiam fit in Liturgiis D. Iacobi, & Marci, *Hoſanna in excelſis.*

De ſonitu verò tintinnabuli ad aſtantium attentionem excitandam, vel ad vocandum non longè commorantem populum, monendóſque ægrotos & cæteros impeditos vt ſaltem in ſpiritu ſacram Euchariſtiam & paſſionis Chriſti fructum participent, dicemus cùm de eleuatione Euchariſtiæ infrà diſputabimus *c.*11.*num.*23.

De nomine, auctore, & diuiſione Canonis. CAP. VIII.

SVMMARIVM.

1. *Miſſæ canon rectè ſecretò dicitur.*
2. *Eiuſdem etymologia, variáque nomina.*
3. *Auctor eius quis.*
4. *Partes quot.*
5. *Quid ſtatuerit Eboracenſe Concilium ne poſſet in canonem error irrepere.*

Sibi

1. Sibi igitur ſociaris omnium votis & deſideriis incipit ſacerdos orationem, qua ipſum corporis & ſanguinis Chriſti peragitur myſterium; in qua ceſſante omni ſtrepitu verborum ad Deum ſolum intentio ac deuotio dirigenda eſt, vt notauit etiam S. Remigius. Sicut enim in Moſaico tabernaculo Sancta Sanctorum velo claudebantur, vt ſacerdos, qui ſemel in anno introibat, cæteris omnibus excluſis attentiùs orare poſſet, *Leuit. c.* 16. Ita nunc ſacerdos euangelicus, vt maiori cordis deuotione feratur in Deum, quaſi ingreſſus in Sancta Sanctorum in canone orat ſecretò. vt etiam de Anna legitur *lib.* 1. *Reg. c.* 1. Quam etiam ob cauſam *can. ſacerdotum, de conſecr. d.* 2. *& de vita & honeſt. cler. c.* 1. ſtatutum eſt, ne quis laicus dum celebratur Miſſa, ſtare in choro poſſet, vt ſacerdos celebrans ſuo munere attentiùs & liberiùs fungeretur, vt diximus *lib.* 2. *c.* 13. *n.* 13. Idémque facultatem ac commoditatem concedit populo offerendi Deo ſupplicationes ſuas, vt docet Concilium Colonienſe *p.* 7. *c.* 26. Eſtque imitatio ac repræſentatio ſecretæ orationis Chriſti in horto, & in cruce; vt meritò ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *c.* 5. *& can.* 9. anathema ei dixerit, qui auſus fuerit hunc ritum dicendi ſecretò canonem, & ſimilia damnare, vt hodie Nouatores impudenter faciunt. Nec dubium quin etiam conciliet reuerentiam tanto myſterio; & vitetur ſimul ne laici eo in rebus non ſacris abutantur. Satíſque eſt notum quod ante annos mille accidit paſtoribus, qui ſupra pane & vino conſecrationis verba protulerunt; ignis enim de cœlo miſſus paſtoribus obſtupefactis pané, vinum, & lapidem ſuper quo erant, abſumſit. vt refert Sophronius *in Prato ſpirituali, c.* 196. Alcuinus *lib. de off. diu. c. de celebratione Miſſæ*, & S. Remigius *in expoſitione canonis.* Quare etiam ante Concilium Tridentinum ſic ſtatuerat, ipſa rei perſpicuitate loquente, Concilium Auguſtenſe *c.* 18. Canon Miſſæ ſubmiſſa voce, excepta dominica oratione, pacis exoptatione, Agnus Dei inuocatione, & poſtremò populi ſalutatione, quemadmodum hactenus à catholicis factum eſt, ſummáque religione, vt myſteriis tremendis ſua conſeruetur autoritas, pronuncietur.

2. Appellatur autem hæc pars Græcè Canon, quod nomen Latinè Regula ſonat; quòd fixa ſit ſtabiliſque regula, & canon ſeruandus, in celebratione huius ſacrificij, ex VValfrido *c.* 22. Micrologo *c.* 12. Hugone *lib.* 2. *de off. eccleſiaſticis, c.* 25. & Gabriele *in can. lect.* 15. qua etiam voce vſus eſt S. Gregor. *lib.* 7. *ep.* 63. ſicut nomine Regulæ S. Ambroſ. *in c.* 2. *ep.* 1. *ad Timoth.* Eadem de cauſa legitimum dicitur ab Optato Mileuitano *lib.* 2. *contra Parmenianum. Quis* (ait) *dubitet vos legitimum præterire non poſſe? offerre vos Deo dicitis pro Eccleſia, quæ vna eſt, &c.* & *lib.* 3. *Dixiſtis vos illud legitimum, nec præterire poteſtis, pax vobis, &c.* Ordo precum vocatur à Vigilio Papa *epiſtola ad Eucherium, c.* 5. & Iſidoro *lib.* 1. *diu. off. c.* 15. quo oblata Deo ſacrificia conſecrantur. vt etiam precem vocauit D. Gregorius *loco citato*, & apud Bernonem Augenſem *c.* 1. Concilium Eboracenſe. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, c.* 27. Durandus & Gabriel *lect.* 15. & alij ſecretum vocant, quòd ſecretò dicatur ob myſteriorum reuerentiam, vt dictum eſt. quare Dionyſ. *circa finem libri de eccl. hier. Efficientes* (inquit) *conſecrationis preces fas non eſt ſcripto interpretari, neque ipſarum arcanum è ſecreto in publicum efferre.* videndus etiam Clemens *lib.* 8. *conſt. c.* 12. Origenes *Hom.* 5. *in Numeros*, Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, c.* 27. Auguſt. *lib. de dictis Baſilij*, & refertur *d.* 11. *can. eccleſiaſticarum.* Actionem denique Miſſæ vocat Dionyſ. *de eccl. hier. c.* 1. VValfridus *c.* 22. Micrologus *c.* 12. Berno Augenſis *c.* 1. Gabriel *lect.* 20. vnde ſi quando mutetur aliquid, apponitur titulus, *Infra actionem.* tū quia reliqua, verba potiùs contineant, pars hæc actionem ſacrificij, vt vult VValfridus, Durandus, Gabriel. tum quia ibi agatur cauſa noſtra coram ſummo Iudice per ſacerdotem.

Porrò quis fuerit Canonis auctor non eſt omnibus certum. Illud certum nihil poſt D. Gregorium immutatum, aut additúm eſſe. Sunt qui Gelaſium faciant auctorem (ſi forma conſecrationis excipiatur) vt Hugo de S. Victore *lib. 2.off.c.*11.Innocentius *lib.3.c.*1.Durandus *lib.4. c.*35.Clithouæus *lib.2.de off.Miſſæ, c.* 17. Quod eſſe non poteſt. cùm apud D. Clementem *lib.* 8. *c.*10. Dionyſium, Cyprianum *lib.4. ep.5.* Ambroſium *lib.4. de ſacram.c.5. & 6.* Gelaſio antiquiores, multas canonis partes reperiamus. potuit fortè quædam addidiſſe, vel in melius mutaſſe. Sicut Liturgiæ D. Baſilij, Chryſoſtomi, Ambroſij, non fuerunt ab eis integræ compoſitæ, ſed ſolùm, quæ ſuo tempore erant, in meliorem redegerunt formam; ita tamen vt ſubſtantiales partes Liturgiæ ab Apoſtolis inſtitutæ integræ permanerent, vt notauit Bellarminus noſter *lib.2. de Miſſa,c.*19. Alij Scholaſtico id tribuunt, vt Berno Augenſis *c.*1. & Genebrardus *in annum* 604. quod D. Gregorius *lib.7. epiſt.*63. dicat valde inconueniens viſum, vt precem quam Scholaſticus compoſuerat diceremus ſuper oblatione, & non diceremus orationem, quam ipſe Chriſtus tradidit. idémque docet *lib.* 11. *epiſt.* 56. *ad Vitalem.* Verùm Scholaſtici nomen, etſi aliquando proprium fuerit, vt apud eumdem *lib.2. epiſt.54. & lib.9. epiſt.*14. ſæpiſſimè tamen eſt appellatiuum, ſignificans virum eruditiſſimum, cuiuſmodi præficiebantur ſcholæ Chriſtianorum ad eos erudiendos, qui ex Iudæis vel Gentilibus conuertebantur; vt fuerunt Panthenus, Origenes, Clemens Alexandrinus, & ſimiles. vt apud eumdem Gregorium *lib.* 1. *epiſt.* 3. *lib.3. epiſt.*38. *lib.4. epiſt.*89. *lib.*10. *epiſt.*2. Auguſtinum *in Pſalm.*44.*& lib. de catech. rud.* Hieronymum *in Catalogo ſcriptorum,* cùm de Serapione loquitur. quare D. Gregorius vel loquitur de viro erudito, cùm totus Canon, excepta forma conſecrationis, fuerit à Scholaſtico, id eſt, viris eruditis & Apoſtolis compoſitus. vel ſi accipit vt nomen proprium, non loquitur de canone, ſed orationibus illis,quæ dicuntur poſt deprecationem,*Agnus Dei.* quæ ex Micrologo *c.* 18. non ſunt de canone; nec in ordinario antiquo habebantur. vel aliqua alia prece. Rectiùs igitur dicendum eſt cum Origene *Hom.5. in Num.* D. Baſilio *lib. de Spiritu ſancto, c.* 27. Vigilio Papa *epiſtola data anno* 538. *ad Eucherium,*Iſidoro *lib.1.off.c.*15. Innocentio *c.cum Martha,de celebr.Miſſ.*VValdenſi *tom.* 3. *tit.4. c.*36. Soto 4. *d.*13. *quæſt.2.art.4.* Salmerone *tom.* 9. *tract.* 32. Bellarmino & aliis, ab Apoſtolis per traditionem ad nos deueniſſe, cùm habeatur apud Clementem *lib.8. conſtit. c.*13. *& epiſt.*2. qui à D. Petro didicerat, & multa apud Dionyſium *lib. de Eccl. hier.c.3.& 7.* & in Liturgia Iacobi, Marci, Chryſoſtomi;Cyrillo *in catechesibus,*Ambroſio *lib.4.de ſacram.c.5.*additis tamen aliquibus precibus à ſanctis Pontificibus vſque ad S. Gregorium,qui vltimus adiecit,*diéſque noſtros in tua pace diſponas*, ex VValfrido, Bernone, & Hugone de S. Victore. vnde integer tamquam res vſitata reperitur in ordine Romano ſcripto ante annum 750. cùm citetur ab Alcuino, qui obiit anno 804. Amalario & aliis illius temporis ſcriptoribus. Itaque meritò Concilium Tridentinum *ſeſſ* 22. *c.*4. dicit Eccleſiam catholicam multis antea ſeculis illum inſtituiſſe, ex Chriſti verbis, Apoſtolorum traditionibus, & ſanctorum Pontificum piis inſtitutionibus.ex quibus perſpicias Martini Lutheri impudentiam, qui *in lib. de abroganda Miſſa priuata,*non exhorruerit ſcribere, ſacrum canonem eſſe delirum, compoſitúmque ab aliquo verboſo & parum ſpirituali homine. contra quem Clithouæus *lib.2.de off.Miſſæ,c.*17.& Sotus 4.*d.*13.*q.2.art.4.*fuſiùs diſputant. 3.

Quoad diuiſionem Innocentius diuidit in 15. partes, Durandus *lib.* 4. *c.* 36. 4.
in vndecim. Gabriel *lect.* 20. & Bellarm. in ſex. quod eſt verius, vt ex ſingula-

rum

rum partium & orationum concluſione, nempe: *Per Dominum noſtrum, &c.* colligi poteſt. Prima incipit à, *Te igitur,* & extenditur vſque ad, *Hanc igitur oblationem*; illud enim, *Memento Domine*, &, *Communicantes*, non ſunt diuerſæ orationes;ſed particulæ primæ partis,vt conſtat,tum ex concluſione,*Per Dominum,&c.* tum quia niſi, *Communicantes*, continuaretur cum præcedentibus verbis, non haberet vllum ſenſum. Secunda pars continet orationem illam:*Hanc igitur oblationem.* Tertia incipit illis verbis: *Quam oblationem*, & continuatur vſque ad finem conſecrationis. Quarta incipit: *Vnde & memores*, & protrahitur vſque ad: *Memento etiam Domine.* cùm ante *Memento* ponatur etiam concluſio: *Per Dominum noſtrum.*Quinta pars eſt oratio prædicta: *Memento etiam Domine*, in qua fit memoria defunctorum. Sexta illis verbis incipit: *Nobis quoque peccatoribus*; & concluditur: *Per omnia ſecula ſeculorum,* ante orationem dominicam, vt populus confirmando dicere poſſit, *Amen.* Ideo feria ſexta hebdomadæ ſanctæ quia omittitur totus Canon, eo quòd pertineat ad conſecrationem, quæ tunc nulla fit, nulla harum ſex orationum legitur, nec dicitur: *Per omnia ſecula ſeculorum*; ſed immediatè poſt ablutionem manuum fit tranſitus ad orationem dominicam.

5. Porrò ne error aliquis poſſet in canonem irrepere, ita in Concilio Eboracenſi Patres ſanciuerunt: Quia ſecretum Miſſæ frequenter inuenitur aut ſcriptorum falſitate, aut librorum vetuſtate corruptum, vt legi diſtinctè non poſſit; Archidiaconorum ſollicitudo prouideat,vt in ſingulis Eccleſiis ad verum & probatum exemplar,Canon Miſſæ cum omni diligentia corrigatur.

Canonis pars prima: *Te igitur,&c.* CAP. IX.

SVMMARIVM.

1. *Connexio primæ partis Canonis cum præcedentibus.*
2. *Continet expreſſionem perſonæ cui dirigitur oblatio, & cur Dei clementia comparetur paternæ.*
3. *Mediatoris per quem, & propter quem à Deo omnia bona nobis proueniunt.*
4. *Offerentium affectum.*
5. *Res oblatas, & petitas, nihilque falſum, aut ſuperfluum continet, quicquid blatrent Nouatores.*
6. *Tribus crucibus ſignanda oblata, & quare.*
7. *Offerri pro Eccleſia, & cur hæc Catholica, & ſancta dicatur: pro Pontifice; pro Epiſcopo; pro Regibus: pro omnibus Orthodoxis in genere: pro amicis, qui ſe commendauerunt nobis: pro aſtantibus.*
8. *Nullam correctionem ineſſe, vt fingunt Nouatores.*
9. *Pro quibus donis conſequendis offeratur.*
10. *Quis ſit ſenſus,* Communicantes,&c.
11. *Commemoratio Sanctorum in Miſſa antiquiſſima,& præ cæteris mentio B. Virginis.*

1. ELeuatis igitur in cœlum oculis, vt fecit etiam Chriſtus cùm Lazarum reſuſcitauit, & cùm dixit: *Pater clarifica filium tuum*, expanſiſque ſurſum ad Deum manibus,vt exteriori etiam actu & geſtu ſupplicando humilitatem præ-

ſeferat,

ſeferat, & non elationem; ſacerdos ſacrum inchoat canonem, qui cum præcedentibus connectitur, particula, *Igitur*, ex Odone Cameracenſi, & Bonauentura hoc modo: *Quia noſtras voces ſupplici confeſſione admittis. Te igitur clementiſſime Pater per Ieſum Chriſtum filium tuum ſupplices rogamus, ac petimus, &c.* vel ex Stephano Heduenſi *lib. de ſacramento altaris, c.* 13. *Quia Deus Pater, per filium ab omni cœleſti creatura laudaris, & glorificaris, cum quibus ad laudem tuam precamur admitti etiam voces noſtras. Igitur per eumdem filium tuum te rogamus, ac petimus, vt tibi gratum ſit & acceptum quod offerimus, &c.*

Et primò quidem hæc pars continet perſonam cui oblatio dirigitur. ſecundò Mediatorem. tertiò offerentes corúmque affectum. quartò quæ offerimus, & quæ viciſſim poſtulamus. quintò eos pro quibus offerimus. ſextò pro quibus conſequenter offerimus. ſeptimò quorum orationibus nos iuuari optamus. Et quod attinet ad perſonam cui dirigitur, vt reliquæ orationes ſolent dirigi ad Patrem, ob rationes allatas *lib.* 3. *c.* 19. cùm egimus de Collectis, ita etiam hæ quæ in canone continentur, ad eumdem Patrem diriguntur, licèt toti ſanctiſſimæ Trinitati offeratur ſacrificium, vt ex S. Marcellino & aliis diximus *lib.* 2. *c.* 1. Eius verò erga peccatores miſericordia & clementia ſumma eſt, vt patet ex *Pſalm.* 102. *Secundùm altitudinem cœli à terra corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat ortus ab occidente longè fecit, &c. Quomodo miſeretur Pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe. Ad Romanos* 8. *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* vt etiam *Ioannis c.* 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* item *ad Rom.* 5. commendat Deus charitatem ſuam in nobis, quia cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Notauit autem D. Chryſoſtomus *lib.* 1. *de prouidentia*, non comparari clementiam Dei cum clementia paterna; quæ enim clementia humana comparari poſſit bonitati Dei? Sed nos hunc dicendi modum vſurpare, quod exemplum ſummæ affectionis nos nullum maius nouerimus, quàm Patris ad Filium. Qui etiam *Hom.* 2. *in Pſal.* 50. ait: *Miſerere mei ſecundùm magnam miſericordiam tuam. dixiſti, magnam, edicito quantam? quanta ſit neſcio, quòd grandis ſit noui. quantam autem, non valeo apprehendere; neſcio magnitudinis quantitatem, non comprehenditur verbo, video namque miſericordiæ fructum grandem: niſi enim in immenſum extenderetur, admodum pauci ſaluarentur.* 2.

Mediator autem exprimitur, cùm dicitur, *Per Ieſum Chriſtum*, cùm ipſemet dixerit *Io. c.* 16. *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Nam quicquid ſtatuit Pater mundo dare, voluit per Chriſtum, & propter Chriſtum concedere. Ideo dicitur *ad Coloſſ. c.* 1. Primogenitus omnis creaturæ, quia in ipſo condita ſint vniuerſa, & ſit ante omnes, & omnia in ipſo conſtent, & ipſe ſit caput corporis Eccleſiæ, ſitque in omnibus primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare; & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. & *ad Hebræos c.* 2. dicitur Deus propter ipſius Chriſti honorem & gloriam, omnia condidiſſe. & *ad Rom.* 8. ponitur Chriſtus cauſa exemplaris, & finalis electionis, & prædeſtinationis aliorum, quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus; id eſt, vt ipſe tamquam homo (neque enim vt Deus habet fratres) ſit tamquam prima menſura gratiæ & gloriæ cæterorum: ſub ipſo. videndus *ibidem*, D. Anſelmus, & Chryſoſtomus *Hom.* 15. Rupertus Abbas *lib. de proceſſione Spiritus ſancti, c.* 20. Auguſtinus *lib. de patientia, c.* 21. *lib.* 10. *de Ciu. c.* 25. *lib.* 18 *c.* 41. 3.

Origenes

Origenes *in Io. & lib. 2. contra Celſum*, Euſebius *lib. de præparat. & lib. 1. hiſt. c.3.* Gregorius Nazianzenus *in orat. de Machabæis.* Idem ſuadet ratio. neque enim veriſimile eſt, Deum in illa prima voluntate ſecundùm nos, qua ab æterno ſtatuit fundare regnum beatitudinis, prius de membris decreuiſſe quàm de capite. Quare vti in veteri Teſtamento ſacerdos ſemper vultum versùs Propitiatorium habebat, auream videlicet menſam ſuper arcam, in qua Deus apparens Moyſi populo propitiabatur; ita in nouo Teſtamento, Propitiatorium noſtrum Chriſtus eſt, ad quem debemus ſemper mentis oculos conuertere. 1. *Io. c. 2. Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis, &c.* Libet apponere, quæ hac de re luculenter diſputat D. Bernardus *ſerm. 13. in Cant. Origo,* inquit, *fontium & fluminum omnium mare eſt, virtutum & ſcientiarum Dominus Ieſus Chriſtus. Quis enim Dominus virtutum niſi ipſe eſt Rex gloriæ? Sed & iuxta Annæ canticum idem ipſe Deus ſcientiarum Dominus eſt. Continentia carnis, cordis induſtria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non ſolùm autem, ſed etſi quis callet ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet, inde eſt. Inde ſcientiæ, inde ſapientiæ ſermo. Theſauri ſiquidem ſapientiæ & ſcientiæ ibi omnes abſconditi ſunt. Quid? Caſta conſilia, iuſta iudicia, ſancta deſideria, nónne riuuli fontis illius ſunt? Quod ſi copia aquarum ſecretis ſubterraneis recurſibus inceſſanter æquora repetunt; vt inde rurſus ad viſus vſuſque noſtros, iugi & infatigabili erumpant obſequio, cur non etiam ſpirituales riui, vt arua mentium rigare non deſinant, proprio fonti, ſine fraude, & ſine intermiſſione reddantur? Ad locum vnde exeunt, reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant. Remittatur ad ſuum principium cœleſte profluuium, quo vberius terræ refundatur.* videri etiam poſſunt quæ hac de re diſputauimus *lib. 3. c. 19.*

4. Offerentes verò nos ipſi ſumus, qui humili ac ſupplici cordis affectu Deum rogare debemus, vt dignetur acceptare ſacrificium. Vt enim tabernaculum quo Dei arca aſſeruabatur, etſi intus eſſet præclaris aulæis exornatum, extra tamen ſagis cilicinis opertum erat; ita etſi ſacerdos & offerentes ſummis animi ornamentis ſint præditi, ſumma tamen humilitate tanto ſacrificio aſtare debent; cùm humilitas bonis operibus idem præſtet, quod o. in Arithmeticis ſupputationibus. cuius characteris vis ex ſe nulla eſt, nulliuſque pretij, aliis tamen præcedentibus coniunctus, maximè numerum auget. vt ſi vnitati ſemel addatur, 10. efficit; ſi bis, centum; ſi ter, mille conficit. Et Dauid, cùm dixiſſet Domino, *Holocauſtis non delectaberis.* ſubdit, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Dúmque ſacerdos hæc dicit, humiliter ſe inclinat: tum ob reuerentiam, quam Deo in hoc miniſterio exhibere decet; tum ex D. Thoma 3. *p. quæſt. 83. art. 5.* ad oſtendendam myſticè Chriſti humilitatem in paſſione, ſecundùm illud D. Pauli: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem.* & conſequenter vt oſtendat ſacerdos ſe Chriſto compati. Et in ſacroſanctæ paſſionis eius reuerentiam deoſculatur altare.

5. Res oblatæ dicuntur hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata. quæ petimus vt Deus accepta habeat, & benedicat. de quibus verbis S. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, c.27.* dicit, *Ab Apoſtolis nobis nulla ſcriptura euangelica, aut Apoſtolica, commendata.* Quo loco etiam more ſuo latrat Martinus Lutherus *lib. de abroganda Miſſa*, verbis ſuperfluere dum eadem dona, munera, & ſacrificia appellantur. Maleque ante conſecrationem panem & vinum ſacrificia ſancta & illibata vocari. Sed ſanè reprehendendus ipſe, cùm meritò hæc dicantur: multiplicantur enim nomina, tum ad affectum noſtrum excitandum, augendámque deuotionem in tanti ſacrificij commendatione, vt docet Alcuinus *lib. de diu.*

off.c.de celebratione Miſſæ, & Florus *in expoſitione Miſſæ*, qui mos eſt in Pſalmis frequentiſſimus, vt probat Bellarminus *lib. 2. de Miſſa,c.*22. tum ex ſententia Stephani Heduenſis *lib.de ſacramento altaris c.*13. Hidelberti *lib.de off.Miſſæ.*Ruperti *lib.2.de off.c.6.* & Hugone de S. Vict. *lib. 2. de off.c.29.* quia donum eſt quod a ſuperiore datur, munus quod ab inferiore: vnde quæ hic tractantur ſunt dona à Deo nobis donata, & munera à nobis Deo oblata, vt ex his fiat ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti. Idem panis & vinum dicuntur ſacrificium, non quòd iam ſint ſacrificium propitiatorium, ſed quia ſunt materia ſacrificij futuri, & ideo iam dedicata & præparata ad ſacrificium.Sicut appellat etiam Cyprianus *lib. de eleemoſyna*, & in lege veteri oues adhuc viuentes dicebantur, ſacrificium, vt cùm *Leuit.c.*4.5.6.dicuntur illi offerre ſacrificia pro peccato,qui offerebant materiam ex qua deinde ſacerdos faciebat ſacrificia pro peccato. Et vtitur Eccleſia numero multitudinis,dona,munera,ſacrificia, ob duplicem ſpeciem panis & vini. Sed vt ceſſet Lutherus adlatrare, dicuntur ſancta etiam ante conſecrationem,ex Stephano Heduenſi *c.*13. quia iam diuino cultui per præcedentem oblationem & præparationem ad ſacrificium ſunt dedicata. docet enim Origenes *Hom.*21. *in c.*20. *Leuit.* ſancta dici, quæ cultui diuino vel ſacris vſibus ſunt deputata. Eadem dicuntur illibata, tum ex Stephano Heduenſi, & Odone Cameracenſi quia integra; tum ex Innocentio *lib.* 3. *c.*3. quia ſine labe & macula, cùm pura Eccleſiæ intentione & cordis affectu offerantur. tum ad differentiam veterum ſacrificiorum, iuxta Malachiam *c.*1. *Et offertur nomini meo oblatio munda.* Sanctiora tamen fieri debent per tranſubſtantiationem in corpus & ſanguinem Chriſti media conſecratione. Ideo rectè petimus, vt Deus illa benedicat, & ſanctificet. Nec inconueniens eſt,vt id à Deo petamus,etſi certò ſciamus ex verborum efficacia infallibili lege à Deo perficienda, vt rectè docet ſanctus Thomas 3. *p. queſt.* 83. *art.*4. *ad* 3. tum quia per intentionem ſacerdotis impediri poteſt; tum quia non tam petimus effectum conſecrationis per hæc verba, quàm effectum ipſius ſacrificij in iis pro quibus offertur, vt huius ſacrificij virtute illos benedictionis gratia repleat, ſeu vt conſecratio fructuoſa ſit.vt in ſimili paulo pòſt dicemus *ex can.vtrùm,de conſecr.d.*2.

Ex veteri autem conſuetudine, vt conſtat etiam ex reſponſione Zachariæ 6.
Papæ data anno 751. S. Bonifacio Moguntino Epiſcopo, ſacerdos hæc dicens tribus crucibus oblata ſignat: eſtque primus ordo crucis ſigni ex ſeptem, qui in canone continentur, ex S. Thom. *opuſc.* 66. *cap.*1. *&* 2. quod fit ob triplicem Chriſti Domini traditionem, ex eodem S. Thom. 3.*p.queſt.* 83. *art.* 5. Bonauentura *in expoſitione Miſſæ*, Innocentio *lib.*3.*c.*3. Alenſi 4.*p.queſt.*37. Durando *lib.*4. *c.*36. Ruperto *lib.*2.*off.c.*6. Gabriele *lect.* 21. nempe à Deo, ex dono per charitatem. nam de Patre dicitur *ad Rom.* 8. *Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum.* De filio dicitur *Io.* 10. *Ego pono animam meam, & iterum ſumo eam.* & *ad Epheſios c.*5. *Chriſtus ſemetipſum tradidit pro Eccleſia.* De Spiritu ſancto dicitur prophetaſſe per os Caiphæ, *Io.*11. *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo.*Deinde à Iuda pretio triginta denariorum ex auaritia. *Matth.*21. *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* & Chriſtus illi dixit: *Iuda, oſculo filium hominis tradis?* Denique à Iudæis Pilato in ſacrificium ex inuidia. ſciebat enim Pilatus quòd per inuidiam tradidiſſent eum, *Matth.*27. Notauit autem Gabriel *lect.*21. conſignationes crucis non ſolùm fieri ad conſecrandum oblata, aliàs facta conſecratione non amplius ſignarentur, ſed etiam vt modus & ordo dominicæ paſſionis repræſentetur.ideo illæ paſſionis partes quæ præceſſerunt crucifixionem,

repræ

repræſentantur per ſignationes ante conſecrationem. Aliæ quæ ſunt conſummatæ in cruce, deſignantur per crucis ſigna, quæ fiunt poſt conſecrationem. Aliam cauſam huius triplicis crucis ſigni affert Albertus *tract. de Miſſa*; nempe ad ſignificandam triplicem Chriſti illuſionem, cùm deriſus ſit coram Pontificibus, coram Herode, & coram Pilato. Aliam Stephanus Heduenſis *c.* 13. Hugo de S. Vict. *lib.* 2. *c.* 29. & Micrologus *c.* 14. vt doceamus in virtute ſanctiſſimæ Trinitatis conſecrationem perfici, totámque Trinitatem ad ſacrificium operari. Sanctus Thomas denique *opuſc.* 66. tres cruces adhiberi dicit, quòd tria offeramus benedicenda, panem, vinum, aquam; pro tribus rogemus, pro Eccleſia omnibúſque generaliter, pro familiaribus abſentibus, pro circumſtantibus; tria petamus, vt dies noſtri diſponantur in pace, eruamur à damnatione, & vt numeremur in grege electorum. Vt hoc modo per virtutem crucis, quæ ſunt propoſita benedicantur, roborentur ij pro quibus rogamus, & impetremus quæ petimus. Huc videtur alluſiſſe etiam Leo IV. *Hom. ad Epiſcopos*, per Prouincias miſſa, legenda Presbyteris, cùm ait: *Calicem & oblatam rectâ cruce ſignate, id eſt, non in circulo, & varicatione digitorum, vt plurimi faciunt, ſed diſtrictis duobus digitis, & pollice intus recluſo, per quos Trinitas innuitur, iſtud ſignum* ✠ *rectè facere ſtudete. non enim aliter quicquam poteſtis benedicere. quamquam modo non tribus tantum digitis, ſed plena manu id fiat.* Dubitat autem D. Anſelmus *lib. de ſacramentis*, num panis & poculum ſingillatim accipiant ſingulas cruces, an ſimul vna cruce duo ſignentur, ait enim: *Vbi dicimus: Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata, ſiue ſingillatim pani & vino ſingulæ cruces aſſignentur, ſiue vna cruce duo ſimul ſanctificentur, non video in hac diuerſitate reprehenſibilem diſcordiam: niſi fortè conuenientius ambo vna cruce notentur, ſicut vno verbo benedictionis ſanctificantur.* quod, vt notat Thomas VValdenſis *tom.* 3. *tit.* 4. *c.* 37. intelligitur, vbi verbum benedictionis eſt vtrique commune; vbi enim corpus & ſanguis, panis & vinum ſingulariter capiuntur, ſingulæ cruces ſuæ materiæ aptantur.

7. Quod attinet ad eos pro quibus offerimus. Primò cum publicum bonum particulari ſit præferendum, vt vidit etiam Ariſtoteles *lib.* 1. *Ethicorum*, oratur pro Eccleſia, vt collecta & adunata ſecundùm diuerſos gradus, vt Hierarchicus ordo ſuperiorum ad inferiores, & inferiorum ad ſuperiores ſeruetur inconcuſſus, in præcipiendo & obediendo ex virtute charitatis; quod etiam habetur apud D. Clementem *lib.* 8. *conſtit. c.* 18. *Adhuc*, inquit, *precamur pro Eccleſia tua ſancta, à finibus vſque ad fines propagata, quam pretioſo ſanguine Chriſti tui acquiſiuiſti, vt eam pacifices & conſerues vſque ad conſummationem ſeculi.* vt etiam in Liturgiis D. Marci, Baſilij, & aliorum, & apud Optatum Mileuitanum *lib.* 2. *contra Parmenianum. Quis*, inquit, *dubitat vos illud legitimum præterire non poſſe? Offerre vos. dicitis pro Eccleſia, quæ vna eſt, &c.* & ſanè ratio charitatis, quæ ordinata eſt *Cant.* 2. requirit vt principaliter pro Eccleſia tota, & vniuerſali, quod ſignificat Catholica, offeratur, tamquam re ſummi momenti. etenim ὅλον, *totum*, ſiue *vniuerſum* dicitur, *per totum* autem, ſiue *ſecundum totum*, eſt καθ' ὅλον, vnde Eccleſia catholica dicitur ex D. Auguſtino *lib.* 3. *contra Donatiſtas c.* 1. *lib. de vnitate Eccleſiæ contra epiſtolam Petiliani, c.* 2. *lib.* 2. *contra epiſtolam Petiliani, c.* 38. *& tract.* 118. *in Ioannem.* Eſt autem Eccleſia vniuerſalis, ſeu catholica, non ſolùm loco, quia vbique eſt, ſed etiam tempore, quia ſemper; cùm ab ipſo mundi exordio, vſque ad eos, qui in fine mundi ſunt in Chriſtum credituri, ſe extendat. Vtrumque enim requiritur, vt meritò vniuerſalis dici poſſit. vnde Vincentius Lirinenſis *in Commentario aduerſus profanas vocum nouitates*, inquit: *Illud dicitur catholicum, quod ſemper*

& vbique creditum eſt. videndus etiam D. Auguſtinus *lib. de Paſtoribus c.* 8. *& lib. contra epiſtolam Manichei c.* 5. & Bellarminus *in Apologia contra Regem Angliæ.* Introductum verò eſt in Eccleſia nomen Catholici, vt eſſet tanquam teſſera ad dignoſcendos Orthodoxos ab hæreticis, vt docet his verbis Pacianus *epiſt.* 1. *ad Symphron.* Sub Apoſtolis, inquies, nemo catholicus vocabatur. eſto; ſic fuerit, vel illud indulge cùm poſt Apoſtoles hæreſes extitiſſent, diuerſiſque nominibus Columbam Dei atque Reginam lacerare per partes, & ſcindere niterentur, nonne cognomen ſuum Eccleſia poſtulabat, quæ incorrupti populi diſtingueret vnitatem, ne intemeratam Dei Virginem error aliquorum per membra laceraret? nónne appellatione propria decuit caput principale ſignari? Ego forte ingreſſus populoſam vrbem hodie cùm Marcioniſtas, cùm Apollinaricos, Cataphrygas, Nouatianos, & cæteros huiuſmodi comperiiſſem. qui ſe Chriſtianos vocarent; quo cognomine congregationem meæ plebis agnoſcerem niſi catholica diceretur? Eadem dicitur ſancta, vt etiam appellatur à D. Paulo *ad Epheſios c.* 5. *& in Symbolo Apoſtolorum:* quamuis in ea ſint etiam fideles mali. *Matth.* 13. *Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ, &c.* Rationes affert diuus Auguſtinus *lib.* 1. *contra Creſconium c.* 9. *lib.* 2. *contra litteras Petiliani. c.* 108. *lib.* 3. *de Baptiſmo contra Donatiſtas c.* 19. Gabriel *in canon. lect.* 22. Turrecremata *lib.* 1. *de eccl. c.* 9. *vſque ad* 17. Catechiſmus Romanus *in expoſitione articuli, Sanctam Eccleſiam,* Gregorius de Valentia 2. 2. *q.* 1. *de fid. diſp.* 1. *p.* 7. tum quia eius caput eſt Chriſtus Sanctus Sanctorum, *Daniel. c.* 9. & plenus gratiæ & veritatis, *Io. c.* 1. tum quia eius Rector eſt Spiritus ſanctus, quem pollicitus eſt Chriſtus, *Io. c.* 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.* tum quia præcipua membra ſunt Iuſti qui carent macula peccati mortalis, quæ ſola cum gratiæ ſanctitate ſtare non poteſt, & per Synecdochen propter eos Eccleſia dicitur Sancta, vt ſolemus dicere nationem aliquam eſſe fortem, etiamſi aliqui haud ita ſint. tum ob ſacramenta legeſque ſanctiſſimas quas habet; tum quòd nullus Sanctus eſſe poſſit extra Eccleſiam, ſicut nec quis euaſit diluuium extra arcam, vt ad hoc idem propoſitum adducit S. Gregorius *lib.* 35. *Mor. c.* 6. Meminit huius partis tamquam traditionis antiquæ Vigilius Papa *epiſtola data anno* 540. *ad Iuſtinianum Imperatorem*, dicens: *Et quod omnes Pontifices in offerendo ſacrificia traditione depoſcimus exorantes, vt Catholicam fidem adunare, regere, Dominus & cuſtodire toto orbe dignetur: ſummis hoc pietas veſtra viribus efficit, &c.* Secundò, oratur deinde pro Papa cùm perſonæ publicæ & in dignitate conſtitutæ priuatis perſonis præferantur. 1. *ad Tim. c.* 2. quòd ab eis Reſpublica dependeat. Idem habetur in Liturgia S. Marci & Chryſoſtomi, & apud Clementem *lib.* 8. *conſtit. c.* 12. cùm ait: *Adhuc obſecramus te pro me qui nihil ſum.* dum enim ſummus Pontifex ſacrificat non poteſt aliter ſui mentionem facere. Apud Latinos etiam vſus eſt antiquiſſimus, cùm extet huius rei præceptum Concilij Vaſenſis II. *c.* 4. dicátque Pelagius teſte Alcuino *de diu. off. c. de celebr. Miſſæ*, & Durando *lib.* 4. *c.* 36. à communione ſeparatos eſſe, qui qualibet diſſenſione inter ſacra myſteria Apoſtolici Pontificis memoriam ſecundùm conſuetudinem non frequentant. Videndus etiam Odo Cameracenſis & Stephanus Heduenſis *c.* 13. Nec mirum, cùm pro Petro Eccleſiæ capite orauerit Chriſtus. dixit enim *Lucæ* 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* & ſine intermiſſione oraret Eccleſia. *Act.* 12. cùm detineretur in carcere ab Herode. Tertiò oratur quoque pro Epiſcopo loci, vt habetur in omnibus Liturgiis, & apud Chryſoſtomum *Hom.* 79. *ad populum Antiochenum.* Auguſtinum *ep.* 110. Gregorium *lib.* 4. *epiſt.* 37. Concilium Africanum *c.* 48. Carthaginenſe IV. *c.* 84. & eſt

præceptum

præceptum Apoſtoli *ad Hebr.* 13. *Mementote prepoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei.* Videndus etiam Nauarr. *in Manuali. c.25. num.* 111. Quartò in diœceſibus & Eccleſiis, quæ ſunt in ditionibus Regum, nominari etiam ſolet Rex, vt conſtat ex S.Clemente *lib.8.conſtit.c.*18. Tertulliano *in Apolog.c.*31. *&* 49. Arnobio *lib.4.aduerſus Gentes, circa finem,* Ambroſio *lib.4. de ſacram. c.4.* Auguſtino *epiſtola 59.ad Paulinum,* Liturgiis Baſilij, Chryſoſtomi, & Æthiopum, Stephano Heduenſi c.13. Odone Cameracenſi, Innocentio, Bonauentura *in expoſitione Miſſe,* & colligitur *ex c. 2. epiſtolæ primæ ad Timoth. Obſecro primò fieri obſecrationes, &c.* quo loco expreſsè Chryſoſtom. Oecumenius & Theophylactus dicunt probare Apoſtolum morem orandi pro Regibus in ſacrificio. Quintò, item pro omnibus orthodoxis, & Eccleſiæ catholicæ cultoribus in genere; quòd licet Micrologus c. 13. dicat non haberi in emendatioribus codicibus, & eſſe ſuperfluum, cùm idem ſit ac offerre pro tota Eccleſia: Alcuinus tamen, qui 300. annis Micrologum anteceſſit, eadem habet, ſicut etiam Liturgiæ D. Marci, & Æthiopica. nec ſuperfluum eſt, vt contendit Lutherus, eſt enim idem, vt notat Stephanus Heduenſis, qui annis 50. præceſſit Micrologum, Bonauentura, Gabriel *lect.21.* & alij, ac ſi diceremus: Offerimus tibi primò pro omni Eccleſia in vniuerſum, deinde in particulari pro Papa, Epiſcopo, Rege, & pro omnibus aliis fidelibus, ſiue principibus, ſiue priuatis ſeu Eccleſiæ catholicæ cultoribus. Tum ſpecialiter ſextò oratur pro amicis ſeu familiaribus abſentibus, qui ſe noſtris ſacrificiis commendarunt, qui eleemoſynas dederunt, & ſimilibus, ſecretò in, *Memento,* petitque ſacerdos vt illorum meminerit Deus. non quidem quòd timeamus ne Deus ſit obliuioſus, & velimus immemorem commonefacere, vt garrit Zuinglius cùm ſint illi omnia præſentia. vt enim Dei eſſentia eſt immutabilis, ita cognitio inuariabilis. quare nec obliuiſci, nec de nouo cognoſcere aut meminiſſe quicquam poteſt: ſed precamur, vt meminiſſe dignetur per effectum, & per metaphorá, quod eſt adiuuare & approbare; ſicut dicitur neſcire & obliuiſci quando non iuuat aut approbat. *Matth.c.7. Numquam noui vos. Matth.25. Amen amen dico vobis, neſcio vos. Pſ.9. Ne obliuiſcaris pauperum. Pſal.12. Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem. Exod. 32. Recordare Abraham, Iſaac, &c.* An autem expediat texere in Memento longum Catalogum amicorum & benefactorum ſingillatim, diſputat, partémque negatiuam ſequitur Nauarr. *in Manuali loco cit.c.25. num.111.* Septimò, tandem oratur pro adſtantibus, vt etiam fit in Liturgia S.Baſilij. Et meminit huius rei etiam Chryſoſtomus *Homil. 26. in Matth.* quorum omnium fides quoad intellectum, & deuotio quoad affectum, deſiderium ſcilicet participationis Deo nota eſt. Notat Stephanus Heduenſis c. 13. & Petrus Damiani *lib. de Dominus vobiſcum.* quòd etſi vnus tantùm vel etiam nullus, vt olim in Miſſis ſolitariis, ſit præſens, non tamen ob id mutandas huiuſmodi orationes, quæ pluraliter fieri ſolent; quia fideles omnes quaſi præſentes, fide & charitate ſacramentis communicent.

8\. Neque verò correctio vlla eſt, cùm dicitur: *Pro quibus tibi offerimus,* vel, *qui tibi offerunt, &c.* vt blaterat Georgius Maior; priora enim verba referuntur ad eos pro quibus offertur ſacrificium, ſed ipſi quòd abſentes ſint, déque hoc non cogitent, non coofferunt; poſteriora verò ad coofferentes; vt qui ſacrificium fieri aliquo modo curarunt; vel ſunt præſentes, idémque pro ſe ſuiſque neceſſitatibus offerunt ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti mox futurum; non autem offerentes eleemoſynas pro pauperibus, vt ſomniat idem Georgius Maior; aut ſacrificium ſpirituale laudis, vt Kemnitius fingit. qua de re optimè Bellar-

minus *lib.2.de Miſſa.c.21.* vbi ex D.Auguſtino *lib.1.contra aduer.leg. & Proph. c.20.* probat Euchariſtiam ipſam dici ſacrificium laudis, quòd per illud Deus ſummopere laudetur, illíque agantur gratiæ pro eius ſummis in nos beneficiis; quod etiam Alcuinus ſentit. His non diſſimilia habet D.Baſilius *in Liturgia*, cùm ait: *Memento etiam Domine eorum, qui vnà nobiſcum adſtantes orant, & eorum, qui hinc procul abſunt; eorum quoque qui has oblationes obtulerunt tibi, tum etiam eorum, quorum nos ex præcepto meminiſſe debemus: inſuper eorum, qui in Eccleſiis tuis fructuoſi ſunt pauperum non obliti: & eorum, qui eleemoſynis veſtitúque aliis ſubueniunt. horum,* inquam, *& ſimul eorum, qui cupiunt quidem, ſed non valuerunt offerre, & omnino cuiuſcumque memineris pro animi ſui propoſito.*

Offertur autem ex Alcuino, & Gabriele pro redemtione animarum, id eſt, 9.
remiſſione peccatorum, cùm *ad Coloſſ.1.* in Chriſto habeamus redemtionem in ſanguine eius, qui nobis applicatur in Miſſa & ſacramentis, vt *lib.1.* diximus; pro ſpe ſalutis, id eſt, pro vita æterna, & conſequutione beatitudinis, quæ eſt vera ſalus. & pro incolumitate, temporali ſcilicet, & corporali ſanitate, vt etiam expreſsè pro infirmorum ſanitate, ſalubritate aëris, fructuum abundantia, pace & ſimilibus, offertur apud Clementem *lib.8. conſtit.c.18.19.* in Liturgia D.Iacobi, & Baſilij, & teſtatur etiam Chryſoſtomus *Hom.77. in Io.* Cyrillus *catech. myſt.5.* & Ambroſius *in ep.1.ad Timoth. c.2.* vt diximus *lib.1.c.8.* Tibique reddunt vota ſua, ſacrificia ſcilicet, ex Alcuino, vel ex aliis vota fidei, & deuotionis, ſeu pia deſideria populi coofferentis. Æterno Deo viuo ac vero, ad diſtinctionem falſorum deorum, qui nec æternæ vitæ compotes ſunt, nec eam aliis largiri poſſunt. nam quod ex ſe ipſo non eſt, ex ſe vitam habere non poteſt: at quod non habet vitam ex ſe, nec viuendi cæteris cauſa eſſe poteſt.
Act.7. quorum vtrumque in ſummo Deo, qui ideo à Græcis Ζεὺς dictus eſt, requirit etiam Laërtius in Zenone, nec veri ſunt; vnde *Ieremiæ c.10.* ait Propheta, *Dominus autem Deus verus eſt; ipſe Deus viuens, & Rex ſempiternus, ab indignatione eius commouebitur terra, & non ſuſtinebunt Gentes comminationem eius. ſic ergo dicetis eis: Dij qui non fecerunt cælos & terram, pereant de terra, & de his quæ ſub cælo ſunt.*

Additur Sanctorum commemoratio, quorum patrocinia expoſcimus. & qui- 10.
dem illud, *Commemorantes.* dupliciter à veteribus exponitur. Alcuinus *de off.c. de celebratione Miſſæ,* Amalarius, Florus, Innocentius, Durandus, Albertus, Bonauentura & VValdenſis *tom.3.tit.4.c.37.* referunt ad communionem cum Sanctis, de qua *ad Rom.c.12.* vt ſit ſenſus: Offerimus hoc ſacrificium, communicantes memoriis Sanctorum, & eoſdem venerantes. cum de hac Sanctorum ſocietate dicat D. Paulus *ad Eph. 2. Eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei*; & communicemus cum Sanctis. & in obiecto fidei, vt ait Albertus & Gabriel, qua quod ipſi clarè vident, nos credimus & in obiecto ſpei, cùm eumdem ſperemus quem ipſi iam ſecuri tenent. & in obiecto charitatis, quia eumdem omnes amamus; etſi illi perfectiſſimè, nos imperfectè. Et in hoc ſacrificio, cum mediante hoc ſint conſequuti ſalutem. *Io.6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, &c.* At verò Micrologus *c.12.* Odo Cameracenſis *hoc loco,* & Hugo de S.Vict. *lib.2. de off.c.29.* communicantes, referunt ad offerentes inter ſe, vt ſit ſenſus: Offerimus communicantes, id eſt, inter nos vniti, & coniuncti per fidem, & charitatem, vt decet membra eiuſdem corporis. cum dixerit Chriſtus *Matth.5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet, &c.* & præterea memoriam venerantes in primis, &c. idque optima ratione probat Micrologus; quia in Natiuitate Chriſti, Epiphania, Paſchate,

Aſcenſio

Aſcenſione,& Pentecoſte,vt etiam conſtat ex epiſtola Viglij Papæ data ad Eleutherium anno 538. poſt illud, *Communicantes*, additur, *& diem ſacratiſſimum celebrantes, &c. ſed & memoriam venerantes, &c.* vbi aperte videmus illud, communicantes, non coniungi cum Sanctorum memoria, ſed ad ſolos offerentes referri, etſi ſcriptores, vt ait Hugo, quaſi initium capitis faciant, quamuis coniungatur cum præmiſſis, quia in prædictis ſolemnitatibus reperitur prædicta diuerſitas,quæ ſic potuit commodiùs adnotari.

11. Iam verò commemoratio Sanctorum in Miſſa in eorum honore, & vtilitate noſtra, quippe cùm Sanctorum apud Deum pro nobis deprecatio ſit vnum e mediis ſalutis noſtræ, vt patet exemplo Ieremiæ, & Oniæ *lib.2. Mach.c. vltimo, & ex 2. epiſt. D.Petri c.1. & Apocal.c.5. Quam inter ſacrificandum à Domino poſtulamus, antiquiſſima eſt.* Vnde Dionyſius *lib. de Eccl. hier.c.3.* ait: *Adeſt protinus atque incunctanter Sanctorum deſcriptio,coniunctionẽ eorum indiuiduam vnionémq; cum illo altiſſimam & ſacratiſſimam indicans,&c.* & Clemens *lib.8.conſtit.c.19.*poſt commemorationem pro Eccleſia, epiſcopatu, miniſtris Eccleſiæ, Regibus, & iis qui ſunt in dignitate conſtituti; vt in omni ſanctitate tranquillam vitam ågamus, ait: *Sanctorum Martyrum memoriam colamus, vt digni efficiamini certamine ipſorum.* Euſebius Alexandrinus *Hom. de Sanctis colendis*, apud Turrianum *lib.5. pro epiſtolis Pontif.c.16. Ob hanc cauſam præcepit nobis memorias celebrare, vt acceptis hymnis, & auditis laudibus, benignum Deum exorent, vt preces noſtras caducas admittat; oportet ergo vt qui memorias Sanctorum celebramus, multa religione ac reuerentia eas celebremus.* Baſilius in Liturgia eorumdem commemorationem ponit, & reddit etiam huius facti cauſam. Cyprianus *lib.3.ep.6.* petit adnotari dies paſſionum Martyrum, vt in ſacrificiis memoriam eorum celebrare poſſint.Cyrillus *catech. myſt.5. Poſtea* (inquit) *memoriam facimus eorum, qui ante nos dormierunt, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.* Chryſoſt. *Hom.21. in Acta Apoſtolorum*, ait; *Pro Martyribus offerre nihil aliud eſt, quàm in illa hora ſacrificij vocari: nam etiam Martyribus magnus honor eſt nominari Domino præſente, dum mors illa perficitur, & horrendum ſacrificium, & ineffabilia ſacramenta.* S. Aug. *tr.84. in Io. Ideo ad menſam Domini, non ſic Martyres commemoramus quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, vt etiam pro eis oremus, ſed magis vt ipſi orent pro nobis.* & *ſer.17. de verbis Apoſtoli. Habet eccleſiaſtica diſciplina quod fideles norunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbi non pro ipſis oratur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. lib.22. de ciu.c.10. Ad quod ſacrificium ſicut homines Dei* [Martyres] *qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non à ſacerdote qui ſacrificat inuocantur; Deo quippe non ipſis ſacrificat, quamuis in memoriam ſacrificet eorum, qui Dei ſacerdos eſt, non illorum.* videndus idem *ſer.34. tertia partis ſermonum.* Porrò Confeſſorum aut virginum non martyrum, nulla fit mentio, ex Innoc. *lib.3.c.10.* Durando *lib.4.c.38.*& Bonauentura quòd eo tempore ſacer Canon ſit compoſitus, quo nondum cœperant publicè in Eccleſia coli. conſtat tamen ex Concilio Moguntino celebrato tempore Caroli Magni *can.36.*tunc iam Confeſſorum feſta cœpiſſe eſſe in vſu; cùm in Catalogo feſtorum dierum ponantur dies feſti S.Martini, & S.Remigij. Fit igitur mentio inprimis glorioſæ virginis Mariæ, vt etiam habetur in Græcis Liturgiis S.Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi,& apud Cabaſilam *c.14. Præcipuè* (inquiunt) *ſanctiſſimæ intemeratæ, ſuperbenedictæ, glorioſæ dominæ noſtræ deiparæ & ſemper virginis Mariæ, cum omnibus Sanctis memoriam facientes, &c.* & ſanè meritò inprimis colenda B.Virgo. tum ex Steph. Heduenſi *c.13. & 17.*& Bonauentura,quia cæteris omnibus ſanctior, vnde S.

Ephrem

Ephrem *orat. de laudibus Virginis. Sanctior* (inquit) *Cherubim, ſanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus ſuperis exercitibus glorioſior.* & Andreas Cretenſis *ſerm. de dormitione Deiparæ: O ſancta & ſanctis ſanctior, & omnis ſanctitatis ſanctiſſime theſaure.* & Pet. Damianus *ſerm. de aſſumt.* declarans cur B. Virgo dicatur pulcra vt luna. *Virgo inter animas Sanctorum, & Angelorum choros ſupereminet, & cuncta merita ſingulorum, & omnium titulos antecedit, & quantumlibet aliæ ſtellæ reſplendeant, luna tamen magnitudine præeminet, & ſplendore; ſic vtramque naturam Virgo ſingularis exuperat immenſitate gratiæ, & fulgore virtutum.* Nec non Damaſcenus *orat. 1. de dormit. Virg. Dei Matris & ſeruorum Dei infinitum eſt diſcrimen.* Similia habet Bonau. *in ſpeculo virg. c. 7.* Antoninus *3. p. hiſt. tit. 18. c. 8.* Carthuſ. *lib. 1. de laud. virg. art. 14.* Eſtque illuſtrium Theologorum opinio Mariæ ſanctitatem, & gratiam, perfectiorem eſſe, quam omnium Sanctorum etiam collectiuè. tum ob eximiam dignitatem Matris Dei, quæ Christi conſanguinea & ſecundum carnem coniuncta effecta eſt. quod nullis aliis creaturis conuenit. quam ob cauſam Epiphanius *hæreſi 79.* dicit Mariam Virginem cæteris honoratiorem eſſe, propter myſterium Incarnationis. videndus etiam Auguſtinus *ſerm. 35. de Sanctis.* Damaſcenus *lib. 4. de fide. c. 15.* & Anſelmus *lib. de excell. Virginis, c. 8.* vnde Io. Idiota *in prologo contemplationis B. Virginis. Accede* (inquit) *per deuotam mentis contemplationem ad glorioſiſſimam Virginem Mariam eius matrem, quia per ipſam, & in ipſam, & cum ipſa, & ab ipſa habet mundus & habiturus eſt omne bonum, ſcilicet ſuperbenedictum filium eius Dominum noſtrum Ieſum Christum, qui eſt omne bonum, & ſummè bonum, & ſine quo nihil eſt bonum, cum ſolus bonus ſit. inuenta itaque Virgine Maria inuenitur omne bonum. Ipſa namque diligit diligentes ſe, immo ſibi ſeruientibus ſeruit. Ipſa ſuperbenedicto filio ſuo irato, potentiſſime reconciliat ſeruos & amatores ſuos.* Hinc D. Margarita virgo Belæ quarti Hungariæ regis filia inter loquendum eamdem nullo alio nomine quam, beatam ſpem, vel ſpem mundi, vel Dei matrem appellabat, vt teſtatur Petrus Ranſanus Epiſcopus Lucerinus Orator Ferdinandi Regis Siciliæ apud Sereniſſ. Mathiam Hungariæ Regem, *in epitome rerum Hungaricarum, Indice* 16. Quare cùm cæteri Sancti dulia colantur, beatiſſima Virgo hyperdulia eſt colenda, ex S. Thom. *3. p. q. 25. art. 5* Caiet. *ibidem,* Gabriele *in can.* Paludano *3. d. 9. quæſt. 2.* Caniſio *lib. 5. de B. Virgine,* Vaſquez *lib. 1. de ador. diſp. 7.* Inde recenſentur 12. Apoſtolorum, totidémque Martyrum nomina, & generaliter inuocantur ſancti omnes, tam veteris quàm noui Teſtamenti. Oratúrque Deus, vt eorum precibus, meritíſque ipſius muniamur auxilio, *Per Christum Dominum noſtrum.* Obſeruat autem Hugo de S. Victore *lib. 2. eſſ. c. 30.* & Thomas VValdenſis *tom. 3. tit. 4. c. 37.* præceſſiſſe figuram memoriæ huius Sanctorum, quam facimus, in Rationali Aaron, vbi inſculpta erant duodecim Patriarcharum nomina. qua certe re monemur, vt ad menſam Domini accedentes ſanctorum Patrum noſtrorum vitæ ſanctitatem ac puritatem imitemur, quod etiam notauit Beda *lib. 3. de Tabernaculo, cap. 11.*

Suarez tom. 2. diſp. 18. ſect. 4. & Barrada lib. 6. c. 16.

Canonis pars ſecunda : *Hanc igitur oblationem, &c.* CAP. X

SVMMARIVM.

1. *De manuum ſuper oblata impoſitione, & eius ſignificatione.*

2. *De*

2. *De quadruplici petitione, nempe, vt Deus acceptare dignetur oblationem materiæ futuri ſacrificij, eámque benedicere & ſanctificare per conſecrationem in corpus & ſanguinem Chriſti, dies noſtros in ſua pace diſponere, nos eripere ab æterna damnatione, & iubere vt in ſuorum electorum grege numeremur.*

1. PArs altera canonis continetur oratione illa: *Hanc igitur oblationem ſeruitutis, &c.* quæ dum recitatur, extenduntur ſuper oblata manus veteri ritu, vt videri eſt *Exod.29. Leuit.c.1.3.4.* vbi dicitur: *Ponétque manus ſuper caput hoſtiæ, & acceptabilis erit.* Idque fit tum ad ſignificandum hoc ſacrificium non ſolùm eſſe holocauſtum, & hoſtiam pacificam, ſed etiam hoſtiam pro peccato ad Deum placandum, vt *lib.1.* dictum eſt; tum ad denotandam efficaciam & plenitudinem diuinæ gratiæ, cuius virtute oblata tranſubſtantianda ſunt in corpus & ſanguinem Domini. Neque enim panem & vinum offerimus vt fideles liberentur ab æterna damnatione, vt ſibi fingit Lutherus, & Kemnitius, ſed vt docet ex Apoſtolorum ſenſu Proclus Patriarcha Conſtantinopolitanus *lib. de traditione diuinæ Liturgiæ*, vt Deus hanc oblationem panis & vini acceptet vt materiam ſacrificij futuri, ita vt per illorum mutationem fiat corpus & ſanguis Chriſti, diéſque noſtros in ſua pace diſponat, &c.

2. Continet igitur pars hæc quatuor petitiones. Primà eſt vt Deus placatus dignetur acceptare ſeruitutis noſtræ totiúſque Eccleſiæ oblationem materiæ futuri ſacrificij; ita vt eam benedicat, & ſanctificet, faciátque per conſecrationem corpus & ſanguinem Chriſti. quam additam à Leone aſſerit Durandus *lib.4.c.39.* Meritóque dicitur ſeruitutis noſtræ. quia ſacrificium Deo fit in recognitionem illius ſupremæ Maieſtatis, & agnitionem ſeruitutis, infirmitatis, ac ſubiectionis humanæ, vt *lib.1.* diſputatum eſt; pertinétque ad adorationem latriæ. quare rectè S. Clemens *lib.8. conſtit.c.15.* vt notat Turrianus *ibidem. & lib.2. de Euch.c.13.* Miſſam appellat myſticam latriam. Nomen verò latriæ ſignificat, cum magno timore & reuerentia ſeruire, à particula, λα & τρέω. etenim Creatori propriè, non creaturæ ſeruiendum eſſe cum timore, & tremore, docet Pſalmus 2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Sequuntur deinde tres aliæ petitiones, quas adiecit S. Gregorius ex Io. Diacono *in vita S. Gregorij lib.2.c.18.* Beda *lib.2. de hiſt. gentis Anglorum*, VValfrido *c.22.* Amalario *lib.3.c.23.* Micrologo *c.24.* Stephano Heduenſi *c.13.* Bernone *c.1.* Bonauentura *in expoſitione Miſſæ*, Innocentio, Durando. Nempe ſecunda: *Diéſque noſtros in tua pace diſponas*, non autem Mundi pace, vt notauit etiam Odo Cameracenſis & Stephanus Heduenſis, quia Chriſtus *Jo.c.14.* dixit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis.* Et huiuſmodi pax Chriſti eſt conuenientia affectuum & paſſionum, *Pſal.118. Pax multa diligentibus nomen tuum*; & cuius ſuauitas exuperat omnem ſenſum, *ad Philip.c.4.* Nec habetur ab impiis, *Iſaiæ c.48. Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* vnde comparari poſſunt iis, qui fulmine icti ſunt, qui etſi exteriùs videantur integri, interius tamen arefacti ſunt. Græci dicunt: *Oremus pro ſuperna pace.* vnde ait Cabaſila, *Pacem autem dicit non ſolùm eam, quæ eſt ad inuicem, quando nulli malum volumus, nec vllius ſumus iniuriæ memores, ſed eam etiam, quæ eſt erga nos ipſos, quando cor noſtrum non condemnat nos.* Itémque tertia: *Atque ab æterna damnatione nos eripi.* de qua Iſaias *c.66. Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*; vnde cùm nec pœnam damni, nec ſenſus, ſint vnquam caraſuri, coniunctam habent deſperationem; ideóque maior eſt omni alia miſeria, ex Auguſtino *lib. de ſpiritu & anima.* vbi etiam ait: *Miſeris mors eſt ſine morte, finis ſine*

fine, & defectus ſine defectu: quia & mors ſemper viuet, & finis ſemper incipiet, & defectus deficere neſciet, mors perimet, & non extinguet; dolor cruciabit, & pauorem non fugabit (nam in hoc mundo, metus dolorem quidem habet, ſed dolor non habet metum, metus amittitur cùm tolerari iam cœperit quod timebatur, vt etiam docet D. Greg. in illud *Iob c. 10. Vbi nullus ordo, &c.) flamma comburet, & tenebras non diſcutiet, erit in igne obſcuritas, in obſcuritate pauor, in combuſtione dolor.* Denique quarta, *Et in electorum tuorum grege iubeas numerari.* Odo Cameracenſis numerari legit, in æterna videlicet illa patria quam lætificat fluminis impetus. *Pſal. 45.* vt exponit D. Baſilius *Hom. 12.* etenim *Pſal. 86. Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei.* &, *Sicut lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te.* Sed cur *ſicut*? quia vt ait *ibidem* Auguſtinus, talis ibi erit iucunditas qualem hîc non nouimus, quia non eſt iucunditas, quæ habetur in poculis & prandiis, ſed quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, *1. Cor. 2.* Idem D. Auguſtinus *lib. 3. de libero arbitrio,* docet tantam eſſe iucunditatem lucis æternæ, vt etiamſi non liceret in ea manere niſi vnius diei mora, ob hoc ſolum innumerabiles huius vitæ plenæ diuitiis, & circumaffluentia temporalium bonorum, rectè meritóque contemnerentur. cùm non falſo aut prauo affectu dictum ſit, *Quoniam melior eſt dies vna in atriis tuis, ſuper millia, Pſal. 83.* Qui etiam in ſoliloquiis ex iis quæ dedit Deus corpori noſtro corruptibili, & communia inimicis, cœli claritatem vt videret, aëris puritatem vt reſpiraret, ſonorum varietates vt audiret, odorum ſuauitates vt olfaceret, ſaporum qualitates vt guſtaret, iumenta ad adiumentum, volucres cœli, piſces maris, fructus terræ ad reficiendum, argumentatur ingentia, & innumerabilia, quæ præparauit in ſuo palatio diligentibus ſe. de quibus dixit Iſaias *c. 64. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te.* vt etiam D. Bernardus *lib. de diligendo Deo,* docet, ſicut aquæ ſtilla multo infuſa vino deficere ex ſe tota videtur, dum & colorem & ſaporem vini induit; & ferrum candens fit igni ſimillimum; & Solis luce perfuſus aër, in eamdem transformatur luminis claritatem; ita neceſſe, eſſe beatos ineffabili quodam modo, à ſeipſis liqueſcere, & in Deum penitus transformari.

Canonis pars tertia: *Quam oblationem, &c.* Cap. XI.

SVMMARIVM.

1. *Antiquitas & obſcuritas huius tertiæ partis.*
2. *Quina ſignatio crucis ſuper oblatis, & myſtica eius ratio.*
3. *Verba,* Pridie quàm pateretur, *non fuiſſe addita ab Alexandro: nec eſſe de neceſſitate Sacramenti, quicquid Scotus ſenſerit.*
4. *Cur Dominus ſacrificium ſub ſpeciebus panis & vini inſtituerit.*
5. *Cur in manus ſumſerit.*
6. *Chriſtum in conſecratione oculos ad cœlum leuaſſe, & quibus de cauſis.*
7. *An gratiarum actio, benedictio, & conſecratio idem fuerint.*
8. *Num conſecratio præceſſerit fractionem.*
9. *Fueritne Iudas particeps Euchariſtiæ à Chriſto diſtributa, & num ipſe Chriſtus ſumſerit.*
10. *Suiſne manibus Diſcipuli diuina myſteria ſumſerint, an Dominus illis manibus propriis communionem impartiuerit? deque veteri modo accumbendi menſæ.*

11. *Verba*

11. *Verba,* Accipite, & manducate, *non eſſe neceſſaria ad conſecrationem perficiendam, quicquid dubitet Scotus.*

12. *Rectè adhibita verba,* Ex hoc omnes, *etiamſi expreſsè apud Euangeliſtas non leguntur.*

13. *Præter materiam in hoc diuino myſterio, fuiſſe etiam neceſſariam verborum formam, qua oblata conſecrarentur contra Nouatorum dementiam, eámque non miniſtrorum arbitrio fuiſſe relinquendam, vt alij garriunt; ſed certam ac definitam. nec aliam fuiſſe quàm à Chriſto præſcriptam,* Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus.

14. *Eandem ad conſecrationem ſufficere abſque alia oratione, qua rogetur Deus, vt mittat ſuper oblata Spiritum ſanctum, qui efficiat panem corpus, & poculum ſanguinem; contra quam plerique Græci opinentur; qui pariter errant ſentientes eſſe de eſſentia formæ, etiam illa verba:* Quòd pro vobis traditur, aut frangitur in remiſſionem peccatorum.

15. *Pronomen,* Hoc, *quomodo accipiendum reiectis hæreticorum & plurium Catholicorum ſententiis.*

16. *Verbum,* Eſt, *propriiſſimè ſumi pro verbo ſubſtantiuo, abſque vllo tropo aut figura, contra Nouatorum ſomnia.*

17. *Dictio,* Enim, *an ſit de conſecrationis eſſentia, qualéque peccatum eius omiſſio.*

18. Corpus, *naturale ſcilicet Chriſti, non eius figura aut ſignum, vt delirant Caluinus, OEcolampadius, & cæteri Nouatores.*

19. Meum, *non poſſeſſiuè, vt Ioannes Campanus fingit; ſed ipſummet de Virgine natum, & quod datum eſt in remiſſionem peccatorum.*

20. *Num Chriſtus Dominus in vltima cœna Diſcipulis dederit corpus ſuum paſſibile, an impaſſibile vt nunc datur.*

21. *An teneat conſecratio ſi fiat aliqua mutatio in proferenda forma.*

22. *De ſanctiſſimæ Euchariſtiæ adoratione etiam ab Angelis exhibita, luminum accenſione, & delatione in proceſſionibus.*

23. *De cauſis eleuationis ſanctæ Euchariſtiæ. Quibus verbis à piis ſalutari conſueuerit. Quid ſibi velit manuum in crucem extenſio, & oſculum. Quid tintinnabuli ſonitus, & eleuatio caſulæ.*

24. *An ſit de eſſentia ſacrificij vt conſecratio poculi poſtponatur conſecrationi corporis.*

25. *Quamuis poſt cœnam Chriſtus obtulerit, reliquit tamen Apoſtolis vt ſtatuerent, quid hac in re ſeruandum eſſet.*

26. Et hunc præclarum calicem, *rectè dictum; oblationem Eccleſiæ eiuſdem eſſe rationis cum oblatione Chriſti, & non liceat in eodem ſacrificio plures calices conſecrandos ſtatuere; quæ materia calicis Chriſti.*

27. *An de eſſentia conſecrationis poculi ſit tantum,* Hic eſt calix ſanguinis mei, *an requirantur etiam ſequentia verba vſque ad remiſſionem peccatorum incluſiuè.*

28. *Non poſſe ſine graui peccato omitti, quæ poſt conſecrationem ſequuntur: & quàm variè habeantur in variis Liturgiis.*

29. *Cur dicatur,* Noui & æterni teſtamenti.

30. *Ex D. Petri traditione rectè poſitum,* Myſterium fidei.

31. *Euchariſtiam non tantùm ſacramentum eſſe, ſed etiam ſacrificium. & quomodo dicatur Chriſti ſanguis effuſus pro omnibus.*

32. Hæc quotieſcunque feceritis, &c.

33. *Cur iuſſerit Dominus nos hæc in ſui memoriam facere.*

34. *Calix etiam eleuari debet, etſi alicubi ſecus fiat; & an eleuandus coopertus.*

TErtia hæc pars, vt eſt antiquiſſima, citatur enim à D. Ambroſio *lib. 4. de ſacram. c. 5. & can. panis eſt. de conſecr. d. 2.* nedum ab Alcuino *de off. e. de celebrat. Miſſæ*, Amalario *lib. 3. c. 24.* & Paſchaſio *lib. de corpore & ſanguine Domini. c. 12.* etſi Gratianus *canone verùm. de conſecr. d. 2.* & S. Thom. *3. p. q. 83. art. 4.* id tribuant D. Auguſtino, imò multa habeâtur in Liturgia D. Iacobi; ita cęteris eſt obſcurior. Odo enim Cameracenſis exiſtimat litteralem ſenſum horum verborum, *Quam oblationem in omnibus quæſumus, benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilémque, &c.* eſſe, vt petamus fieri oblationem adſcriptam, ideſt, adiunctā verbo in vnitate perſonæ; ratam, ideſt, veram, certam, fixam, validam, ſeu efficacem, & denique rationabilem, vt non hircorum, aut vitulorum ſanguinem, vel ſimplicem panem, vinum offeramus; ſed Chriſtum ipſum, qui non ſolùm rationalis eſt, ſed æterna ratio, & ſapientia, qui non poſſit non acceptari à Patre. verùm cùm addatur, *vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi filij tui*, repeteretur quod dixiſſet priùs Paſchaſius, ſeu manis Auguſtinus *can. verùm. de conſecr. d. 2.* S. Thom. *3. p. q. 83. art. 4. ad 7.* Gabriel *lect. 33.* Sotus *4. d. 13. q. 2. art. 4.* ſentiunt nos Deum rogare his verbis, vt faciat nō quidem panem & vinum, corpus & ſanguinem Chriſti media conſecratione, ſed vt nos conſequamur effectum, ſeu ſit nobis ad profectum; faciatque oblationem benedictam, ideſt, per quam nos benedicamur. Adſcriptam, per quam cœlo adſcribamur. Ratam, per quam in viſceribus Chriſti cenſeamur. Rationabilem, qua belluinum ſenſum exuamus. Atque acceptabilem, vt nos acceptabiles ſimus in vnico filio eius; ita vt effectiuè operetur in nobis has benedictiones. Alcuinus tandem, Florus, Hugo de S. Victore, Innocentius, Bellarminus, & alij exiſtimant, nos à Deo petere, vt oblationem prædictam panis & vini ſacris precibus commendatam ſuiſque altaribus impoſitam ad conſecrandum, efficiat ex profana in omnibus ſeu cumulatiſſimè benedictam, quippe cùm Chriſtus oblatio ſit omnium gratiarum benedictione plena, quòd Pater non dederit filio gratiam ad menſuram. & de plenitudine eius omnes accepimus, tanquam vnguentum quod ex capite deſcendit in omnia veſtimenta ſummi Sacerdotis. Eamdémque approbando reddat adſcriptam; adſcribat ſcilicet, & numeret inter dona, quæ ipſi probantur. putat Turrianus noſter *lib. 8. conſtit. S. Clementis*, incircumſcriptam, & quaſi infinitam exponendam. quòd in quadam Græca Liturgia, qua S. Petrus vſus eſt loco *adſcriptam*, habeatur *ἀπερίγραπτον*, quod *incircumſcriptum* ſignificat; ídque dictum ſit, quòd Chriſtus in Euchariſtiā non circumſcribatur loco. ſic igitur adſcriptam, confirmando efficiat ratam, ſtabilem videlicet, & firmam, vt fructum certum ac perfectum ex operato ad nos referat. Itémque faciat rationabilem, ita vt prudenter offeramus; vnde ſit rationabile obſequium noſtrum, *ad Rom. 12.* Ac tandem reddat acceptabilem, ita vt vndique bene ſe habeat & ob id non tantùm ex parte doni corporis & ſanguinis Chriſti, ſed etiam ex parte offerentis digna ſit, quæ acceptetur à Deo. Notátque Innocentius *lib. 3. c. 12.* eſſe Antitheſin proditionis Iudæ quæ fuit maledicta, proſcripta, irrita, iniqua, & deteſtabilis. Guitmundus etiam *lib. 3.* ex his verbis, *Vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi filij tui*, colligit contra impanatores, cum corpore & ſanguine Chriſti, non remanere ſubſtantiam panis, & vini, cùm non petamus, & oremus, vt in eis lateat corpus & ſanguis Chriſti, ſed vt ea fiant corpus & ſanguis Chriſti. 1.

Dum verò hæc dicuntur fiunt quinque crucis ſignātiones: tres quidem ſuper hoſtiam & calicem coniunctim, de quibus meminit S. Auguſtinus *lib. de dictis Baſilij, & tract. 64. in Ioannem*, quarta ſuper hoſtiam, dum dicitur, *vt fiat nobis corpus*, 2.

corpus, & quinta ſuper calicem, dum additur, *& ſanguis dilectiſſimi filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Has autem crucis ſignationes S. Bonauentura refert ad paſſionem quinque ſenſuum Chriſti: nam viſus velatus eſt, auditus irriſionibus offenſus, guſtus felle & aceto paſtus, odoratus fœtorem paſſus, in monte Caluariæ tactus, clauis transfixus. Micrologus *c.14.* ad quinque Chriſti vulnera refert. Hugo de S. Vict. *lib.2.c.31.* putat tres fieri ad oſtendendum totam ſanctiſſimam Trinitatem in hoc & aliis ſacramentis operari; deinde ſuper hoſtiam & calicem ſingulàs, vt per virtutem crucis vnà intelligatur in vtroque operatio eiuſdem ſanctiſſimæ Trinitatis. S. Thom. 3. *p.quæſt.*83. *art.5. ad* 3. Dur. *lib.* 4. *c.*40. Gabriel *lect.*21. tres referunt ad venditionem Chriſti factam ſacerdotibus, Scribis, & Phariſæis, alteram ad Iudæ vendentis, vltimam ad Chriſti venditi perſonam.

3. *Qui pridie quàm pateretur*, fuit opinio VValfridi *c.*22. & Micrologi *c.*12. addita hæc fuiſſe ab Alexandro Papa, ſed rectiùs ſentit Alcuinus *lib. de off.c.de celebr. Miſſæ*, hæc eadem fuiſſe etiam Apoſtolis in vſu. cùm habeantur etiam in Liturgia D. Iacobi, & apud Clementem *lib.8.c.17.* Iam verò Scotus 4.*d.8.quæſt.2.art.2.* & Angelus *v.Euchariſtia,num.*24. tenent hæc verba, licèt non ſint pars formæ, eſſe tamen de neceſſitate ſacramenti, vt forma poſſit ſignificatiuè proferri in perſona Chriſti; quia niſi Miniſter illa verba præmittat, haud conſtabit num in propria vel aliena perſona loquatur. Meliùs tamen cæteri negant eſſe de neceſſitate ſacramenti. tum quia ſola verba Chriſti ſunt de neceſſitate ſacramenti, qualia non ſunt hæc, cùm ea in conficiendo Chriſtus non adhibuerit; tum quia per hæc verba non indicat ſacerdos ſe in conſecratione induere perſonam Chriſti, ſed ſolùm refert hiſtoricè quid Chriſtus fecerit, cùm voluit hoc ſacrificium inſtituere. Cur verò tunc ſolùm Chriſtus inſtituerit hoc diuinum ſacrificium, diximus *lib.1.c.2.n.5.* videndúſque Hieron. *in 1.ad Cor.c.*11. Auguſt. *ep.*118. *& can.liquido, de conſecr.d.2.* Algerus *lib.1.c.22.* Pamelius *in epiſt.63.D.Cypriani,n.*50.

4. *Accepit panem*. pretioſa ſacramenta in non pretioſis ſpeciebus inſtituit Deus, vt docuit etiam Tertull. *lib. de Baptiſmo,c.2.* & Algerus *lib.3.c.4. de ſacramento corporis Chriſti*. Et ſanè ſi ſub accidentibus ſplendidiſſimi auri, aut gemmarum remanſiſſet Chriſtus, adoraretur quidem, & coleretur, ſed non ſumeretur, nec in pectus noſtrum magna cum vtilitate induceretur. Quare non caret magno myſterio quòd Chriſtus Dominus euangelicum ſacrificium voluerit inſtituere; ſub ſpeciebus panis & vini, *Matth.* 26. *Marci* 14. *Lucæ* 22. & cùm multæ
huius rei cauſæ afferri poſſint, hæ præcipuæ videntur. Prima quòd hæc duo 1.
panis & vini ſymbola, quàm aptiſſima ſint ad Chriſti Domini amorem oſtendendum, qui maximè vnitiuus eſt; cùm enim nihil ſit quod magis homini vniatur, quàm cibus & potus, quippe qui non tantùm extrinſecè, vt veſtes, & cætera quæ adiacent, ſed intimè & vbique vniatur, cùm totum conſeruet & alat corpus, aptè omnino oſtendunt voluiſſe hac ratione Dominum nobis arctiſſima & maxima vnione coniungi. Valdéque mirum non exhorruiſſe humanum ſtomachum ſæpiſſimè fœtidis & peſſimis humoribus repletum. meritò autem inter alimenta & potus, panem & vinum elegit, quòd hæc & communiora
ſint & omnibus gratiora, nec faſtidium generent. Altera quòd ſicut ſiue 2.
corporeo alimento & potu vitam corporis conſeruare non poſſumus, ita neque ſpiritualem vitam ſine Euchariſtia; ita docet ipſemet Chriſtus *Ioan.c.6. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ſi quis ex ipſo manducauerit non morietur. Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum, & panis*

3. *quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Tertia quæ ex prædicta conſequitur, ad
oſtendendum ſacram Euchariſtiam eos effectus in anima fideli operari dignè
ſuſceptam, quos panis & vinum operantur in corpore. ſua enim præſentia &
gratia conſeruat, fouet, alit, corroborat, & auget ſpiritualem vitam non ſecus
ac panis & vinum corporalem. ideo *Pſalm.22. Paraſti in conſpectu meo menſam, &c.*
4. Quartò docet D. Cyprianus *epiſt. 63.* Auguſtinus *tract. 26. in Io.* S. Gaudentius
tract.2. in Exodum. & Concilium Tridentinum *ſeſſ.13.c.2.* voluiſſe Dominum cor-
pus & ſanguinem ſuum in eis rebus commendare, quæ ad vnum aliquod redi-
guntur; quippe cum ex multis granis vnus panis conficiatur, & ex multis ra-
cemis vinum confluat, vt magis eluceret optare, vt quamuis multi ſimus, ex
quibus tamquam ex multis membris componitur vnum Eccleſiæ corpus, huius
tamen diuini myſterij vinculo arctiſſimè colligaremur, & efficeremur tamquam
vnum corpus animorum coniunctione, ab ipſius Chriſti ſpiritu animatum.
Quam etiam ob cauſam hoc diuinum myſterium communio dicitur, quaſi
vnio omnium per dilectionis affectum. videndus etiam S. Thom. 3. *p. queſt.74.*
art.1. Guitmundus *lib. 2. pag.414.* Algerus *lib.2. c.5.* Paſchaſius *c.10.* Auguſtinus
can. quia paſſus. de conſecr. d.2. Bernardus *ſerm. de cœna.* Turrecrem. *can. non oportet.*
de conſecr. d.2. Sotus *lib.4. ſent. d.9. queſt.1. art.1.* Gloſſa *in 1. ad Corinth.6. & 11.* Be-
da *ibidem.* Concilium Tridentinum *ſeſſ.13. c.2.* Catechiſmus Rom. *cap. de Eucha-*
5. *riſtia,* Concilium Colonienſe *p.7. c.23.* Quintò, quid materia panis prius moli-
tur, quod paſſionem Chriſti denotat, qui, vt ait Iſaias *c.53.* attritus eſt propter
ſcelera noſtra. Sic etiam materia vini. vnde de Chriſto dixit Iſaias *cap.63. Quare*
6. *ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Sextò,
vt nos pariter cor noſtrum contritione conteramus ſumentes Euchariſtiam,
7. dum medijs his ſpeciebus Chriſti paſſionum recordamur. Septimò, vt indica-
ret frequenter communicandum, ſicuti inter cætera panis & vinum quotidie
ſumantur, conueniántque non tantùm pauperibus, verumetiam diuitibus. vt
de Euchariſtia conſtat ex parabola eius, qui fecit cœnam magnam, & vocauit
8. multos, *Luc. 14.* Octauò denique ex S. Gaudentio *loco cit.* vt immaculatus Dei
Malach. c.1. agnus hoſtiam mundam mundato populo traderet celebrandam, ſine vſtione,
ſine ſanguine, ſine brodio, id eſt, iure carnium, & quæ omnibus ad offerendum
prompta eſſet, ac facilis. Præceſſit figura huius inſtitutionis in panis & vini ſa-
crificio Melchiſedech, vt patet ex D. Paulo *ad Hebr.c.6.* Cypriano *epiſt.63.* Baſi-
lio *Pſalm. 19.* Ambroſio *lib. de Abraham. c.3. & lib. 5. de ſacrament. c.1.* Hieronymo
epiſt.171 Chryſoſtomo *in Pſalm. 109.* Auguſtino *lib.16. de Ciu.c.22. & lib.17. c.20.*
Damaſceno *lib.4. de fid. c.14.* qua de re *lib.1.* diximus. Et videtur idem adumbra-
tum *Iſaiæ c.58.* cùm ait: *Cibabo te hereditate Iacob.* quæ, vt conſtat *Gen.c.27.* fuit fru-
menti & vini.

In ſanctas ac venerabiles manus ſuas. In D. Iacobi Liturgia eſt, *Accipiens panem* 5.
in ſanctas, immaculatas, inculpabiles, & immortales manus ſuas. Apud D. Clementem
*lib.8. conſtit. c.12. aliàs 17. Qua enim nocte tradebatur, cum accepiſſet panem ſanctis ac ab
omni labe puris manibus.* vt etiam meritò *Cant.c.5.* dicantur Chriſti manus tornati-
les, aureæ, plenæ hyacinthis. quia perfectæ, & ad omne opus bonum paratæ,
ac mobiles, aureæque, & plenæ lapidibus pretioſis, ob diuinitatem & Spiritus
ſancti dona, & chariſmata. Sed cur in manus ſuas panem ſumſit, cùm eum
in menſa poſitum conſecrare potuerit? An ambabus manibus ſumſit, vt oſten-
deret hanc panis & vini tranſubſtantiationem in corpus & ſanguinem ſuum,
opus eſſe tum omnipotentiæ ſuæ, cùm & Deus eſſet, & homo cui omnia de-

dit

dit Pater in manus. ideóque vt creare poterat, quæ non erant, ita creata conuertere. quod pluribus explicat D. Ambroſius *can. re vera. de conſ ecrat. d.2.* tum liberalitatis infinitæ, iuxta illud Dauidis *Pſalm.*144. *Aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Ambas autem hic aperit, vt cœleſti hoc pane non Angelorum manibus, ſed ſua diuina potentia confecto, theſauros liberalitatis ſuæ ac benedictionis ſe effundere doceat. tum denique meritorum eius, cùm panem hunc, haud in ſudore vultus noſtri, ſed Chriſti comedamus; nec labores manuum noſtrarum, *Pſal.* 127. ſed meritorum & paſſionum eius manducemus, ideóque bene nobis ſit, & ſimus beati.

6. *Et el euatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem.* Licèt hæc non habeantur in Euangelio, ea tamen hauſit Eccleſia ex Apoſtolica traditione, vt docet S. Thomas 3.*p.quæſt.*83.*art.*4. Alenſis 4.*p.quæſt.*33.*m.*3. Ruper.*lib.*2. *de off. c.*10. Innocentius *lib.*4. *c.*5. *& cap. cum Marthæ, de celebr. Miſſ.* & Sotus 4. *d.*9.*q.*1. *art.* 1. vnde habentur etiam in Liturgia D. Iacobi hoc modo: *In cœlum ſuſpiciens, &c.* in Liturgia S. Marci, *Suſpiciens in cœlum ad te Patrem, &c.* & apud Clementem *lib.*8. *c.*12. *vel* 17. *Suſpiciens in te Deum ſuum, & Patrem, &c.* & D. Ambroſium *lib.* 4. *de ſacram. c.*5. Et eſt omnino rationi conforme; tum quòd ſoleret in maioribus operibus oculos ad Patrem attollere, *Matth.*14. *Marci* 6. *Lucæ* 9. *Io.*11. Ideo multo magis in inſtitutione tanti ſacrificij. tum vt doceat, teſte Gabriele *in can. lect.*34. quid deceat nos etiam facere, cum tam magnum ſacramentum per manus noſtras perficere dignatur Deus; præſertim cùm paulo ante profeſſi fuerimus, ſurſum corda ad Dominum habere. tum poſtremò vt indicaret panem quem tunc daturus erat, non eſſe terrenum, ſed ſuperſubſtantialem, & cœleſtem à Patre datum. de eo enim dictum fuerat *Io.* 6. *Amen amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Et meritò ſanè ad Deum Patrem omnipotentem eleuaſſe oculos dicitur, quòd huius myſterij fides & veritas maximè pertineat ad articulum omnipotentiæ Dei, vt notauit etiam S.Thomas 2.2.*q.*1.*art.*8.*ad* 6.

7. *Tibi gratias agens benedixit, fregit.* Eſt ſanè difficultas non leuis an gratiarum actio, benedictio, & conſecratio idem fuerint, nec ne. & quidem S. Thomas 3. *p.quæſt.*78. *art.*1. Durandus 4.*d.*8. *quæſt.*2. Marſilius *q.*6.*art.*1. Alenſis 4.*p.q.*33.*m.*2. Gabriel *lect.*36.*in can.* & alij conſecrationem non diſtinguunt à benedictione, eo quòd conſecratio ſæpe dicatur benedictio. vt 1. *Cor.* 10. ex Chryſoſtomo *ibid. Hom.*25. Ambroſio *lib. de his, qui initiantur c.*9. & Cyrillo *epiſt.*10. *ad Neſtorium lib.*4. *in Io.c.*17. *& lib.*11. *c.*24. & gratiarum actio & benedictio ſint idem. cùm Hieronymus 1. *Cor.*11. exponat, *Gratias egit,* ideſt, *benedixit,* & Marcus & Matthæus in conſecratione corporis vtantur verbo εὐλογέω. in conſecratione autem calicis, εὐχαριστέω. & Paulus 1. *Corinth.*14. *Si benedixeris ſpiritu, &c.* idem appellat benedictionem & gratiarum actionem. & Irenæus *lib.* 4. *c.*57. dicit hoc ſacramentum confici gratiarum actione. At D. Bonauent. 4.*d.*8. *art.*2.*quæſt.*3. Sotus 4.*d.*11.*q.*1. *art.*2. Beda *in c.*14. *Marci,* Ianſenius *c.*131.*concordiæ Euangelicæ,* benedictionem & gratiarum actionem idem eſſe, ex dictis, differre tamen à conſecratione. Alanus *lib.* 1. *de Euchariſtia, c.*23. benedictionem & conſecrationem idem eſſe, vt etiam ait Liranus *in* 1. *ad Corinth.*11. & Odo Cameracenſis, differre verò à gratiarum actione, quæ fuit ſolum præparatio ad tantum myſterium. Suarez denique *diſp.* 58. *ſect.*2. cum pleriſque aliis ſingula horum trium diſtinguit. Benedictio enim diſtinguitur à conſecratione, tum ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*13. *c.*1. aſſerente

aſſerente Saluatorem inſtituiſſe hoc myſterium in cœna, cùm poſt panis viniq; benedictionem ſe ſuum corpus ſingulis præbere diſcipulis, ac ſuum ſanguinem, diſertis verbis teſtatus eſt. tum quia magis videtur hoc conſonum narrationi Euangeliſtarum, *Accepit Ieſus panem, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Hoc eſt, &c.* præſertim cùm ſoleret Chriſtus cibos benedicere, vt etiam *ex Lucæ c. 9. & Marci c. 4.* videre eſt, vt notat Caiet. *in c. 26. Matthæi*, Sotus & alij. tum ex vſu Eccleſiæ inſinuantis benedictionem illam præuiam fuiſſe conſecrationi, cùm ſigno crucis benedicit materiam oblatam, vt fiat aliqua imitatio benedictionis Chriſti; cùm proprius modus benedictionis Chriſti, ſicut & quinque panum, neſciatur; etſi non ſit improbabile ipſum benedixiſſe etiam ſigno crucis, quod ſciebat paulo pòſt, ſua paſſione ſanctificandum, vt exiſtimat Alfonſus Salmeron *tom. 9. tract.* 12. ideòque Eccleſiam ab Apoſtolis præſentibus edoctam, nunc idem ſignum atque benedictionem adhibere. & ſane vti Chriſti paſſio antequam eſſet, vaticinio & fide, à piis hominibus concepta, operabatur, vt conſtat ex ſerpente æneo, qui typum crucis geſſit, *Num.* 21. in Tau, *Ezech. c.* 21. *&c.* eáque de cauſa dicitur Agnus occiſus ab origine mundi: ita etiam crux Chriſti antequam in ea penderet Dominus, benedictionis fons, & origo eſſe potuit. Ob id Iacob moriturus cancellatis manibus Ephraim & Manaſſe nepotibus benedixit, crucis formam brachiis exprimens, & myſterium deſignans, *Geneſis c.* 48. videtur autem D. Auguſtinus *ſerm.* 19. *de Sanctis*, feciſſe mentionem ſignationis crucis hoc loco, & ſequentibus adhibitæ, cùm ait: *Cum huius crucis charactere Baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur. altaris ſacramenta cum interpoſitione dominicorum verborum conficiuntur.* Similiter gratiarum actio diſtinguitur à conſecratione. tum quia gratiarum actio refertur ad Patrem. quam ob cauſam Chryſoſtomus *Hom.* 83. *in Matth.* dicit fuiſſe actum gratitudinis ad Deum pro beneficiis ſuæ humanitati collatis. vel fortè, vt aliis placet, quòd tantum ſacramentum mundo concedere dignaretur. Conſecratio verò ad panem, tum ex Iuſtino *Apol.* 2. vbi in fine ait: Eum enim pane accepto cùm gratias egiſſet, dixiſſe: *Hoc facite in meam commemorationem. Hoc eſt corpus meum.* & poculo ſimiliter accepto & gratiis actis dixiſſe: *Hic eſt ſanguis.* quod etiam docet Anſelmus 1. *Corinth.* 10. & Beda *Lucæ c.* 22. Pari modo diſtinguitur à benedictione, cùm gratiarum actio ſit grati animi ſignificatio erga Deum, & ad illum referatur, benedictio autem, de qua hîc eſt ſermo ex contextu, cadat in panem, & fuerit veluti præparatio animorum ad tantum myſterium; factáque ſit tanto verborum apparatu, ac ſolemnitate, & inter cœnandum, non autem initio, vt communes benedictiones fieri ſolent; etſi forte tam benedictionem quàm gratiarum actionem vna eadémque oratione perfecerit, vt exiſtimat Anſelmus *in c.* 26. *Matth.* Porrò, quia hoc totum fuit in ordine ad panis viniq; conſecrationem, & cum ea coniunctum, dicitur à Patribus conſecratio, vt etiam ordo dicitur, Manus impoſitio. niſi etiam conſecrationis nomine, totum canonem vocent, vt cenſet Bellarminus *lib.* 4. *c.* 14.

Solet etiam quæri an conſecratio fractionem præceſſerit, an potius ſit ſecuta? Et quidem S. Thomas 3. *p. quæſt.* 78. *art.* 1. Beſſarion *lib. de Eucharistia*, Alenſis, Gabriel, Ianſenius, *locis citatis*, volunt præceſſiſſe, vt facere conſueuit Eccleſia; ob id per anticipationem dictum eſſe, *benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, &c.* vt ſæpe fieri docet Auguſtinus *lib. de conſenſu Euang. c.* 3. 31. 8.
At vero D. Clemens *lib.* 8. *c.* 12. *aliàs* 17. Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem, c.* 4. Bonauentura *loco cit.* Sotus 4. *d.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 2. Suarez *diſp.* 58. *ſect.* 2. *& diſput.* 5. *ſect.* 2.

ſect. 2. cenſent ſubſequutam eſſe; ita vt diuiſo in partes ſufficientes adſtantibus omnibus pane, & fortè etiam patinæ impoſitas, eas conſecrarit, & dederit diſcipulis; quibus maximè fauet contextus euangelicus, & D. Pauli 1. *ad Cor.* 11. *Accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite & manducate. Hoc eſt, &c.* Et congruunt hæc cum antiquo Hebræorum Rituali ſecundæ cœnæ Paſchalis, in qua, teſte Illuſtriſſ. Baronio in annum 34. *c.* 39. & Barradio *tom.* 4. *lib.* 3. *c.* 2. Paterfamilias tortam panis azymi, ſub mappa antea ſeruatam frangebat, in tot particulas eam diuidens, quot eſſent diſcumbentes, ſicque diuiſam porrigebat ſingulis. Et poſt communem benedictionem adhiberi ſolitam, ob celebritatem in diſtributione tortæ addebat: *Hic eſt panis ærumnæ, quem comederunt Patres noſtri in terra Ægypti; quiſquis eſurit accedat, & peragat Paſcha.* & acceptum etiam poculum benedicebat, dicens: *Benedictus es Domine, qui fructum vitis creaſti, &c.* & degustatum tradebat proximo, ille alteri, donec per totum conuiuium circumferretur.

Latinum edidit Emmanuel Tremelius. Aria Mõtano in lib. Miſnaioth. tract. de Dei benedict. c. 7.

9. *Dedítque diſcipulis ſuis.* Sed numquid etiam Iudæ? D. Clemens *lib.* 5. *c.* 13. etſi aliqui putent locum eſſe corruptum, vt interdum accidit in iiſdem conſtitutionibus, vt refertur in VI. Synodo *c.* 2. Hilarius *in Matth. can.* 30. Rupertus *lib.* 10. *in Matth.* Maximus, & Georgius, Páchimerius Dionyſij Scholiaſtes, Innocentius *lib.* 4. *c.* 13. Franciſcus Turrianus *in citato loco Clementis*, Sebaſtianus Barradius *tom.* 4. *lib.* 3. *c.* 2. negant Chriſtum ſuum corpus ac ſanguinem dediſſe Iudæ. & videtur pluribus eiuſdem ſententiæ Dionyſius *de eccleſiaſti. hier. c. de communione*, etſi aliis contrariæ videatur opinionis. At verò Origenes *tract.* 35. *in Matth.* Cyrillus *catecheſi* 13. Chryſoſtomus *Hom.* 83. *in Matth.* Cyrillus Alex. *lib.* 9. *in Io. c.* 19. Theophylactus *in Matth. c.* 26. Euthymius *ibidem.* Nicephorus *lib.* 1. *c.* 30. Auguſtinus *in Ioan. tract.* 6. 50. 62. *lib.* 1. *contra Creſconium, c.* 25. *lib.* 5. *de Baptiſmo, c.* 8. *& piſtola* 163. Ambroſius *in Apolog. Dauid*, Eugenius Papa *cap. ſi ſacerdos, de off. ord.* Cyprianus *ſerm. de cœna Domini*, Hieronymus *in c.* 14. *Marci.* Leo *ſerm.* 3. *&* 7. *de paſſione*, Algerus *lib.* 1. *de ſacramento altaris, c.* 21. Paſchaſius *lib. de corpore Chriſti, c.* 18. Rabanus *lib.* 1. *Inſtit. c.* 32. *lib.* 2. *c.* 36. Magiſter 4. *d.* 11. & *ibidem* Alb. Bonauent. Richardus, S. Thomas *quaeſt.* 3 *art.* 2. *&* 3. *p. quaeſt.* 81 *art.* 2. Gabriel *lect.* 37. Alenſis 4. *p. quaeſt.* 44. *m.* 4. Sotus 4. *d.* 12. *quaeſt.* 2. *art.* 2. Viguerius *de Euchariſtia, verſu* 19. Baronius in annum 34. *c.* 57. Suarez *diſput.* 41. exiſtimant etiam Iudæ à Chriſto datam Euchariſtiam; tum quia Matthæus & Marcus dicunt Chriſtum diſcubuiſſe cum duodecim diſcipulis, & cœnantibus illis accepiſſe panem & vinum, & inſtituiſſe hoc ſacramentum. & vt notauit Beda *in c.* 13. *Io.* addidit Lucas Chriſtum diſtribuendo dixiſſe, *Veruntamen ecce manus tradentis mecum eſt in menſa.* & quærentibus diſcipulis quis hoc facturus eſſet, etiam Iudas dixit: *Numquid ego ſum, &c.* & Marcus *c.* 14. de calice ait: *Et biberunt omnes.* tum quia *Actorum c.* 1. Iudas fuit ſacerdos & Epiſcopus, iuxta illud Pſalmi, teſte D. Petro, *& Epiſcopatum eius accipiat alter:* at Chriſtus Apoſtolos ſolùm ordinauit, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Porrò cum ipſis Apoſtolis etiam Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem ſumſit, vt ex Patribus & Scholaſticis omnibus diximus *lib.* 1. *c.* 5. §. 2. debuit enim, teſte Chryſoſtomo *Hom.* 83 *in Matth.* ſacrificans participare de ſuo ſacrificio, & conuiuij inſtructor etiam de conuiuio manducare, maximè ne diſcipuli humanam carnem & ſanguinem, etſi ſub ſymbolis panis & vini, horrerent, vt aliàs acciderat.

10. Sed illud etiam hoc loco quæres, an diſcipuli ſuis manibus acceperint, & ſibi ipſis miniſtrauerint traditum à Domino ſacramentum, an ſolùm à Chri-

ſto ſumſerint, vt communis Eccleſiæ vſus nunc obſeruat? Et quidem Stephanus Heduenſis *c.* 16. exiſtimat Dominum, qui venit miniſtrare, & non miniſtrari, manu ſua ad os diſcipulorum porrexiſſe quod conſecrauerat, & manducare præcepiſſe, ſicut modò Eccleſiæ conſuetudo ſeruat. Mihi tamen non videtur id omnino certum, imò oppoſitum videtur probabilius, ſicut etiam Suarez *diſp.* 69. *ſect.* 1. & Alphonſo Salmeroni *tom.*9. *tract.* 12. tum quòd diſcipulis in manus datus ſit calix, vt diuiderenr inter ſe; quare & idem de corpore dicendum eſt; tum quia accipiendi verbum, quo Chriſtus vſus eſt, cùm dixit: *Accipite & comedite*, ad manus potius quàm ad os refertur. tum quia in Eccleſia fuit antiquitus conſuetudo vt Euchariſtia in manus ſumentium daretur, quaſi exprimeretur Chriſti Domini factum in diſtributione vltimæ cœnæ, vt videre eſt *in epiſt. Dionyſij Alexandrini*, qui vixit circa annum 250. ad Sixtum Papam apud Nicephorum *lib.*6. *c.*9. Concilio Toletano I. *c.*14. & habetur 11.*q.*1. *can. ſi quis laicus.* Nazianzeno *orat.*1 *in Iulianum*, Baſilio *epiſtola ad Cæſariam Patritiam*, Cyrillo *catech.*5. *myſtag.* Auguſtino *Hom.*26. *&* 50. Chryſoſtomo *Hom.*2. *&* 12 *ad populum Antiochen. & Hom.* 3. *in epiſt. ad Epheſios.* Origene *Hom.* 13. *in Exod.* Synodo VI. *can.* 3. Maximo aduersùs Monothelitas, Anaſtaſio Epiſcopo Nicæno. Euſebio *lib.*6. *c.*35. Theodoreto *lib.* 5. *c.*17. & aliis. tum quia cùm diſcipuli non moti ſint loco, vt ex contextu Euangelij colligere licet, non apparet quomodo à Chriſto Domino ſingulis in ore dari potuerit ſacramentum ſui corporis pluribus à Chriſto longè diſtantibus. etenim omnino mihi certum videtur, etſi aliàs ſedentes Hebræi veſcerentur, *Exod.*32. *lib.*1. *Reg.c.*20. *Pſalm.* 100. eo tamen tempore, quo Chriſtus in terris vixit, accubantes comedere & cœnare ſolitos. Scribit enim Ioſephus *in lib. de antiq.* Hebræos ſemper ſequutos eſſe Romanorum ritus poſtquam ſub eorum poteſtatem deuenerunt, modò patriis legibus non repugnarent. Solent enim populi ſuorum Principum mores ac ritus æmulari. vt præter *Eccl. c.*10. docet Plato *lib.*4. *de leg. & lib.*8. *de rep.* Cicero *lib.*3. *de leg.* Herodotus *initio*, Plut. *in Lycurgo*, Claudianus, Baſilius Imperator *in exhor. ad Leonem filium, c.* 19. & alij. Idem colligitur ex vocibus propriis cœnandi more Romano, quæ etiam in Euangelio habentur. vt Architriclini *Ioan. c.*2. & accumbendi ſeu diſcumbendi, *Matth.*22. *&* 26. *Lucæ* 14. *Ioan.*12. & quòd loti comederent. vnde D. Marcus *c.*7. ait: *Et à foro niſi baptizentur non comedunt.* & Lucas *c.*11. dicit Phariſæum miratum quòd Chriſtus non baptizatus comederet. & ex facto Mariæ Magdalenæ, quæ ſtans retrò ſecus pedes Domini, eius pedes lacrymis lauit, & capillis terſit, & vnxit vnguento; quæ haud potuiſſet facere niſi Dominus Romano more cœnaſſet; ſicut neque Ioannes ſuper Chriſti pectus recumbere. At Romani ea ætate non ſedentes, ſed accumbentes in toro ſeu conuiualibus lectis cœnabant, qua de re M. Tull. *orat.* 3. *in Verrem*, Plutarchus *lib.*5. *Sympoſ. probl.*6. *& in Senorio*, Alexander Aphrodiſæus *lib.*1. *probl.*82. Horatius *lib.*1. *Satyr.*4. Ouidius *lib.*2. *de arte.* Plinius *lib.*4. *epiſt.*22. Dio *in Heliogabalo*, Martialis *lib.*5. Macrobius *lib.*3. *Satur.c.*13. Ita vt in ſiniſtræ cubitum incumbentes manu dextera cibum & potum ſumerent. Tres autem erant circa menſam lecti, ſeu tori, vno relicto latere libero, vt inferri poſſent cibi; erántque à terra eleuati, vt ex pictura triclinij antiquiſſimi Io. Baptiſtæ Rhamnuſij, & ex illo P. Virgilij *lib.*2. *Æneidos*,

Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto.

licet colligere. Atque ſtrati pro inſtructoris conuiuij magnificentia Eſther *c.*1. Tibullo *lib.*3. Plut. *lib.*5. *qq. conuiu. q.*6. Macrobio *lib.*3. *Satur.c.*13. vbi, *Domus*, inquit,

quit, *ornata fuit, triclinia lectis eburneis ſtrata fuerunt. duobus tricliniis Pontifices cubuerunt, in tertio triclinio mulieres*.quare etiam ne ſtragula fœdarentur, conuiuæ ſoleas aut calceos aſcendentes dimittebant, vt docet Plinius *lib.* 8. *ep.*7. Seneca declamator *controu.*25.Horat.*lib.*2.*Satyr.*8.Martialis *lib.*3.*epigr.*39.

Depoſui ſoleas affertur protinus ingens

Inter lactucas, &c.

Plautus Trucul.

Iam redit animus,deme ſoleas, cedo vinum.

Terentius,

Cedo ſoleas mihi, properate, auferte menſam.

Antea etiam probe loti, & vnguentis delibuti, ex Martiali *lib.*10. *epigr.*13. *& lib.* 3. *epigr.*9. Athenæo *lib.*15. Cicerone *lib.*13. *epiſt.ad Atticum, in fine.* Plauto *in Moſtellaria*, Plin. *lib.*2.*epiſt.*17. Clem. Alex. *lib.*2. *pædag. c.*8. & colligitur *lib.*2. *Regum, c.*12. ad quæ reſpiciens etiam Chriſtus dixit, *Lucæ* 7. *Intraui domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit:oleo caput meum non vnxiſti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Et ſæpe floribus coronati,ex *Sapientiæ* 1.M.Tul.*lib.*2.*de legibus*. Hor. *lib.*1.*ode* 4.& Martiali *lib.*9.*epigr.*74. In quolibet autem toro tres aut quatuor accumbebant,iuxta illud Horatij *lib.*1. *Satyra* 4.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Obiecitque M. Tullius Pitoni quòd in vno toro quinos, & ſæpe plures conuiuas poſuiſſet, cùm nihil apud eum elegans, nihil exquiſitum eſſet. Hinc illud conſequebatur vt vnus in ſinu, ſeu ſupra alterius pectus recumbere poſſet, vt præter teſtimonia veterum, vt Plinij *lib.*4. *ep.*22. & Dionis *in Heliogabalo*, docet Ioannis ſupra pectus Chriſti recumbentis exemplum. Denique primus atque honoratior locus, apud Perſas erat medius medij tori, ex Plutarcho *lib.*1.*qq.conuiual. c.*3. apud Græcos primus medij tori; apud Romanos vltimus eiuſdem, & vocabatur conſularis, ex eodem Plutarcho. Ideo cùm inuitatis duo tori tribuerentur, primus locus tertij conuiuatori tribuebatur, vt tamquam auriga & gubernator dexterè poſſet intueri in miniſteria & à proximis locis non ita longè remotus quemque compellare, & alloqui. locus autem infra eum vxoris erat, aut liberorum. ideo locus ſupra eum iure tribuebatur honoratiſſimo, vt prope conuiuatorem cubaret, quòd commoditatem is locus haberet ad res peragendas. nam in angulo inter duos toros locus patebat ingrediendi nuncio, & colloquendi, ſubſcribendi litteras, &c. vt ſe feciſſe teſtatur Cicero *lib.* 9.*ep.*177. ideo is locus meritò honoratiſſimo conuiuarum tributus eſt, & conſularis dictus, ex Plut. *loco cit.* Quibus ſanè conſtitutis euidens eſt, quod ſuprà dicebamus, nempe adeò à mulis Chriſtum loco diſtaſſe, vt non potuerit ad eos vſque manus extendere, & ſacramentum in eos inferre, ſiue eum cubaſſe velimus in medio medij tori, ſiue initio, aut fine eiuſdem, aut etiam initio tertij, vel quouis alio loco; ſed ſingulis dediſſe in manibus, aut in patina porrexiſſe, vt ipſi ſibi ſumerent, & comederent. indéque patenarum vſum introductum in Eccleſia exiſtimat Salmeron *loco citato.*

11. *Accipite & manducate.* Dubitat etiam Scotus 4. *d.*8. *quæſt.*2. *art.* 2. & Angelus *v. Euchariſtia, num.* 24. num etiam hæc verba ſicut præcedentia, quibus colligitur conſecrationis formam proferri à ſacerdote in perſona Chriſti, ſint neceſſaria ad conſecrationem perficiendam, licèt non ſint pars formæ;quia ſine his, pronomen, *meum*, in forma conſecrationis ex vi ſignificationis non tam denotaret

taret corpus Chriſti, quàm ſacerdotis loquentis, etiamſi intenderet loqui de corpore Chriſti, ſi ex vi ſignificationis ſecluſa intentione non ſignificaretur per verba illa. Sed meritò refutantur à Gabriele *in can. lect.* 38. Soto 4. *d.*11.*q.*1. *& 2.* Henriquez *lib.* 8. *c.*16. Bellarmino *lib.* 4. *de Euch. c.*14. Suarez *diſp.* 59. *ſect.*1. tum quia ex Concil. Florentino ſuppoſita intentione miniſtri, poſita materia, & forma, perficitur ſacramentum. tum quia ex D. Thom. 3. *p. queſt.*78. *art.*1. *ad* 2. *& q.*83. *art.*4. *ad* 2. *& in* 4. *d.*8. verba hæc, *Accipite & manducate*, pertinent ad vſum materiæ iam conſecratæ, & non pertinent ad conſecrationem. tum quia licèt Chriſtus illa dixerit, non dixit tamen vt neceſſaria ad conficiendum ſacramentum; vnde omiſſa ſunt à D. Luca; quem certum eſt, non omiſiſſe, quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti. tum quia Scotus ſecum pugnare videtur; ſi enim hæc pertinent ad ſignificationem formæ, vt ſunt pars ſignificationis formæ, erunt etiam pars formæ: ſi autem non pertinent ad ſignificationem formæ, neque etiam pertinere poſſunt, vt conditio ſine qua non. tum quia ſacerdos hæc non dicit ſignificatiuè, ſed recitatiuè, vt recitet illa vt dicta ante conſecrationem à Chriſto, & in illis dicendis non induit perſonam Chriſti. Si quis tamen omitteret, grauiſſimè peccaret.

Ex hoc omnes. Expreſsè non habentur apud Euangeliſtas, vt notauit etiam S. Thomas 3. *p. queſt.*83. *art.*4. quamuis antiquiſſima ſint, & habeantur apud Ambroſium *lib.* 4. *de ſacram. c.* 5. *& can. panis eſt, de conſecr. d.*2. in ordine Romano, & apud Florum *in expoſitione canonis*, aſſerentem etiam in hoc commendari vnitatem, & pacem, ita vt participantes hoc Chriſti myſterium, vnum ſimus in illo. Colligi tamen poſſunt, tum ex illo *Ioannis c.*6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* tum ex eo quòd de calice dictum eſt, *Matth. c.*26. *Bibite ex eo omnes*; tum quòd omnes alloqueretur Chriſtus. 12.

Hoc eſt enim corpus meum. Vt in cæteris ſacramentis non ſolùm materia neceſſaria eſt, verumetiam forma qua conficiuntur, ita in hoc diuino myſterio præter materiam ipſam, neceſſarium fuit etiam formam, nempe verba quibus oblata conſecrantur, præſcribere, ne cōſecratio eſſet incerta; ſed eorum prolatione abſoluta, ſecuri omnes eſſemus de corporis & ſanguinis Chriſti præſentia. etenim cùm ſacramenta ſint ex Dei inſtitutione, vt debet eſſe certa & definita materia, ita forma, quæ eſt pars præcipua. vnde rectè Auguſt. *lib.*20. *contra Fauſtum, c.*13. dixit: *Panis noſter & calix certa conſecratione myſticus nobis fit, non naſcitur. & quod non ita fit, alimentum eſt refectionis, non ſacramentum religionis.* vt etiam dixerat de Baptiſmo *lib.* 6. *contra Donatiſtas, c.*25. *Certa ſunt verba euangelica, ſine quibus non poteſt conſecrari Baptiſmus.* Quare explodendus Io. Caluinus *lib.*4. *Inſtit. c.*17. Beza *in ſua ſumma doctrinæ de re ſacramentaria*, & alij Nouatores, qui non agnoſcunt in Euchariſtia verba conſecratoria, ſed ſolùm verba concionalia ad populum inſtituendum, quos pluribus confutat Bellarminus *lib.*1. *c.*19. 20. 21. *de Euch.* Itémque exſibilandus Bucerus, qui *in cap.*26. *Matth.* dicit non eſſe neceſſe, vt recitentur aut proferantur verba, quòd nulla Scriptura id doceat. atque alij, qui vel formæ verba relinquunt arbitrio miniſtrorum, prout ad ædificationem audientium magis expedire cenſuerint; vel pro conſecratione dicere ſolent: *Accipe, ede, memento Domini*; vel Anabaptiſtæ & Thaboritæ Pragenſes, qui apud Thomam VValdenſem *tom.*3. *tit.*4. *c.*38. Euangelium D. Ioannis *c.*13. *Ante diem feſtum, &c.* tantùm recitant, vbi nihil de hiſtoria conſecrationis refertur; vel dicunt: *Hic eſt panis meus*, vel relictis verbis eſſentialibus formæ dicunt tantùm, *Accipite, comedite, hoc facite in meam commemorationem.* quas ſanè hæreſes pluribus confutant VValdenſis *loco* 13.

eo citato, Ruardus Tapper *art.* 14. Cardinalis Hoſius *lib.* 1. *contra Brentium*, *& in Confeſſione c.* 39. Clithouæus *lib.* 2. *Antiluther. c.* 19. Claudius Sainctes *repet.* 7. *c.* 5. Bellarminus *lib.* 4. *de Euch. c.* 12. 13. 14. Salmeron *tom.* 9. *tr.* 16. 17. 18. 19. 20. 21. Porrò prædicta verba conſecrationis hoſtiæ vt etiam illa calicis, eſſe à Chriſto tamquam vera & ſola conſecratoria præſcripta, eſt de fide. tum ex Concilio Florentino *ſeſſ. vltima*, in litteris vnionis, & Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.* 3. *& cap. cùm Marthæ. de celebr. Miſſ. & can. vtrùm ſub figura. de conſecr. d.* 2. tum ex communi conſenſu, & antiquiſſima traditione Patrum, vt Alexandri Papæ *ep.* 1. *c.* 4. dicentis, Chriſtum nos docuiſſe conficere hoc ſacramentum, cùm accepto pane dixit: *Accipite, & manducate. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*; Cypriani *ſer. de cœna Domini.* ex quo ait, à Domino dictum eſt, *Hoc facite in meam commemorationem. Hæc eſt caro mea. Hic eſt ſanguis meus. Quotieſcumque his verbis, & hac fide actum eſt, panis iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolemni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutemque proficit*; Chryſoſtomi *Hom. de proditione Iudæ*, vbi: *Hoc eſt*, inquit, *corpus meum, hoc verbo propoſita conſecrantur*; Damaſceni qui *lib.* 4. *de fid. c.* 14. ſcribit: *Dixit Deus: Hoc eſt corpus meum. & , Hic eſt ſanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem, atque omnipotenti eius præcepto donec ipſe veniat, hoc efficitur*; ſic etiam Irenæi *lib.* 5. *c.* 2. Ambroſij *lib.* 4. *de ſacram. c.* 4. *&* 5. Auguſtini *ſer.* 28. *de verbis Domini*, Euſebij Emiſſeni *Hom.* 5. *de Paſchate*, & aliorum. tum ex Liturgiis D. Iacobi, Marci, Clementis *in conſtit.* Baſilij, Chryſoſtomi & aliorum. tum ex Theologis Scholaſticis 4. *d.* 8. S. Thom. 3. *p. q.* 78. *art.* 1. & ibidem eiuſdem expoſitoribus, doctoribúſque iuris canonici. *cap. cùm Marthæ. citato. & can. vtrùm ſub figura. de conſecr. d.* 2. cùm denique quia nulla alia verba aſſignari poſſunt quibus diuina promiſſio de corporis & ſanguinis Chriſti conſecratione & præſentia ſit alligata, quàm hæc, de quibus dictum eſt *Lucæ* 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; quæque ad conficiendum adhibuiſſe Chriſtum ſequenti capite dicemus.

14. Iam verò errat hac in re Marcus Epheſinus Epiſcopus *lib. de verbis conſecrationis*, Nicolaus Cabaſila *c.* 29. *&* 30. & alij recentiores Græci, exiſtimantes hæc quidem verba ad conſecrationem requiri, non ſufficere tamen, ſed addendam etiam orationem, qua rogetur Deus, vt mittat Spiritum ſanctum ſupra propoſita dona, vt ſua præſentia ſanctificet, & efficiat propoſitum panem corpus Chriſti, & vinum ſanguinem; eò quòd apud Clementem *lib.* 8. *conſtit. c.* 12. *alias* 17. & in Liturgiis D. Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi, poſt verba conſecratoria dicatur: *Fiat hic panis corpus, & hoc vinum ſanguis Chriſti tui, &c.* & quod Irenæus *lib.* 4. *c.* 32. Cyrillus *Catech.* 3. & alij Patres dicant, inuocatione Dei, ſeu Spiritus ſancti, aut myſtica prece fieri conſecrationem, & corpus Chriſti; quæ non videntur eſſe in his verbis, *Hoc eſt corpus meum.* ſed malè ſentiunt, vt pluribus docet Turrianus *in lib.* 8. *Clementis c.* 20. Bouius *ibidem c.* 17. Sainctes *repet.* 7. *c.* 5. Sixtus Senenſis *lib.* 6. *biblioth. a.* 111. Bellarminus *lib.* 4. *de Euchariſtia c.* 13. Henriquez *lib.* 8. *c.* 16. Suarez *diſput.* 58. tum quia Chriſtus in vltima cœna, nec dixit, nec iuſſit hæc dici; cùm id nulla ſcriptura, aut traditio doceat. tum quia Patres dicunt Euchariſtiam confici verbis Chriſti, vt Iuſtinus *Apol.* 2. Irenæus *lib.* 5. *c.* 1. Nyſſenus *in oratione catechetica*, Ambroſius *lib.* 4. *de ſacram. c.* 4. Auguſtinus *ſer.* 28. *de verbis Domini*; at verba precéſque additæ à Græcis preces ſunt, & verba ab hominibus inuenta. tum quia ſimul fieret corpus & ſanguis Chriſti; vtraque enim ſpecies eadem oratione conſecraretur, cùm tamen, vt docet Beſſarion *lib. de verbis conſecrationis antiqui Græci*, & Liturgia Baſilij, & Chryſoſtomi ſtatim recitatis verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum.* proponatur Euchariſtia populo adoranda, reſpon-

1. Sixtũ Senẽſem lib. 2. in Clemẽte. & lib. 6. c. 111.

dente eodem, *Amen*, vt confirmet ibi iam adeſſe Chriſti corpus, ex Leone *ſer.6. de ieiunio 7. Menſis*; & Chriſtus ante conſecrationem vini dederit corpus ſuum diſcipulis manducandum. In Liturgiis autem non habentur tamquam verba neceſſaria ad conficiendum, ſed ſolùm orandum vt Euchariſtia iam conſecrata nobis fiat corpus Chriſti ſeu proficua, vt decet corpus Chriſti, nobíſque ſumentibus, vt ait S. Iacobus, ſit in remiſſionem peccatorum, vt explicarunt Græci in Concilio Florentino. vt etiam in Liturgia Latina dicitur: *Hæc commixtio, & conſecratio fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* Nec in D. Clemente & Liturgia Chryſoſtomi dicitur: Fac panem iſtum, ſed, *Oſtende panem iſtum eſſe corpus Domini noſtri, &c.* Rectéque dicunt Patres precibus & inuocatione Dei vel Spiritus ſancti confici hoc ſacramentum, tum quia implicitè & in actu exercito verba conſecrationis continent inuocationem diuinæ virtutis, quæ eſt primaria cauſa. tum quia loquuntur de tota Liturgia, aut certè Canone, qui huiuſmodi orationes continet. Vt etiam iidem Græci errant, exiſtimantes eſſe etiam de eſſentia verba illa, *Quod pro vobis tradetur*, ſeu *traditur*, aut *frangitur in remiſſionem peccatorum*, quæ habet D. Paulus 1. *Cor.* 11. Lucas 22. Liturgia Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi, Clemens *lib.*8. *c.*12. Damaſcenus *lib.*4. *c.*14. Ambroſius *lib.*4. *de ſacram. c.*5. Non enim ſunt de eſſentia, & neceſſitate, cùm Romana Eccleſia, quæ, teſte Leone IX. *ep. ad Michaelem c.*5. D. Thoma 3. *p. q.*78. *art.*2. *ad* 5. & aliis, conſecrationis formam à D. Petro accepit antequam Paulus aut Lucas ſcriberent, habeat ſolùm, *Hoc eſt corpus meum.* quam tamen carere vera forma conſecrationis, aſſerere eſſet hæreticum. *cap. ad abolendam. de hereticis.* & S. Matthæus ac Marcus illa omittant, cùm tamen non ſit credendum eos in neceſſariis deficere, aliàs qui iuxta eorum Euangelium confecerunt, haud habuiſſent verum ſacramentum. Accedit illa ſola, *Hoc eſt corpus meum*, ſufficienter ſignificare conuerſionem panis in Chriſti corpus. quare etiam ſufficienter illam efficient. cùm ſacramentorum verba efficiant quod ſignificant, ex D. Thoma 3. *p. q.*78. *art.*2. & Concilio Florentino. Inſpirante tamen Spiritu ſancto D. Paulus, & Lucas illa addiderunt; vt magis explicarent, id quod dabatur, eſſe ipſiſſimum corpus Chriſti; ideóque deſinat etiam Kemnitius calumniari Catholicos, quòd verba iſta conſecrationi detraxerint.

Sed quid in prædicta conſecrationis forma ſignificet pronomen, *Hoc*, accu- 15.
ratè perquiramus. & quidem, vt rectè docet Sanderus *lib.*7. *de viſibili Monarchia, hereſi* 204. Bellarminus *lib.*1. *c.*8. *&* 10. *de Euch.* Salmeron *tom.* 9. *tr.* 16. 17. & alij, falſum eſt quod ſomniat Carloſtadius ſignificare, hîc ſeu hoc loco; ita vt non ſit Pronomen, ſed Aduerbium locale, ac ſi diceret Chriſtus: Hîc reſidet corpus meum. cùm enim Apoſtoli id cernerent non egebant admonitione; nec cohærent cùm ſuperioribus: *Accipite, & comedite.* nam illud, *Hoc eſt enim corpus meum*, reddit rationem cur debeant accipere & comedere: impertinens autem ratio eſſet dicere: Accipite & comedite, quia hîc ſedeo. Similiter falſum eſt, *Hoc* ſignificare totam actionem cœnæ, vt fingit Bucerus, vt ſenſus ſit: Hæc actio corpus Chriſti repræſentat. porrigebat enim Chriſtus quod manducarent. & Lucas ac Paulus agentes de conſecratione Calicis dicunt, *Hic calix*, quod ſanè conuincit Chriſtum non loqui de tota actione. Eodem modo falſum eſt, *Hoc* deſignare collegium Apoſtolorum quaſi myſticum Chriſti corpus, vt ſit ſenſus: Accipite & comedite vos, qui eſtis corpus meum, vt fingunt alij, nam Chriſtus ſubdit: *Quod pro vobis tradetur*, quæ non poſſunt Apoſtolis conuenire, vt rectè obſeruat Ianſenius *in Concordia Euang. c.*59. Falſum quoque quod docet Ioannes

Longus

Langus *in 2. Apologiæ Iuſtini*, *Hoc* eſſe demonſtratiuum panis, eſſe tamen ponendum prædicatum propoſitionis, & non ſubiectum, hoc modo: Corpus meum eſt hoc. nimirum panis, quia nutrit animas, & reficit inſtar panis. nam ex eius ſententia Chriſtus non dedit Apoſtolis corpus ſuum, cùm dixit: *Accipite & manducate*, ſed panem. At eſſet ineptiſſima ratio: Accipite hunc panem, quia fide corpus meum reficit inſtar panis. debuiſſet enim explicare efficaciam illius panis, & non corporis ſui. falſum denique, *Hoc*, eſſe quidem ſubiectum propoſitionis, ſed demonſtrare panem. ſi enim demonſtrat panem. *Hic*, in conſecratione calicis demonſtrabit vini poculum, quod licèt concedant aduerſarij, eſt tamen apertè falſum. Clarè enim D. Lucas *c.22.* Græcè dicit effundi pro nobis poculum ſanguinis, qui Græcè eſt neutri generis, & non vini quod Græcis eſt maſculini. quod argumentum adeò conuicit Bezam, vt non aliud habuerit effugium, quàm dicere omnes textus etiam antiquiſſimos eſſe corruptos. ſed dimittamus hæreticos. Ex Catholicis D. Bonauentura 4.*d.*8.*p.*2.*q.*1. dicit, *Hoc*, deſignare panem, quatenus adhuc in ſua ſubſtantia permanet, totam verò propoſitionem interpretandam tranſitiuè, vt ſit ſenſus: Hoc fit corpus meum; ſeu tranſit in corpus meum. ſed obſtat huic expoſitioni. tum quòd tunc non retinetur proprietas verbi *eſt.* quod ſi admittatur, aperietur via hæreticis ad ſuos errores defendendos. tum quia cùm in inſtanti fiat conuerſio,& non ſucceſſiuè, non debet exprimi per fieri,ſed per factum eſſe,ex D.Th.3.*p.q.*78. *art.*2.Soto 4.*d.* 11.*q.*1.*art.*2.& 5. & aliis. tum quia, *Hoc*, demonſtrat rem ſub conceptu confuſo, & vniuerſali, ſub quo non rectè deſignatur res, quæ iam cognoſcitur in particulari, niſi fuerit generis neutri. nemo enim demonſtrando Petrum dicet: Hoc eſt Petrus, ſed: Hic eſt Petrus. quare neque de pane, quem clarè Apoſtoli videbant, dici poteſt niſi abſurdè: Hoc eſt corpus meum,ſed tantùm,Hic panis eſt corpus meum. Gulielmus Ochan *q.*2.*q.vltima.* Io.Maior 4.*d.*8.*q.*1.& alij apud D.Thomam 4.*d.*11.*q.*1. *art.*5. dicunt demonſtrare corpus Chriſti, vt eſt in propria ſpecie; quòd prolatis verbis incipiat eſſe ſub ſpeciebus panis. ſed obſtat, tum quia tunc idem erit: Hoc eſt corpus meum, ac corpus meum eſt corpus meum. quæ ſanè forma, vt notat S.Thomas, Sotus, & alij, non eſt operatiua ſeu conuerſiua panis in corpus, quia ante eius prolationem idipſum verum erat, & nunc cùm Chriſtus ſit abſens, non poſſet deſignari Pronomine, *Hoc*, quod rem præſentem,& ſubiectam ſenſibus demonſtrat. tum quia tunc potiùs dicendum fuiſſet, corpus meum eſt, hoc, contra formam præſcriptam. Ruardus Tapper *art.*15. putat, *Hoc*, deſignare accidentia, ſeu ſpecies panis, quia *Hoc* deſignat rem ſenſibilem, quæ eſt eo tempore, quo fit deſignatio, & manet quando perficitur verborum ſignificatio, quæ ſola ſunt accidentia. ſed obſtat, quia accidentia ſola & in recto non ſunt corpus Chriſti. quod ſi intelligatur in obliquo, coincidit cum vltima opinione; ſed non declarat,quid ſignificet in recto. Alexander Alenſis 4.*p. q.*43.*m.*3.*art.*2. Marſilius 4.*q.*6.*art.*1. & Gabriel *in can. lect.*48. ſentiunt deſignare quidem corpus Chriſti, ſed prout eſt ſub accidentibus panis in termino prolationis verborum. etenim in propoſitionibus factiuis, non poteſt aliquid deſignari ante finitam prolationem, vt ſi baculo in ſabulo circulum deſignans dicam: Hic eſt circulus; quia res facienda ante finitam prolationem non poteſt oſtendi. quod enim nondum eſt in rerum natura, non poteſt deſignari. Porrò in huiuſmodi propoſitionibus factiuis, & practicis, cùm Pronomen, eſt ſubiectum, deſignat rem faciendam, ſeu prædicatum propoſitionis, vt etiam in propoſitionibus ſpeculatiuis affectis Pronomine,v.g. in his:

Hic

Hic eſt filius meus dilectus: Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus, aliàs propoſitiones non poſſent eſſe veræ. quamuis in ſpeculatiuis deſignatiò poſſit fieri ante propoſitionem; in factiuis autem non niſi facta prolatione. verùm licèt in propoſitionibus practicis Pronomine ſignificetur res facienda, non ſignificatur tamen ſecundùm eam rationem particularem, qua ſignificatur eadem res per prædicatum, aliàs eſſet propoſitio identica. quod eſt falſum. nam aliud eſt dicere: Hoc eſt corpus meum. &, Corpus meum eſt corpus meum; ſicut aliud eſt dicere: Hæc doctrina eſt vera. & aliud, Doctrina vera, eſt doctrina vera. Quare tunc Pronomen, ſubiectum propoſitionis, ſignificabit naturam prædicati, verùm non quocumque modo, ſed vt præſens. Ideo cùm dicimus: Hoc eſt corpus meum. idem corpus Chriſti ſignificatur à parte ſubiecti, & à parte prædicati; ſed a parte prædicati, prout eſt corpus Chriſti; à parte ſubiecti, vt præſens, cum deſignetur Pronomine, *Hoc*, & contentum ſub his ſpeciebus. etſi neceſſe ſit, ſuſpenſam eſſe ſignificationem ſubiecti donec abſoluatur propoſitio, cùm propoſitio habeat neceſſariam quamdam habitudinem ad prædicatum. & hanc opinionem Suarez & alij exiſtimant probabilem, & potius verbis quàm re differre ab opinione S. Thomæ. Ei tamen obiicit Bellarminus *lib.* 1. *de Euch.c.* 11. tum quòd licèt Pronomen demonſtratiuum demonſtret rem futuram, quando nihil eſt præſens, quod demonſtretur, vt cùm Prophetæ dicebant: *Hæc dicit Dominus.* & *Io.* 15. *Hoc eſt præceptum meum, &c.* ſi quis tamen digito aliquid oſtendat, cùm initio profert Pronomen, durum eſt dicere Pronomine illo non demonſtrari rem vllam præſentem. Ergo etiam cùm Chriſtus accepto pane dixit: *Accipite, & manducate, & bibite ex hoc, &c.* Neque refert quòd propoſitio non ſignificet niſi in fine prolationis; quamuis enim id verum ſit in propoſitione, quæ eſt quædam oratio; Pronomina tamen demonſtratiua mox certum aliud indicant, etiam antequam ſequantur cæteræ voces. Tum quia verba ſacramentalia ſunt operatoria & practica, cùm efficiant quod ſignificant; at ſi Pronomen demonſtrat ſolum corpus Chriſti, verba erunt ſpeculatiua, ſemper enim demonſtrato Chriſti corpore, exempli gratia, poſt conſecrationem, verum eſt dicere: Hoc eſt corpus Chriſti, ſiue dicatur à laico, ſiue à ſacerdote. S. Thomas itaque 3.*p.q.*78. *art.*2. *&* 5. *&* 4.*d.*8.*q.*2. *art.*1. *& d.*11.*q.*1. *art.*5. *& in* 1. *ad Cor.c.*11. & ante ipſum Guitmundus *lib.*2. *de ſacramento altaris, in fine.* Durandus 4.*d.*8.*q.*2. *ad* 1. Capreolus *art.*3. Antoninus 3.*p. tit.*13.*c.*5. §.4. Ferrar. *lib.*4. *contra Gentes,c.*63. Ianſenius *in Concord.c.*131. Victoria *in ſumm.n.*75. Soto 4.*d.*11.*q.*1.*art.*5. Ledeſma *q.*19. *art.*5. Bellarminus *lib.*1. *de Euch.c.*8.10.11. Suarez *diſp.*58. *ſect.*7. dicunt Pronomen, *Hoc*, ſignificare quid commune ſubſtantiæ panis & corporis Chriſti; non quidem ſecundùm rem, cùm non poſſit vlla ſubſtantia, quæ erat in termino à quo tranſubſtantiationis, manere in termino ad quem eadem, tunc enim non eſſet tranſubſtantiatio; ſed ſecundùm rationem, & denominationem, nimirum ſecundùm rationem contenti, ſub his accidentibus. vt ſit ſenſus: Hoc eſt corpus meum, ideſt, quod ſub his ſpeciebus continetur. ſiue edulium, ſub his accidentibus poſitum, eſt verè & propriè meum corpus naturale. Et placet ſanè ſententia, tum quia verba formæ debent ſignificare quod efficiunt, efficiunt autem non vt corpus Chriſti ſit corpus Chriſti, id enim ſemper eſt; nec vt panis ſit corpus Chriſti, id enim repugnat, nec vt accidentia ſint corpus Chriſti, id enim abſurdum eſt, cùm ſint diuerſi prædicamenti; ſed ſolùm vt contentum ſub accidentibus & ſpeciebus illis, quod antea erat ſubſtantia panis facta prolatione verborum ſit corpus Chriſti; ſicut inquit Bellarminus, cùm Domi-

nus aquam in vinum mutauit, ſi aquæ hydrias oſtendens dixiſſet: Hoc eſt vinum, & illis verbis peregiſſet mutationem, non liceret exponere: Hoc eſt vinum, ideſt, Hæc aqua eſt vinum, id enim falſum eſſet. neque ita, Hoc vinum, ſeu hæc res (demonſtrando vinum) eſt vinum: nam demonſtratio fuiſſet falſa. non enim cùm diceretur, *Hoc*, aderat vinum. ſed ſenſus eſſet: Hoc eſt vinum. ideſt, contentum hoc vaſe eſt vinum. Quare Pronomen, *Hoc*, non poteſt demonſtrare aliud, quàm quod ſub ſpeciebus illis continetur; ídque ſiue accipiatur Pronomen adiectiue, vt ſentit Bellarminus, nempe: Hoc eſt corpus meum, ideſt, Hoc edulium eſt corpus meum. &, Hic eſt ſanguis, ideſt: Hic potus eſt ſanguis meus, ſeu: Hic calix, eſt calix ſanguinis mei. ſiue ſubſtantiuè, vt vult Suarez, quòd Pronomen videatur in propoſitione habere rationem integri ſubiecti, dummodo in vtraque forma (quicquid ſenſerit Henriquez *lib.8.c.18.*) ſimili modo ſumatur, cùm ſit par ratio vtriuſque. Nam etiam, *Hic*, ſubſtantiuè ſumi poſſe conſtat ex *capite 16. Exodi*, vbi interrogantibus Iudæis de Manna: *Quid eſt hoc.* Moyſes reſpondit: *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.* Dices, cùm Pronomen, *Hoc*, profertur, eſt demonſtratiuum ſubſtantiæ, quæ tunc eſt ſub illis accidentibus, hæc verò tunc eſt ſubſtantia panis, cùm conuerſio ſolum fiat in fine; quare demonſtrat panem, qui etiam figuratè dicetur corpus Chriſti, vt argumentabatur, Berengarius, Petrus Martyr & alij hæretici. Reſpondeo cum Soto *4.d.11.q.1.art.5.* Bellarmino *lib.1. de Euch.c.11.* Suarez & aliis, huiuſmodi Pronomen poſſe conſiderari & ſecundùm ſe, vt eſt ſimplex terminus habens ſignificationem incomplexam, & hoc modo habere ſignificationem variam, & quaſi æquiuocam. nam ſi eo prolato ſiſtamus, poteſt deſignare accidens, ſubſtantiam, & compoſitum ex vtroque; & vt eſt extremum propoſitionis; quæ cùm aliquid de alio ſignificet, nequit intelligi ſine extremis abſoluta penitus propoſitione, vt quælibet alia; & tunc Pronomen componit integrum ſignificatum propoſitionis, in fine prolationis eiuſdem in inſtanti terminatiuo verborum, vt punctum in linea. Ideo ſignificat, & ſupponit prout determinatur à prædicato. Quare ſi primo modo ſumatur Pronomen, negatur deſignare panem, cùm habeat ſuſpenſam ſignificationem, donec abſoluatur propoſitio; ſed deſignat ſolùm hoc ſenſibile, ſeu contentum, ſub his ſpeciebus in communi, quicquid illud ſit, vt rectè S.Thomas *3.p.q.78. art.5.* Si ſecundo modo ſumatur, cùm determinetur à prædicato, in hac propoſitione: Hoc eſt corpus meum. ſupponit pro corpore Chriſti; licet enim ante conſecrationem contentum ſub illis ſpeciebus fuerit panis, vi tamen prolatæ conſecrationis incipit eſſe corpus Chriſti; ita vt ſimul tempore ſint completa ſignificatio verborum, & conuerſio panis in corpus Chriſti. vnde ex hac voce perſpicuè probatur in Euchariſtia veritas corporis Chriſti, & non figura.

16. SEquitur verbum, *eſt*. in quo etiam nullus eſt tropus. non enim accipitur pro, ſignificat, vt Zuinglius, Caluinus, Beza & alij hæretici ſomniant, vt veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia negent; & ſolùm ſtatuant eius figuram; ſicut in ligno ſculptus Crucifixus, dicitur Chriſtus; ſed accipitur propriiſſimè pro verbo ſubſtantiuo, *ſum, es, eſt*, vt docet ſeptima Synodus *act.6. tom.3.* Tridentina *ſeſſione 13.c.1.* Damaſcenus *lib.4. de fide c.14.* Theophylactus *in c.26. Matth. & 1. ad Cor.11.* VValdenſis *tom.2.c.19.* Caſtro *v. Euchariſtia, hæreſi 4.* Hoſſius *lib.2. contra Brentium*, Clithouæus *lib. de ſacramento Euchariſtiæ contra OEcolampadium*, Ruardus Tapper *art.13.* Salmeron *tom.9. tr.17.19.* Bellarminus *lib.1. de Euchariſtia c.9.10.11.* S. Thomas *3.p. q.78. art.2.* cùm communi ſententia Scholaſticorum.

tum quia, *eſt*, debet ſumi in ſua ſignificatione propria, niſi manifeſtè conſtet ex aliquo Scripturæ loco, aut Eccleſiæ traditione tropicè ſumendum: at nullibi habetur in hac propoſitione tropicè vel figuratè ſumendum. propriè igitur ſumetur, vti ſemper ſumſit Eccleſia catholica, qua de re Turrianus *tr.1. de Euchariſtia.* & Claudius Sainctes *repet.2. c.1. & 2.* eodémque modo intellexerunt Apoſtoli. cum enim Chriſtus carnem ſuam manducandam promiſiſſet, *Ioannis c.16.* exorta eſt perturbatio, quomodo id effici poſſet, & ex diſcipulis aliqui abierunt retro; nec Chriſtus interpretando ſententiam tropicè & figuratè eos reuocauit à defectione, nec opinionem correxit, ſed tantùm arguit perturbationem. etſi quia, qui remanſerant rudes adhuc erant, noluit tunc rem explicatiùs aperire, ſed diſtulit in vltima cœna. tum quia ſi cum Petro Abbate Cluniacenſi *tr. de ſacrificio Miſſæ contra Petrobruſianos,* & Soto 4.*d.9.q.2. art.1.* quæramus ab hæreticis potuiſſétne Chriſtus ſi voluiſſet corpus ſuum conficere, & Apoſtolis porrigere, profectò ne eius omnipotentiam negent, reſpondebunt potuiſſe; id enim minus eſt quam ex nihilo vniuerſa condidiſſe, vt fatetur Ambroſius *can. panis eſt. de conſecr.d.2.* Emiſſenus *Hom.5. de Paſchate*, & Algerus *lib.1. de Euch.* Quæro igitur, ſi voluiſſet, quibúſnam verbis explicatius id explicaſſet quàm his: *Hoc eſt corpus meum.* &, *Hic eſt ſanguis meus?* certè nullis. haud vlla igitur etiam nunc metaphora, aut tropus fingendus, vt expreſsè monet Chryſoſtomus *c.26. in Matth.* Theophylactus *ibidem,* Cyrillus *catech. myſtag.4.* Ambroſius *lib.4. de ſacram. c.5.* Damaſcenus *lib.4. de fid.c.14.* Qui ob id etiam monent, opus eſſe fide ad hoc credendum, contra quàm ſenſus indicat. eſſet autem nulla fidei difficultas in hoc, ſi per metaphoram ſolùm panis diceretur, & crederetur Chriſti corpus; ſicut etiam leo, petra, agnus, &c. idem creditur dictus per metaphoram. tum denique quia hoc myſterium eſt nouum ſacramentum, teſtamentum fœderis, pactum, lex, & præcipuum dogma Euangelij, à quibus profectò omnibus, natura ſua, ne detur locus cauillis, abeſſe debet figurata & metaphorica locutio, vt pluribus explicat Claudius Sainctes *repet.1 c.3.5.8. & repet.3 c.2.* Salmeron *tom.9 tract.21.* & Bellarminus *lib.1 de Euchariſtia, c.9.* Quare omnino rectè S.Hilarius *lib.8 de Trinit.* & S.Eligius *Hom.8.* aiunt: *De veritate carnis, & ſanguinis, non eſt relictus ambigendi locus. nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt.*

Additur Coniunctio, *enim,* quam non eſſe de eſſentia conſecrationis ſentiunt 17. Scholaſtici. S.Thom.3.*p.q.78.art.2.ad 5.* Alenſis *q.33.* Richardus 4.*d.8.art.3.* Bonauent.& Gabriel *ibidem.* Sotus 4.*d.1.q.1.art.8. & d.11.q.1.art.2.* Marſilius 4.*q.6.art.1.* Ledeſma *q.19.* Petrus Soto *lect.2. de Euchariſtia,* & reliqui. tum quia Euangeliſtæ, & D. Paulus illam prætermiſerunt, ſicut etiam Concilium Florentinum. tum quia non confert ad ſignificandum effectum formæ; quare neque ad illum efficiendum, cùm ſacramenta id efficiant quod ſignificant. Sed addita eſt ex traditione Apoſtolica *cap. cùm Marthæ. de celebr. Miſſ.* & S.Thoma *loco citato,* ad oſtendendam connexionem cum præcedentibus. Peccaret tamen qui illam omitteret: nam faceret contra Eccleſiæ vſum. & quidem ſecundùm Angelum *v. Euchariſtia 1.mon.22.* Gabrielem, & Ioannem Gerſonem ac alios, mortaliter: ſecundùm Sotum 4.*d.1.q.1.art.8.* venialiter, etiamſi adeſſet contemtus ob leuitatem materiæ; ſecundùm Ledeſmam *loco citato,* Marſilium 4.*q.6.art.1.* & Suarez *diſp.19.ſect.1.* ſecundùm ſe venialiter, ſed mortaliter ſi adſit contemtus. quia id eſſet Eccleſiæ iniurioſum, & inſtitutioni eius contrarium in re ſacratiſſima.

Corpus, verum ſcilicet, & naturale Chriſti, non eius figura, non ſignum, ex Sy- 18.
nodo

nodo VII. *act.6. tom.3.* & Tridentina *ſeſſ.13. c.1.* Audiamus quid ante Chriſtum natum inter Rabbinos facile princeps ſcripſerit Moyſes Hardaſan in illud *Pſal.* 136. *Qui dat panem omni carni. Hoc* (inquit) *eſt, quod dictum eſt* Pſal. 33. Guſtate & videte quoniã bonus eſt Deus, *quia panis quem dat omnibus ipſe, eſt caro eius.* Audiamus Epiphanium *in Ancorato. Hoc meum eſt, hoc, & hoc* (*corpus ſcilicet & ſanguis*) *& nemo non fidem habet ſermoni; qui enim non credit eſſe verum quod ipſe dixit, excidit à gratia, & ſalute.* Gregorius quoque Nyſſenus *ſer. catechetico de diuinis ſacramentis. Itaque qua ex cauſa panis in eo corpore* (*ſcilicet Chriſti*) *mutatus in diuinam virtutem tranſiit, eadem de cauſa nunc etiam idem fit: vt enim illic verbi Dei gratia ſanctum efficit illud corpus cuius firmamentum ex pane conſtabat, & ipſum quodammodo panis erat; ſic etiam hic panis, vt ait Apoſtolus, per verbum Dei & orationem ſanctificatur. non quia comeditur, eò progrediens vt verbi corpus euadat. ſed ſtatim per verbum in corpus mutatur, vt dictum eſt à Verbo,* Hoc eſt corpus meum. Auguſtinus *concione prima in Pſal.* 33. explicans locum *lib.1. Reg. c.21.* vt ipſe legit, *& ferebatur in manibus ſuis.* loco eius, *& collabebatur inter manus eorum,* ait. Quomodo autem hoc in Dauid inuentum ſit, ſecundùm litteram non inuenimus, in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis quando commendans ipſum corpus ſuum, ait: *Hoc eſt corpus meum;* ferebat enim corpus ſuum in manibus ſuis. Et dixit Auguſtinus, ſecundùm litteram, nempe ſine metaphora, ſine figura. Hyſichius *lib.6. c.22. Per ignorantiam autem percipit, qui virtutem eius & dignitatem ignorat, qui neſcit quia corpus hoc, & ſanguis eſt ſecundùm veritatem. ſed myſteria quidem percipit, neſcit autem myſteriorum virtutem.* Cyrillus Alexandrinus *epiſtola ad Caloſyrium Epiſcopum. Ne enim horreremus carnem & ſanguinem appoſita ſacris altaribus, condeſcendens Deus noſtris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis.* Damaſcenus *lib.4. de fide. c.14. Non eſt* (inquit) *figura panis & vinum, corporis & ſanguinis Chriſti, abſit enim hoc, ſed eſt ipſum corpus Domini deificum, ipſo Domino dicente:* Hoc eſt corpus meum. *non figura corporis, ſed corpus; & non figura ſanguinis, ſed ſanguis.* Eadem ætate Carolus Magnus *lib.4. c.14. Non* (inquit) *hæc eſt imago corporis mei, & ſanguinis, ſed hoc eſt corpus meum· cùm ergo corporis & ſanguinis myſterium, quod in veritate geſtum eſſe conſtat, vera Chriſti non poſſit dici imago, meritò, &c.* Theophylactus *in c. 14. Marci, Hoc eſt corpus meum. Hoc quod ſumitis: non enim tantùm figura & exemplar eſt corporis Dominici, panis, ſed in illud conuertitur.* & *c.26. Matth. Non enim dixit: Hoc eſt figura, ſed,* Hoc eſt corpus. *ineffabili enim operatione transformatur. etiamſi nobis videatur panis; quoniam infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem; & ideo panis quidem apparet, ſed re vera caro eſt.* & *in c.6. Io. Attende autem quòd panis qui à nobis in myſteriis manducatur, non eſt tantùm figuratio quædam carnis Domini, ſed ipſa caro Domini; non enim dixit, Panis quem ego dabo figura eſt carnis; ſed,* caro mea eſt; *transformatur enim arcanis verbis panis ille, &c.* Paſchaſius *in libello de inſtitutione ſacramenti. Audiunt* (inquit) *qui volunt extenuare hoc verbum Corporis, quòd non ſit vera caro Chriſti, quæ nunc in ſacramento celebratur, quaſi Dominus mentiatur, cùm ipſa veritas dicat non, Hæc eſt, vel in hoc myſterio eſt quædam virtus, vel figura corporis mei, ſed ait non fictè:* Hoc eſt corpus meum, *&,* Hic eſt ſanguis meus. videndus idem *lib. de corpore & ſanguine Chriſti, cap.8.12.13.14.* Anſelmus *lib. de diu. off. Chriſti benedictione panis fit corpus eius, non ſignificatiuè tantùm, ſed etiam ſubſtantiuè. Neque enim ab hoc ſacramento figuram omnino excludimus, neque eam ſolùm admittimus; veritas eſt, quia corpus Chriſti eſt; figura eſt, quia immolatur quod incorruptibile habetur. ſi hoc corpus, Chriſti corpus ſignificatiuè tantùm, non etiam ſubſtantiuè fieret; hoc figura tantùm, non veritas corporis Chriſti exiſteret.* Gaufridus Antiſiodorenſis *in epiſtolam ad Cor. Comeda-*

mus carnes Agni cum azymo pane & lactucis agreſtibus, ſiquidem caro eſt in veritate, panis in ſpecie, agreſtis lactuca in paſſionis commemoratione. Euthymius *in c. 26. Matth. Non dixit* (inquit:) *Hæc ſunt ſigna corporis mei, & ſanguinis mei, ſed: Hæc ſunt corpus, & ſanguis meus. Oportet ergo non ad naturam eorum, quæ proponuntur aſpicere, ſed ad virtutem eorum: quemadmodum enim ſupernaturaliter aſſumtam carnem deificauit, ſi ita loqui liceat; ita & hæc ineffabiliter tranſmutat in ipſum viuificum corpus ſuum, & in ipſum pretioſum ſanguinem ſuum, & in gratiam ipſorum.* Petrus Damiani *ſer. de natiuitate Virginis. Illud ſiquidem corpus Chriſti, quod beatiſſima Virgo genuit, quod in gremio fouet, quod faſciis cinxit, quod materna cura nutriuit, illud, inquam, abſque vlla dubitatione, non aliud nunc de ſacro altari percipimus, & eius ſanguinem in ſacramentum noſtræ redemtionis haurimus; hoc Catholica fides habet, hoc ſancta Eccleſia fideliter docet.* Bernardus *ſer. de cœna*, qui incipit: *Panem Angelorum. Hoſtia quam vides iam non panis eſt, ſed caro mea quæ pependit in cruce pro mundi vita. Sanè mutatio iſta benedictionis opus eſt, non originis. virtus hoc facit, non vſus. effectus eſt potentiæ, non vſus naturæ. dignatio eſt, non ratio. miſericordia eſt, non miſeria.* Samonas Epiſcopus Gazenſis: *Abſit nos appellemus exemplar corporis Chriſti ſanctam communionem, aut panem nudum, aut figuram, aut imaginem; quinimmo corpus ipſum reuera & ſanguinem Chriſti Dei noſtri in Deum conuerſum aſſumimus, qui incarnatus & genitus eſt ex ſancta Dei genitrice ſempérque virgine Maria; ſic enim credimus & profitemur, iuxta vocem ipſius Chriſti qui ad diſcipulos in cœna illa myſtica tradens eis panem viuificantem pronunciabat:* Accipite, comedite. Hoc eſt corpus meum. *Similiter & calicem eis tradens, inquit:* Hic eſt ſanguis meus. *non dixit: Hoc eſt exemplar mei corporis, & ſanguinis, aut imago.* Nicolaus Epiſcopus Methonenſis *oratione ad eos, qui hæſitant conſecratum panem & vinum eſſe corpus & ſanguinem Chriſti. Veracis,* ait, *& ab omni mendacio alieni oris traditionem, & mandatum nihili facit:* Hoc eſt corpus meum, *dicentis, &*, Hic eſt ſanguis meus. *Quid hæſitas? Quid omnipotenti omnipotentiam attribuis? Nónne ipſe eſt, qui ex nihilo omnia vt eſſent fecit? vnus trium perſonarum diuinitatis? qui poſtremis temporibus incarnatus eſt, vt panem in ſuum corpus tranſmutari iuſſit? Quid requiris cauſam, & ordinem naturæ panis tranſmutationis in Chriſti corpus, & aquæ viníque in ſanguinem? cum ſupra naturam, rationem, mentem, cogitationem, ex Virgine ſit natus? non credes itaque nec reſurrectionem mortuorum, &c.* Ex quibus ſanè autoribus, tum Latinæ, tum Græcæ Eccleſiæ pomeridiana luce clariùs perſpicias, ſemper Eccleſiam catholicam ſenſiſſe & prædicaſſe in ſacramento Euchariſtiæ veram ac realem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam, abſque vllo tropo, metaphora, aut figura. Quare ſomniant hæretici illi, qui apud Ianſenium *in Concordia euangelica, c. 59.* Apoſtolos ſiue Eccleſiam, quæ dicitur myſticum Chriſti corpus *ad Coloſſ. 1.* hoc loco per, corpus, intelligunt; cùm Eccleſiæ non quadrent, quæ ſequuntur: *Quod pro vobis datur*, nec eidem, *Calix ſanguinis, & teſtamenti*, effundíque in remiſſionem peccatorum. ſomniat item OEcolampadius, qui per, Corpus, ſignum & figuram corporis exponit, cùm, vt rectè docet Ioannes Roffenſis *lib. 3. contra OEcolampadium*, neque hæc cohœreant cum illis: *Quod pro vobis datur, & effunditur in paſſione.* Chriſtus enim verè & propriè paſſus eſt, & non tantùm ſignificatiuè, aut figuratè. Nec valet additamentum Ioannis Caluini *lib. 4. Inſtit. c. 17. §. 2. & 5.* vel Petri Martyris *lib. contra Gradineum.* hoc ſignum non eſſe ſterile, ſed efficaciſſimum, reuocans ſcilicet ad memoriam Chriſti paſſioné, eáque ratione excitans fidem qua donamur omnibus bonis, ideóque ad differentiam aliorum ſignorum appellari corpus Chriſti. Nam quæ hactenus diximus valent etiam contra eoſdem. præterquam quòd cum imago crucifixi, & Concio de paſſione reuocent in memoriam Chriſti paſſionem

nem, & mortem, dici eadem ratione poſſent corpus Chriſti, quod nemo non videt quàm ſit abſurdum. At dicent Nouatores, Patres hoc ſacramentum ſolent vocare Corporis Chriſti figuram, vt Auguſtin. *initio expoſitionis in Pſ.3.* vel ſacrificium imaginis Agni immaculati, vt idem *lib. de Cataclyſmo, c.4.* Ambr. *lib.1. off. c.48.* Gelaſius *in fine libri contra Eutychem*, Euſebius *lib.8. demonſt.* Typum corporis Chriſti, vt Hieronymus *lib.2. contra Iouinianum.* Antitypa myſteria corporis & ſanguinis Chriſti, vt Clemens *lib.5. c.13.* Nazianzenus *in oratione funebri Gorgoniæ*, Baſilius *in Liturgia*, Theodoretus *dial.1.* Macharius *Hom.* 27. & Dionyſius *de Eccl. hier. c.3.* Panem repræſentantem, vel ſignificantem corpus Chriſti, vt Tertull. *lib.1 contra Marcionem, c.14.* Euſeb. *lib.5. demonſt. c.3.* Hieron. *in c.26. Matth.* Non eſt igitur verum & naturale corpus Chriſti. ſed iam ante nongentos annos reſpondit Damaſcenus *lib.4. de fid. c.14.* & poſt eũ Paſchaſius *ep. de corpore & ſanguine Domini*, Guitmundus *lib. de corpore & ſanguine Domini*, Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus *lib. contra Berengarium*, Algerus *lib.1. c.5.* Anſelmus *lib. de diu. off.* Bellarm. *lib.2. de Euchariſtia*, & Suarez *diſp.46. ſect.4.* licèt hoc ſacramentum Chriſtum inuiſibiliter contineat ſub viſibilibus ſpeciebus, verè & realiter, & non metaphoricè, & in figura; ſimul tamen eumdem ipſum repræſentat, tum vt exiſtentem in cœlo in propria ſpecie, tum vt vnitur corpori ſuo myſtico, tum vt pro nobis crucifixus eſt & immolatus; ad quæ, & præſertim ad vltimum reſpicientes Patres vocauerunt, ſignum, figuram, & typum. quamuis admodum cautè locuti ſint Patres, vt aduertit etiam Sainctes *repet.* 3. c.4. Bellarminus & alij; numquam enim dixerunt eſſe ſolùm ſignum, & figuram, vt indicarent non eſſe nudum ſignum abſque re, ſed realiter continere Chriſtum, licèt alio modo eumdem ſignificet; ideóque ſit veritas, & ſimul etiam figura, typus, & repræſentatio eiuſdem vt patientis & effundentis ſanguinem in cruce pro hominum ſalute; qua de re Chryſoſtomus *Hom.17. in epiſtolam ad Hebræos.* Antitypa Turrianus in Clementem *lib.5. c.13.* & Sainctes *repet.3. c.4.* ſentiunt dici hæc myſteria, non quòd ſint figura, ſed quòd figuris & vmbris ſacrificiorum veteris legis ſucceſſerint, eo quòd *ἀντὶ, pro*, ſignificet. Idem Sainctes & Bellarminus *lib.2. c.15.* Antitypa dici volunt non quaſlibet figuras, ſed ſolùm illas, quæ nihil ferè à veritate differunt, & cum exemplari contendere videntur, vt imagines, quæ reſultant in ſpeculo, cùm quis ſe intuetur in eo, & reuerberationes vocum quæ Echo dicuntur. ob id Euchariſtiam dici etiam Antitypa corporis & ſanguinis Domini; quæ verè & realiter continet, quia ſit ſignum & figura corporis & ſanguinis in cruce immolati, cùm Euchariſtia Chriſti paſſionem repræſentet. ſed de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in hoc ſacramento infrà in proprio capite, erit etiam diſputandum; ideóque cætera eò loci differenda ſunt. ſicut etiam differenda eſt *in cap.* 17. *num.* 3. difficultas an nomine corporis, quod ex vi verborum in Euchariſtia contineri dicitur, intelligantur etiam formæ partiales oſſis, carnis, neruorum, & non tantùm materia prima, quæ in nocte inſtitutionis integrabat corpus Chriſti.

19. Vltimò additur, *Meum*, quod oſtendit ſacerdotem in hac re ſuſtinere perſonam Chriſti. vnde Ambroſius *lib. de initiandis myſteriis, c.9. Nam ſacramentum iſtud quod accipis Chriſti ſermone conficitur; quod ſi tantum valuit ſermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, vt ſpecies mutet elementorum?* & Gregorius Nyſſenus *ſermone catechetico*, cuius meminit Euthymius *in Panoplia*, & Beſſarion *lib. de verbis conſecrationis. Quamobrem rectè nunc etiam Dei verbo ſanctificatum panem in Dei Verbo corpus credimus immutari.* Placet & apponere quæ ſcribit Petrus Abbas Clu-

ni accenſis *tract. de ſacrificio Miſſæ contra Petrobruſianos. Unde ne quis putaret animalis cuiuſlibet aut hominis eſſe corpus, ad excludendum omne aliud ſenſibile, vel inſenſibile corpus, poſtquam dixit:* Accipite, hoc eſt corpus, *adiunxit,* meum. *Suum ergo, non alterius corpus, diſcipulis dedit. Rurſus ne alicui cogitatio occulta obreperet, potuiſſe creare in manibus ſuis corpus, quod ſuum quidem eſſet, ſed tamen quod ipſe erat non eſſet, addidit,* quod pro vobis tradetur, *ac ſi diceret, nolite dubitare, nolite hoc vel illud vobis fingere, nolite aliud & aliud cogitare, quia hoc eſt corpus, non alterum aut alterius, ſed meum, non permutatum aut noniter creatum, ſed quod pro vobis tradetur, pro vobis crucifigetur, pro vobis morietur. Sic de calice:* Hic eſt, *ait,* ſanguis, *non bouis aut arietis, non agni aut cuiuſlibet hominis, ſed* meus, *non alius vel noua creatione productus,* ſed qui pro vobis fundetur, *flagellis prouocatus, clauis extortus, lancea expreſſus. quid ad demonſtrandam veritatem corporis & ſanguinis Domini, dici potuit clarius, lucidius, manifeſtius?* Hæc ille. Quare errat Ioannes Campanus, teſte etiam Luthero, quod mirere, *in ſua breui confeſſione,* qui exponit *meum,* poſſeſſiuè, vt ſit ſenſus: Panis eſt corpus à me factum & creatum, ſicut dicitur liber Ioannis, &c. Quamuis enim panis & vinum ſint res à Chriſto creatæ, & nobis datæ, non ſunt tamen datæ vel effuſæ pro nobis in redemtionem peccatorum, vt de ſuo corpore & ſanguine dicit Chriſtus. Ita igitur cum Catholicis omnibus intelligenda ſunt verba, *Hoc eſt corpus meum,* dimiſſis malè ſectis hæreticorum ſectis, qui ad ducentas, teſte Bellarmino *lib. 1. c. 8.* horum verborum interpretationes à fide & veritate alienas, confinxerunt. ſanè octuaginta quatuor collegit Sainctes *repet. 1. c. vltimo.* Euidens plane argumentum eos à veritate fidei, quæ vna eſt, toto cœlo aberrare.

Quærenti verò num Chriſtus in cœna, quam cum diſcipulis fecit, dederit 20.
ſuum corpus paſſibile, an verò impaſſibile, vt nos accipimus? Reſpondeo, etſi Hugo de S. Vict. *lib. de ſacramentis,* & Algerus *lib. 1. c. 9.* exiſtimauerint Chriſtum in quantum dabat paſſurum quidem & mortalem fuiſſe; in eo tamen quòd dabatur immortalem datum, Iuonem tamen Carnutenſem *epiſt. ad Haymericum,* Petrum Lombardum *in 1. epiſt. ad Corinth. c. 11.* Hugonem Cardinalem *ibidem.* B. Laurentium Iuſtinum *ſerm. de Euchariſtia,* Gabrielem *lect. 37.* Barradium *tom. 4. lib. 3. c. 4.* & alios, rectiùs oppoſitum ſentire, nempe diſcipulos Chriſti corpus accepiſſe quale tunc erat, nos autem tale quale nunc eſt. tunc paſſibile erat, cùm dictum ſit, *quod pro vobis tradetur,* nempe ad paſſionem; nunc verò immortale, cùm dicat Apoſtolus, *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.* meminit huius quæſtionis ortæ etiam inter Græcos Nicetas Choniates *in rebus geſtis Alexij Imperatoris lib. 3. annalium.*

Porrò ſi in conſecrationis forma, ſicut etiam in cæteris formis ſacramento- 21.
rum, fieret mutatio aliqua ſiue per additionem, ſiue per detractionem, aut alio modo, qua varietur verborum ſenſus, dicetur mutatio ſubſtantialis, & conſequenter non conficeretur. vt ſi pronomen, *Hoc,* mutaretur in, *Illud.* nam ex vi ſuæ ſignificationis non demonſtraret materiam præſentem: at ſi variatio non mutet ſenſum, vt ſi in aliqua lingua proferatur vera forma, vel contra Grammaticæ præcepta, vel alio modo, ita tamen vt non tollatur ſenſus, mutatio erit ſolùm accidentalis, & perficietur ſacramentum, vt ſi, v. g. dicatur: Hoc eſt corpus meus. ex doctrina S. Thomæ *3. p. q. 60. art. 7. & 8.* Caietani *ibidem,* Soti *4. d. 1. q. 1. art. 7. 8.* Ledeſmæ *q. 1. art. 7. 8.* Alenſis *quæſt. 10. m. 4. art. 2. & q. 33. m. 3. art. 3.* Scoti *4. d. 3. q. 2.* Gabrielis *lect. 38.* Suarez *diſp. 11. & 59.* Durandi *in Ration. lib. 4. c. 4.* Innocent. *lib. 4. c. 13.* & Zachariæ Papæ *epiſtola 1. ad Bonifacium, & can. retulerunt, de conſecr. d. 3.* Cætera quæ hoc loco quæri poſſent, in ſequentibus capitibus explicabuntur.

Abſoluta

22. Abſoluta conſecratione Chriſti corporis, vt etiam ſanguinis, ſtatim ſacerdos genuflectit, & adorat auguſtiſſimum ſacramentum, iuxta illud quod monet Eccleſia. Tantum ergo ſacramentum veneremur cernui, licèt dentibus frendat Zuinglius *lib. de vera & falſa religione*, vbi cum Neſtorio corpus Chriſti à diuinitate ſeiungit, Caluinus *lib. 4. Inſtit. c. 17. §. 35.* pernegans cum aſſeclis in eo Chriſtum præſentem adeſſe; ſed eſſe tantum panem de furno, & vinum de cella vinaria, & Lutherus *lib. ad Valdenſes*, qui etſi admittat ibi Chriſtum eſſe in vſu cœnæ, etſi non poſtea, negat tamen adorandum, quia nullibi id præcipiatur, & Chriſtus ibi ſit, vt manducetur, non vt adoretur. ſed delirant omnes hæreſis æſtu perciti. tum quia *Deut. 6. & Matth. 4.* dicitur, *Dominum Deum tuum adorabis*; ſed Chriſtus in Euchariſtia eſt Deus, ob id enim dicitur *1. Corinth. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Quare etiam adorandus. tum quia id definitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. c. 5. & can. 6.* vbi anathema dicitur ei, qui dixerit in ſancto Euchariſtiæ ſacramento vnigenitum Dei non eſſe adorandum cultu latriæ. & affert omnino conuincentem rationem, videlicet quòd eadem ſit excellentia & maieſtas eiuſdem exiſtentis in hoc ſacramento ſub ſpeciebus panis & vini, atque extra. differentia namque in modo exiſtendi naturali, non variat adorationis rationem. quare ſi meritò adoratus eſt in terris dum inter homines viueret, à Magis in ſtabulo, à leproſo in via, in templo à cæco nato, in naui à vectoribus, in Gallilæa ab Apoſtolis, in Iudæa ab omnibus quibus innotuit, ab Angelis in Incarnatione, vt dicitur *ad Hebræos c. 1. Et adorent eum omnes Angeli eius*, & nunc in cœlo regnans adoratur ab Angelis & beatis omnibus, *Apoc. 5. & 7.* adorari etiam debet in hoc diuino ſacramento. tum quia id ſenſerunt Patres antiquiſſimi, Iacobus *in Liturgia*, Dionyſius *lib. de Eccl. hier. c. 3.* Alexander Papa *epiſt. 1. c. 4.* aſſerens hanc oblationem pura mente ſumendam, & ab omnibus venerandam, & ſicut potior eſt cæteris, ita debere præ cæteris excoli & venerari. Origenes etiam *Hom. 13. in Exod. Noſtis*, inquit, *qui diuinis myſteriis intereſſe conſueuiſtis, quomodo cùm corpus Domini ſuſcipitis cum omni cautela & veneratione ſeruatis, ne ex eo parum quid dilabatur.* & *Hom. 5. in diuerſa loca Euang. Prouocat nos ad eius venerationem exemplo Centurionis.* Chryſoſtomus *Hom. 7. in Matth. & Hom. 24. in 1. ad Corinth.* excitat ad hoc idem exemplo Magorum, & *Hom. 41. in 1. ad Cor. & 61. ad populum Antiochen. Si*, inquit, *pura ſunt veſtimenta, pura animæ ſtola, menſæ igitur accumbe, adora, & communica.* Nazianzenus *in orat. de obitu Gorgoniæ*, dicit eam graui morbo affectam cùm noctu ad altare cum fide procubuiſſet, cúmque, qui ſuper altari colitur, magno cum clamore obteſtata eſſet, & quia impudenti i eſſet imitata, quæ ad tactum fimbriæ Domini fluxum ſanguinis compreſſerat, ſtatim conualuiſſe. Idem nos in Apologia ad Petri & Zachæi imitationem, inuitat. Euſebius, Emiſſenus *Hom. 5. de Paſchate* dicit: *Sacrum Dei tui corpus & ſanguinem fide reſpice, honora, mirare, mente continge, cordis manu ſuſcipe.* Io. Climacus *gradu 23.* diſputans de ſpiritu blaſphemiæ quo dum communicare volumus dæmon impia verba in nobis proferr, ait: *Nam ſi mea ſunt turpia illa & ſcelerata verba, quid eſt quòd hoc donum cœleſte ſuſcipiens adoro.* De Euchariſtiæ eſu & adoratione explicant Auguſtinus *epiſt. 120. c. 24.* Arnobius, Hieronymus, Baſilius, Theodoretus, Hugo Cardinalis illud *Pſ. 21. Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Sicut etiam illud *Pſal. 98. Adorate ſcabellum pedum eius*, Ambroſius *lib. 3. de Spiritu ſancto, c. 12.* Auguſtinus & Caſſiodorus *in eumdem Pſalmum.* tum quòd Deus ſæpe graues pœnas de iis ſumſerit qui irreuerentes aut iniurioſi fuerunt erga tantum ſacramentum

Diſputat contra errorem Lutheri, & Buceri Alphonſus Salmeron tom. 9. tr. 29.

tum ſcribit Io. Nauclerus *in ſine generat.* 41. nempe circa annum 1225. ferè vniuerſam Friſiam aquis marinis ſubmerſam,& ad centum hominum millia periiſſe, propter irreuerentiam à quodam pugile factam diuino ſacramento. & *in fine generat.*43.nempe anno 1278.decimo quinto Kal.Iulij. Traiecti fractum pontem ſuper Moſam & ad ducentos homines in aquis demerſos quòd eunte ſacerdote cum ſacro Chriſti corpore ad infirmum noluiſſent à choreis ceſſare, dum tranſiret ſanctiſſima Euchariſtia. tum denique quia eamdem Euchariſtiam venerantur ipſimet Angeli. Audi Chryſoſtomum *lib. 6. de ſacerdotio. Per id tempus* (nempe Liturgiæ) *& Angeli ſacerdoti aſſident, & cœleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius, qui immolatur, honorem, Angelorum choris plenus eſt. Equidem quemdam commemorantem olim audiui ſenem quemdam virum mirabilem, cui multa fuiſſent myſteria diuinitus reuelata, ſibi narraſſe, tali quondam ſe viſione dignum a Deo habitum; per illud tempus repente Angelorum multitudinem conſpexiſſe, quatenus humanus aſpectus ferre poterat, fulgentibus veſtibus indutorum altare circumdantium, ſic denique capite inclinatorum, vt ſi quis præſente rege milites ſtantes videat.* & *Hom. in laude eorum, qui comparuerunt in Eccleſia. Non cogitas hic adeſſe Dominum inuiſibiliter, qui motum cuiuſque metitur, & conſcientiæ rationem habet; non cogitas quòd Angeli huić ſtupendæ menſæ aſſiſtunt, & cum reuerentia hanc circumuallant?* aliáque plura hac de re diſſerit *Hom.61. ad populum Antiochen.* & *Hom.1.* ſuper illud *Iſaiæ, Vidi Dominum. Hom.3. & 14. ad Epheſios. Hom.27. & 36. in 1. ad Corinth.* & *Hom.21. in Acta Apoſt.* Audi de eodem D. Chryſoſtomo quid ſcribat B. Nilus *in epiſtola ad Anaſtaſium Epiſcopum. Ioannes ſacerdos admirandus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, immo verò totius orbis ſplendor, vir animi perſpicacis, omni ferè tempore videbat domum Domini refertam Angelorum cœtu, & tunc inprimis, cum diuinum & incruentum ſacrificium offerebatur; quo quidem tempore ſtupore & lætitia plenus rem præcipuis amicis ſpiritualibus priuatim enarrauit, inquiens: Cùm cœpiſſet ſacerdos ſanctum ſacrificium ſeu oblationem facere, plurimæ ſtatim ex illis virtutibus è cœlo deſcendentes ſtolis indutæ ſplendidiſſimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari, magno cum ſilentio & reuerentia quoad venerandum illud myſterium expletum fuit, circumſteterunt. deinde huc illuc, ſingulæ per totam domum diffuſæ, Epiſcopis, Preſbyteris & Diaconibus diſtributionem corporis & pretioſi ſanguinis miniſtrantibus, adhæſerunt corroborantes, & ſedulò adiuuantes.* Eòdem ſpectant, quæ ſcribit Maximus Monachus *in expoſitione Liturgiæ, c.25.* nempe, Præceptorem ſuum ſolitum adhortari Chriſtianos ne vmquam ab Eccleſia & Synaxi abeſſent, quòd aſſiſterent Angeli, qui ſemper eos qui ingrediuntur, deſcribunt, Deo nunciant, pro eis orant, & quòd Spiritus ſancti gratia iis, qui interſunt, communicetur. Beda quoque *lib.6. in Lucam, c.8. Maximè tamen*, inquit, *Angelici nobis ſpiritus adeſſe cenſendi ſunt, cùm diuinis ſpecialiter mancipamur obſequiis, id eſt, cum Eccleſiam ingreſſi vel lectionibus ſacris aurem accommodamus, vel pſalmodiæ operam damus, vel orationi incumbimus, vel etiam Miſſarum ſolemnia celebramus.* quæ etiam referuntur in Concilio Aquiſgranenſi *c.* 132. S. Martinus Papa & Martyr dum Romæ in Eccleſia S. Mariæ Maioris celebraret, multos ſacrificio adſtantes venerabiliter Angelos aſpexit, vt teſtatur Surius *tom.6. die* 12. *Nouembris.* ſancto Rainaldo Epiſcopo Nucerino cum inter celebrandum eleuaret hoſtiam, & ei brachia nudarentur, quòd veſtem dediſſet pauperi, & induiſſet paruulam veſtem pro paupere emtam ab œconomo, Angeli aurea veſte nuda operuerunt brachia, ex monumentis M. S. Eccleſiæ Nucerinæ, & Philippo Ferrario *in Catalogo Sanctorum Italiæ*, ſub die 9. Februarij. Hidelgardis Abbatiſſa, *viſione ſexta*, habet, accedente ſacerdote celebraturo ad altare ſubitò vidiſſe magnam lucem cum obſequio Angelorum de cœlo

venuſſe,

veniſſe,totúmque altare irradiaſſe, ac tamdiu permanſiſſe, quouſque abſoluto ſacrificio ab altari ſacerdos recederet. In vita etiam B. Benuenutæ virginis legimus ab ea viſos Angelos, comitantes ad altare ſacerdotes, & reuerenter vſque ad finem adſtantes. denique habemus eamdem Angelorum venerationem erga auguſtiſſimam Euchariſtiam in Liturgia B.Iacobi dum agit de hymno Cherubico,Origenis *Hom.9.in Leuit.* Ambroſij *cap.1.in Lucam,& oratione* 1.*in Miſſam.* Gregorij *lib.4.dialog.c.*58. *& Hom. de Paſchate,*Sophronij *Prato ſpirituali, c.*199. Paſchaſij *c.*8. *lib. de corpore & ſanguine Chriſti*, Eliæ Cretenſis *comm. in* 1. *orat. Nazianz.* Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis *epiſt. ad Compreſbyteros ſuos*, Petri Damiani *lib.*2. *epiſt.*10.*lib.*3.*epiſt.*8.Cyrilli Eremitæ *lib.de vita Euthymij*, Nicephori *lib.* 11.*c.*35.Humberti *lib.4.eruditionis religioſorum.*Innocentij *lib.*2.*c.*25. VValfridi *c.*13. Magiſtri ſent. *lib.4.diſt.*13. Chron.Carthuſianorum *lib.4.c.*26.B.Laur.Iuſtin.*ſ.r.de Euch.* quædam etiam attulimus *lib.* 2. *c.*13.§.12. *&* *c.*20.§. *penultimo.* Cùm igitur Chriſtus ſit Deus, eiúſque corpus hypoſtaticè diuinitati vnitum, omnino adorandum eſt. *Non enim,* inquit Athanaſius *orat.*5. *contra Arianos,caro ignominiam attulit verbo Dei.abſit: ſed potius caro per verbum Dei glorificata eſt; quapropter dilecte qui Dominum diligunt ſic admone,vt cognoſcant nos qui Dominum in carne adoramus,non creaturam adorare, ſed creatorem creato corpore indutum.*& *lib.de Incarnatione Chriſti. Et quia incarnati corpus factum eſt, ideo eius corpus dicitur, cuius factum eſt, ac ei proinde ſacra offertis, veſtram adhibentes adorationem; eáque de cauſa legitimè adoratur, & diuina colitur adoratione. Deus enim verbum eſt, cuius proprium eſt corpus, ideo cùm acceſſiſſent ad eum mulieres pedes eius tenuerunt, & Deum adorauerunt.* videndus idem *orat.* 3. *contra Arianos,* Origenes *lib.*8. *contra Celſum,* Epiphanius *hæreſi* 69.Cyrillus *lib.*5 *in Io.c.*1. Ambroſius *in c.9.epiſt.ad Romanos.* Et parum refert an Chriſtus ſit in Euchariſtia vt adoretur, vel comedatur, cùm vbique ſit adorandus, & à Magis ſit adoratus in præſepio, licèt ad hoc ibi non eſſet, exhibeatúrque regi vbicumque ſit, & in quemcunque finem adſit reuerentia,& non ſit neceſſarium præceptum particulare colendi Chriſtum hîc,cùm adſit vniuerſale colendi eum, cùm ſit Deus. Quare etiam in ſignum adorationis accenduntur lumina quod etiam antiquitus fieri conſueuiſſe conſtat ex Iſidoro *lib.*7. *Etymol.c.* 12. D. Hieronymo *epiſt.* 20. *ad Marcellam,*& ordine Romano,vt etiam dictum eſt *lib.2.c.*14.§.8.Nec id nouum, cùm etiã apud Gentiles & lætitiæ cauſa,& religionis ergò,ſeu Numinis honore conſueuerint accendi lumina:vt de lætitia patet apud Perſium *Satyra* 5. & Dionem in Nerone *de religione,*ex Iuuenali *Satyra* 12. D.Hieronymo *in lib. contra Vigilantium*, & Tertulliano *lib. de Idololatria.* & apud Iudæos, vt conſtat de templi candelabro aureo *Exod.*25.26 *ad Hebræos* 9.& teſtatur Ioſephus *lib.*18. *Antiq.c.*6. aſſeruari ſolitam Pontificiam ſtolam in Antoniana turri, quotidiéque ibi ſolitam accendi lucernam. multo igitur rectius fit à fidelibus ad religionis cultum erga auguſtiſſimam Euchariſtiam amplificandum. Quod etiam præſtitiſſe Angelos in miraculoſa communione à Chriſto data beatæ Veronicæ Moniali in Monaſterio ſanctæ Marthæ Mediolani anno 1493. legimus *in eius vita*, ſcripta ab Iſidoro Iſolano, nec non etiam *in vita B.Stephani Cornini ordinis ſancti Franciſci,* cui celebranti duo Angeli cum cereis accenſis aſtiterunt,ex Chron.S.Franc.*p.*2. *lib.*1.*c.*31.quòd miniſter obdormiſſet ad hoſtiæ eleuationem. Nec ſolùm veneratio Euchariſtiæ debetur in actione Miſſæ, ſed etiam cùm aſſeruatur in cuſtodia, defertur ad ægrotos, aut in publicis proceſſionibus. qua de re Concilium Bracarenſe III.*c.*5.Gregorius Turonenſis *lib.de glor.Martyr.c.*86.Honorius *cap.ſanè de celebr.Miſſ.*Vrbanus IV.& Clemens V.*Clement.vnica,de reliq. & venerat.Sanctorum,* *Io.Bapt.Scortia de ſacrif.Miſſæ.*

Concilium Tridentinum *ſeſſ.13.c.5.& can.6.* cùm ibidem perſeueret idem Chriſtus Dominus. quare Gorgonia, teſte Nazianzeno *in oratione funebri eiuſdem*, intempeſta nocte extra Miſſarum ſolemnia Euchariſtiam adorans ad altare procubuit. Satyrus D.Ambroſij frater ex eiuſdem oratione funebri *c.7.* ad tutelam, & ad terræ & maris pericula auertenda in orario collo ſuſpenſam magna cum veneratione geſtabat. Notum omnibus eſt beatæ Claræ factum, quæ cum Euchariſtia ad portam ciuitatis deferri voluit, & vrbem ſeruauit. Teſtatur Cyrillus *epiſt. ad Caloſyrium*, inſanire eos, qui dicunt Euchariſtiam ſi in alterum diem ſeruetur, vim ſuam amittere. Denique antiquitus etiam aſſeruatam eſſe patet ex D.Clemente *lib.8.c.13.aliàs* 20. vbi reliquias corporis Domini iubet in Paſtophorio à Diaconis aſſeruari, & *epiſtola* 2. dicit diligenter cuſtodiendas, ne qua putredo irrepat. De pia delatione Euchariſtiæ in ſupplicationibus, pluribus diſputat Claudius Sainctes *reſp.9. c.* 8. Salmeron *tom.9. tract.* 24. Petrus Thyræus, Georgius Scherer vterque in diſputatione hac de re, & Iacobus Gretzerus *lib.* 1. *de proceſſionibus*, *c.* 19. omnes quatuor è Societate noſtra. poteſtque huius rei exemplum peti ex ſacra Pompa, & tranſlatione Arcæ fœderis *lib.2. Reg.c.6.lib.1. Paralip.c.13.lib.3. Reg.c.8.*& ex proceſſione Chriſti in die Palmarum, in qua turbæ præcedentes & ſequentes clamabant, *Oſanna, &c.* verùm inſtabit hæreticus, ſi adoranda eſt Euchariſtia quia ibi ſit Chriſtus Deus, pari ratione adoranda erit omnis creatura quia ſit in ea etiam Deus. Sed rectè reſpondet Bellarminus *lib.4.c.30.* negando ſequelam, quia in Euchariſtia eſt vnicum ſuppoſitum, ídque diuinum, & cætera omnia ad illud pertinent, & efficiunt vnum quid cum illo; ideo, vt præclarè docet Damaſcenus *lib. 4. de fid.c.2. &* 3.totum rectè adoratur, ſicut honoratur Rex non tantùm nudus, ſed etiam veſtibus ornatus. At in aliis rebus eſt quidem Deus, ſed non eſt vnum ſuppoſitum cum illis, nec poſſunt vnum quid dici Deus & creatura.

Eamdem quoque eleuat ſacerdos, vt prædixit Dauid *Pſal.71. Et erit firmamen-* 23.
tum in terris in ſummis montium, Hebraicè verò, *Erit placenta tritici in terra in capite montium.* vbi Paraphraſis Caldaica: *Erit oblatio frumenti in capitibus ſacerdotum.* Rabbi Berachias, *Sicut* (inquit) *Redemtor primus, ideſt, Moyſes fecit deſcendere Manna*, Exod.16.*ita Redemtor vltimus, ideſt, Meſſias erit placenta frumenti in terra.* Et Rabbi Ionathas, qui etiam ante Chriſti aduentum vixit, *in libro Collectionum. Placenta panis fiet ſacrificium in capitibus ſacerdotum, qui ſunt in Eccleſia.* cui alij Rabbini ſubſcripſerunt apud Genebrardum *in citato Pſalmo*, Richardum Cenomannum, Ianſenium *eodem loco*, Petrum Galatinum *lib.10.c.4.* Claudium Sainctem *rep.9.c.7.* Io.Roffenſem *de ſacerd.defenſ.* Ioannem Garetium *initio libri de Euch.* Paulum Burgenſem *in citato loco Pſalmi.* Præceſsitque figura eleuationis huius in eleuatione victimæ *Leuit.c.7.& 23. Exodo c.29. Numer.c.5.6.8.* Et ab ipſiſmet Apoſtolis profecta eſt, teſte D. Baſilio *lib. de Spiritu ſancto, c.27.* eiuſdémque meminit Dionyſius *lib. de Eccl. hier.c.3.p.2.* vbi ait: *Pontifex auguſtiſſima myſteria conficit, & quæ antea laudauerat venerandis operta & abdita ſignis, in conſpectum agit, diuináque munera reuerenter oſtendit.* Chryſoſtomus *Hom.61.ad populum Antiochen.Hom.36.in 1.ad Cor. & Hom.3. in Epiſtola ad Epheſios.* vbi docet fuiſſe morem Græcorum, vt Euchariſtia ad altare conſecraretur velis obducta, deinde retractis velis oſtenderetur populo. Anaſtaſius Synaita *de ſancta Synaxi. Poſtquam*, ait, *ſacrificium illud tremendum ſanctificauit, panem vitæ ſuſtollit, eúmque omnibus oſtendit.* S.Maximus Martyr ſub Conſtante Imperatore Monothelita *in diſputatione cum Gregorio Monothelita habita anno* 657. ait: *Non eſt* (ſcilicet Imperator) *Sacerdos. non enim aſſiſtit altari, non poſt*

ſanctifi

ſanctificationem panis extollit, ac dicit, Sancta Sanctis, neque baptizas, &c. videndus idem etiam *in ſcholiis ad B. Dionyſium Areopagitam*, S. Germanus *in Theoria*, Æthiopica Liturgia, & Nicolaus Gabaſila. Fit porrò huiuſmodi eleuatio Euchariſtiæ, tum ob myſticam ſignificationem eleuationis Chriſti in cruce, reſurrectione, & aſcenſione, ex Auguſtino *ſerm. 28. de verbis Domini*, Germano *in Theoria*, & Turriano *lib. 3. de dogm. charact. p.* 148. & innuit Concilium Epheſinum tum *in epiſtola ad Neſtorium*. tum vt adoretur etiam à populo, vt conſtat ex Æthiopica Liturgia, *ex cap. ſanè, de celebr. Miſſ.* Burchardo *in ordine Miſſæ*, Bonauentura *in expoſitione Miſſæ*, & Durando *lib. 4. ration. c. 41. &* 46. idque iiſdem met teſtibus, in compenſationem blaſphemiæ Iudæorum, qui ad Chriſti ludibrium genua flectebant, dicentes, *Aue Rex Iudæorum.* Solebat etiam populus ex Apoſtolorum traditione, eam certis verbis adorare. vt his verbis docet S. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, c. 27. Inuocationis verba cùm oſtenditur Euchariſtiæ panis, & poculum benedictionis, quis. Sanctorum nobis in ſcripto reliquit?* S. Thomas, vt S. Antoninus *in eius vita* teſtatur, dicere ſolebat: *Tu Rex gloriæ Chriſte; tu Patris ſempiternus es filius: tu ad liberandum ſuſcepturus, &c.* Alexander Alenſis, vt docet Gabriel *in can. lect. 50. Adoro te Ieſu Chriſte Saluator, qui per mortem tuam redemiſti mundum.* S. Franciſcus Protector noſter: *Aſpice Deus, & reſpice in faciem filij tui chariſſimi, in quo beneplacitum eſt tibi.* Ludouici XII. tempore, teſte Clithouæo *lib. 1. hymnorum*, Saincte *repet. 9. c. 7.* & Petro Valderame *ſerm. 3. de feſto ſanctiſſimæ Euchariſtiæ*, inſtitutum eſt in Gallia ob perturbationes & pericula Regni vt diceretur:

O ſalutaris hoſtia,
Quæ cœli pandis oſtium,
Bella premunt hoſtilia,
Da robur, fer auxilium.

Similiter antiquitus eodem tempore adſtantes leuabant manus, vt docet Tertullianus *lib. 1. de ſpect. c. 25.* verbis illis: *Illas manus quas ad dominicum extuleris, poſtmodum laudando hiſtrionem, fatigare?* Quod etiam hoc tempore plures factitant, qui eas inde toti vultui ſuperducunt, vel oſculantur pollicem, vt ſolent Heluetij: nam etiam veteribus adorationis ſignum erat manum alteri priùs conuerſam ori admouere, ex Apuleio *lib. 4. de aſino aureo, & Apologet. 1.* vbi ait: *Si fanum aliquod prætereat nefas habet adorandi gratia manum labris admouere*; Plinio *lib. 28. c. 2.* ſcribente: *In adorando dexteram ad oſculum referimus*; Minutio Felice *in Octauio*, dum agens de Cæcilio dicit: *Cæcilius ſimulacro Serapidis denotato, vt vulgus ſuperſtitioſum ſolet, manum ori admouens, oſculum labiis preſſit.* Luciano *de ſacrificio*, & *in Encomio Demoſthenis, in fine*; Tacito *lib. 16. in Nerone*, & aliis. Quod innuens quoque Iob *c. 31.* ait: *Si vidi ſolem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum in abſcondito eſt cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ iniquitas maxima eſt, & negatio contra Deum altiſſimum.* eódem etiam ſpectat quod *lib. 3. Regum c. 19.* legimus: *Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal, & omne os quod non adorauit eum oſculans manum.* videndus S. Leo *ſerm. 7. de natiuitate Domini*, Hieronymus *in Ruffinum, & in illud Pſ. 2. Apprehendite diſciplinam.* Ioannes Pineda *in c. 31. Iob.* Cuiacius *lib. 11. obſeruat. c. 27.* Muretus *lib. 10. var. c. 1.* Iuſtus Lipſius *lib. 2. elect. c. 6.* Meritò igitur damnati ſunt in Clementina *Ad noſtram*, Fraticelli qui *articulo* 8. negabant eſſe aſſurgendum, & exhibendam reuerentiam in eleuatione Euchariſtiæ, ne à puritate ſuæ intentionis diſcedere viderentur. Porrò ne inter eleuandum planeta impediat ſacerdotem, à miniſtro eleuatur, ex Burchardo *in ordine Miſſæ.* Interim ſicut in veteri Teſtamento *lib. 1.*

*Paralip.c.*15.16. *& Num.* 10. Sacrificij tempore ſacerdotes argenteis tubis, quæ, teſte Ioſepho *lib.3.Antiq.c.*11. in extremitate ſimiles erat campanæ, clangebant, vt earum ſonitu præmonitus populus promtior eſſet ad orandum. & *lib.* 2. *Paralip. c.* 29. inſtituit Ezechias, vt in oblatione holocauſtorum tubis & organis clangerent,& concreparent ſacerdotes ad ampliorem populi deuotionem excitandam: quæ pariter vna fuit cauſa cur voluerit Deus *Exod.*28.*& Eccleſ.*45.Pontificem,pluribus ſcilicet 50.ex Proſpero *de promiſſ. Dei.p.*2.*c.*3. vel 72. ex Hieronymo,vel 366.ex Clemente Alex.*lib.*5.*Strom.* aureis tintinnabulis eſſe præcinctum: ita in nono,& paulo antè, & in ipſa eleuatione Euchariſtiæ campanulæ ſignum datur, vt admoneantur ægroti & impediti abſentes vt ſaltem in ſpiritu oblatum ſacrificium venerentur, & conuocetur ad adorationem ſanctæ Euchariſtiæ vicinus populus, & adſtantes maiori reuerentia ferantur in Deum tanti ſacrificij tempore. vt notauit etiam Georgius Scherer *in Poſtilla ſuper dominica octaua poſt feſtum S.Trinitatis.* quod à Gregor.IX.anno 1240.inſtitutum dicit Nauclerus, Abbas Vrſpergenſis & Genebrardus.ſed manifeſtè conſtat hunc morẽ antiquiorem eſſe ex Cæſario Heiſterbachienſi *lib.9.c.*51. vbi ſcribit Vuidonem Cardinalem miſſum Coloniam ad confirmandã electionem Othonis contra Philippum, inſtituiſſe anno 1207.vt ad eleuationem hoſtiæ omnis populus in Eccleſia ad ſonitum Nolæ veniã peteret,& vſque ad calicis benedictionem proſtratus iaceret. idémque etiam fieret,cùm defertur Euchariſtia ad infirmos. Olim id voce præſtabat Diaconus,vt patet ex Liturgiis Græcis,in quibus ſub momentũ conſecrationis & adorationis Diaconus clamabat: Stemus honeſtè, qua de re Chryſoſt. *lib.6.de ſacerd.*Syros quoque in ſuis ſacris adhibere ſolitos tintinnabula autor eſt Lucianus *de Mered.cond.*Porrò de campanarum vſu apud Gentiles meminit Martialis *lib.*14.*epigr.*148.Iuuenalis *Satyra* 6.Suetonius in Octauio *c.*91. ſicut etiã apud Chriſtianos veteres,docet Amalar.*lib.*3.*c.*1.VValfridus *c.*5.Guliel.Durandus *lib.*1. *Ration.c.*4.Io.Beleth *c.*24.Plura diſputat de campanis Hieronym.Mercurialis *lib.*1. *variarum lect.c.*25.Fuluius Vrſinus *in additis ad Petrum Ciaconium,lib.de Triclinio,*Iuſtus Lipſius *de militia Romana,lib.*5.*dial.*9.Hactenus de conſecratione corporis Chriſti.

Simili modo poſtquam cœnatum eſt. Iam de conſecratione calicis agendum eſt. Et 24
illud quidem ante omnia quæritur; num ſit de eſſentia huius diuini ſacrificij,vt conſecratio calicis poſtponatur conſecrationi panis. oritur autem difficultas ex eo quòd niſi præſcriptus ordo ſeruetur,nõ videtur ſignificari effuſio ſanguinis à corpore;priùs enim exiſtere debet corpus, vt eius ſanguis effundatur, eáque ratione ſignificetur ſeparatio animæ à corpore. Sed omnino reſpondendũ eſt cum Soto 4.*d.*11.*q.*1.*art.*6. & Suarez *diſp.*75.*ſect.*6. licèt grauiter peccaret,qui hunc ordinem inuerteret, quia faceret contra Chriſti & Eccleſiæ conſuetudinem, verè tamen cum,ſacrificium ſeu ſacramentum confecturum;tum quia vna conſecrationis forma,non pendet ab alia, cùm verbum præſentis temporis ad ſui veritatem poſtulet vt ſimul cum ſua ſignificatione ſit res ſignificata; tum quia ibi reperiretur,totum id quod Chriſtus inſtituit;tum quia ſi quis poſt vtramque conſecrationem veniat in cognitionem hoſtiam non fuiſſe ex tritico, ſed ex inepta quapiam materia, aliam conſecrabit, vt poſſit perficere ſacrificium, & tamen tunc calicis conſecratio præcedet legitimam conſecrationem hoſtiæ, perficietúrque ſacrificium. Vltima igitur conſecratione quæcumque illa ſit, ſufficienter repræſentatur myſtica mactatio,& ſeparatio ſanguinis à corpore,ſeu animæ à corpore,etiamſi deſit præſcriptus ordo.

Poſtquam cœnatum eſt, licèt Chriſtus poſt cœnam,& veſpere obtulerit & olim 25.

ad

ad huius imitationem in Eccleſia Africana, Cypriano teſte *epiſtola* 63. veſpere celebraretur à ieiunis, quod D. Auguſtinus *ep.*118. limitat ad quintam feriam maioris hebdomadæ, & in Alexandrina etiam à non ieiunis, ex Sozomeno *lib.*7. *c.*19. Idémque in die cœnæ Domini conceſſerit Concilium Carthaginenſe III. *can.*29. & Africanum *c.*8. hæc tamen contrariis legibus abrogata ſunt in Concilio Laodicenſi *can.*5. *&* 33. *q.*4. *can. non licet,* Concilio Bracarenſi I. *can.*16. & Synodo VI. *can.*29. eo quòd vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo à tempore Apoſtolorum contraria eſſet; quæ piè ac prudenter poſt meridiem, & poſt qualemcumque ſumtum cibum vetuit celebrari. quod etiam confirmauit primum Concilium Nicænum, vt refertur in Concilio III. Carthaginenſi, *can.*48. etſi enim, ait D. Auguſtinus *epiſt.* 118. quo vehementiùs Chriſtus commendaret myſterij altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum à quibus ad paſſionem digreſſurus erat, non tamen præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur; vt Apoſtolis per quos Eccleſias diſpoſiturus erat ſeruaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, vt poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variaſſet. Eámque eſſe Apoſtolicam traditioné teſtatur Cyprianus *epiſt.*63. Epiphan. *lib.*3. *contra hæreſes in fine.* Nazianz. *orat.*40. Chryſoſt. *Hom.*27. *in* 1. *ad Cor.* Baſilius *epiſt. ad Cæſariam Patritiam,* Iſidorus *lib.*1. *off. c.*18. Concilium Bracarenſe I. *c.*16. & Synodus VI. *can.*29. qua de re egimus *lib.*2. *c.*7. §. 1.

26. *Accipiens & hunc præclarum, &c.* Notat Paſchaſius *lib. de corpore Chriſti, c.*15. Stephanus Heduenſis *c.*16. & Odo Cameracenſis, *Hunc,* dici, quòd oblatio, quam offert Eccleſia, eiuſdem ſit eſſentiæ & ſpeciei, & ſolo numero atque loco, tempore, & ſimilibus accidẽtibus differens à ſacrificio à Chriſto in cœna peracto. Conuenit enim in re principaliter oblata, in materia, & forma, & offerente principali, videlicet Chriſto. Ideóque dixit D. Chryſoſtomus *Hom.*2. *in ep.*2. *ad Timoth.* ſacra ipſa oblatio, cuius meriti ſacerdos illam offerat, eadem eſt, quam dedit Chriſtus, & nihil minus habet iſta, quàm illa. ſimilia habet *Hom.*83. *in Matth.* Et Euſebius Emiſſenus; vel quicumque autor ſit, *ſer.*5. *de Paſchate. Hic eſt ſanguis meus, qui fundendus eſt, non alius iſte, & alius ille, cras igitur fundetur ex meo latere, quem vos bibitis in calice. ſicut enim tunc & viuebat & loquebatur, & tamen à diſcipulis comedebatur, & bibebatur; ita modo integer & incorruptus manet, & à fidelibus comeditur & bibitur.* videndus etiam Gregorius *Hom.*22. *in Euang.* & refertur *can. quid ſit ſanguis. de conſecr. d.*2. & Algerus *lib.*1. *c.*16. Quærenti autem an liceat plures calices conſecrandos in eadem Miſſa & ſacrificio ſtatuere, dicimus non licere; ita enim id percunctanti S. Bonifacio Germaniæ Apoſtolo anno 726. reſpondit Gregorius II. *ep.*4. quam alij tribuunt Gregorio III. in Miſſarum ſolemniis obſeruandum eſt, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſanctis ſuis tribuit Apoſtolis. Accepit namque calicem, dicens: *Hic eſt calix noui teſtamenti in meo ſanguine, hoc facite quotieſcumque ſumitis.* vnde congruum non eſt, duos vel tres calices in altario ponere, cùm Miſſarum ſolemnia celebrantur. Eumdem calicem vocamus (præclarum) non ratione vini, ſed ex eodem Stephano Heduenſi *c.*16. & Odone Cameracenſi comparatione eius, qui à Melchiſedech oblatus eſt, cæterorúmque veteris legis ſacrificiorum, quibus in infinitum præſtat noſter calix, eo quòd Chriſti ſanguinem contineat. qua de re Auguſtinus *lib.*1. *contra aduer. leg. & Proph. c.*20. *lib.*20. *contra Fauſtum, c.*18. *&* 21. Euſebius *lib.*1. *demonſt. Euang. c. vltimo,* & Concilium Tridentinum *ſeſſ.*22. *c.*1. Quærenti verò ex qua materia fuerit calix ille in quo ſuum ſanguinem dominus conſecrauit. Reſpondeo plures Hiſpanos aſſerere fuiſſe ex lapide pretioſo, ſiue Agatha

Aliqui putant eſſe Greg. 2. datam ad Auguſtinū cū habeatur apud eū. lib. 9. ep. 36.

vt vult Henriquez *lib.9.c.28.n.2.* ſiue Calcedonio, vt ſentit Didacus Morilla *ſer.3.de inſtitutione Euchar.* Valentiæque aſſeruari. ſicut etiam in Smaragdino Genuenſi Latino in eadem cœna comediſſe eumdem. idem Morilla & Salmeron *tom.9.tr.10.* ſcribunt: ſed potiùs videtur credendum Bedæ *cap.2.* de locis ſanctis ſcribenti, fuiſſe ex argento cum duabus anſulis, potuiſſeque capere Gallicum ſextarium, & adhuc ſuo tempore aſſeruari Ieroſolymis vnà cum ſpongia potus Domini miniſtra. idémque tenet Baronius *in an.34.*

Hic eſt calix ſanguinis mei. Dubitant Theologi an hæc tantùm cenſenda ſint de eſſentia conſecrationis ſanguinis, an etiam quæ ſequuntur vſque ad remiſſionem peccatorum incluſiuè. & quidem S.Thomas *in 1.ad Cor.c.11.lect.6.3.p.q.78. art.3. & in 4.d.8.q.3. art.2.* Capr.*4.d.8. q.1.art.1. concl.6. & art.3.* Paludanus *4.d.8. q.3.art.2.* Heruæus *d.10.q.2.* Antoninus *3.p.tit.13. c.15.§.4.* Rich.*4.d.8. art.13.q.3.* Syueſter *Euchariſtia 1.q.6.* Armilla *n.14.* Petrus Soto *lect.2.de Euch.* ſentiunt omnia eſſe de eſſentia, tum quia omnia in Miſſali, & Catechiſmis referuntur tamquam vna forma, eodémque charactere ſcribuntur, & tenore pronunciantur, tum quia omnia illa, quæ ſequuntur, videntur determinatio prædicati illius propoſitionis, *Hic eſt calix ſanguinis mei.* cùm explicent ſenſum propoſitionis: nam declarant perfectam rationem huius ſacrificij quæ perficitur in effuſione ſanguinis in remiſſionem peccatorum pro nobis. vnde non erit propoſitio abſoluta niſi abſoluantur omnia. ſi enim poſt illa verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei.* adderetur hæc determinatio, effuſi pro Angelis, eſſet propoſitio falſa, & nihil efficeret. ſed obiici poteſt, tum quòd videatur abſurdum, ſi ſunt de eſſentia, plurima eſſe ab Euangeliſtis, & Paulo narrantibus inſtitutionem & præceptum celebrandi, prætermiſſa, ſaltem enim neceſſaria exprimere debuerunt ne ſi quis modò ab ipſis tradito ſacrificaret non conficeret. tum quòd Liturgiæ Græcæ, quibus vſi ſunt ſanctiſſimi Patres, aliæ alias reticent particulas: nam Æthiopica, cuius auctor dicitur S. Matthæus, non ponit: Noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei. D.Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi, *Æterni, & myſterium fidei*; & D. Clemens *lib.8.c.12. aliàs 17.* recenſet verba illa: *Hoc myſterium fidei, & noui teſtamenti*, eſſe à Chriſto dicta tamquam præambulum vtriuſque conſecrationis: aſſerere autem cum Capreolo Deum diſpenſaſſe cum illis Eccleſiis, quæ aliquas ex his particulis, licèt eſſentialibus, omiſerunt, nimis durum eſt. tum quia Patres cùm meminerunt formæ conſecrationis, non niſi priorum verborum mentionem fecerunt, vt Iuſtinus, Cyprianus, Ambroſius, de quibus paulò pòſt; tum quia verba illa, *qui pro vobis effundetur.* non dicuntur à ſacerdote formaliter, ſed recitatiuè ſolùm, aliàs non eſſent vera, cùm iam nòn ſit effundendus ſanguis. verba autem eſſentialia formæ debent formaliter ſeu ſignificatiuè proferri, prout ſequenti capite dicetur. tum quia in conſecratione corporis illa determinatio, *quod pro vobis tradetur*, non eſt de eſſentia; ergo nec poſteriora conſecrationis ſanguinis, maximè cùm in verbis illis, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, includatur quòd ſit noui teſtamenti, effuſus in remiſſionem peccatorum noſtrorum, quæ à ſacerdote dicuntur recitatiuè ſeu materialiter. vnde non ſuſpendunt veritatem primæ propoſitionis, *Hic eſt calix, &c.* quæ formaliter pronunciatur. Nec Eccleſia omnia illa eodem charactere notat, quaſi omnia ſint eſſentialia, cùm eodem modo notet, *enim*, quod certum eſt non eſſe de eſſentia, ſed ſolùm quòd in illis contineantur verba formæ, & ex præcepto Eccleſiæ dicenda ſint omnia, Sotus *4. d.11. q.1. art.3.* Ledeſma *4. q.1. art.3.* Henriquez *lib.8. c.17.* dicunt reliqua non eſſe quidem de eſſentia formæ, cùm validè fieri

poſſit

poſſit conſecratio illis tantùm, *Hic eſt calix ſanguinis mei.* ſi ſacerdos id vellet efficere, vt argumenta facta conuincunt, & ideo Patres Græci, qui aliqua ex his, quæ ſequuntur, omiſerunt conſecrabant. quod temere negat Paludanus; eſſe tamen de integritate formæ, ſicut digitus licet non ſit de eſſentia, cùm homo ſine eo eſſe poſſit, eſt tamen de integritate hominis, atque ſubſtantia, ideo quando hæc dicuntur, ad integritatem concurrunt, ſi miniſter debita cum intentione conficiat, intendendo agere prout inſtituit Chriſtus, cùm omnia vnicam integram propoſitionem conficiat, eo quòd ſint determinatio prædicati, vt antea dicebatur. & hoc modo conantur explicare opinionem D. Thomæ, cùm dicit eſſe de eſſentia. Sed videtur obſtare, tum quòd hæc interpretatio aliena ſit à mente D. Thomæ, apud quem idem eſt eſſe de ſubſtantia formæ, & eſſe de eſſentia formæ. vt patet *ex 3. p. q. 60. art. 8. & lect. 6. in c. 11. ep. 1. ad Cor.* tum quia ſi, vt ipſi concedunt, verba illa non ſunt de eſſentia, aut neceſſitate formæ, conſequenter, neque erunt de inſtitutione, aut præcepto Chriſti, vt iungantur verbis formæ, quia Eccleſiarum vſus, & autoritas, quæ dicunt non eſſe eſſentialia, id ſentiunt, quia non ſint à Chriſto præcepta, cùm ius diuinum ſit immutabile; nec grauiſſimi Patres Græci tale ignoraſſent præceptum, nec Eccleſia Romana id permiſiſſet, quæ tamen hac in re numquam eos reprehendit. tum quia, ſi eſt præceptum diuinum, gratis negatur eſſe de eſſentia formæ, cùm in nulla forma ſacramenti inueniatur aliquid ex præcepto Chriſti dicendum, quod non ſit etiam eſſentiale; cùm non aliter inſtituerit Chriſtus eſſentiam ſacramenti, quàm præcipiendo, vt ita fiat. tum quia non eſt veriſimile Chriſtum id feciſſe, & præcepiſſe vt fieret omnibus illis verbis, & ex altera parte ſimul voluiſſe, & permiſiſſe vt pauciora ſufficerent. tum denique quia poſteriora illa verba non ſunt determinatio prædicati, vt antea dictum eſt. Communis igitur opinio eſt dicentium vt in conſecratione corporis illa tantùm ſunt eſſentialia, ſubſtantialia & neceſſaria: *Hoc eſt corpus meum,* ita in conſecratione calicis: *Hic eſt calix ſanguinis mei.* vel æquiualentia, vt, *Hic eſt ſanguis meus,* vt ex Marco & Matthæo vtuntur Græci, ita vt in illis ſolis ſit virtus effectiua ſacramenti: cætera verò eſſe veluti illa: *Hæc quotieſcumque feceritis, &c.* Ita ſentit Magiſter 4. d. 8. Bonauentura *ibidem p. 2. art. 1. q. 2.* Alenſis *q. 33. m. 4. art. 2. §. 4.* Durandus *q. 2. num. 9.* Marſilius *d. 8. q. 6.* Maior *ibid. q. 1.* Henricus *q. 9. q. 10.* Albertus *tr. de ſacrif. Miſſæ, c. vltimo,* & apud Gabrielem *4. d. 9. q. 3. & in can. lect. 53.* Innocentius *lib. 4. c. 17.* Caiet. *3. p. q. 78. art. 3.* in impreſſis ante Pium V. Valentia *lib. 1. de Miſſa,* Bellarminus *lib. 4. de Euchariſtia, c. 14.* Suarez *3. p. diſp. 60. sect. 1.* probant. tum quia illa debent cenſeri verba formæ tantùm, quibus ſignificatur effectus conſecrationis, hîc autem ſignificatur illis tantùm: *Hic eſt calix ſanguinis mei.* ſicut effectus conſecrationis corporis ſignificatur illis: *Hoc eſt corpus meum.* tum quia Euangeliſtæ & Paulus non retulerunt vt neceſſaria niſi prædicta, dum de inſtitutione loquuntur, ſicut etiam Patres, Iuſtinus *Apol. 2. in fine.* Cyprianus *ſer. de cœna Domini,* Ambroſius *lib. 4. de ſacram. c. 5.* Euſebius Emiſſenus *in can. quia corpus. de conſecr. d. 2.* Chryſoſtomus *Hom. de proditione Iudæ,* Epiphanius *in Ancorato,* Gaudentius *tr. 2. in Exodum.* Damaſcenus *lib. 4. de fid. c. 14.* dicens: *Sicut Deus dicendo:* Fiat lux, *fecit lucem; ita dicendo:* Hoc eſt corpus meum; *&,* Hic eſt ſanguis meus, *perfecit hoc ſacramentum.* tum ex Liturgiis, quæ priora verba numquam variant, nec omittunt vt faciunt in poſterioribus. Omnino autem certum eſt, qui Iacobi, Marci, Clementis, & aliorum Liturgiis vtuntur, conſecrare. Idémque confirmant, quæ allata ſunt contra priores ſententias.

Noui

Noui & æterni teſtamenti,&c. Rectè notauit Romanus Catechiſmus *cap. de Euchar.* præter conuerſionem vini in ſanguinem, his verbis exprimi tres præclaros effectus ſanguinis Domini effuſi in paſſione, nempe, aditum ad æternam hæreditatem, quæ iure noui & æterni teſtamenti ad nos venit; aditum ad iuſtitiam per myſterium fidei, quippe cùm iuſtus ex fide viuat, & impoſſibile ſit ſine fide placere Deo, qui poſuit Ieſum per fidem in ipſius ſanguine propitiatorem, vt ipſe ſit iuſtus,& iuſtificans eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti. Denique remiſſionem peccatorum. Porrò ſine graui peccato omitti hæc non poſſe in Latina Liturgia, in qua ſola habetur,*& æterni*,& *myſterium fidei*, omnium ſententia conſtat, etiam eorum, qui conſecrationem ſanguinis ſolùm prioribus verbis confici docent. nam in re adeò graui, Eccleſiæ conſuetudo & traditio habet vim præcepti. ſed in multis Liturgiis diuerſimodè hæc variantur. In Liturgia S. Iacobi dicitur: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum.* In Liturgia Marci: *Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur, & diſtribuitur in remiſſionem peccatorum.* Clemens *lib.8. c.12. alias* 17. habet: *Dedit diſcipulis ſuis, dicens: Hoc eſt myſterium noui teſtamenti.accipite, & ex eo comedite. Hoc eſt corpus meum, quod pro multis frangitur in remiſſionem peccatorum.Similiter & calicem, dicens: Bibite ex eo omnes.Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Origenes *Hom. 9. in Leuit. Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Liturgia D. Baſilij: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Liturgia Chryſoſtomi: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis & pluribus effundetur in remiſſionem peccatorum.* In Liturgia Æthiopica ſeu D. Matthæi eſt: *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemtione multorum.* In Miſſa denique Iſidori: *Hic eſt calix noui teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis ſpargitur in expiationem culparum, & remiſſionem peccatorum, atque in vitam æternam.* 28.

Iam verò,vt notauit etiam Odo Cameracenſis, & alij, dicitur, *Noui.* iuxta quod prædictum erat *Ier.c.31.Ecce dies venient,dicit Dominus,& feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus veſtris.* vt ipſemet D.Paulus *ad Hebr.c.8.* explicat. noua enim eſt promiſſio de peccatorum venia, de bonorum operum iuſtitia,& gratia,& de vita æterna, quæ promittuntur. qualia non præſtitit vetus teſtamentum,ob id non amplius in figura, ſed in veritate,& re ipſa ſanguis Chriſti exhibetur.iuxta illud D.Pauli *ad Hebr. 9. Ideo noui teſtamenti mediator eſt Chriſtus,vt morte intercedente repromiſſionem accipiãt qui vocati ſunt,æternæ hereditatis.* vt mox etiam dicetur. *Et æterni teſtamenti.* Ad differentiam quoque veteris teſtamenti, quod hircorum & vitulorum ſanguine dedicatum, tranſitorium erat,vt conſtat ex *Ezech.c.20. Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent. Iſaiæ c. 51. Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite; quia lex ex me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requieſcet. prope eſt iuſtus meus, egreſſus eſt Saluator meus, & brachia mea populos iudicabunt, me inſulæ expectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt.* & *cap.55. Inclinate aurem veſtram, & venite ad me,audite & viuet anima veſtra; & feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias Dauid fideles. ecce teſtem populis dedi eum, ducem & præceptorem Gentibus.* Qui etiam *cap. 2.* dixerat exituram legem Dei de Hieruſalem, cùm econtra lex Moyſi de Sina egreſſa ſit,& ingreſſa Hieruſalem. *Ibunt,* inquit, *populi multi, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.* & 29.

Baruch

Baruch cap.2. Et ſtatuam illis teſtamentum alterum ſempiternum, vt ſim illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. & D. Paulus *ad Hebr. c.13. Qui eduxit de mortuis Paſtorem magnum ouium in ſanguine teſtamenti æterni Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* vt omittam paulo antè citatum Ieremiæ locum *c.* 31. quibus euidenter oſtenditur vetus teſtamentum finem habiturum, nouum autem futurum æternum, & perpetuum, nec temporalia, vt illud, ſed æterna bona ac ſempiternam hæreditatem conceſſurum. qua de re *cap. cum Marthæ de celebr. Miſſ.* Idémque docet ratio. cùm enim Chriſtus ſit ſacerdos in æternum, hæreditas quoque æterna eſſe debuit in teſtamento ſuis hæredibus relicta. vnde & *Io. c.6.* dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Hoc euangelicum teſtamentum & fœdus Chriſtus ſacerdos noſter non hircorum, aut vitulorum ſanguine, ſed proprio ſanguine ac morte confirmauit. Interponebatur enim victima in contrahendis fœderibus, non ſolùm apud Gentiles, verumetiam apud Hebræos; ſic confirmauit Abraham iuramenti fœdus cum Abimelech, animalium cæſorum ſanguine, *Gen.21.* & Moyſes *Exod.24.* teſtamentum, quod accepit in monte Sina, aſpetſione ſanguinis. vt ad hoc idem propoſitum noſtrum aduertit Tertullianus *lib.4. contra Marcionem,* Ambroſius & Beda *in c.22. Lucæ,* Chryſoſtomus & Theophylactus *in c.26. Matthæi,* dicens: *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.* ad quod videtur alluſiſſe Chriſtus, vt etiam D.Paulus *ad Hebr.c.9. Hic ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus,* vt diximus *lib.1.c.6.num.2.* Porrò de Teſtamenti appellatione plura diſputat Couarruuias *tit. de Teſtamentis initio.*

30. *Myſterium fidei.* Quod neque apud Euangeliſtas, neque in aliis Liturgiis habetur; ſed ne amplius nobis iraſcatur Kemnitius quaſi aliquid addamus formæ, ſciat hæc duo verba ex Apoſtolica traditione D.Petri, qui à Chriſto accepit, nos habere. Videndus Innocentius *lib.4.c.5. & cap. cum Marthæ de celebr. Miſſ.* Ac teſte D. Gregorio *Hom.22. in Euangelia,* & habetur quoque *can. quid ſit ſanguis. de conſecr. d.2.* dicitur fidei myſterium, quia aliud videtur, & aliud intelligitur. quod etiam confirmat Alcuinus *de diu. off. c. de celebr. Miſſæ,* Remigius *in canone Miſſæ,* Florus *ibidem,* Stephanus Heduenſis *lib. de ſacramento altaris c.16.* Iuo Carnutenſis *epiſtola* 264. Lanfrancus *lib. de Euch.* Odo Cameracenſis *loco citato,* Innocentius & alij. Eſt autem *myſterium,* deductum à ſecreto, ex D. Auguſtino *lib. de catechiz. rud.* & Lanfranco *loco citato.* &, Athenæo teſte *lib.3.c.10.* arcana ſacra ſignificat. quod etiam diſertè fatetur Gregorius Nazianzenus dum *in carmine Iambico* 15. ait,

Myſterium quid? Cultus arcanus Dei.

Non igitur mirum, ſi cùm panis & vinum ſentiatur, quæ non ſunt, & ſint ac credantur corpus & ſanguis, quæ non apparent, dicantur myſterium fidei. quod igitur mente & cogitatione aſſequi non poſſumus in tanto myſterio, reiiciendum eſt in Dei potentiam; cùm non ſit impoſſibile apud Deum omne verbum. *Lucæ c.1.* vnde etiam S.Thomas *initio opuſc.* 59. docet, dici myſterium fidei, quia ſit ſecretum ſacratiſſimum ſoli fidei manifeſtum; quòd tot & tanta ibi ſint ſupra, præter, & etiam contra rationem naturalem, quæ niſi per fidem credantur, numquam intelligentur. In cuius rei typum quod reſiduum erat de Agno paſchali, præcipit Deus igne comburi *Exod.12.* Quare rectè monet S. Ephrem *lib. de non ſcrutanda Dei natura. c.5. Noli ſcrutari inſcrutabilia, nam ſi iuſta curioſè rimeris, non iam fidelis vocaberis, ſed curioſus: eſto fidelis, & innocens participa immaculato corpore Domini, fide pleniſſima, certus quòd agnum ipſum integrum comedis.*

Qui pro vobis & pro multis. Habentur partim apud Lucam *cap.*22. partim apud 31.
Matth.*c.*26.meritóque adduntur vt exprimantur hæredes in teſtamento à Chri-
ſto inſtituti,vt neceſſe eſt fieri in omni teſtamento,vt firmum,ratum,& validum
ſit. Rectè autem ex dictis verbis colligit D.Thom. *3.p. q.* 78. *art.* 7. hoc myſte-
rium non ſolùm eſſe ſacramentum,ſed etiam ſacrificium, cùm ſacramenrum il-
li tantùm proſit,qui ſumit : ſacrificium autem,non tantùm ſumentibus vtile ſit,
ſed etiam iis pro quibus offertur, vt pluribus *lib.* 1. *&* 2. diſputatum eſt.& ratio
ſacrificij intrinſecè ſolùm requirat,vt ſignificet diuinam excellentiam, & ſupre-
mum cultum, qui illi præſtatur ; ſacramentum verò immediatè ordinetur ad ſi-
gnificandam ſanctificationem eorum , qui Deum colunt. cùm ſit ſignum exter-
num , & viſibile , inuiſibilis gratiæ , quæ ritè ſumentibus confertur. & conſe-
quenter ſacrificium in actione ſeu oblatione Deo facta conſiſtat ; ſacramentum
autem in receptione ſeu quaſi paſſione,quæ in Dei cultoribus recipiatur. Con-
ſecratio pars ſacrificij præcedit,cùm ſit effectiua ſacramenti; ſumtio ſacramenti
conſequitur tamquam vſus. Sed hac de re plura videri poſſunt apud Sebaſtia-
num Perez *c.*14.*&* 20. Canum *lib.*12.*c.*13.Bellarminum *lib.1.de Miſſa.c.*22. *& ſeq.*
Catechiſmum Romanum *c. de Euchariſtia.* Suarez *3.p. tom.*3. *diſp.*1. *ſect.*1. Porrò
ſanguis Chriſti ſufficienter fuſus eſt pro Apoſtolis, etiam Iuda, & multis, cæte-
ris videlicet omnibus, quippe cùm omnes ſint etiam multi, iuxta expoſitionem
Chryſoſtomi , Euthymij , & Theophylacti. Efficaciter verò fuſus tantùm pro
electis Apoſtolis , & pluribus aliis, nempe prædeſtinatis. Quare D. Paulus *ad
Hebr.c.9.* dicit Chriſtum ſemel oblatum eſſe ad multorum exhaurienda peccata.
Et Iſaias *c.*53. prædixit , *Peccata multorum tulit.* Videndus Stephanus Heduenſis
*lib. de ſacramento altaris.c.*16. Paludanus , & Richardus 4.*d.*8. & Gabriel *lect.*53.*in
canonem, Effundetur.* quia ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio,*ad Hebræos c.9.*
Græcè autem , vt diximus *lib.1.c.3. Lucæ* 22. eſt *effunditur,* ſicut etiam in Liturgia
Iacobi , Marci , & Baſilij , quòd non tantùm in cruento ſacrificio crucis , ſed
etiam in incruento Cœnæ ſit Chriſti ſanguis fuſus in ore fidelium , in remiſſio-
nem peccatorum. Fiebat in veteri teſtamento in emundatione leproſi *Leuit.*14.
aſperſio ſanguine paſſeris , ſed in nouo Chriſtus , non aſperſione , ſed effuſione
ad copiam ſignificandam , vt copioſa eſſet apud eum noſtra redemtio ; & non
paſſeris , ſed proprij ſanguinis fieri voluit emundationem lepræ noſtrorum
peccatorum. vnde teſtantur Sancti *Apoc.c.*1. *Dilexit nos , & lauit nos à peccatis no-
ſtris in ſanguine ſuo.* & *c.*5. *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo , ex omni tribu , & lingua,
& populo,& natione,& feciſti nos Deo noſtro Regnum.* & *c.*7. iidem Sancti in cœlo de-
genres dicuntur dealbauiſſe ſtolas ſuas in ſanguine Agni , qui ſcilicet tollit pec-
cata mundi. Quare etiam D.Paulus *ad Hebr. c.9.* ſcribit ſanguinem Ieſu Chriſti,
qui ſeipſum per Spiritum ſanctum obtulit immaculatum Deo , emundare con-
ſcientias noſtras ab operibus malis ad ſeruiendum Deo viuenti. Et iterum,
Chriſtum ſemel oblatum eſſe, in cruce ſcilicet , ad multorum exhaurienda pec-
cata.& *c.*12. noui teſtamenti mediatorem Ieſum, & aſperſionem ſanguinis eius
multo melius clamare quàm ſanguinem Abelis. Denique D.Petrus *ep.*1.*c.*1. nos
non corruptibilibus auro vel argento redemtos eſſe de vana noſtra conuerſa-
tione , ſed pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti. ob ſuppoſiti enim
diuinitatem actiones & paſſiones omnes Chriſti pro nobis Deo Patri oblatæ
diuinæ iuſtitiæ ſatisfecerunt. vnde etiam nullum fuit peccatum quod hoc ſan-
guine deleri non poſſet. quam ob cauſam etiam dictum eſt , abſque limitatione
effundendum in remiſſionem peccatorum , nullo definito eorum numero , aut

magnitu

magnitudine, quia nullus peccatorum numerus adeò magnus eſt, nec vllum adeò graue facinus quod hoc ſanguine expiari repugnet. vnde D. Io. ait Chriſtum mortuum pro peccatis noſtris, & non noſtris tantùm ſed etiam totius mundi. Porrò ſub ſpecie vini non ſolùm ſanguis, verumetiam per concomitantiam corpus, cùm ſanguis ſit in venis; & ſub ſpecie panis non tantùm corpus, ſed etiam per concomitantiam continetur ſanguis. cùm Chriſti corpus non ſit exangue, & mortuum, ſed viuum, vt dicemus *c.* 19. ex Theologis & Conciliis Conſtantienſi, Baſilienſi, Florentino & Tridentino *ſeſſ.*13.*c.*7.

32. *Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis.* Docet his verbis Chriſtus euangelici ſacrificij oblationem, præcipiens Apoſtolis, quos tunc ſacerdotes ordinauit ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*22. *can.*2. eorúmque ſucceſſores facere, quæ ipſe fecerat. vtramque videlicet conſecrationem panis & poculi, in ſacrificium oblati; præſertim cùm *facere*, ſignificare ſoleat ſacrificare; vt conſtat, tum ex diuinis litteris *Leuit.*15.*Lucæ* 2. tum apud profanos autores, vt Plutarch. *lib.*8.*qq.conuiualium.c.*8. & alios, vt diximus *lib.*1.*c.*3. *num.*10. Quare Dionyſius *de Eccl hier.c.*3. *Quocirca*, inquit, *reuerenter ſimul, & ex Pontificali officio, poſt ſacras diuinorum operum laudes; quod hoſtiam ſalutarem, quæ ſupra ipſum eſt, litet, ſe excuſat, ad ipſum primò decenter exclamans: Tu dixiſti:* Hoc facite in meam cõmemorationem. S. Martialis *epiſtola ad Burdigalenſes, c.*3. *Hoc iuſſit Dominus noſter agere in ſui commemorationem.* Clemens *lib.*8. *c.*18. *Facite ſacrificium, de quo vobis conſtitit, cùm dictum eſt:* Hoc facite in meam commemorationem. videndus idem *c.*36. ſimiliter Irenæus *lib.*4. *c.*32. 34. nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert. D. Cyprianus *epiſt.* 63. *Oportet nos obaudire & facere quod Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandauit.* Arnobius *in Pſal.* 110. *Confeſſio Trinitatis, & magnificentia Deitatis opus eius, iuſtitia eius, immutabilis perſeuerat in ſecula ſeculorum. in qua iuſtitia fecit mirabilium ſuorum, dicens:* Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis. *Quando hoc dixit miſericors & miſerator Dominus? tunc ſine dubio, quando eſcam dedit corporis ſui timentibus ſe.* Tandem Damaſcenus *lib.*4.*de fid.c.* 14. *Dixit in principio:* Producat terra herbam virentem, *& vſque nunc pluuia facta producit germina diuino eo adiuta & vigorata præcepto. Dixit Deus:* Hoc eſt corpus meum. *&*, Hic meus eſt ſanguis, *&*, Hoc facite in meam commemorationem, *& omnipotenti eius precepto donec veniat efficitur.* videndus quoque D. Ambroſius & Primaſius *in cap.*10.*ep.ad Hebr.* & S.Leo *ſer.*7.*de Paſſione.* & quidem D.Lucas *c.*22. ponit à Chriſto dictum: *Hoc facite in meam commemorationem.* poſt conſecrationem corporis, vt etiam Iuſtinus *in Apolog. ad Antoninum, prope finem.* D. Paulus verò 1.*Cor.*11. ponit bis hæc verba à Chriſto dicta, nempe poſt conſecrationem corporis, & iterum poſt conſecrationem ſanguinis. ait enim: *Accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem; ſimiliter & calicem poſtquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem.*

33. *In mei memoriam facietis.* maximè verò paſſionis & mortis eius. 1.*Cor.*11. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis. O ſummè pia* (ait Bernardus *ſer. de cœna*) *& verè ſuauis memoria annunciare mortem Domini donec veniat. Mors Chriſti opus ſine exemplo, humilitas ſine modo, donum ſine pretio, & gratia ſine merito. Hanc propter nos ſubire voluit, qui peccata noſtra ſuper lignum ſuſtinuit in cruce ſua, ſcilicet pœnam peccatorum, cuius liuore ſanati ſumus.* Sed cur hanc à nobis recordationem exegit? Ne beneficij immemores & ingrati ſimus. Eſt

enim benefactoribus quædam gratiæ relatio beneficio affectos beneficiorum & benefactorum meminiſſe, vt docet etiam Cabaſila *c.9.* Cúmque alij alia memoriæ remedia quærant, vt recordentur eorum à quibus ſunt beneficiis affecti, ſepulcra, ſtatuas, columnas, dies feſtos, certamina, & ſimilia; Chriſtus non hæc exegit; ſed tantùm vos ait in meam recordationem hoc facite. Beneficium cruenti ſacrificij paſſionis ſuæ, nouo infinito beneficio incruenti ſacrificij cœnæ cumulat, vt qui dignas pro paſſione ſua gratias agere non valemus, ipſe in nobis manens, per corporis & ſanguinis ſui ſacramentum, pro nobis ipſis de tanto beneficio dignas Deo gratias agat; ſolùm pro ſecundo beneficio collato exigens vt frequenter cum eiuſdem memoria ad hoc incruentum ſacrificium accedamus. Vnde D.Baſilius *lib.1.de bapt.c.3.* de eiſdem verbis diſſerens ait: *Quid igitur vtilitatis habent hæc verba? vt edentes & bibentes perpetuò ſimus memores eius, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit.* & Chryſoſtomus *Hom.82. Imperfecti*: Hoc facite in meam commemorationem. *videtis qualiter amouet à Iudaicis conſuetudinibus, quemadmodum illud faciebatis ait in reminiſcentiam ſanguinis pecoris fuſi ad ſalutem eorum, qui fuerunt in Ægypto; ita & hoc facite in meam commemorationem. Illud ſacrificium ſanguinis effuſum eſt in ſalutem primogenitorum; hoc eſt, in remiſſionem peccatorum vniuerſi orbis terrarum.* Et paucis interiectis: *Et quemadmodum Moyſes de Agno paſchali ait: Hoc memoriale erit nobis æternum; ita & ipſe ait: In meam commemorationem.* diximus hac de re etiam *lib.1.c.10.num.3.*

Tandem iterum genuflexo in eiuſdem ſanguinis adorationem, eleuatur calix, 34.
vt de hoſtia diximus; quamuis apud Æthiopes in Imperio Abiſſinorum, non eleuetur, vt cum Caſſandro notat Sainctes *repet.9.c.7.* Quinetiam ſcribit Sotus *4.d.13.q.2.art.5.* apud Carthuſianos & Dominicanos non præcipi calicis eleuationem, etiamſi, ne diſſideant à reliquis, illum eleuent: ideóque D. Thomam non meminiſſe, maximè cùm iam ſanguis adoratus ſit in Chriſti corpore. Et quidem aliqui calicem coopertum erigunt, ne quid fortè ſordium in illum incidat: idque conſulit Anſelmus *in epiſtola de ſacramentis Eccleſiæ*, & VValdenſis *tom.3. tit.4.c.42.* alij diſcoopertum, quod etiam fit in Capella ſummi Pontificis, præſertim cùm antea non alio operiretur tegumento, quàm Corporali, ex Hugone *lib.2.de off.c.38.* qua de re Sotus *loco citato.* idque putant aliqui apud Anſelmum, Sotum, & VValdenſem ſignificare Chriſti crucifixi nuditatem, ſed in hac re ſeruanda eſt loci conſuetudo.

An Chriſtus iiſdem, quibus Eccleſia, verbis conſecrarit.
CAP. XII.

SVMMARIVM.

1. *Chriſtum Dominum non ſola excellentiæ poteſtate, vt plures arbitrantur, ſed iiſdem prorſus verbis quibus Eccleſia conſecraſſe.*

ODo Cameracenſis *in expoſitione Miſſæ*, Bruno *in 1.ep. ad Cor.* Innocentius 1.
lib.4.c.6. Archidiaconus *canone qui ſcelerate.de conſecr. d.2.* Durandus *in Rationali lib.4.c.44.* Eraſmus *in c.14.Marci*, Armachanus *lib.9.q9. Armeniorum.c.5.& 17.* Titelmanus *in Miſſa*, Maironus *4.d.8.q.1.art.5.* Petrus de Aliaco *lib.4.q.5.* & Ambroſius

broſius Catharinus *opuſc. hac de re*, exiſtimant Chriſtum Dominum ſola ſua virtute & poteſtate excellentiæ, ſine vllis verbis conſecraſſe, & poſtea dixiſſe: *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum*, quæ nobis pro forma conſecrationis dederit. quod etiam probabile putat Petrus Trecenſis *in hiſtoria ſcholaſtica, c.156.* & Gabriel *lectione* 48. quia cùm Chriſtus protulit illa verba, iam conſecrauerat. vt enim ſint vera, ſupponunt conſecrationem factam, & Chriſtum iam corpus & ſanguinem ſuum Apoſtolis porrigere; maximè cùm S. Marcus prius dicat Apoſtolos bibiſſe ſanguinem, quàm Chriſtus dixerit: *Hic eſt ſanguis meus.* veriſſima tamen eſt oppoſita communis Theologorum ſententia, Chriſtum iiſdem planè verbis conſecraſſe, quibus vtitur Eccleſia: ita Innocentius *cap. cùm Marthæ, de celebr. Miſſ.* Magiſter 4.*d.*8. & *ibidem* Io. Scotus, Durandus, Richardus, Paludanus, Alenſis *q.*33 *m.*2. S. Thomas 3.*p.q.*78.*art.*1. cum interpretibus, Sotus 4.*d.*11. *q.*1.*art.*2. Caſtro *v. Euchariſtia, hæreſi* 3. Gabriel *lect.*36. Sainctes *repet.*7.*c.*4.*&* 5. Bellarminus *lib.*4.*de Euch.c.*13. Suarez *diſp.*58.*ſect.*1. & alij. tum *ex cap. cùm Marthæ, cit.* vbi Innocentius opinionem mutauit, quam vt particularis doctor tenuerat. Concilio Florentino aſſerente formam huius ſacramenti eſſe verba quibus Chriſtus confecit. & Trid. *ſeſſ.*13.*c.*3.4.*& ſeſſ.*22.*c.*1.*& can.*2. tum quia id expreſsè docent veteres Patres, vt Tertullian. qui *lib.*4.*c.*4. disertè ait, Chriſtum acceptum panem ſuum corpus feciſſe, dicendo: *Hoc eſt corpus meum*, Cyprianus *ſer. de cœna Domini*, Iuſtinus *Apol. ad Antoninum*, Euſebius Emiſſenus *Hom. in ramis Palmarum, & Hom.*5. *de Paſchate*, Ambroſius *lib.*4. *de ſacram. c.*4. *&* 5. Hieronymus *Hom. de corpore & ſanguine Domini, tom.*9. Damaſcenus *lib.*4. *de fide, c.*14. Chryſoſt. *Hom.*2. *in* 2. *ad Tim.* vbi ait quemadmodum verba, quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt, quæ ſacerdotes nunc quoque pronunciant, ita & oblatio eadem eſt. non diſſimilia habet *Hom. de proditione Iudæ*; tum quia conſecratio Eccleſiæ, nihil eſt aliud quàm repetitio conſecrationis Chriſti, vt docet Chryſoſtomus *Hom.*83. *in Matth.* Ambroſius *loco citato*, Damaſcenus *vbi ſuprà*, & Concilium Florentinum *in inſtructione Armenorum*, cùm Chriſtus dixerit; *Hoc facite.* vnde non dicimus: Hoc eſt corpus Chriſti. ſed, *Hoc eſt corpus meum.* ideo iiſdem verbis pro conſecratione, & non tantùm hiſtoricè Chriſtus vſus eſt; & ad eius imitationem eadem repetuntur ab Eccleſia. Satiſque fuit ex D. Thoma 3.*p.q.*78.*art.*1.*&* 5. in fine prolationis verborum, adeſſe corpus & ſanguinem Chriſti, & D. Marcus hiſtorico more, per anticipationem id dixit. Immo S. Thomas ſentit priorem ſententiam eſſe contra Euangelium.

Num verba conſecrationis à ſacerdote recitatiuè tantùm dicantur, an ſolùm formaliter, vel potiùs vtroque modo.

CAP. XIII.

SVMMARIVM.

1. *Verba conſecrationis non ſolùm recitatiuè à ſacerdote dici, ſed etiam formaliter.*
2. *Magis tamen neceſſarium eſſe vt proferantur formaliter, ſeu ſignificatiuè, quàm recitatiuè.*

1. AT verò cùm huiuſmodi verba formæ efferri poſſint, & tamquam lectio, reique geſtæ narratio ac recitatio, vt ſolet quæcumque alia hiſtoria, &

formaliter ac ſignificatiuè, cùm enunciantur ea intentione, vt imprimant effectum,& exerceant vim in ſubiectam materiam; non leuis eſt difficultas quonam modo huiuſmodi Chriſti verba proloquamur. Nam Innocentius *lib.4.c.17.* Durandus 4.*d.*8.*queſt.*2. Maior *ibidem q.*1. Gulielmus Ochan *quodlib.*2.*queſt.*1. Catharinus *opuſc. quibus verbis Chriſtus conſecrauerit,* Io. Picus Mirandulanus *in Apol. q.*10. Gloſſa *can. qui ſcelerate, d.* 2. putant accipi recitatiuè. quod probabile etiam putat Gabriel *lect.* 48. & Ledeſma *queſt.*19. *art.*5. tum quia ſacerdos ante conſecrationem recitatiuè tantùm dicit: *Qui pridie, &c.* &, *Benedixit, dicens, &c.* quare etiam, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.* cùm eodem tenore & contextu dicantur. tum quia ſi ſignificatiuè dicerentur, illud, *Hoc eſt corpus, &c.* demonſtraret corpus ſacerdotis, & non Chriſti, ideo oporteret dicere: *Hoc eſt corpus Chriſti.* tum quia in conſecratione calicis dicitur, *qui pro vobis & pro multis effundetur.* quæ recitatiuè dicuntur: nam in poſterum ſanguis Chriſti non effundetur, ob id falſa eſſent verba, ſi formaliter proferrentur. Marſilius 4.*d.*8.*queſt.* 6.*art.*1.*p.*2. *dub.*6. & Gabriel *lect.*48. exiſtimant dici ſolùm formaliter, ſeu ſignificatiuè. tum quia, vt argumentatur S. Thomas, ſi narratiuè dicerentur, *Hoc* demonſtraret ſpecies quæ fuerunt in manibus Chriſti, non quæ ſunt in manibus ſacerdotis conſecrantis; ideóque panis, qui proponitur conſecrandus, non conſecraretur. tum quia verba formæ faciunt quod ſignificant, quare ſi hæc non dicuntur ſignificatiuè, ſed ſolùm recitatiuè, ſeu materialiter, nihil ſignificabunt, nec magis de pane præſenti affirmaret ſacerdos conuerti in corpus Chriſti, quàm de quocumque alio; ſed tantùm recitabit à Chriſto olim dicta ſimilia; quare nihil operabuntur, nihílque conſecrabunt. S.Thomas 3.*p.q.*78. *art.*5. Alenſis 4.*p.queſt.*33.*m.*3.*art.*2. Bonauentura 4.*d.*8.*p.*2.*queſt.*1. Richardus 4. *d.*8.*art.*3.*queſt.*1. Scotus *ibidem q.*2. Sotus 4.*d.*11.*queſt.*1.*art.*5. Ledeſma *q.*19.*art.*5. Ægidius *Theorem.*42. Sainctes *repet.*7.*c.*5. Bellarminus *lib.*4.*de Euchariſtia c.*14. Suarez *diſp.*58.*ſect.*4. Henriquez *lib.*8.*c.*18. rectiùs docent dici vtroque modo, recitatiuè quidem, quia præcedentia, *Qui pridie*, recitat à Chriſto dicta & facta, vt indicat contextus canonis; & conſonum eſt rationi, vt quæ ſequuntur eodem modo referantur, & non ſtatim abſcindatur recitatio hiſtoriæ, iterum repetenda in ſubſequentibus. Idémque docet particula, *dicens*, quæ declarat recitari à Chriſto dicta; & particula, *enim*, addita ab Eccleſia, quæ recitatiuè dicitur; quare etiam cætera, quæ coniungit. Et in conſecratione calicis, *effundetur*, & poſtea, *Hæc quotieſcumque feceritis.* Significatiuè verò ob rationes factas pro ſecunda opinione, cùm ſacerdos in perſona Chriſti verè denuo conſecret: quod non faceret, ſi ſolùm narratiuè proferret. vnde Emiſſenus *Hom. in ramis Palmarum:* Qui dixit tunc per ſe, modò dicit per ſuos miniſtros, *Hoc eſt corpus meum;* & tanta eſt huius verbi virtus, & efficacia, vt ſtatim fiat, quod dicitur. Similia habet D. Ambroſius *lib.* 4. *de ſacram. c.*4. Et ideo huiuſmodi Chriſti verba eſſe operatoria, vt etiam Concilium Tridentinum *ſeſſ.*13. *c.*3. dicit ex vi verborum ibi adeſſe corpus Chriſti. neceſſe eſt igitur etiam ſignificatiuè verba ſumi, cùm ſua ſignificatione efficiant conuerſionem panis & vini, in Chriſti corpus & ſanguinem. Ob id longè aliter ſacerdos in canone dicit conſecrationis verba, quàm cum recitat epiſtolam D. Pauli in feſto corporis Chriſti, vbi recitatiuè tantùm dicit, & non ſimul etiam ſignificatiuè, vt facit in canone. Non ſecus ac ſi quis ingreſſus templum & genua flectens ſalutet B. Virginem, dicens: Ingreſſus Angelus dixit: *Aue Maria gratia plena.* nam ex vna parte ſumerentur recitatiuè, cùm recitentur verba ab Angelo in annunciatione dicta, & ex altera

ſignifi

ſignificatiuè, cùm veriſſimè ab eo B. Virgo ſalutetur; nullus enim recitatiuè ſalutari poteſt, ſed ſignificatiuè tantùm. Reliqua verò addita, quæ non ſunt de eſſentia formæ, vt quæ adduntur conſecrationi calicis, dicuntur ſolùm recitatiuè; nec eſt abſurdum in eadem ſerie verborum quædam ſùmi non tantùm recitatiuè, vt cætera, ſed etiam ſignificatiuè, cùm intentio ſacerdotis vniat facilè vtrumque ſenſum.

2. Quærenti autem vter horum ſenſuum magis neceſſarius ſit, dicimus magis neceſſarium eſſe vt proferantur formaliter, & ſignificatiuè, quàm recitatiuè, cùm non poſſit ſacerdos conficere corpus & ſanguinem Chriſti, niſi ſignificando verbis formæ, quæ ſacerdos in perſona Chriſti, & eiuſdem præcepto profert. & illis ſolis, poſſit; licèt reticeat, eadem fuiſſe à Chriſto dicta, vt ſi omiſſis cæteris, dicat tantùm cum intentione conſecrandi præſentem panem, *Hoc eſt corpus meum.* quare nihil nobis obſunt argumenta aduerſariorum.

De effectu formæ conſecrationis. CAP. XIV.

SVMMARIVM.

1. *Corporis & ſanguinis Chriſti veritas in Euchariſtia ab hæreticis negata, euincitur ex diuinis litteris.*
2. *Ex teſtimoniis antiquorum Patrum.*
3. *Ex definitionibus Conciliorum.*
4. *Idem diuinis miraculis ſæpius confirmatum eſſe.*
5. *Oſtenditur rationibus rem hanc nullam includere impoſſibilitatem ex parte diuinæ potentiæ, aut implicantiam contradictionis, vt putarunt Nouatores.*
6. *Quibus exemplis & ſimilitudinibus ex Scriptura, natura, & arte petitis, id vtcunque poſſit explicari.*

1. EO progreſſa eſt humana præſumtio, vt qui non poſſunt formicæ naturam (vt vtar exemplo D. Baſilij *epiſtola* 168.) explicare, de poteſtate Dei, quæ omnem intellectum ſuperat, iidem audeant philoſophari; puténtque nihil à Deo fieri poſſe, quod à natura nequeat, nihil ſciri quod humanam excedat intelligentiam. Qua certè in re mentem ſuam ad Dei æqualitatem attollere nituntur, &, ſi non verbo, facto ſaltem ſeſe Altiſſimo comparare. Sed dum volunt oculos in ſolem figere vi luminis excæcantur; naturam enim, non Deum reperit, qui eius potentiam naturæ legibus metitur. Eſſe enim naturæ Deum, vt cum Lactantio loquar, eſt in ipſam omnia poſſe; & ad libitum eius leges mutare. Tales omnino ſunt, qui doctrinam de myſterio Euchariſtiæ naturæ legibus ſenſuúmque imbecillitati ſubiiciunt, nec quicquid Deus dixerit, de ſua carne & ſanguine, quídque ſua omnipotentia poſſit, ſed quid ipſis videatur, de eo credendum ſtatuunt. Cùm tamen veriſſimè ſcripſerit S. Hilarius *lib.* 8. *de Trinitate. Non eſt humano aut ſeculi ſenſu in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque imprudentem prædicationem cæleſtium dictorum ſanitati, aliena atque impia intelligentiæ extorquenda peruerſitas eſt. quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ legerimus, intelligamus, & tunc perfectæ fidei fungemur officio. de naturali enim in nobis Chriſti veritate, quæ dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtultè atque impiè dicimus. Ipſe enim ait:* Caro mea verè eſt eſca, &

ſanguis

ſanguis meus vere eſt potus, qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo: *de veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus.* Plures itaque fuerunt qui bellum aduerſus veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia mouerunt, vt Valentiniani & Marcioniſtæ, teſte Ignatio apud Theodoretum *dialogo* 3. Ariani ex Nazianzeno *ſerm. de Paſchate,* Neſtorius apud Cyrillum *tom. 4. in fragmento errorum eius.* Iconomachi *ex II. Synodo Nicæna act.6. tom.3. in fine,* Ioannes Scotus auditor Bedæ ex Trithemio & Gaguino *lib.5.* ſed diſcipulorum graphiis occiſus eſt, ex Petro Crinito *lib. de honeſta diſcipl.* Bertramus Preſbyter anno 840. *lib. de corpore & ſanguine Domini, ad Carolum regem Lotharij fratrem,* & apud Sixtum Senenſem *lib.6.c.*196. Berengarius Archidiaconus Andegauenſis ex Lanfranco, Algero, Guitmundo, Paſchaſio *lib. de Euchariſtiæ ſacramento*, Bruno Epiſcopus Andegauenſis ex Durando Leodienſi Epiſcopo *epiſtola de corpore & ſanguine Domini aduerſus eoſdem Brunum & Berengarium*, Petrus de Brunis, vnde Petrobruſiani ex Petro Abbate Cluniacenſi *lib.* 1. *epiſt.* 1. *&* 2. Albigenſes ex Gaguino *lib.* 6. Paulo Æmilio *lib.*6. Bern. Lutzem. *in Catalog. hæret.* agente de Almarico, S. Antonino 3. *p. tit.*19.*c.*1. *&* 4.*p. tit.*11.*c.*5.§.5. Io. VVicleſus ex Thoma VValdenſi *tom.*2.*c.*13. & Concilio Conſtantienſi, Ioannes Bulingerus, Petrus Martyr, Io. Caluinus, & ſacramentarij omnes, qui verum Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtia negant, arbitrantes Chriſti Domini verba eſſe per metaphoram & figuram exponenda. vt diximus ſuperiùs *c.*11. Catholicæ tamen Eccleſiæ fides oppoſitum docet, omnéſque qui ſe Chriſtianos & dici, & eſſe lætantur, veram Chriſti carnem, & verum eius ſanguinem in hoc auguſtiſſimo ſacramento ſe percipere gloriantur, vt teſtatur Paſchaſius & Lanfrancus contra Berengarium. nec poteſt poſt Chriſtum & Apoſtolos doctrinæ huius initium aliquod aſſignari; nouúſque contrarius error toties exortus, ſtatim ac audiri cœpit cum autoribus ſuis eſt ab Eccleſia damnatus; quæ ab initio vſque ad milleſimum ſexcenteſimum & decimumtertium annum quando hæc ſcribimus, illa verbi virtute qua, vt habetur *Pſal.*38. *Dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt vniuerſa, Gen. c.*1. qua fœminam in ſalis ſtatuam mutauit, *Gen. c.*19. qua virgam Moyſis conuertit in colubrum, *Exod. c.*4. qua fontes in ſanguinem, *Exod. c.*6. & aquam vertit in vinum, *Io. c.*2. eadem etiam panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti, verè & realiter & credit & docet tranſmutari. patet autem hæc veritas catholica, primò ex diuinis litteris in quibus id & promiſſum eſt, *Io. c.6. Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* &, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* vbi carnem ſuam propriè non figuratè ſumſit ex communi Patrum ſententia, Baſilij *lib.* 1. *de bapt. c.*3. Cypriani *ſerm. de orat. Dom. & lib.*1. *contra Iudæos, c.*21. Athanaſij *Hom. in illud: Qui dixerit verbum in filium hominis,* Cyrilli Hieroſolymitani *catech.*4. *myſtag.* Epiphanij *hæreſi* 55. Chryſoſtomi, Auguſtini, Cyrilli, Alexandrini, Theophylacti, Euthymij *in expoſitione illius Io.* 6. *Panis quem ego dabo, &c.* Hilarij *lib.* 8. *de Trin.* Ambroſij *lib.* 5. *de ſacram. c.*1. Hieronymi *in cap.* 1. *epiſt. ad Epheſios,* Damaſceni *lib.* 4. *de fide, c.*14. & patet cùm Chriſtus contendat ſe Manna præſtantiorem panem daturum, ſimplex autem panis ob ſolam ſignificationem & figuram Chriſti corporis non præſtet Mannæ, cùm idem etiam præfigurarit Manna, ex Origene *Hom.* 7. *in Numer. & Hom.*17. *in Leuit.* Cypriano *ſerm. de cœna,* Euſebio Emiſſeno *Hom.* 5. *de Paſchate,* Hilario Papa *can. vbi pars eſt, de conſecr. d.*2. Ambroſio *lib. de iis qui initiantur, c.*8. *&* 9. Auguſtino *Hom.*22. *ex* 50. Chryſoſtomo, Cyrillo, Theophylacto, *in Ioannem*; & dicitur panis Angelorum. Et diſcipuli omnes de vera carne intellexerint,

lexerint,non de figura; ita vt aliqui propter hoc à Chriſto diſceſſerint neſcientes quomodo id fieri poſſet; quod certè non permiſiſſet Dominus potens vno verbo ſedare eos, dicendo ſe figuratè loquutum eſſe, ſi ita ſe res habuiſſet. Quinimmo iureiurando confirmans dixit: *Amen, amen dico vobis niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* noménque carnis & manducationis variis dicendi modis ſepties repetiit; confirmans veram carnem, & veram manducationem, dicens: *Caro mea vere eſt cibus, &c.* & affert ſimilitudinem, ſicut ipſe Chriſtus verè miſſus à Patre non metaphoricè, ſed verè vitam habet ex ſubſtantia Patris habitante in carne ſua, ita qui ipſum manducat,viuet propter ipſum realiter præſentem. Et confirmat iuxta ſententiam Cyrilli Alexandrini *lib.* 4. *in Io. c.*22. quòd ſicut non eſt impoſſibile corpus ſua natura graue, cœlos penetrare in aſcenſione Chriſti, ita non futurum impoſſibile eidem carnem ſuam miro, ſed vero modo, dare manducandam. Et quod promiſſum fuerat datum in vltima cœna *Marci* 14. *Lucæ c.* 22. *Matth. c.*26. vt ſuprà *c.* 11. ex verbis inſtitutionis probatum eſt; cum dixerit: *Accipite, & comedite. Hoc eſt corpus meum.* vbi Chriſtum mentitum eſſe nefas eſt cogitare; cùm ſit ſumma veritas. figuratè verò locutum eſſe non eſt veriſimile, tum ratione rei de qua agebatur, grauiſſimo videlicet, & periculoſo fidei dogmate, nouo præcepto, euangelico fœdere, & æterno teſtamento, à quibus abhorret omnis figurata locutio; eo quòd vel leuis ambiguitas in his actionibus afferre ſoleat grauiſſimas difficultates, lites, & damna, & ciere facillimè turbas ac rixas. tum ratione temporis, vltimæ ſcilicet noctis, in qua teſtantur Apoſtoli palàm locutum,& nullum prouerbium inexplicatum protuliſſe. nec ipſi Apoſtoli, ſi res obſcura fuiſſet, omiſiſſent dicere, vti aliàs fecerant, *Ediſſere nobis*, & non ſupereſſet tempus explicandi figuras ſi fuiſſent adhibitæ, cùm iamiam iturus eſſet ad mortem, expoſuiſſétque nos Idololatriæ periculo, qui eam tollere venerat, ſi verba non fuiſſent propria. Et ſanè ſi ſolùm eſſet figura corporis Chriſti, non dixiſſet Paulus 1. *Corinth. c.*11. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini*; aliàs pari ratione non liceret peccatori tangere imaginem crucifixi; nec potuiſſent ſine peccato mortali peccatores bibere aquam de petra,aut manducare Manna;quæ eumdem Chriſtum figurabant,ex D. Paulo 1. *Cor.*10.veritas igitur eſt, & non figura corporis & ſanguinis Chriſti, vt dogmatizant Nouatores.

2. Eadem veritas antiquorum Patrum teſtimonio confirmatur.Iuſtinus *in Apologia ad Antoninum. Sed quemadmodum*(inquit) *per verbum Dei caro factus Ieſus Chriſtus Saluator noſter & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit, ad eumdem modum etiam eam alimoniam in qua per preces ſermonis ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ, illius incarnati Ieſu, carnem & ſanguinem eſſe ſumus edocti, &c.* Irenæus *lib.*4.*c.*34. *Quomodo autem conſtabit eis* (negantibus ſcilicet Chriſtum Deum eſſe, & Dei filium) *cùm panem in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant; ideſt, verbum eius, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, dat quidem primùm fœnum, poſtdeinde ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica?* quibus verbis ex veritate Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutæ, probat omnipotentiam verbi eius. Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Strom. Verbum eſt omnia infanti, & Pater, & mater, & pedagogus, & altor.* Comedite, *inquit*, meam carnem, & bibite meum ſanguinem. *Hæc appoſita & conuenientia alimenta ſuppeditat nobis Dominus, & carnem præbet, & effundit ſanguinem, & ad incrementum nihil deeſt infantulis.* Origenes contra Celſum. *Quoniam vita pane & poculo frueris, manducas & bibis cor-*

pus & ſanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur.. Cyprianus *ſerm. de cœna. Panis iſte quem diſcipulis Dominus porrigebat non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro; & ſicut in perſona Chriſti humanitas apparebat, & latebat diuinitas, ita ſacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe infundit eſſentia.* Iuuencus Preſbyter *lib.*4.

Hæc vbi dicta dedit palmis ſibi frangere panem,
Diuiſúmque dehinc tradit, ſanctéque precatus
Diſcipulos docuit, proprium ſe tradere corpus.
Hinc calicem ſumit Dominus, vinóque repletum
Magnis ſanctificat verbis; potúmque miniſtrat,
Edocuitque ſuum ſe diuiſiſſe cruorem.

Gregorius Nazianzenus *oratione in S. Paſcha. Abſque confuſione & dubio comede corpus, & ſanguinem bibe, ſi ſaltem vitæ deſiderio teneris, neque ſermonibus, qui de carne habentur, fidem deneges, neque ob paſſionem offendaris; conſtans eſto, firmus, ſtabilis, in nulla re propter aduerſariorum ſermones fluctues.* Baſilius *in reg. breuior.* 172. *De animi perſuaſione (nempe nos communicare corpus & ſanguinem Domini) fidem faciunt verba Domini, qui dixit:* Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Cyrillus Hieroſolymitanus *catech.* 4. *myſtag. Cùm ipſe pronunciauerit, & dixerit de pane:* Hoc eſt corpus meum. *quis iam deinceps dubitarit? & cùm idem ipſe dixerit tam aſſeueranter,* Hic eſt ſanguis meus, *quis vnquam ambigat, & dicat non eſſe eius ſanguinem?* Gregorius Nyſſenus *de Baptiſmo. Panis item panis eſt initio communis, ſed vbi eum myſterium ſanctificauerit, corpus Chriſti, & dicitur, & eſt.* S. Ephrem *lib. de natura Dei non ſcrutanda, cap.* 5. *Eſto fidelis atque innocens, participa immaculato corpore Domini tui, fide pleniſſima, certus quòd agnum ipſum integrum comedis.* Ambroſius *lib.* 4. *de ſacram. c.*5. *Cùm Dominus Ieſus teſtificetur nobis, quòd corpus ſuum accipimus, & ſanguinem, nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare?* Gaudentius Brixienſis Epiſcopus *tract.* 2. *in Exodum. Quod annunciatum eſt, credas, quia quod accipis corpus eſt illius panis cœleſtis, & ſanguis eſt illius ſacræ vitis: nam cùm panem conſecratum & vinum diſcipulis ſuis porrigeret, ſic ait:* Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus, *credamus quæſo, cui credidimus; neſcit mendacium veritas.* Cæſarius *dialogo* 3. *Credimus nihilominus ſecundùm ſermonem diuinum, etiamſi non ſit ſimile, vel æquale, propriè tamen & conuenienter id eſſe corpus diuinum, quod in diuina menſa ſanctè conſecratur, & vniuerſo cœtui ſacro abſque ſectione diuiditur, & abſque defectu participatur.* Chryſoſtomus *Hom.* 60. *ad populum Antiochenum, &* 83. *in Matth. Verbis illius defraudari non poſſumus, ſenſus verò noſter facillimè decipitur. Quoniam ergo ille dixit:* Hoc eſt corpus meum, *nulla dubitatione teneamur, ſed credamus, & oculis intellectus id inſpiciamus.* Hieronymus *in qq. ad Hedibiam: Deſcendi de cœlo, aſſumſi formam hominis, dedi eis eſum corporis mei, ipſe cibus & conuiua, comedens & qui comeditur.* Cyrillus Alexandrinus *epiſt. ad Caloſyrium: Non dubites an hoc verum ſit, eo manifeſtè dicente:* Hoc eſt corpus meum; *ſed ſuſcipe potiùs verba Saluatoris in fide. cùm enim ſit veritas, non mentitur.* Idem fusè hac de re diſſerit *lib.*4. *in Io. c.*13.14.15. eidem omnino par Cœlius Sedulius *lib.*4. *operis Paſchalis.*

Nec Dominum latuere doli, ſceleriſque futuri
Prodidit auctorem, panem cui tradidit ipſe,
Qui panis tradendus erat; nam corporis atque
Sanguinis ille ſui poſtquam duo munera ſanxit,
Atque cibum potúmque dedit quo perpete nunquam
Eſuriant ſitiántque animæ ſine labe fideles.

Saluianus

Saluianus eodem ſeculo clariſſimus *lib.2.ad Eccleſiam*, oſtendens cur Deus nobis maiora præceperit quàm Iudæis, inter alia ait: *Iudæis ſeruus Magiſter miſſus eſt, nobis filius; Iudæi per mare tranſierunt ad Eremum, nos per baptiſmum introimus in regnum; Iudæi Manna manducauerunt, nos Chriſtum; Iudæi carnes auium, nos corpus Dei.* S. Leo *ſerm.6. de Ieiunio 7. Menſis. Sic ſacra menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis & ſanguinis Chriſti, ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod corde creditur, & fruſtrà, Amen, ab eis reſpondetur à quibus contra id quod accipitur diſputatur.* & *epiſtola 23. ad Conſtantinopolitanos. In quo hactenus diſſidiis torpore iacuêre, vt nec auditu diſcerent, nec lectione cognoſcerent, quod in Eccleſia Dei in omnium ore tam conſonum eſt, vt nec ab infantium linguis veritas corporis & ſanguinis Chriſti inter communis ſacramenta fidei taceatur?* Euſebius Emiſſenus, ſeu Eucherius Lugdunenſis *Hom. 5. de Paſchate. Recedat omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui autor eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt veritatis.* Remigius Rhemenſis Epiſcopus *in epiſtola 1. ad Corinth. Conſecratur & benedicitur à ſacerdotibus, & Spiritu ſancto, & deinde frangitur cùm iam licèt panis videatur in veritate corpus Chriſti eſt.* Proclus Patriarcha Conſtantinopolitanus *lib. de traditione diuinæ Liturgiæ. Apoſtoli priùs quàm per omnem terram diſpergerentur conſpirantibus animis conuenientes ad toto die orandum conuertebantur, & cùm multam conſolationem in myſtico illo dominici corporis ſacrificio poſitam inueniſſent, fuſiſſimè & longa oratione Miſſam decantabant; hæc enim diuina ſacra vnà cum docendi ſermone coniuncta cæteris rebus anteponenda exiſtimarunt, atque maiori & alacriori rerum diuinarum & ſacrificij ſacroſancti ſtudio & deſiderio flagrabant; & illud obnixè amplectebantur, quòd in memoria ſemper haberent verbum illud Domini, dicentis:* Hoc eſt corpus meum; *&*, Hoc facite in meam commemorationem, *&*, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. S. Eligius *Hom.8. Sicut enim verè carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumſit, & verè homo qui ex Maria Virgine natus eſt, Ieſus Dei filius eſt, non quemadmodum alij homines per gratiam, ſed natura filius ex ſubſtantia Patris: ita vera eſt caro, & verus eſt ſanguis eius, quem ad manducandum & potandum in myſterio ſumimus, ſicut ipſe teſtatur. & nos qui verè ſub myſterio carnem & ſanguinem corporis eius ſumimus, per ea naturaliter vnum cum illo efficimur.* D. Fulbertus Carnotenſis *epiſt. ad Adeodatum. Quid indignum Deo iudicari poteſt, qui vterum virginis ſubiit, ſi virginibus creaturis infunditur? quæ licèt ſimplicis naturæ paulo antè præferant imaginem, poſtmodum cœleſtis, ibi ſanctificatione inſpirata, maieſtas vera diffunditur; & quæ ſubſtantia panis & vini apparebat exteriùs, iam corpus Chriſti & ſanguis fit interiùs.* videndus idem *epiſt. etiam ad Finardum.* Omitto D. Auguſtinum, Epiphanium, Theophylactum, Paſchaſium & alios citatos *c.11.* ne nimij ſimus, & ſufficiant ſupradicti ad conuincendos hæreticos ſi ſapere velint, & errores dediſcere.

3. Addamus etiam pro hac eadem veritate Concilia quæ variis temporibus hoc idem definiuerunt. & quidem circa annum Domini 265. Concilium Antiochenum approbat epiſtolam Dionyſij Patriarchæ Alexandrini in qua veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia confirmat. Videatur Euſebius *lib.7. hiſt.c.24.* & Turrianus noſter *lib.1. de Euchariſtia, c.10.* circa annum 325. Concilium Nicænum, vt conſtat ex eius actis in Bibliotheca Vaticana, & apud Alphonſum Piſanum *lib.3. de Concilio Niceno*, de eadem ſic loquitur: *Iterum etiam hic in diuina menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem, & poculum; ſed attollentes mentem fide intelligamus, ſitum in ſacra illa menſa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à ſacerdotibus immolatum, & pretioſum ipſius corpus & ſanguinem verè nos ſumentes, credere hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola: propter hoc enim neque mul-*

non accipimus, ſed partim, vt ſciamus quòd non ſatietati, ſed ſanctimoniæ ſumimus. & *can.* 14. *Hoc neque regula, neque conſuetudo tradit, vt qui offerendi ſacrificium non habent poteſtatem, iis qui offerunt corpus Chriſti porrigant.* Concilium Epheſinum anno 431. *in epiſt.*2. *Cyrilli Alexandrini ad Neſtorium tom.* 1. *c.*14. quæ approbatur *tom.* 2. *c.*3. *Sic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur participes ſancti corporis, & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrûm redemtoris effecti; non vt communem carnem participantes, quod abſit, nec vt viri cuiuſpiam ſanctificati, ſed tanquam verè viuificam ipſiúſque verbi propriam factam: communis enim caro viuificare non poteſt, vt ipſe Saluator teſtatur, dicens:* Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt, qui viuificat. *Quoniam igitur verbi facta eſt propria, ob eam cauſam intelligitur, & eſt viuifica, ſicut Saluator dixit:* Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, etiam viuet propter me. Concilium Nicænum II. anno 787. *actione* 6. *tom.* 6. *Nemo vnquam ſanctorum Apoſtolorum, qui tubæ ſunt Spiritus ſancti, aut glorioſorum Patrum noſtrorum incruentum noſtrum ſacrificium in memoriam paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & totius diſpenſationis factum imaginem corporis illius dixerit.* & infrà: *Legas quouſque voles, numquam inuenies neque Dominum, neque Apoſtolos, neque Patres incruentum illud ſacrificium, quod à ſacerdote offertur, imaginem dixiſſe: ſed ipſum corpus & ipſum ſanguinem.* Concilium Romanum & Vercellenſe ſub Leone IX. anno 1050. Florentinum ſub Victore II. anno 1055. Turonenſe ſub eodem Victore anno item 1055. alterum Romanum ſub Nicolao II. anno 1059. Romanum ſub Gregorio VII. anno 1079. & Placentinum ſub Vrbano II. anno 1094. Berengarij id negantis, hæreſim anathemate condemnarunt; & Berengarius abiurauit errorem. vt habetur *can. Ego Berengarius, de conſecr. d.* 2. & libros coram Synodo combuſſit, vt conſtat ex Lanfranco *lib.*1. Guitmundo *lib.*1. Algero *lib.*1. Gerſone *ſerm.*1. *de cœna,* Thoma VValdenſi *tom.*2. *tit.*13. *c.*19. Platina *in Leone IX.* Catechiſmo Romano *c. de Euch.* Idem docet Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. anno 1215. *c.*1. Viennenſe ſub Clemente V. anno 1314. *& Clemen. vnica, de reliq. & vener. ſanct.* Conſtantienſe anno 1415. *ſeſſ.*8. *c.*13. hac de re damnauit Ioannis Hus, & Vuiclefi errorem, Florentinum anno 1439. in decreto Eugenij expreſsè aſſerit, eſſe in Euchariſtia verum Chriſti corpus & ſanguinem, Senonenſe anno 1528. *decreto* 11. reprehendit Lutherum quòd poſuerit os ſuum in cœlo. Colonienſe anno 1536. *parte* 7. *cap.*14. *Docendus,* inquit, *eſt populus Chriſtianus certiſſima fide credere quòd in hoc ſacramento ſit verum corpus & verus ſanguis Chriſti Ieſu; neque enim veritas mentitur, quæ apud Matthæum, Marcum & Lucam hoc ſacramentum inſtituit, & porrigens ſimpliciſſimè dixit,* Accipite & manducate. Hoc eſt corpus meum, &c. & anno 1549. Moguntinum ſub Archiepiſcopo Sebaſtiano *c.* 31. *De veritate corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia plebem ex verbis Domini inſtruet, vt credant poſt conſecrationem ſub ſpeciebus panis & vini, veram corporis & ſanguinis Domini noſtri ſubſtantiam contineri.* Tridentinum denique concluſum 1563. *ſeſſ.*13. *c.*1. *& can.* 1. anathema dicit noſtri temporis Nouatoribus ſentientibus Euchariſtiam eſſe ſolum ſignum, & figuram corporis & ſanguinis Domini; & non ipſum verum, reale, ac naturale corpus & ſanguinem Chriſti, vt videas in omni ætate eamdem ab Eccleſia catholica defenſam, contra impugnatores, veritatem veri corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.

Hoc idem miraculis confirmare dignatus eſt Deus. Narrat Amphylochius 4.
in vita S. Baſilij, cùm Hebræus intereſſet Miſſæ ſacrificio, vidiſſe per manus illius infantem partiri; cúmque ipſe quoque ad communionem acceſſiſſet accepiſſe hoſtiam, veram carnem viſibiliter factam. ideóque fidem complexum miraculi

raculi

raculi magnirudine. Refert Gregor. Nazianzenus *oratione funebri de ſorore*, cam
media nocte adorato & tacto Chriſti corpore, tamquam alteram Hæmorroyſ-
ſam, graui morbo curatam. Puer Iudæus, qui communicarar, ab impio patre
incluſus in ardentem clibanum, inuentus eſt poſt triduum illæſus anno 552. vt
ſcribit Euagrius *lib.4. hiſtor.c.35.* & Nicephorus *lib.17.c.25.* Pro captiuo obla-
tum Miſſæ ſacrificium captiuum nullis vinculis permiſit vinciri, ex Beda *lib.4.
hiſt. Angl.c.22.* ſcribit Paſchaſius *lib. de corp. & ſanguine Domini,c.14.* Plegildem
precatum Chriſtum, vt dignaretur viſibili ſpecie, eo modo quo fuit in mani-
bus Simeonis, ſe ſibi videndum præbere, inter ſacrificandum conſequutum. te-
ſtatúrque *ibidem* neminem, qui Sanctorum vitas & exempla legerit ignorare,
ſæpius propter dubios confirmandos, aut amantes ardentiùs inflammandos,
viſibili ſpecie in agni forma, aut carnis & ſanguinis colore Euchariſtiam mon-
ſtratam. legimus apud Alenſem *4.p. q.40. m.2. art.4.* §.3. cùm celebrans ſacerdos
vellet hoſtiam frangere, ſanguinem ex ea profluxiſſe, ac totam repleuiſſe pate-
nam, monſtrante Deo contra quoſdam, qui communionem ſub vtraque ſpecie
efflagitabant, etiam in corpore ſanguinem contineri. Doracæ in regno Arago-
niæ ſeruatur adhuc ſacrum corporale tinctum ſanguine, qui effluxit tempore
Ioannis I. Aragoniæ regis anno 1239. ex ſex particulis conſecratis pro commu-
nicandis ducibus Chriſtiani exercitus bellaturis contra Mauros. qua de re Lu-
douicus Granatenſis *p.2. Introductionis ſymboli*, Henriquez *lib.9.c.38.* Villegas, &
Petrus Ribadeneira *in feſto corporis Chriſti*, cum cæteris hiſtoricis Hiſpanis D. Ni-
colaus de Tolentino ſibi loquentem in hoſtia puerum Ieſum vidit, teſte Henri-
quez. Vrbani IV. tempore anno 1264. Bolſenæ ſacerdote celebrante, & dubi-
tante de realitate corporis Chriſti in Euchariſtia, hoſtia manauit ſanguinem,
quod factum occaſionem dedit ſolemnitatis corporis Domini, ex Panuino in
Vrbano IV. Sigonio *lib.19. de regno Italiæ*, Marulo, Ribadeneira, Polyd. Virg.
lib.6.c.8. de Inuent. rerum, & aliis, videri poſſunt quamplura alia miracula ad hoc
idem pertinentia, apud Sozomenum *lib.8. c.5.* Gregorium Turonenſem *lib. 1.
de glor. Martyr.c.86.* Proſperum *de promiſſ. & præd.c.6.* Gregorium *lib.2.dialog. c.24.
lib.3. c.3. lib.4. c.55.56.* Io. Diaconum *in vita S. Gregorij*, VVilelmum Abbatem
lib. 2. c. 3. vitæ ſancti Bernardi, Bedam *in collectaneis cap. de Euchariſtia ſumenda*,
Guitmundum *lib.3. ad finem*, Algerum *lib.1. c.13.* Antoninum *p.p. hiſt. tit.5. c.19.
& tit.9.c.9. & 3.p. tit.14. c.5.* Petrum Damiani *lib.2. ep.15. ad Deſiderium Abbatem,
& lib.6. ep.21.* Thomam VValdenſem *tom.2.c.46.62.* Gabrielem *lect.15.* Buſtum
2.p.ſerm.13 litt.Z. Viguerium *c.16.verſu 6.* vbi etiam diſputat de modis quibus fi-
unt huiuſmodi apparitiones in Euchariſtia. Ioannem Villanum *lib.6. c.67.* Cli-
thouæum *lib.2.c.10.* Sophronium *in Prato ſpirituali,c.29.30.79.* Vincentium *in ſpe-
culo hiſt. lib.3. c.24.* Cæſarium Heiſterbachenſem *lib.9.* Thomam Cantipraten-
ſem *lib. de apibus, c.63.* Io. Nauclerum *in fine Generationis, 43. & initio.44.* Surium
in Commentario anni 1510. 1556. Pontanum *lib.1. & 5.* Genebrardum *in chronico
anni* 1510. 1556. Thomam Bozium *lib.14.c.7.* quibus veluti diuinis ſigillis con-
firmata eſt realis præſentia Chriſti in hoc diuino myſterio.

5. Rationibus quoque res haud impoſſibilis eſſe monſtratur. tum quòd, ex D. 1.
Ambroſio *can. panis eſt. de conſecr. d.2.* Euſebio Emiſſeno *Hom. 5. de Paſchate*,
Fulberto Epiſcopo Carnotenſi præceptore Berengarij *epiſt. ad Adeodatum*, Adel-
manno Epiſcopo Brixionenſi *epiſtola ad Berengarium ipſum.* Algero *lib.1.* Samona,
Epiſcopo Gazenſi, & S. Thom. *opuſc.58.c.11.* maius ſit ex nihilo aliquid create,
quàm mutare quod eſt. At potuit Deus ſua infinita potentia hanc rerum om-

nium vniuerſitatem ex nihilo producere; poterit igitur multo magis (etenim hoc petunt argumenta hæreticorum, etſi ore id dicere multi non audeant) pa-
2. nem in corpus & vinum in ſuum ſanguinem mutare. tum ex D. Gregorio Nyſſeno *in orat. catechetica*, & Theophylacto *in c.6. Io.* quia Chriſto Domino in carne ambulante & ex pane cibum ſumente panis ille in carnem Chriſti vertebatur, quare etiam nunc panis in eiuſdem carnem mutari poteſt. & ſimiliter vinum
3. in ſanguinem. tum ex Hugone Linconienſi *epiſtola ad Berengarium*, & Innocentio III. *lib.4. c.6.* quia incomparabiliter maius eſt ita Deum factum eſſe hominem, vt non deſineret eſſe Deus, quàm quòd panis ita fiat caro, vt deſinat eſſe panis, cùm panis ſubſtantia non maneat, & Chriſti corpus ſit finitum: in incarnatione verò idem ſit Deus infinitus, & increatus, & homo finitus & creatus, neutra natura deſtructa; naturáque humana integra ſeparetur à perſona & ſubſiſtentia humana, eadem natura humana ſubſiſtente ſubſiſtentia verbi diuini, vnde in eodem ſuppoſito Deus & homo, creator & creatura, continentur. res ſanè ex contrariorum omnium lege maximè impoſſibilis, ex Clemente *in annotationibus quas collegit Anaſtaſius Antiochenus*; ſed cùm illud in incarnatione factum neget nemo, neque hoc, quod & minus & facilius eſt, diuinæ potentiæ negan-
4. dum eſt. tum ex Hilatio *in lib.15. de Trinitate.* quia Deus eſt infinitæ potentiæ, intellectus verò noſter, finitus & limitatus, vnde multo plura poteſt facere Deus, quàm noſter intellectus intelligere, iuxta illud *Iob 36. Ecce Deus magnus vincens*
5. *ſcientiam noſtram.* & *ad Rom. 11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, &c.* tum denique quia Deus ſaltem poteſt quicquid non implicat contradictionem, cùm Deo omnia poſſibilia ſint, *Matth.19. Lucæ 1. Marci 14.* dixi *ſaltem*, quòd Magnetes autor Græcus ante tempora Conſtantini *lib.4. ad Theoſtenem*, cuius teſtimonium citat Turrianus noſter *in Apolog. de reſidentia Paſtorum*, & Sanctes *rep.4. c.4.* qui in idem propendet, ſicut etiam Petrus Damiani *lib.2. ep.17. ad Deſiderium*, ſentiat Deum poſſe etiam implicantia. At in myſterio ſanctiſſimæ Euchariſtiæ nulla talis eſt implicantia contradictionis, cùm non ſit aliquid, quod pugnet cum eſſentia rei, ita vt dicatur res eſſe, & non eſſe. Neque enim contradictionem implicat corpus eſſe ſimul in pluribus locis, vt putat VVicleſus apud VValdenſem *tom.2. c.72.* Caluinus *lib.4. Inſtitut. c.17.* Petrus Martyr & alij Nouatores. non
1. enim repugnat ex parte diuinæ potentiæ, cùm hæc ſit infinita, ideo quamuis Deus cuique corpori naturaliter vnicum locum præſcripſerit, id tamen voluntate, non neceſſitate fecit, nec ſibi ademit libertatem aliter faciendi, cùm volet. vnde rectè Hugo de S. Victore *lib.2. de ſacram. part.8. c.2. Qui locum fecit, corpus fecit, locum fecit in corpore, & corpus in loco, & qui fecit vt vnum corpus in vno loco eſſet, fecit ſicut voluit, & ſi voluiſſet aliter facere, potuiſſet. Nam & quando vult, aliter facit, & eſt ſicut ipſe vult ſemper; quia autem ſicut ipſe fecit vt corpus in vno loco eſſet, tu quod factum eſt vidiſti, & neſcis aliud niſi quod factum eſſe vidiſti; idcirco miraris quando aliud vides, vel audis, quàm videre & audire conſueuiſti; idcirco cùm quid mirari cœperis, & dixerit tibi fortè cogitatio tua, quomodo hoc eſſe poſſit, cogita facientem, & deſinet eſſe mirabile, quicquid illud fecerit; etſi fortè mirabile non eſſe deſierit, tamen incredibile non*
2. *erit. ſi factor omnipotens cogitetur, non erit impoſſibile quicquid erit.* Neque ex parte rerum quibus ipſum corpus ſit præſens. nam res diſſitæ ex eo quòd idem corpus ſit illis præſens, non fiunt ex hoc ſimul, ſed manent diſſitæ & diſtantes; cùm etiam Deus ſit præſens cœlo & terræ: anima rationalis capiti & pedi, & tamen
3. cœlum diſtet à terra, & caput à pedibus. Neque ex parte rei, quæ in pluribus locis ponitur, ſiue conſideres primò eius vnitatem, cùm locorum pluralitas & differen

differentia non repugnet vnitati locati, etenim multitudo partium humani corporis non pugnat cum vnitate & indiuiſibilitate animæ rationalis, cùm eadem ſit in ſingulis membris, & poſſit Deus, ſi velit, animam, quæ erat in brachio vnito corpori, eam ibidem brachio abſciſſo, conſeruare; & ſi fieret alter mundus, vt Deus facere poteſt, ibidem Deus eſſet, totumque repleret non relicto noſtro, & anima rationalis aucto corpore non relictis prioribus partibus informet additas de nouo: nullàque maior repugnantia eſt, vt eadem res per Dei potentiam ſit in pluribus locis, quàm vt in vno & eodem ſint multa adæquata corpora; quare vt per Dei potentiam hoc fieri poteſt, vt manifeſtè conſtat ex Chriſti natiuitate, & aſcenſione, in illa non violata matris virginitate, in hac haud fracto cœlo, ita etiam illud. Ratio eſt quia per Dei potentiam poſterius ſeparari poteſt à priori, eſſe autem in loco eſt quid poſterius eſſe rei ſecundùm ſe, & quid accidentarium, cùm ſupponat rem, quæ locatur, iam exiſtere per ſua principia, quare ſine anterioris præiudicio, & manente eadem corporis identitate ſecundùm ſe, Deus ſuo imperio poteſt variare poſteriora, & accidentaria. Atque ita idem corpus, eodem tempore in multis locis conſtituere, ſicut & multa in eodem loco ponere. vt fusè explicabitur *cap.*17. ſic videmus Chriſti humanitatem eodem tempore pluribus in locis fuiſſe, vt ad hoc idem confirmandum affert Guitmundus *lib.*1. *de Euch.* & Algerus item *lib.*1. *de Euch.* dicitur enim *Act.c.*3. quem oportet cœlum ſuſcipere vſque ad tẽpus reſtitutionis omnium; & tamen etiam alibi, quàm in cœlo viſum conſtat, *Act.c.*9.*&* 26. apparuit in via Paulo, eíque interroganti: Quis es Domine? reſpondit: Ego ſum Ieſus. & *c.*23. aſtitit eidem captiuo noctu in caſtris, & confirmauit, vt forti animo eſſet. 1.*Cor.* D.Paulus ſe inter oculatos teſtes reſurrectionis ponit, *cap.*9. *Nónne*, inquit, *Dominum noſtrum Chriſtũ Ieſum vidi?* & *cap.*11. *Ego enim accepi à Domino, &c.* Petro etiam fugienti non procul ab vrbe apparuit, & interroganti quò iret. *Vado*, inquit, *Romam iterum crucifigi*, teſte Origene *tom.*21. *in Io.* Athanaſio *in Apol. pro fuga ſua.* Egeſippo *lib.*3. *de excidio Hieroſolymitano, c.*2. Ambroſio contra Auxentium. omitto cæteras apparitiones de quibus videri poſſunt Arnobius *lib.*1.*c.*5. Paulinus *ep.ad Macharium*, & Gregorius *lib.*4.*dialog.c.*16. Quæ ſanè argumenta non tantum concludunt de modò ſacramentaliter exiſtendi in pluribus locis, ſeu per modum ſubſtantiæ, vt de facto accidit in Miſſæ ſacrificio, quod eſſe facilius putat S.Thom. 4.*d.*10.*q.*1.*art.*1. *&* *d.*44.*q.*2.*art.*2. Capreolus, Durandus & alij 4.*d.*10. ſed etiam localiter per mutuam commenſurationem partium loci & locati; quod non implicare docet etiam Magnetes *lib.*3.*euangelicæ Apolog.* apud Turrianum *lib.*3.*de dog.char.* Hugo de S. Victore *lib.*2. *de ſacram. par.*8. *c.*2. Scotus 4.*d.* 10. *q.*2. Alenſis *q.*44. *m.*7. Ochan 4.*q.*4. Richard. *art.*2. *q.*2. Marſilius 4.*q.*7.*art.*3.*dub.*1. VValdenſis *tom.*2.*c.*72.73. Gabriel *lect.* 46. & ex recentioribus, Alanus *lib.*1. *c.*38. Sainctes *reſp.*4. *c.*7. Sotus *lib.*4.*phyſ. q.*2. *art.*3. licèt *in* 4. *ſentent. d.*10.*q.*1. *art.*5. dubitet, Bellarminus *lib.*3. *de Euchariſtia, c.*3. Suarez *diſp.*49. *ſect.*4. Henriquez *lib.*9. *c.*38. cùm reuera non ſit maior difficultas in modo exiſtendi localiter, quàm ſacramentaliter. Quare meritò Patres eumdem numero Chriſtum in Euchariſtia de facto eſſe in diuerſis locis docent, vt expreſsè teſtatur Ambroſius *in c.*10.*ad Hebr.* Chryſoſtomus *Hom.*17. in eamdem, vt etiam *ibidem, c.*8. Theodoretus, Theophylactus, Primaſius, OEcumenius, Haymo, Cyrillus *lib.*12.*in Io. c.*32. Iuo Carnotenſis *epiſtola ad Haymeritum*, Algerus *lib.*1. *c.*14. Bernardus *ſer.*2.*de cœna*, vt pariter D.Auguſtinus *concione* 1.*in Pſal.*33. & Proſper *lib. de promiſſ. & præd.p.*2.*c.*25. dixerunt Chriſtum in cœna ſe ſuis manibus portaſſe. vnde

vnde conſequenter eodem tempore Chriſtus fuit localiter in vno loco, & ſacramentaliter in altero. Itaque exiſtentia in multis locis multiplicat quidem modos accidentarios eſſe rei locatæ,non tollit tamen vnitatem & indiuiſionem rei in ſe. Siue ſecundò conſideres rei finitatem qua non videtur res finita poſſe extendi extra locum quem naturaliter eſt apta replere. nam corporis finitas non excludit potentiam obedientialem ad exiſtendum diuina virtute extra locum naturalem; ſicut finitas potentiæ actiuæ & paſſiuæ naturalis non excludit potentiam obedientialem ad efficiendum vel recipiendum diuina virtute effectus ſupernaturales; & eadem anima rationalis indiuiſibilis in ſe replet totum corpus humanum;& aliquando quidem paruum,procedente verò tempore maius, nulla ſecundùm ſe mutatione recepta. Atque, vt diximus, hoc non magis ſit contra naturam,quàm in eodem loco eſſe plura corpora adæquata.non rectè igitur ex vnitate loci, colligitur vnitas corporis, aut ex pluralitate locorum, pluralitas corporum reſpectu diuinæ potentiæ. Siue tertiò conſideres rationem quantitatis, quæ ita videtur loco circumſcribi, vt nihil corporis ſit extra eum locum. nam, vt dicetur etiam *c.* 17. ratio quantitatis prior eſt, quàm eius extenſio in ordine ad locum,quæ eſt eius accidens,& alterius prædicamenti,ſeu categoriæ; vnde etiam cœlum vltimum non eſt in loco à quo circumſcribatur. Poterit igitur per Dei potentiam ſalua eius natura & ordine ad ſeipſam, priuari hac accidentaria extenſione. Accedit ex Soto 4.*d.*10.*q.*1.*art.*4. & Sainctes *repet.*4.*c.*4. quia ſicut ſubſtantia ob quantitatem,quæ eſt eius accidens (ne idem ſit ſubſtantia & accidens) non eſt in loco ſuo modo, ſed per eam ſuſcipit extenſionem, & ſitum in ordine ad locum; cur viciſſim ſi quantitas ſit alicubi non ratione ſui,ſed per ſubſtantiam,vt diuina virtute eſt in ſacramento Euchariſtiæ,

1. viciſſim non maneat in loco per modum ſubſtantiæ ſine loci occupatione? Sed obiiciunt Nouatores, primò implicat contradictionem idem corpus eſſe in loco,& non eſſe in loco; ſed ſi ponatur idem corpus in pluribus locis,erit in loco immo pluribus, vt ſupponimus, & non erit in loco, quia quod eſt in loco circumſcribitur loco, ita vt non ſit extra terminos circumſcribentis; aut ſaltem ita definitur loco, vt non ſit alibi, quæ abſunt in caſu noſtro. Reſpondemus primò cum Soto 4.*d.*10. *q.*1. *art.*5. Sainctes *repet.*4. *c.*4. *&* 7. Bellarmino *lib.*4. *de Euch.c.*4. Suarez *diſp.*48. *ſect.*4. & aliis, vt corpus ſit circumſcriptiuè in loco, requirit ſolùm, vt ita commenſuretur illi loco,vt termini locati & loci ſint ſimul; non requiritur autem, vt non ſit alibi, vt in alio loco ſaltem reſpectu diuinæ potentiæ: quare Aduerſarij petunt principium, & ſumunt quod probandum erat. vnde docuimus Deum poſſe localiter, nedùm ſacramentaliter (qua de re infrà *cap.*17.) ponere idem corpus in duobus, vel pluribus locis ſimul. ſecundò reſpondemus cum iiſdem diuiſionem illam loci in circumſcriptiuum & definitiuum non eſſe adæquatam; cùm datur alius modus exiſtendi per ſolam præſentiam; quomodo Deus eſt in loco, ita vt nec circumſcribatur, nec definiatur loco,& hoc modo eſſe in loco etiam corpora, quæ per diuinam potentiam ſunt

2. ſimul in variis locis. Obiiciunt ſecundò ſi vnum corpus ſit in multis locis, erit vnum & multa; & idem diuiſum & diſtans à ſeipſo, eidem eſſe poterit præſens & diſtans, ſicut loca in quibus ponitur, mouebitur & quieſcet, quæ implicant contradictionem. Reſpondemus nullam eſſe implicantiam: nam corpus vt eſt in vno loco, non diſcontinuatur à ſeipſo in alio: nam continuari & diuidi eſt eorum, quæ ſunt multa. In caſu verò noſtro, non ſunt duo aut plura corpora, ſed vnum & idem, ſicut viciſſim ſi duo corpora per Dei potentiam ponantur

in

in eodem loco, ſunt duo corpora & non vnum, licèt vnicus ſit locus. Quare ſolùm loca ipſa quibus corpus eſt præſens, erunt diſcontinua & plura, non autem corpus. Sicut proportionaliter anima vnica eſt in ſingulis membris: & vt eſt in capite eſt ſurſum,& remota à terra: vt eſt in pede eſt deorſum,& terræ proxima, vt eſt in dextera agitata,mouetur,vt eſt in ſiniſtra immota,quieſcit,ſine vlla vera contradictione, quæ attendi debet non ſolùm reſpectu eiuſdem rei, ſed etiam temporis, loci, modi, &c. Quare ſine vlla vera contradictione, licet etiam dicere de eodem corpore in vno loco ſtare, in alio ſedere, quieſcere & moueri, ſurſum eſſe, & deorſum, ſecundùm diuerſa loca in quibus ſtatuitur,& diuerſos eſſendi modos. Cùm enim hæ ſimileſque proprietates dicant relationem præſentiæ localis, ſi multiplicantur loca, & Vbi, relationes etiam, quæ ad ipſa terminantur, neceſſariò erunt multiplicandæ: nullàque orietur vera contradictio, quia non erit ratione eiuſdem Vbi,& loci,ſed diuerſi: ſicut ſubſtantia per vnam qualitatem poteſt eſſe alteri ſimilis,vt ignis calore aëri,& per alteram diſſimilis, videlicet ſiccitate; ita vna res ſecundùm diuerſa Vbi, alteri diſtans, & præſens. Dices, hinc ſequeretur idem corpus eſſe alteri æquale, & inæquale,vt ſi corpus tripedale ponatur in tribus locis,occupabit locum nouem pedum. Reſpondemus dupliciter poſſe intelligi corpus tripedale occupare ſpacium nouem pedum. Primò quòd quantitas talis corporis commenſuretur, & circumſcribatur loco nouem pedum, & hoc falſum eſt. Secundò vt talis magnitudo non commenſuretur niſi loco trium pedum, eadem tamen magnitudo ter ponatur in loco trium pedum,& hoc fieri poteſt per Dei potentiam, nec vlla eſt implicantia. repugnantia eſſet ſi vnica ſua extenſione ſpacium nouem pedum æquaret.

Obiiciunt tertiò,ſequeretur idem corpus poſſe ſimul habere contrarias qualitates intenſiſſimas,vt calorem in vno loco applicatum igni,in alio iniectum in niue frigus,quod repugnat naturæ contrariorum quę definiuntur ſe mutuò expellere. cúmque vnum contrariorum includat negationem alterius,inferrentur etiam contradictoria. Similiter quoad actus vitales idem in vno loco poterit amare Deum, & ſimul in alio odiſſe. Quoad habitum etiam & priuationem, in vno loco mortuum eſſe,in alio viuere,in vno ſobrium eſſe,in vno alio ebrium. Similiter Petrum,v.g.habentem vires ferendi pondus decem librarum,actu poſſe ferre pondus decem millium,ſi in multis locis ponatur. in ſingulis enim decem libras feret, quæ multiplicatæ ingens omnino pondus efficient. Reſpondemus corpus habens plura eſſe localia, ſecundùm ſe tamen habere vnum eſſe ſubſtantiale; ideo licèt ex poſitione eius in pluribus locis neceſſariò inferantur diuerſæ relationes, & præſentiæ, quæ ad illa loca terminantur, vt in ſolutione ſuperioris obiectionis diximus, prædicata tamen abſoluta à loco, vt qualitates, actiones, &c. quæ aliunde quàm ab eſſe locali proueniunt, non neceſſariò ex rei natura in corpore illo multiplicari, quia ſubiectum mutationis idem eſt, & mutatio, quæ in eo fit, non pendet à loco, vt rectè docet S. Thomas 3.*p.q.*81.*art*.4. Scotus 4.*d*.10.*q*.2.*art*.4. Innocentius *lib*.4.*c*.6. Ad illud igitur de contrariis ſummis qualitatibus reſpondetur, licèt poſſit Deus, ſi velit, in eodem ſubiecto ponere ſummum calorem, & ſummum frigus, quod enim natura facere poteſt ſucceſſiuè, Deus autor naturæ ſimul facere poterit,nec tunc ex contrariis inferrentur neceſſariò contradictoria, non enim ex frigido inferetur neceſſariò non calidum, nec ex calido non frigidum, quia eſſe calidum non includit formaliter negationem frigidi, ſed habet ſolùm conſequenter adiunctam ſecundùm ordinem naturalem, non autem reſpectu potentiæ Dei, vnde notat Cæſarius

dialogo 1. eumdem ignem veluti rorem frigefeciſſe tres pueros Hebræos, & combuſſiſſe Babylonios, qua de re plura Sainctes *rep.4.c.7.* ex natura tamen rei probabilius videtur Soto 4.*d.*10.*q.*1. *art.*5. Gabrieli *lect.*46. Scoto 4.*d.*10. S. Thomæ 3.*p.q.*81. *art.*4. Bellarmino *lib.*3. *de Euchariſtia,c.*4. non multiplicari, cùm corpus ſit vnum & non multa, ideo ſi calefiat corpus in vno loco, erit etiam calidum in alio, ſi autem in vno ſit prope ignem, in alio prope glaciem alterabitur eodem modo, ac ſi in eodem loco ei applicarentur duo agentia contraria: quare in illo caſu ambæ virtutes calefactiua & frigefactiua, vel attingent idem corpus ſecundùm eamdem partem ſui, vel ſecundùm aliam & aliam: ſi ſecundùm eamdem, vel illæ virtutes ſunt omnino æquales, & ſic illa pars corporis nec erit ſimpliciter calida, nec ſimpliciter frigida quia propter æqualitatem illarum virtutum, ſic vna impediet alteram vt illa pars corporis recipiat qualitates ſolùm in eſſe refracto, quibus efficietur tepida, vel erunt inæquales, & tunc inducetur qualitas ſecundùm modum excedentis virtutis, & non eius, quæ exceditur. ſi verò attingant corpus, ſecundùm aliam & aliam partem, tunc in illis diſtinctis partibus poſſunt induci oppoſitæ qualitates, ſicut nunc accidere poteſt, vt ſi quis ponat pedem in glacie, & manum in igne. Ad illud de odio & amore cùm conueniant ſubiecto ſecundùm ſe, non reſpectu loci, aut alterius extrinſeci, ſi in vno loco odit, vbique odit; éſtque hoc idem argumentum ſoluendum ſancto Thomæ & aliis, qui in vno loco localiter in altero ſolùm per modum ſubſtantiæ, exiſtimant idem corpus poſſe eſſe in variis locis; cùm in his actibus voluntatis ſit vtrobique par ratio. vt rectè aduertit Suarez *diſp.*48. *ſect.*4. *&* 6. ſimiliter ſi vulneretur aut moriatur in vno loco; idem apparebit vbique; ſi comedet in vno, non eſuriet in altero, etiamſi ibi nihil comedat; quia idem eſt corpus, non diuerſum. Ad vltimam inſtantiam Io. Maior 4.*d.*10.*q.*2. concedit Petrum in pluribus locis poſitum in ſingulis poſſe ferre pondus ſuæ virtuti adæquatum, quia ex eo quòd Romæ ferat 10. libras, non impeditur quin Pariſiis aliud pondus æquale ferat. ſed rectiùs Scotus, Marſilius & alij id negant, quia ex replicatione eiuſdem potentiæ in pluribus locis non augetur potentia. non igitur plus poterit in pluribus locis quàm in vno. Cùm igitur Chriſtus facere potuerit ſine vlla implicantia contradictionis, quod clariſſimis verbis profeſſus eſt ſe efficere velle, id iam ſine vlla ambiguitate feciſſe ſentiendum eſt.

Afferri tandem poſſunt ad doctrinam de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia faciliùs intelligendam, & oſtendendum rem Deo eſſe facillimam, exempla, tum ex diuina Scriptura petita, vt virgæ Moyſis in ſerpentem verſæ, & iterum ſerpentis in virgam; aquæ Ægypti in ſanguinem, & ſanguinis iterum remeantis in naturam aquæ; & vxoris Loth in ſtatuam ſalis, quæ afferuntur ab Ambroſio *lib.*4. *de ſacram.c.*4. *& lib. de his qui initiantur.c.*9. Aquæ in vinum in Cana Galilææ, allatum à S. Gaudentio *tr.*2. *in Exod.* & Adelmanno *epiſt. ad Berengarium.* tum ex natura, vt panis & vini à Chriſto dum viueret in cibum comeſti, quæ ſunt mutata in Chriſti carnem & ſanguinem, vt etiam in noſtram ſubſtantiam à nobis paſtis quotidie fit media nutritione, vt diximus ex Gregorio Nyſſeno *in oratione catechetica,* & Theophylacto *in cap.*6. *Ioannis.* & affert etiam Petrus Abbas Cluniacenſis *tr. de ſacrificio Miſſæ contra Petrubruſianos.* S. Thomas *opuſc.*58. *c.*11. & Ioannes Gerſon *ſer. de cœna Domini.* Sic etiam coralli, qui ex ligno fit lapis, vt affert idem Petrus Cluniacenſis: Cryſtalli, quæ ex aqua fit etiam lapis inualeſcente frigore, ex eodem; & Phœnicis, quæ teſte etiam D. Clem. Roman. *lib.*5. *Conſtit.c.*8. Tertul. *lib. de reſurrectione,* Cyrillo Hieroſolymitano *catech.* 6.

18.

18. Lactantio *in carmine de Phœnice*, Ambroſio *lib.5. Hexam.* Plinio *lib.10. c.2.* ex cineribus & puluere demortuæ in auem mutatis auolat, ex prædicto Petro Cluniacenſi: tum ex arte, cùm ex fœno & ſilice vitrum fiat, quod adducit ad hoc propoſitum idem Cluniacenſis, Io. Gerſon *locis citatis*, & S. Thomas *opuſc.58. citato. c.12.* qui etiam per omnia prædicamenta vagatus multa mirabilia colligit ad veritatem Euchariſtiæ intelligendam. alia videri poſſunt apud S. Samonam Epiſcopum Gazenſem. S. Vincentium *in concionibus feſti ſanctiſſimi ſacramenti Euchariſtiæ*, & Gerſonem *ſer. de cœna Domini.*

De abſentia ſubſtantiæ panis & vini in Euchariſtia.
CAP. XV.

SVMMARIVM.

1. *Conſecratione peracta non remanere in Euchariſtia panis & vini ſubſtantiam.*
2. *Referuntur & refelluntur malè ſentientium errores.*
3. *An deſitio ſubſtantiæ panis & vini annihilatio dicenda ſit, nec ne.*

1. CONſecratione peracta non manere in Euchariſtia panis & vini ſubſtantiam fide catholica docemur. tum ex diuinis litteris: nam, vt S. Thomas *3.p.q.75.* 1.
art.2. lib.4. contra Gentes. c.63. & 4. d.11. q.1. Sotus *4. d.9. q.2. art.2.* Canus *lib. 6. c.8.* Lindanus *lib.4. Panopliæ. c.44.* Tapper *art.14.* Catechiſmus Romanus *c. de Euchariſtia.* & alij Theologi argumentantur, & habet etiam Concilium Tridentinum *ſeſſ.13. c.4.* Chriſtus de tota ſubſtantia quam porrigebat diſcipulis, dixit: *Accipite & manducate. Hoc eſt corpus meum*, nempe quod ſub ſpeciebus panis (idémque de vino) continetur non eſt amplius panis, ſed corpus meum, ipſiſſimum ſcilicet, verum, & proprium. non dixit autem: Hîc eſt corpus meum, vti dicendum fuiſſet, ſi ſubſtantia panis remaneret contegens Chriſti corpus. ſubiecítque, *Hoc facite in meam commemorationem*; nempe vos etiam corpus & ſanguinem meum facite ex pane & vino. At quæ in aliud conuertuntur, facta conuerſione non manent; non enim manſit terra ex qua factus eſt Adam, *Gen.1.* nec aqua ex qua factum eſt vinum, *Ioan.2.* quare neque hîc panis & vini ſubſtantia manere debet. Similitèr *Io.6. Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* &, *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* cùm igitur vna res immutata non poſſit eſſe alia, eſſet enim ipſa & non ipſa, neceſſe eſt, ad hoc vt propoſitio ſit vera, & non falſa, vt omnis alia panis & vini ſubſtantia excludatur, ea tranſubſtantiata in corpus & ſanguinem Chriſti. Quod etiam ante Chriſti Domini aduentum docuit Rabbi Iudas in illud *Numer.28. Panis facierum coram me ſemper.* *Quare*, inquit, *dicatur panis facierum, ratio eſt, tranſmutabitur ex ſubſtantia panis cùm ſacrificabitur in ſubſtantiam corporis Meſſiæ, qui deſcendet de cœlis, & idem ipſe erit ſacrificium.* & poſt pauca: *Et magiſtri dicunt ob eam rem dictum panem facierum; quia in ipſo ſacrificio erunt duæ ſubſtantiæ, diuinitas & humanitas.* tum ex Conciliis, id enim docet 2.
Concil. Rom. ſub Nicolao II. apud Lanfrancum, qui interfuit, *lib.1. de corpore Domini*, Guitmundum *lib.3.* Anſelmum *epiſt. de corpore Domini*, & VValdenſem *tom.2. c.43.* Romanum ſub Gregorio VII, *anno* 1079. apud VValdenſem *loco citato*, & Surium *tom.3. Conciliorum*, Lateranenſe ſub Innocentio III. *cap.1.* & habetur *cap.*

firmiter, de ſum. Trinitate & fide catholica, Conſtantienſe *ſeſſ.* 8. *in* 1. *&* 2. *errore Io. VViclefi,* Romanum celebratum anno 1413. contra Ioannem Hus apud Cochlæum *lib.* 1 *hiſtoriæ Huſſitarum,* Florentinum *in litteris vnionis*, & Tridentinum *ſeſſ.* 13. *c.* 4. *& can.* 2. definiens totam ſubſtantiam panis, & totam ſubſtantiam vini in Chriſti corpus & ſanguinem conuerti, remanentibus dumtaxat accidentibus panis
3. & vini. tum ex Patribus, & vt paucos ſeligamus, Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem, Acceptum* (inquit) *panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum fecit, dicendo:* Hoc eſt corpus meum. Cyprianus *ſerm. de cœna. Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus omnipotentia Verbi factus eſt caro.* Gregorius Nyſſenus *lib. de vita Moyſis. Qui nobis hanc menſam præparauit in id commutatur.* Cyrillus *catech.* 3 *myſtagogica: Pro certiſſimo habens panem hunc, qui videtur, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat.* Chryſoſtomus *Homil. in Encæniis. Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita illi aſſimilatur nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit; ſic & hîc puta myſteria conſumi corporis ſubſtantia.* Euſebius Emiſſenus *ſerm. de corpore Domini. Antequam inuocatione ſummi nominis conſecrentur, ſubſtantia illic eſt panis & vini; poſt verba Chriſti corpus & ſanguis Chriſti, quid mirum autem ſi ea, quæ verbo creare potuit, poſſit creata conuertere?* Ambroſius *lib.* 4. *de ſacram c.* 4. *& lib. de iis qui initiantur. c.* 9. *Probamus non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit; maiorémque eſſe vim benedictionis, quàm naturæ. quia benedictione etiam natura ipſa mutatur.* & affert ad hoc idem exemplum virgæ Moyſis verſæ in ſerpentem; iterúmque redditæ ſuæ naturæ, & aquæ Ægypti mutatæ in ſanguinem, denuóque remeantis in aquæ naturam. & *de conſecr. d.* 2. *can. omnia. Licèt figura panis & vini hîc ſit, nihil aliud quàm corpus & ſanguis poſt conſecrationem credendum eſt.* Auguſtinus *tr. de corpore & ſanguine Domini, apud VValdenſem tom.* 2. *c.* 83. *Non dubitare debet aliquis, quòd panis & vinum mutentur in veram ſubſtantiam Chriſti; ita vt non remaneat ſubſtantia panis & vini.* & paulo pòſt: *Nec credendum eſt, quòd ſubſtantia panis vel vini remaneat, ſed panis in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem conuertitur, ſolummodo qualitatibus panis & vini remanentibus.* Remigius *in c.* 10. *ep.* 1. *ad Cor. Caro quam verbum Dei Patris aſſumſit ex vtero virginali in vnitate ſuæ perſonæ, & panis, qui conſecratur in Eccleſia, vnum corpus ſunt. Sicut enim illa caro corpus Chriſti eſt; ita iſte panis tranſit in corpus Chriſti; nec ſunt duo corpora, ſed vnum corpus.* Beda *lib. de myſteriis Miſſæ, apud VValdenſem tom.* 2. *c.* 82. *Ibi forma panis videtur, vbi ſubſtantia panis non eſt, nec eſt ibi panis alius quàm panis, qui de cœlo deſcendit.* Haymo Epiſcopus Alberſtatenſis *in* 1. *ad Corinth. Nec enim ſunt duo corpora illa caro quam aſſumſit, & iſte panis, ſed vnum verum corpus faciunt Chriſti, in tantum vt dum ille frangitur & comeditur, Chriſtus immoletur & comedatur, & tamen integer maneat & viuus.* Algerus *lib. de veritate corporis & ſanguinis Chriſti. Verbum fit caro, & naſcitur caro de carne aſſumendo carnem non mutatum in carnem. Sic factum quod non fuerat, vt non deſiſteret eſſe quod erat. panis autem fit eadem caro, non naſcitur caro, nec aſſumit carnem, ſed mutatur in carnem; ſic factus quod non erat, vt deſiſtat eſſe quod fuerat.* Bernardus *ſer. de cœna Domini. Hoſtia quam vides, iam non panis, ſed caro mea. & aliud latet, aliud patet, quemadmodum ſpecies illic videntur, quorum res vel ſubſtantia ibi eſſe non creduntur; ſic res veraciter & ſubſtantialiter creditur, cuius ſpecies non cernitur. videtur enim ſpecies panis & vini, & ſubſtantia panis & vini non creditur. creditur autem ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, & tamen ſpecies non cernitur.* Eadem ad verbum habet Hugo de S. Vict. *lib.* 2. *de ſacram. part.* 8. *c.* 7. Magiſter ſent. *lib.* 4. *d.* 11. *Alij putauerunt ibi ſubſtantiam panis & vini remanere, & ibidem corpus Chriſti & ſanguinem eſſe; & hac ratione dici illam ſubſtantiam fieri iſtam, quia vbi eſt hæc, ibi ſit & illa: ſed quòd non ſit ibi ſubſtantia, niſi corpus Chriſti, & ſanguis, ex prædictis Patrum dictis apertè oſtenditur.*

Eumdem

Eumdem ſequuntur Scholaſtici, & alij qui contra hæreſes decertarunt. denique S. Edmundus Cantuarienſis *in ſpeculo Eccleſiæ, c.* 25. agens de ſacramento altaris, ait: *Et tamen ſubſtantia panis & vini non remanet poſt conſecrationem. Et nos credimus quòd illa ſimilitudo (accidentia ſcilicet panis & vini) habet & continet in ſe veraciter corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* tum ratione, ſuppoſito enim ibi 4.
eſſe Chriſtum, vt contra Caluinum & alios Nouatores ſuperiùs euicimus, decentius fuit, vt rectè probat Gulielmus Pariſienſis *lib. de ſacramentis*, vt panis & vini ſubſtantia abeſſet, remanentibus tantùm ad horrorem vitandum, accidentibus; præterquam quòd aliâs accidentia primò reſpicerent ſubſtantiam panis & vini, quippe quæ illi inhærerent, ſecundariò verò tantùm Chriſti corpus & ſanguinem, quia non inhærerent illi, ideo decentius ac congruentius diceretur: Hic eſt panis, ſeu vinum ſub quo latet corpus meum, & ſanguis. quàm: Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus. alias congruentias affert Bellarminus *lib.3.de Euchariſtia,c.*22.& Suarez *diſput.*49.*ſect.*2.

2. Ex his liquidò conſtat errare Berengarium, qui antea conuictus de præſentia Chriſti in Euchariſtia nouam hanc hæreſim de impanatione finxit, aſſerens 1.
cum Chriſti corpore & ſanguine remanere totam panis & vini ſubſtantiam, ex Guitmundo *lib.*1.*&* 3. vt etiam poſtea ſomniauit VViclef. apud Caſtrum *v.Euchariſtia, hæreſi* 5. & VValdenſem *tom.* 2. *c.*65. & multi Lutherani; tunc enim, vt diximus, fuiſſet Chriſto dicendum: *Hic eſt corpus meum*, & non: *Hoc eſt corpus meum.* Quod ſi Theodoretus *dialog.* 2. dicit: *Signa myſtica poſt ſanctificationem non recedunt à ſua natura; manent enim in prima ſubſtantia & figura; & forma, & videri & tangi poſſunt, ſicut panis*; non loquitur de ſubſtantia panis & vini, quæ eſt in prima Categoria, ſed de eſſentia ſeu natura accidentium, quæ eadem manet, & ideo tangi & videri poſſunt. vt etiam cùm dialogo primo dixit, naturam ſignorum non mutari, ſed adiici gratiam. ob id de mutatione ſubſtantiali ſubdit: *Intelliguntur autem ea, quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ illa ſint, quæ creduntur.* Eodémque modo exponendus Gelaſius contra Eutychetem, cùm dicit: *Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti diuina res eſt, & tamen eſſe non deſinunt ſubſtantia, vel natura panis & vini.* cùm ibidem dicat mutari Spiritu ſancto perficiente in diuinam ſubſtantiam, ideóque ſicut duabus rebus conſtat Euchariſtia, corpore Chriſti, & ſacratis ſymbolis, ita in Incarnatione non confuſam eſſe diuinitatem cum humanitate. qua de re S. Leo *epiſtola* 10. Quamquam Gelaſius hîc, non eſt Gelaſius Papa, cùm ex Gennadio *lib. de ſcript. Eccl. c.*14. Gelaſius Papa contra Eutychetem, & Neſtorium non opuſculum, vt eſt qui citatur liber, ſed grande volumen ſcripſerit, & in quinque libros diuiſum ex eodem Gennadio, & libro de Romanis Pontificibus. ſed eſt Gelaſius alter, cuius meminit Photius *in Bibliotheca*, dum agit de actis Concilij Nicæni, vt ſentit Illuſtriſſimus Baronius *in annum* 497. Sunt qui putent eſſe Gelaſium Epiſcopum Cæſarienſem, vt Canus *lib.6.c.vltimo*, Sainctes *repet.*8.*c.*4. Bellarm.*lib.*2.*de Euchariſtia,c.*27. Suarez *diſp.*49.*ſect.*2. Sed facit difficultatem quòd Gelaſius Cæſarienſis ante horum hæreticorum tempora videatur diem obiiſſe, quippe cùm Eutychetis & Neſtorij tempore Gelaſio iam ſucceſſiſſet, tum Ioannes, qui cum ſancto Porphyrio Gazenſi legationem obiit ad Arcadium; tum Eulogius, qui interfuit Concilio Dioſpolitano, vt idem Baronius notat. Tandem eodem modo exponendum eſt quod incertus autor epiſtolæ ad Cæſarium Monachum (neque enim eſt Chryſoſtomi ex Turriano *lib.*1. *de Euch. c.*18. Sainctes *rep.* 8. *c.*4. & Bellarm. *lib.*2.*c.*22.) ait, poſt conſecrationem non vocari amplius panem, etiamſi

natura panis in ipſo permaneat. Loquitur enim de accidentibus, proprieta-
2. tibus, externáque ſpecie. Erraſſe pariter alios qui apud Guitmundum *lib.3.*ſen-
ſerunt eam partem panis & vini Euchariſtiæ, quæ ab impiis ſumenda eſt, non
conuerti in corpus & ſanguinem Chriſti, ſed eam ſolùm quæ ſumenda eſt à
piis. aduerſantur enim D. Paulo 1. *Cor.* 11. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium
ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* incertúmque ſemper eſſet, an
Euchariſtia eſſet conſecrata, & adoranda; vt idem Guitmundus argumentatur.
3. Erraſſe ſimiliter Durandum 4. *d.* 11. *q.*3. ſentientem eſſe probabile partem alte-
ram tantùm eſſentialem, formam ſcilicet, panis & vini conuerti in Chriſti cor-
pus & ſanguinem; alteram verò, nempe materiam non conuerti, ſed infor-
mari ab anima Chriſti, vti materia cibi per nutritionem fit ſub forma viuentis,
nam & eſt contra Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *c.*4. *& can.* 2. definiens fieri
mutationem totius ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, &
Conſtantienſe *ſeſſ.* 8. ſtatuens contra ſecundum errorem VVicleſi accidentia
manere ſine ſubiecto. Eſtque per ſe abſurdum corpus glorioſum Chriſti Do-
mini tot materias quotidie in ſeipſum conuertere; ciúſque moles & quantitas
iam eſſe immenſa, dicendáque eſſet hæc transformatio, & non tranſubſtantia-
tio. Compoſitúmque ex anima Chriſti & materia panis ac vini non eſſet illa
caro, quæ de Virgine nata eſt, & data ad mortem pro mundi vita, *Io.c.6. Matth.*
4. *c.*26. Erraſſe eos quoque, teſte D. Thoma 3.*p.q.*75.*art.*6. qui voluerunt remane-
re formam ſubſtantialem panis & vini. nam ſi manet ſine ſua materia, aut re-
manet ſeparata, & eſt fingere nouum & inauditum miraculum, ſubſtantialem
videlicet formam corpoream manere ſeparatam, præterquam quòd non tran-
ſubſtantiaretur tota ſubſtantia, vt docet Concilium Tridentinum: aut infor-
mat corpus Chriſti, & ſic panis non fiet corpus Chriſti, ſed, econtra, corpus
5. Chriſti fiet panis, & fiet vinum. Itémque erraſſe Lutherum, qui *lib.* 1. *de capt.
Babyl. cap. de Euchariſtia,* & apud Caſtrum *v. Euchariſtia hæreſis* 5. arbitratur ita ma-
nere panem, vt ipſe verus & triticeus panis de furno ſit corpus ipſum Chriſti,
quod Chriſtus dixerit de pane: *Hoc eſt corpus meum.* idémque de vino. Sed hæc
contra OEcolampadium Io. Roffenſis *lib.*5. *de Euch.c.*20. optimè confutauit. nam
apertè implicant; cùm non poſſit vna res eſſe alia, niſi ipſa mutetur. Eſſet enim
ipſa & non ipſa, ideóque panis fieri non poteſt Chriſti corpus, nec vinum ſan-
guis, niſi media tranſubſtantiatione. At dicimus: Hic homo eſt Deus. &, Hic
Deus eſt homo? Rectè quidem, quia in vtraque propoſitione tam ſubiectum
quàm prædicatum pro eodem ſuppoſito ſiue perſona ſupponit. In iſta verò pro-
poſitione: Hic panis eſt corpus Chriſti, pro diuerſis ſupponunt ſubiectum &
6. prædicatum. Errant denique, qui ſubſtantiam panis & vini manere quidem
putant, ſed ſine propria ſubſiſtentia, quòd hypoſtaticè vniatur verbo diuino,
ſiue immediatè, vt vult Rupertus Abbas Tuitienſis *lib.*6. *in Io. & lib.*2. *de off. c.*2.
& 9. Qui etiam *lib.* 2. *in Exod. c.*10. *in fine*, videtur velle manere integram panis
& vini ſubſtantiam; ſiue mediante corpore parte; id eſt, mediante corpore Chri-
ſti, vt corpus accipitur pro parte hominis, non vt accipitur pro toto homine,
ne cogatur dicere Deum eſſe panem. Sic ſentit Ioannes Pungenſaſinus, vt vo-
cat Sotus 4. *d.*9. *q.*2. *art.* 2. vel Pariſienſis, vt vocat VValdenſis *tom.*2. *c.*65. Bel-
larminus *lib.*3. *c.*11. & alij. Refutatur autem pluribus hæc hypoſtatica vnio ab
Algero *lib.* 1. *c.*6. & citatis, & meritò; tum quia hypoſtatica vnio inaudita eſt
apud Patres; præterquam in Incarnatione; éſtque per ſe abſurdiſſimum quo-
tidie toties fieri, & deſtrui hypoſtaticam vnionem Dei cum creatura, quo ni-

hil maius à Deo conceſſum eſt: non eſt igitur admittenda in huiuſmodi impanatione; tum quia non poſſent ſaluari definitiones Conciliorum, nempe in Euchariſtia tranſubſtantiari totam ſubſtantiam panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, & accidentia eſſe ſine ſubiecto: eſſet enim inſtar aſſumtæ Humanitatis, quæ permanet, & cuius accidentia non ſunt ſine ſubiecto: tum quia panis aſſumtus non eſſet caro Chriſti, cùm per aſſumtionem non mutetur ſpecies, neque enim corpus Chriſti dicitur anima eius ob vnionem cum ſuppoſito diuino, vt notauit etiam Bellarminus *lib.3. c.15*. At *Io. c.6.* dicitur, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt.* tum quia *Matth. 26.* dicitur, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur.* At corpus panaceum non fuit traditum pro nobis. Et quidem hæc militant non ſolùm contra Rupertum, ſed etiam contra Ioannem Pariſienſem Pungenſaſinum. Qui etiam in particulari ex eo confutatur, quòd cùm corpus Chriſti careat propria perſonalitate & ſubſiſtentia, non poterit eam pani & vino communicare.

3. Porrò an huiuſmodi deſitio ſubſtantiæ panis & vini dicenda ſit annihilatio nec ne, non tantùm Catholici contra Caluinum *lib. 4. Inſtit. c.17. §.14.* Petrum Martyrem *lib. contra Grandinerum*, Kemnitium, VVicleſum, & alios hæreticos, ſed etiam Catholici ipſi inter ſe certant. Affirmat enim Scotus 4. *d.11. quæſt.3. & 4.* Durand. *quæſt.3.* Gabriel 4. *d.11. quæſt.1. & in can. lect.40.41.* Maior 4. *d.11. q.1.* Ochan *quæſt.6. dub.7.* Albertus *d.10. art.6.* quòd nihilo eius remanente deſinat eſſe. Rectiùs S. Thomas 3. *p. quæſt.75. art.3.* Magiſter Sent. 4. *d.11.* Gulielmus Pariſienſis *lib. de ſacramentis*, Bonauentura, Capreolus, Paludanus *d. 11.* Sotus 4. *d.9. quæſt.2. art.4.* Alenſis 4. *p. quæſt.38. m.3.* Hugo de S. Victore *lib.2. de ſacram. p.8. c.9.* Innocentius III. *lib.4.* Ferrarienſis *lib.4. contra Gentes, c.63.* Suarez *diſp. 56. ſect.7.* Bellarminus *lib.3. de Euchariſtia, c.18.* Henriquez *lib.8. c.23.* Salmeron *tom.9. tract.16.* negant. tum quia mutatio ſumat rationem & denominationem à termino ad quem, qui eſt per ſe intentus, hîc autem ex intentione agentis tota mutatio ordinatur ad eſſe termini poſitiui, videlicet corporis Chriſti, non autem ad nihil; ob id licèt nihil remaneat termini à quo, non dicetur annihilatio. tum quia annihilatio fit per ſubtractionem influxus diuini, hæc autem deſitio ſubſtantiæ panis & vini fit per actionem poſitiuam, per quam corpus & ſanguis Chriſti ſuccedunt ſub ſpeciebus panis & vini, ideo non rectè dicetur annihilatio.

De Tranſubſtantiationis natura. Cap. XVI.

SVMMARIVM.

1. *Tranſubſtantiationis appellatio multiplex, meritóque ad enodandam difficultatem Tranſubſtantiationis nomen formatum, quicquid blaterent Nouatores.*
2. *Quot, & quæ ad Tranſubſtantiationis naturam requirantur.*
3. *Qui cenſendus ſit formalis terminus actionis tranſubſtantiantis.*
4. *Vbinam recipiatur actio Tranſubſtantiationis.*

1. SVpereſt vt ipſum Tranſitum ſeu actionem ipſam conuerſiuam explicemus; quam Patres aliquando vocant panis & vini in Chriſti corpus & ſanguinem conuerſionem, vel certè panem & vinum conuerti in corpus & ſanguinem

nem

nem Chriſti, vt Ambroſius *lib.4.de ſacram. c.4.* S. Euſebius Emiſſenus *Hom. 5. de Paſchate.* Damaſcenus *in vita duorum militum Chriſti*, Concilium Romanum ſub Gregorio VII. Florentinum *in decreto Eugenij*, & Tridentinum *ſeſſ. 13. c. 4.* Alias hæc tranſmutari, ſeu horum tranſmutationem, vt idem Ambroſius *lib. de myſter. initian. c.9.* Chryſoſtomus *Hom.83. in Matth.* Damaſcenus *lib.4. de fid. c.14.* Euthymius *in Panoplia parte 2. tit. 21.* Nonnumquam tranſitum prædictorum in Chriſti corpus & ſanguinem, ſeu hæc in illa tranſire, vt Remigius Rhemenſis *in 1. ad Corinth. 10.* vel tranſlationem & commutationem, vt Hyſichius *lib.6. c.22.* Aut transferi panem & vinum in ſacramentum carnis & ſanguinis Chriſti, vt Beda in illud, *Vidit Ioannes Ieſum venientem.* & *c.22. in Lucam,* Chriſtum ſubſtituere ſuæ carnis ſanguiniſque ſacramentum in panis & vini figura. Itémque panem & vinum tranſumi in Chriſti corpus & ſanguinem, vt Damaſcenus *loco cit. lib.4. de fid.* Aliquando Transformationem horum, ſeu hæc transformari, vt Theophylactus *in c.6. Io.* Aut Tranſelementationem, ſeu tranſelementari, vt idem Theophylactus *in c.14. Marci.* Propriiſſimè verò ad hæreticorum errores propulſandos ab Eccleſia appellata eſt in Concilio Lateran. ſub Innocentio III. *c.1. & 3.* Tranſubſtantiatio, vt definit Concilium Tridentinum *ſeſſ.13. c.4.* cogitur enim Eccleſia, teſte Athanaſio *in diſput. contra Arium*, ad nouas difficultates inſurgentes explicandas, prudenter noua vocabula formare, vt fecit in vocibus *Homouſij, Theotocos*, & ſimilium. Quare frendat quantum velit Caluinus *lib. 4. Inſtit. c.17.* & Lutherus *lib. de capt. Babyl.* vt ad explicandam mutationem formæ, eodem remanente ſubiecto Transformationis vocabulum, cæteráque ſimilia adinuenta ſunt ita, teſte etiam D. Thom. *3. p. quæſt. 75. art. 4. & 8.* & Catechiſmo Romano *c. de Euchariſtia*, ad ſignificandam mutationem totius ſubſtantiæ panis & vini in Chriſti corpus & ſanguinem ab Eccleſiæ primordiis ad hæc vſque tempora à fidelibus omnibus teſtatam nouum Tranſubſtantiationis nomen optimè formatum eſt.

Cùm igitur Tranſubſtantiatio ſit conuerſio totius ſubſtantiæ in aliam to- 2.
tam ſubſtantiam, neceſſe eſt primò vt ea ſit inter duas res, quarum altera habeat rationem termini à quo, & altera ad quem, vt rectè docet S. Thomas *3. p. q.75. art.3.4.8.* Scotus *4. d.11. q.3. art.2.* Sotus *4. d.9. q.2. art.4.* & alij Theologi, & patet; quia ab vna re fit tranſitus ad alteram, remanentibus tantùm accidentibus ſubſtantiæ conuerſæ. Secundò, vt vtraque ſit poſitiua; in hoc enim diſtinguitur tranſubſtantiatio à creatione & annihilatione, cæteriſque mutationibus, etiam naturalibus, quòd in illis alter tantùm terminus ſit poſitiuus, alter verò priuatiuus: in hac autem vterque eſt poſitiuus, cùm tota ſubſtantia in aliam totam vertatur, vt nomen ipſum Tranſubſtantiationis demonſtrat. Tertiò, vt terminus à quo, qui conuertitur, aliquo modo deſinat, alioquin nullo modo mutaretur vel tranſubſtantiaretur, vt etiam idem S. Thomas *art. 8. cit.* & Sotus cum cæteris docent: & econtra terminus ad quem aliquo modo incipiat ſeu ſuccedat in locum termini à quo, alioquin eſſet annihilatio & corruptio, & non conuerſio. nulláque eſſet ratio, cur terminus à quo, diceretur potius conuerti in terminum illum ad quem, quàm in aliam quamcumque rem. qua de re Scotus *loco citato*, & Bonauentura *4. d.10. art.1. q.1.* & colligitur ex doctrina D. Thomæ *3. p. quæſt.2. art.1.* dum probat nihil poſſe conuerti in naturam diuinam, quod ei repugnet eſſe terminum conuerſionis, cùm non poſſit ſubire aliquam mutationem. Quartò debet eſſe dependentia ſeu connexio inter deſitionem vnius, & ſucceſſionem alterius; alioquin conuerſio non eſſet vnica actio,

réſque,

réſque quæ conuerterentur non haberent rationem termini à quo,& ad quem; ſed eſſent duæ actiones diſparatæ per accidens ſe comitantes, quarum vna diceretur annihilatio, altera creatio; videndus S. Thomas 3.*p.quæſt.*75.*art.*8. Sotus 4.*d.*9.*quæſt.*2.*art.*4. Bellarm. *lib.*3 *de Euchariſtia c.*18. Suarez *diſp.*5 *ſect.*2. vnde fit vt eadem conſecratione excludatur panis ſubſtantia, & ſub iiſdem ſpeciebus conſtituatur Chriſti corpus. Quintò denique actio ipſa ſeu nouus agentis influxus. quia cum conuerſio ſit nouus effectus poſitiuus, requiritur poſitiuus influxus agentis;nequit enim intelligi conuerſio poſitiua terminorum panis in corpus Chriſti ſine conuerſione actiua; & hæc ſine noua reali actione ſupernaturali, qua corpus Chriſti media prolatione verborum formæ conſecrationis tamquam inſtrumento ſub ſpeciebus panis conſtituatur. cùm ad nouum effectum neceſſaria ſit noua actio, ſeu influxus cauſæ agentis. Quare rectè D. Ambroſius *lib. de myſt. initiandis, c.* 9. *Quòd ſi* (ait) *tantum valuit humana* (Moyſis, Heliæ, Eliſæi) *benedictio vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipſa conſecratione diuina, vbi verba ipſa Domini Saluatoris operantur?* & Auguſtinus *can.vtrum,de conſecr. d.*2. *Voluit Dominus hunc panem & vinum in myſterio vere carnem ſuam & ſanguinem conſecratione Spiritus ſancti potentialiter creari.* & infra: *Corpus Chriſti & ſanguis virtute Spiritus ſancti in virtute ipſius, ex panis & vini ſubſtantia efficitur.* & in fine: *Credendum eſt quòd in verbis Chriſti ſacramenta conficiantur, cuius enim potentia creantur prius, eius vtique verbo ad melius procreantur.* Cyrillus *catech.*4. *myſtag. Et non erit dignus* (Chriſtus ſcilicet) *cui credamus, quòd vinum in ſanguinem tranſmutauit?* Cyprianus *ſerm. de cœna Domini. Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro.* Euſebius etiam Emiſſ. *can. quia corpus, de conſecr.d.*2. *Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſecreta poteſtate conuertit.* Eſt tamen fidelibus credendum etiam Patrem & Spiritum ſanctum ad Tranſubſtantiationem concurrere, vt poſt cæteros aduertit etiam Cardinalis Beſſarion *lib.de ſacram. Euchariſtia*, eò quòd omnia opera in creaturis toti Trinitati communia ſint, nihilque fiat omnino niſi creante filio,beneplacito Patris,& Spiritus ſancti voluntate.

3. Grauis tamen difficultas eſt inter Scholaſticos Theologos in aſſignando termino formali huius actionis tranſubſtantiantis. etenim apud Sotum 4. *d.*9.*q.*2. *art.*4. Suarez *diſp.*50.*ſect.*5. & Henriquez *lib.*8.*c.*23. *num.* 7. aliqui, inter quos videtur etiam Maior 4.*d.*11.*quæſt.*1.dicunt eſſe ipſam ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti; non quòd de facto hæc actio producat corpus Chriſti, ſed quia in habitu, eſt de ſe ſufficiens illud producere; ideo niſi iam actu eſſet, influeret in illud eſſe ſubſtantiale. Sed illud huic opinioni obſtat, quòd aliud eſt virtus, aliud actio ex ea procedens, cùm illa ſit actus primus, hæc ſecundus. Sicut aliud eſt calor potens exſiccare, aliud exſiccatio ipſa. vnde poteſt calor non exſiccare actu. Exſiccatio autem eſſe non poteſt niſi actu producatur ſiccitas. Ideo non quærimus quam poteſtatem habeant conſecrationis verba, ſed quis ſit terminus formalis actionis tranſubſtantiantis; ſeu quid actu verba influant. Si enim ipſa actio eſt actu, & non tantùm potentia, neceſſe eſt vt actu aliquid influat in terminum, cùm eſſentia actionis conſiſtat in influxu. Gabriel 4.*d.*11.*quæſt.*1 *art.*3.*dub.*2.quem ſequitur Suarez *diſp.*50.*ſect.*5.&c,vt videtur,etiam Sotus 4.*d.*9.*quæſt.*2.*art.*4. exiſtimant formalem terminum eſſe ipſam ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, prout nouo titulo conſecrationis, conſeruatur. quòd reuera conſecrationis verba de facto influant in corpus Chriſti ipſum eſſe ſubſtantiale per modum conſeruationis, cùm idem iam aliunde exiſtat, etſi

ex ſe eſſent ſufficientia producere, niſi iam exiſteret. ideo ſolùm nouo titulo conſeruant: verùm neque ſententia hæc ſua caret difficultate, vt idem Suarez vidit. tum quia actio de ſe productiua ponit ſuum terminum, etiamſi alibi non præexiſtat. At conſecratio, vt patet ex forma: *Hoc eſt corpus meum*, neceſſariò ſupponit alibi præexiſtentiam corporis Chriſti. tum quia conſecratio talem ſub ſpeciebus conſtituit Chriſtum, qualis eſt in propria ſpecie, vt viuum ſi alibi viuit, exanimem, ſi mortuus ſit, vt ſi in triduo mortis facta fuiſſet conſecratio: at ſi de ſe eſſet productiua ipſius eſſe ſubſtantialis Chriſti deberet ſemper influere eſſe perfectum, & exhibere viuum. Alanus *lib.*1.*c.*34.35. & Henriquez *lib.*8.*c.*22.23. dicunt terminum formalem huius actionis eſſe vnionem corporis Chriſti ad ſpecies ſacramentales, qua Chriſtus ſupplet vicem ſubſtantiæ panis & vini ſecluſa inhærentia, tripliciter; nempe conſeruando quantitatem & accidentia panis, non ſecus ac ſi eſſent ſibi connaturalia, vti erant panis; reficiendo per eaſdem ſacramentales ſpecies ſibi coniunctas corpus, & ſi piè ſumatur animam communicantis; & denique tamdiu ibi manendo ſubſtantialiter præſens quamdiu ſub iiſdem conſeruaretur ſubſtantia panis ſeu vini, ſi adeſſet. Sed his obiici etiam poteſt, tum quia cùm excludatur inhærentia, ſeu vnio materialis, vt neceſſariò faciendum eſt, vt dicemus infrà, & fatentur autores citati, erit vnio tantùm effectiua: at hæc actio & influentia corporis Chriſti circa ſpecies ibi iam ſupponit Chriſtum, & conſequenter iam factam tranſubſtantiationem, poſtquam immediatè pòſt inchoetur hic influxus: non poteſt igitur eſſe ipſe formalis terminus tranſubſtantiationis. tum quia vnio effectiua ſecundùm citatos autores eſt in corpore Chriſti, at actio tranſubſtantiatiua & terminus eius immediatè fiunt virtute verborum formæ; ergo illa vnio non eſt terminus tranſubſtantiationis. Communior igitur ſententia S. Thomæ 3.*p.q.*78. *art.*4. Scoti 4. *d.*10. *q.*1. *& d.*11.*q.*3.*& in quodlib.q.*10. Alenſis *q.*34.*m.*3.*art.*1. *&* 2. Bonauenturæ 4.*d.*10. *art.*2. *quæſt.*1. Marſilij *q.*8.*art.*2. *concl.*7. *&* 8. Palud. 4. *d.*11. *quæſt.*3.*art.*3.*num.*24. Gabrielis *in can.lect.*40. Ledeſmæ *quæſt.*16.*art.*3.*ad* 9. *& art.*4. *dub.* 3. Sainctes *rep.*7. *c.*6. Gulielmi Pariſienſis *tract. de Euchariſtia*, §.1. Bellarmini *lib.* 2. *de Euchariſtia, c.*18. & cenſetur probabilis à Suarez, tenet non eſſe neceſſe petere ſubſtantialitatem conuerſionis ab eſſentia termini formalis producti, ſed à ſubſtantialitate termini à quo, & à ſubſtantialitate termini ad quem, adæquati ſuccedentis, in quo immediatè formalis terminus continetur. nam à quo habet conuerſio vt ſit conuerſio, habere etiam debet vt ſit ſubſtantialis conuerſio; ſed à termino à quo conuerſo, & termino ad quem, qui ei ſuccedit, habet conuerſio, vt ſit conuerſio; ergo à termino à quo ſubſtantiali conuerſo, & termino ad quem ſubſtantiali in quem terminatur conuerſio per incompoſſibilitatem inter ſubſtantias ſe deſtruentes, habebit conuerſio, vt ſit ſubſtantialis conuerſio. Quare in caſu noſtro vt ſit conuerſio ſubſtantialis, ſatis erit ſi corpus Chriſti incipiat eſſe præſens ſub ſpeciebus, cùm antea non adeſſet, quamuis corpus Chriſti non incipiat eſſe ſimpliciter, cùm iam præexiſtat. Datur enim non tantùm conuerſio productiua rei ſimpliciter, ſed etiam adductiua. Non quidem quòd per motum localem de cœlo deducatur Chriſti corpus per conſecrationem, ſed ſolùm quòd fiat præſens ſub ſpeciebus ſacramentalibus, non relicto cœlo. Neque tamen inferas, cùm corpus Chriſti non producatur, ſed ſolùm per conſecrationem fiat præſens, hanc mutationem non eſſe ſubſtantialem, ſed tantùm accidentalem. Eſt enim actio hæc ſubſtantialis, cùm ſubſtantia tranſeat in ſubſtantiam, licèt non de nouo productam, ſed ad-

ductam; tranſit enim panis in corpus Chriſti, quod præexiſtebat; & non in præſentiam illius, cùm relationes non fiant, ſed conſequantur.

4. Denique quærenti vbinam recipiatur hæc actio? Dico cum Soto 4.*d*.10.*q*.1. Paludano *q*.3.*num*.14.15. Capreolo *q*.3.*ad* 4. *&* 5. Gabriele *in can.lect*.40. Ochan 4.*q*.6. *& quodlib*.6.*q*.4. Bellarmino *lib*. 3. *de Euchariſtia*,*c*.18. Suarez *diſp*.50.*ſect*.3. *&* 5. partim in pane eſſe, partim in corpore Chriſti. Si enim loquamur de mutatione deperditiua hæc fit in pane; vt eſt enim conuerſio, in pane recipitur, cùm hic ſit, qui conuertitur, & ſubſtantialiter mutatur; vt verò eadem actio conſideratur vt adductiua corporis Chriſti, in ipſo recipitur; cùm ex vi huius actionis acquiſiuerit nouam præſentiam ſub his ſpeciebus quam antea non habebat. quòd ſi S. Thomas, 3.*p*.*q*.75.*art*.4.*ad* 1.*&* 4.*d*.11.*quæſt*.1.*art*.3.*quæſtiuncula* 1. Rich. 4.*d*.11.*art*.1.*q*.5. *&* 6. Sotus *d*.9.*q*.2.*art*.4. dicunt non fieri mutationem in corpore Chriſti, intelligendum eſt de mutatione deperditiua, cùm Chriſtus non amittat aliquid quod habeat in cælo, aut de mutatione phyſica & propriè dicta, quæ fit eodem remanente ſubiecto, vel mutatione locali, quæ fit deſerendo priorem locum, & quæ fit per ſe. hæc enim acquiſitio præſentiæ fit ſine amiſſione prioris loci, & conſequenter ſeu concomitanter ad tranſubſtantiationem; ſicut acquiſitio loci, cùm de nouo creatur res, quæ aliquem locum acquirit; licèt non per motum localem, ſed tantùm concomitanter ad creationem eius. quare idem S. Thomas 3.*p*.*q*.2.*art*.1. probat nihil poſſe in Deum conuerti, quòd non ſit Deus capax mutationis. Ideo cùm corpus Chriſti ſit terminus mutationis conuerſiuæ, neceſſe eſt ex eius doctrina, vt mutetur modo prædicto, & aliter ſe habeat pòſt, ac ſe haberet priùs.

De modo quo Chriſtus eſt in ſacramento Euchariſtiæ.
CAP. XVII.

SVMMARIVM.

1. *Poſſe aliquid in Euchariſtiæ ſacramento contineri, aut ex vi ſacramenti, aut ex naturali concomitantia; & quid vtrumque ſit.*
2. *Totum Chriſtum ſub ſpecie panis, & totum ſub ſpecie vini contineri; etſi quod exprimitur in verborum forma contineatur ex vi ſacramenti, cætera ex naturali concomitantia.*
3. *Vtrùm nomine corporis Chriſti, quod ex vi verborum ſub ſpecie panis continetur, comprehendantur etiam partiales formæ carnis, oſſis, neruorum, &c.*
4. *Num etiam perſona Patris, & perſona Spiritus ſancti adſint quoque per concomitantiam.*
5. *An etiam ſub qualibet parte earumdem ſpecierum idem Chriſtus totus contineatur.*
6. *Sitne in Euchariſtia Chriſti corpus propria præditum quantitate vt eſt in cælo.*
7. *Num Chriſtus ſit ſub ſpeciebus ſacramentalibus, localiter.*
8. *An Chriſti corpus prout eſt in hoc ſacramento ſit capax alicuius mutationis.*

1. TAndem differendum eſt de modo, quo Chriſtus continetur in Euchariſtia. Principio igitur dupliciter intelligi poteſt aliquid hîc contineri, ex Magiſtro Sent. 4.*d*.10. Scoto *d*.11.*art*.2.*q*.3. Bonau. *ibid*.*art*.1.*q*.4. Marſilio *q*.8.*art*.2.

Alenſi 4.*p.quæſt.*38.*m.*5. Ledeſma 2.4.*quæſt.*17.Gabriele *in can.lect.*43. Soto 4.*d.*10. *quæſt.*1. *art.*1. S.Thoma 3.*p.quæſt.*76.*art.*1.Ferrarienſi *lib.*4.*contra Gentes,c.*64. Ruardo Tappero *art.*13. Sainctes *repet.*10.*c.*3. Bellarmino *lib.*4. *de Euchariſtia,c.*21. Suarez *tom.*3. *diſp.* 51. *sect.*3. Primò ex vi verborum ſacramentalium, ſeu ex vi ſacramenti, quomodo dicitur contineri id cuius præſentia neceſſaria eſt ad veritatem verborum, ſeu quod exprimitur in forma ſacramenti,eſtque terminus proximus conſecrationis, qui licèt ſeiungeretur à cæteris aliis, ipſe tamen illic exiſteret. Secundò per naturalem concomitantiam, quòd ſcilicet formaliter non ſignificatur per verba, nec directè fit ex vi ſignificationis verborum; adeſt tamen quia habet realem vnionem ſeruato ordine naturali cum eo in quod prædicta conuerſio terminatur. vnde ridendus Caluinus, qui *lib.*4. *Inſtit.c.*17. §. 18. & 35. cum Petro Martyre *lib. de cœna Domini*, & aliis Nouatoribus, hanc diuiſionem irridet; cùm non ſolùm omnium Scholaſticorum ſit, ſed etiam ſacri Concilij Trid. *ſeſſ.*13.*c.*3. ſed non mirum, cùm ſequutus Neſtorium & alios, de quibus Caietanus 3.*p.quæſt.*80.*art.*12. & Petrus Comeſtor *cap.*151.non credat in Euchariſtia verè contineri Chriſtum, ſed ſolùm in ſigno. Porrò rectè notauit Sainctes *loco citato*, aliquid vnitum eſſe alteri per concomitantiam, non eſſe, vt hæretici putant, vnitum eſſe per accidens. nam perſona incarnata Verbi non vnitur per accidens corpori Chriſti cum ſubſiſtentia, quæ naturam aliquam ſuſtentat, non habeat illam accidentalitèr, ſed ſubſtantialiter; nec viciſſim natura aſſumta ei accidentaliter vniatur. perſona enim ſeu ſubſiſtentia ſubſtantialiter à natura, quam ſuſtentat, nominatur. Subſtantialiter enim filius Dei eſt homo, eſt corporeus, eſt animatus. Similiter corpus humanum non habet accidentaliter annexum ſanguinem, vel animam, cùm concurrat ad conſtituendam vnam perfectam ſubſtantiam. vnde poſito, v.g. corpore Chriſti, dici non poteſt perſonam diuinam, aut animam vel ſanguinem per accidens etiam adeſſe.

Certum igitur eſt, neceſſarióque credendum, totum Chriſtum ſub ſpecie panis, totúmque ſub ſpecie vini, contineri. Cúmque in Chriſto triplex totalitas conſiderari poſſit. Prima duarum naturarum, & ſuppoſiti, ex D. Auguſtino *lib.*3.*contra Maximum,c.*10. Damaſceno *lib.*3.*de fide,c.*3.& D.Thoma 3.*p.q.*17.*art.*1. ſecunda naturæ humanæ,id eſt,materiæ & formæ.tertia partium integrantium: cùm dicimus totum Chriſtum ſub ſingulis ſpeciebus contineri, intelligimus ſecundùm triplicem totalitatem prædictam. Quod tamen in forma conſecrationis exprimitur, ex vi ſacramenti continetur, cætera autem ex naturali con- 2.
1. comitantia. patet tum *ex Ioan.c.*6.*Ego ſum panis* (propter corpus) *viuus* (propter animam) *qui de cœlo deſcendi* (propter diuinitatem.) qua de re Ambroſius *can.ſicut. de conſecr.*2.*Et qui manducat me,viuet propter me.* at Dominus non manducatur niſi ſub ſpecie panis: totus igitur Chriſtus ſub panis ſpecie continetur. Si enim
2. manducaretur ſolùm eius corpus,non dixiſſet Chriſtus,*qui manducat me.* tum ex Concilio Epheſino *c.*11. vbi damnatur Neſtorij error aſſerentis carnem ſeorſim puram ſumi,& ſeorſim ſanguinem,& vtrumque diuinitate vacuum.Conc.Conſtantienſi *ſeſſ.*13.Baſilienſi *ſeſſ.*30.vbi dicitur id firmiſſimè & ſine dubitatione eſſe credendum. Florentino *in decreto Eugenij*, & Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.*3. vbi dicitur: *Semper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem, verum Domini noſtri corpus, verúmque eius ſanguinem ſub panis & vini ſpecie vnà cum ipſius anima,& diuinitate exiſtere. Sed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini ex vi verborum; ipſum autem corpus ſub ſpecie vini,& ſanguinem ſub ſpecie panis, animámque ſub vtraque*

vi

vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini,qui iam ex mor-
tuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur: diuinitatem porrò propter admi-
*rabilem illam cum corpore & anima hypoſtaticam vnionem.*idem repetit *can.*1.*& ſeſſ.*21.
*c.*3.*& can.*3. tum ex Patribus,qui Chriſtum totum viuentem,& non exanimem, 3.
aut mutilum,in ſacramento Euchariſtiæ eſſe dixerunt,Cyprianus *ſer.de cœna. Pa-*
nis, inquit , *iſte communis in carnem & ſanguinem mutatus , procurat vitam & incremen-*
tum. & paulo pòſt : *Dixerat ſanè huius traditionis Magiſter , quòd niſi manducaremus,*
& biberemus eius ſanguinem, non haberemus vitam in nobis, &c. Suppon itigitur cùm ſan-
guine adeſſe corpus quod manducetur. ibidémque dicit panem manducari & bibi.
Eutychius vetus & grauis autor apud Nicætam Choniatem *lib.*3. *annal. Totum,*
inquit ,*ſacroſanctum corpus & pretioſum ſanguinem accipit homo , ſi horum partem ali-*
quam acceperit ; diſtribuitur enim impartibiliter inter omnes , &c. quod etiam illuſtrat
exemplo ſigilli, quod totam imaginem ſingulis ceris imprimit,& non dimidia-
tam; itémque vocis,quæ tota & integra ab audientibus ſingulis percipitur. Hi-
larius Papa *can. vbi pars eſt.de conſecr.d.*2. *Vbi pars eſt corporis , eſt etiam totum. Eadem*
ratio eſt in corpore Domini,quæ in Manna,quod in eius figura praceſſit, de quo dicitur : Qui
plus collegerat non habuit amplius ; nec qui minus parauerat , habuit minus.
non enim eſt quantitas viſibilis in hoc æſtimanda myſterio , ſed virtus ſacramenti ſpiritualis.
Ambroſius *can. ſicut.de conſecr.d.*2. Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendit.
ſed caro non deſcendit de cœlo, quomodo ergo deſcendit de cœlo panis viuus ? quia idem Do-
minus Ieſus conſors eſt diuinitatis & corporis , & tu qui accipis carnem diuinæ eius ſubſtan-
tiæ in illo participas alimento. Hieronymus,ſeu, vt Guitmundus & alij volunt, Am-
broſius,aut Auguſtinus,vt dicit S.Th. 3.*p.q.*76.*art.*2. *can. ſinguli.de conſecr.d.*2. *Sin-*
guli autem totum accipiunt Chriſtum Dominum , & in ſingulis portionibus totus eſt , nec per
ſingulos minuitur , ſed integrum ſe ſingulis præbet. Auguſtinus *ſer. de verbis Domini.* Qui
manducat me viuet propter me; *non ergo fratres timeamus manducare panem iſtum, ne*
finiamus illum , & poſtea quod manducemus non inueniamus ; manducatur Chriſtus , viuit
manducatus, quia reſurrexit occiſus; nec quando manducamus partes de illo facimus. Euſe-
bius Emiſſenus *Hom.*5. *de Paſchate. De hoc vero pane cùm aſſumitur nihil minus habent*
ſinguli , quàm vniuerſi , totum vnus , totum duo , totum plures , ſine diminutione accipiunt.
quia benedictio huius ſacramenti ſcit diſtribui, nec ſcit diſtributione conſumi. Cyrillus quo-
que *lib.*4.*in Io.c.*18. *& lib.*11. *c.*23. ſcribit nos in Euchariſtia Dei filium ſuſcipere.
S. Samonas Epiſcopus Gazenſis. *Quin etiam* , inquit , *panis conſecratus per ſacerdo-* [*Infrà §.5. & c.24 §.1.*]
tem in verum Chriſti corpus transformatus, potentia diuina per acceſſum Spiritus ſancti,licèt
diuidatur, tamen integrum & ſaluum in vnoquoque fruſto habetur ; vt etiam oratio eius,
qui loquitur omnibus,qui audiunt integra & non diuiſa auditur. Innocentius IV. *in Ap-*
paratu ſuper decretales : Nota , inquit , *quòd licèt tamùm panis tranſubſtantietur in cor-*
pus , & vinum in ſanguinem ; tamen ſub vtraque ſpecie Chriſtus integer eſt. non enim eſt
corpus ſine ſanguine , nec ſanguis ſine corpore & anima. Citatur denique à Petro Gala-
tino *lib.*10.*c.*6.Io. Garetio & aliis teſtimonium Rabbi Cahana , qui ante natum
Chriſtum vixit , qui ſcribens in illud Iacob *Geneſis c.*49. *Lauabit in vino veſtem*
ſuam, ait: *In ſacrificio quod fiet ex pane, non obſtante quòd album ſit velut lac , conuertetur*
ſubſtantia in ſubſtantiam corporis Meſſiæ,eritque in ipſo ſacrificio ſubſtantia ſanguinis Meſ-
ſiæ rubra vt vinum. Erunt item in ſacrificio vini ſanguis & caro Meſſiæ, & eadem erunt
in pane; quoniam corpus Meſſiæ non poteſt diuidi. tum ex communi ſententia Schola- 4.
ſticorum omnium 4.*d.*10. *vel* 11. S.Thomæ & expoſitorum eius 3.*p.q.*76.*art.*1.
& 2. Caietani *q.*80.*art.*12. & eorum, qui contra hæreſes ſcripſerunt , in materia
de Euchariſtia vt Algeri *lib.*2. *c.*8. Stephani Heduenſis *c.*17. Thomæ VValdenſis

5. *tom.2. c.93*. Lirani *in c.26. Math.* & reliquorum. tum ex miraculis ſuprà *c.14*. al-
latis, quibus in fractione hoſtiæ diuinitus ſanguis effluxit, ad demonſtrandum
6. etiam ſub ſpecie panis ſanguinem cum corpore reperiri. tum denique ratione
quam inſinuant Concilium Epheſinum & Tridentinum *locis citatis*, quia ſcilicet
in hoc ſacramento adeſt Chriſti corpus, vt eſt in re: at corpus Chriſti re ipſa
non eſt exangue, nec ſine reliquis humoribus, nec mortuum, nec à diuinitate
ſeiunctum, ſed viuum, ſanguine, cæteríſque humoribus, & partibus integranti-
bus, diuinóque verbo vnitum, cùm vbicumque ſit, non aliam habeat ſubſiſten-
tiam, quàm verbi; qua de re, Cyrillus *lib.9. in Io.c.47.* Athanaſius *lib. de Incarnatio-
ne, & orat.3. & 5. contra Arrianos.* S. Leo *ſer.8. de natiuitate Domini.* Quare etiam na-
turali ordine per connexionem ſeu concomitantiam cum Chriſti corpore quod
ex vi ſacramenti ſub ſpeciebus panis, erit etiam ſanguis, cæteríque humores,
partes integrantes, anima atque diuinitas. Similiter ſub ſpecie vini non tan-
tùm ſanguis, qui adeſt ex vi ſacramenti, ſed erit etiam per concomitantiam cor-
pus Chriſti, in cuius venis eſt, reliquíque humores anima, atque diuinitas. vi-
dendus Cæſarius Gregorij Nazianzeni frater *dialogo 3*.

Verùm enimuero difficultas eſt an nomine corporis Chriſti, quod dicimus 3.
ex vi verborum hîc contineri, quódque certum eſt ex Concilio Tridentino ſo-
lùm per concomitantiam, & non ex vi verborum includere etiam animam, ali-
ter enim in triduo mortis non potuiſſet verificari conſecrationis forma, intelli-
gatur tantùm materia prima, quæ in nocte inſtitutionis integrabat corpus Chri-
ſti; an verò cum ea intelligendæ ſint etiam partiales formæ carnis, oſſis, ner-
uorum, ac cartilaginum; neque enim caro eſt eiuſdem ſpeciei cum oſſe, aut
neruo, &c. Equidem exiſtimo cum Aſtenſi *lib.4. tit.11*. Iacobo Parem de Valen-
tia *in Pſal.21. verſu 27*. & aliis non intelligi tantùm materiam primam, quicquid
ſenſerit Gabriel *lect.41. in can. & 4. d.11. q.1. art.1.* cum aliis, cùm hæc non ſit
humanum corpus, de quo Chriſtus loquitur, ſed includendas etiam prædictas
partiales formas, quæ in viuente à nulla alia forma totali (quicquid putarit Sco-
tus *4.d.11.q.3.art.2.*) vniuntur, quàm ab anima, ea verò recedente, remanent
abſque totali forma vniente. Vnde corpus Chriſti in triduo fuit cum formis
partialibus, nulláque cadaueris forma (quicquid velit Ferrarienſis *lib.4. contra
Gentes c.64*) opus fuit, cùm adeſſent prædictæ partiales. Ex vi igitur verborum
conſecrationis panis conuertitur in corpus Chriſti, ideſt, in materiam cum
huiuſmodi partialibus formis, cum quibus eſt pars compoſiti reſultantis ex his
partibus organicis, & anima rationali, tamquam forma totali, qua dictæ par-
tiales formæ partium vniuntur. Quod ex doctrina etiam Ariſtotelis *lib.2. de
anima, text.6.* conſtat, definientis animam actum corporis organici, potentia
vitam habentis. vnde anima ſupponit corpus, organizatum ab his inferioribus
partialibus formis, cùm determinatio à forma ſit, non à materia. qua de re dum
ageremus de mixtione in libris de generatione aliàs diſſeruimus. Cùm igitur
corpus humanum ſit organicum, & ad hoc neceſſariæ ſint partiales formæ quæ
huiuſmodi partium diuerſitatem conſtituunt, has eaſdem partiales formas in-
trinſecè humanum corpus requirit; & ob id etiam verborum vi corpus, de
quo Chriſtus Dominus dixit: *Accipite & manducate. Hoc eſt corpus meum.* Idém-
que patet ex forma conſecrationis calicis, cùm nemo dicat per ſanguinem in-
telligi ſolùm materiam primam, ſed materiam cum forma ſanguinis. quare ſi-
militer in forma conſecrationis corporis, vt meritò dixerit S. Ambroſius *lib.4.*
de

*de ſacram. c.*4. panem conuerti in carnem Chriſti, quaſi ex vna, etiam cæteras partiales formas innuens.

4. Sed cùm ex hactenus dictis conſtet, cum Chriſti corpore & ſanguine adeſſe etiam per concomitantiam animam, cùm eius corpus ſit viuum; reſurgens enim ex mortuis iam non moritur, *ad Rom.*6. Itémque diuinitatem, ex Ambroſio *can. ſicut. de conſecr. d.*2. & citatis Concilio Epheſino, & Tridentino *ſeſſ.*13. *c.*3. cùm Chriſtus ſit homo Deus; quamuis aliqui ſcrupuloſiùs renuant huiuſmodi præſentiam diuinitatis appellare per concomitantiam, cùm tamen ita loquatur *Henriquez lib. 8.c.26.* S. Thomas 3.*p.q.*76.*art.*1. Caietanus *q.*80.*art.*12.*q.*2. Sotus 4.*d.*10.*q.*1.*art.*1. Toletus *lib.*2. *Inſtit.c.*27. Suarez *diſp.*51.*ſect.*6. *&* alij Theologi: perſonam Verbi, cùm Chriſti corpus vbicumque ſit, non aliam habeat ſubſiſtentiam, quàm diuinam Verbi, de quo *Io. c.*1. dicitur, *Et Verbum caro factum eſt*, quódque ſemel aſſumſit ad ſuam hypoſtaticam vnionem numquam dimiſerit. Supereſt difficultas de aliis perſonis diuinis Patris, & Spiritus ſancti, num etiam per concomitantiam adſint. Negat Hugo Cardinalis *in ſpeculo, §.poſt hæc igitur incipit ſexta pars.* & videtur fauere S. Thomas 3.*p. q.*79.*art.*7. *ad* 3. dicens, in Euchariſtia non eſſe niſi totum Chriſtum, & Concilium Trid. *ſeſſ.*13.*c.*3. vbi explicans, quænam reperiantur in Euchariſtiæ ſacramento, tam ex vi ſacramenti quàm concomitantiæ, non meminit perſonæ Patris, aut Spiritus ſancti. Affirmat verò Gabriel *in can. lect.*42. Iacobus Parem *in Pſal.*21.*&* 110. Viguerius *c.*16.§.3. *verſu* 4. Lanſpergius *tr. de Euchariſtia.* Toletus *lib.*2. *Inſt.c.*16. Benedictus Iuſtinianus noſter omni diſciplinarum genere ornatiſſimus, quem ſub prælo hæc ſubiecturi tandem prodiiſſe magna noſtra voluptate conſpeximus, *in c.*8. *ep. ad Rom.n.*11. Ludouic. de Puente *tom.*2.*p.*6.*medit.*40.*p.*1.& Penna, qui etiam, Henriquez teſte *lib.*8.*c.*26. ambos Sotos hac de re conſuluit, idem ſentientes. ſed ſanè poſſunt conciliari, ſacramentaliter enim non adſunt, nec vi verborũ, cùm verba non habeant vim vllam, vt perſonam Patris, & perſonam Spiritus ſancti hîc cõſtituant, vt patet, ſpeciéſque ſacramẽtales non ſint ſignum perſonæ Patris, & perſonæ Spiritus ſancti, vel eas ſignificent, nec per eum concomitantiæ modum, quo diximus adeſſe verbum & diuinitatem, nempe ex D.Thoma 3.*p. q.*76. *art.*1. quia realiter vniuntur corpori Chriſti. etenim vt obſeruat etiam Suarez *diſp.*51. *in fine*, verbum adeſt, tamquam ſuppoſitum humanitatis, diuinitas autem mediatè quidem ſecundùm rationem, ſed ſecundùm rem immediatè, cùm ſit idem cum Verbo, & in illo verè vnita humanitati: at verò perſona Patris & perſona Spiritus ſancti, cùm diſtinguantur realiter à perſona filij, vniuntur tantùm mediatè, etiam ſecundùm rem corpori Chriſti, ſcilicet vt ſunt idem cum diuinitate. idcóque ſolus Chriſtus ſacramentaliter ſub his ſpeciebus continetur, non autem perſona Patris & perſona Spiritus ſancti; cùm non ſint hypoſtaticè vniti humanitati. vnde fit, vt non poſſit dici Pater aut Spiritus ſanctus in Euchariſtia offerri, vel manducari, aut eis reliqua idiomata ſacramenti communicari; ſed tantùm Chriſto, qui offertur & manducatur. Etſi enim totæ tres perſonæ eamdem diuinitatem participent, & quod vni perſonæ conuenit, ratione diuinitatis omnibus æquè conueniat, non tamen quod vni perſonæ conuenit, ratione perſonæ aliis conuenit, propter realem perſonarum diſtinctionem. Quia tamen tota ſanctiſſima Trinitas, quæ vbique adeſt per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſpecialitérque in iuſti anima per gratiam, vt colligit S.Thomas *p.p.q.*43 *art.*5. ex illo *Io. c.*14. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, & docet D. Auguſtinus *tr.*48. *in Io.* adeſt ſpecialiſſimè in anima & humanitate Chriſti ob vnionem cum Verbo,

Verbo, vt etiam illis verbis docet Auguſtinus *ſer.3.de tempore.Suſcepit filius carnem in proprietate, ſed tamen Pater & Spiritus ſanctus non defuit Maieſtate; in diuinitate æqualitas, in carne ſola filij proprietas, non tamen ab eo Patris aut Spiritus ſancti receſſit aliquando diuinitas. cùm ergo vna ſit deitas, vna ſit diuinitas, impleuit quidem carnem Chriſti, & Pater, & Spiritus ſanctus, ſed Maieſtate, non ſuſceptione. vis ſcire quia cum eo fuit & Pater: Non ſum,* inquit, Dominus Ieſus Chriſtus, *ſolus, ſed Pater mecum eſt. Audi de Spiritu ſancto quia cum eo erat, Euangeliſta refert quia Ieſus plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane. ecce ſic ſolus Ieſus Chriſtus ſuſcepit carnem, & tamen Pater & Spiritus ſanctus non defuit Maieſtate.* Idémque conſtat ex Cyrillo Alex. *lib.9. in Io. c.47.* in illud *Io.14. Quia ego in Patre, &c.* ait enim: *Habet in ſe Patrem, & ipſe rurſus in Patre eſt character & fulgor ſubſtantiæ eius. Nos autem etiam in ſeipſo habet, quoniam naturam noſtram aſſumſit & corpus noſtrum corpus Verbi factum eſt, propterea diuinæ naturæ facti participes ſumus, & iam filij nominamur, ipſum Patrem in nobis per filium habentes.* vt etiam ex Tertulliano *lib.contra Praxeam.c.29.30.* quos citat Suarez *1.tom.q.3. diſput. 12. in fine ſect.1.* ita vt ſi per impoſſibile tota Trinitas non eſſet præſens cæteris rebus, adeſſet tamen humanitati à Verbo aſſumtæ; cùm neceſſariò adſit, vbi eſt diuinitas: hinc fit vt propter hanc intimam præſentiam cum aſſumta à Verbo humanitate, quæ in Euchariſtia continetur, poſſit etiam dici Pater & Spiritus ſanctus, licèt non habeant realem vnionem cum humanitate Chriſti, præſentes in Euchariſtia Maieſtate, vt loquitur D. Auguſtinus, non autem ſacramentaliter. Tota enim beatiſſima Trinitas conſeruat vnionem hypoſtaticam Verbi cum humanitate, atque etiam efficit hoc ſacramentum cum miris & ſingularibus effectibus, qui in eo concurrunt.

Porrò quæ diximus de continentia totius Chriſti ſub vnaquaque ſpecie, valent etiam de qualibet parte earumdem ſpecierum, ex communi ſententia Theologorum, vt Innocentij III. *lib.4.c.8.* Hugonis de S.Victore *lib.2.de ſacram. fidei.p.8.c.11.* S.Thomæ *3.q.76. art.3.q.77.art.7. opuſc.59.c.7.4.d.10. q.1.art.3.q.3.*& *ibidem*, Scoti, Paludani, Richardi, Marſilij, Capreoli, Soti, Gabrielis *in can. lect.43.* Ledeſmæ *q.17.* Ferrarienſis *lib.4.contra Gentes,c.67.* Caietani *3.p.q.76.77.* Alani *lib.1.c.27.* Suarez *diſp.52.ſect.1.& 2.*& aliorum. Et quidem de qualibet parte poſt factam ſeparationem conſtat euidenter, tum ex eo quòd diſcipuli omnes iuxta Chriſti præceptum, *Accipite, & diuidite inter vos*, de eodem calice bibentes ſinguli Chriſti ſanguinem ſumſerunt, *Matth.26.Marc.16.*& iuxta multorum opinionem Chriſtus conſecrato integro pane diſcipulis eum partitus eſt. Idémque colligi poteſt ex *1. Corinth.10. Panis, quem frangimus; nonne participatio corporis Chriſti eſt?* & *Act. 2. Frangentes circa domos panes.* tum ex Concilio Florentino in decreto Eugenij, quod his verbis definit: *Sub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ & vini conſecrati ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus.* & Tridentino *ſeſſ.13. can.3.* illis verbis: *Si quis negauerit in venerabili ſacramento Euchariſtiæ ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſque ſpeciei partibus ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit.* Tum ex Patribus & præter Eutychium, Hilarium Papam, Hieronymum & Auguſtinum hoc eodem capite citatos, id docet S. Cyprianus, qui *ſerm. de cœna Domini* ait: *Vniuerſa Eccleſia ad has epulas inuitatur, æqua omnibus portio datur, integer erogatur, diſtributus non demembratur.* Baſilius ad Cæſariam Patritiam ſcribens, eiuſdem virtutis eſſe, ſiue vnam partem à ſacerdote quis accipiat, ſiue plures. Cyrillus Alexandrinus *epiſtola ad Caloſyrium*, dicens, in ipſis reliquiis ſeu fragmentis corporis Domini vim ineſſe ſanctificandi, cùm non mutetur Chriſtus, aut eius corpus; ſed in eo viuificationis & benedictionis gratia permaneat.

maneat.& *lib.4.in Io.c.17.*ait : *Sicut parum fermenti*, vt Paulus ait , *totam maſſam fermentat,ſic paruula benedictio* (Euchariſtiæ ſcilicet particula)*totum hominem in ſeipſum attrahit, & ſua gratia replet ; & hoc modo Chriſtus in nobis manet , & nos in Chriſto.* Euſebius Emiſſenus *Hom.5. de Paſchate , citata : Euchariſtiæ ſancta perceptio non in quantitate ſed in virtute conſiſtit : nam corpus ſacerdote diſpenſante tantum eſt in exiguo , quantum eſſe conſtat in toto.* Guitmundus *lib.1.contra Berengarium.Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis. propterea ipſi qui ſumimus communionem huius ſancti panis, & calicis,vnum Chriſti corpus efficimur. idémque quoque dicimus , etſi mille Miſſæ eodem tempore celebrentur : nam ita in ſingulis totum credimus eſſe Chriſtum , vt nec plures Chriſtos , nec diuiſum Chriſtum faciat aut ſacerdotum diuerſitas , aut locorum.* Hugo de S. Victore *loco citato. Totum hic , & totum ibi, nec minus in parte , quam in toto,nec in toto maius, quam in parte, quotcumque partes feceris, in ſingulis totum eſt.nec mireris , opus Dei eſt hoc. ſi in diuerſis locis poteſt eſſe vnus, quare etiam in ſingulis partibus non poteſt eſſe totus ?* Denique S.Thomas *in proſa feſtiuitatis Corporis Domini. Tantum eſt ſub fragmento , quantum toto tegitur.* tum ratione,cùm enim ſub ſpeciebus panis non ſit amplius ſubſtantia panis,ſed Chriſtus,niſi totus eſſet,cùm ſpecies panis in partes diuidantur, neceſſe eſſet vt Chriſtus ſcinderetur in partes,& tamẽ conſtat ex S.Th.3.*p.q.*77.*art.*7.ac reliquis Theologis, & ratione,Chriſti corpus incorruptibile eſſe & impaſſibile. Accedit quia ſub tam modica quãtitate hoſtiæ Chriſtus non eſt diuiſibiliter,ſed indiuiſibiliter,cùm non reſpondeat pars Chriſti corporis parti ſpeciei,alioquin ne vna quidem manus adeſſet:neceſſe eſt igitur vt partes illæ , quæ ſeparatæ retinerent ſubſtantiam panis , ſi amplius adeſſet , indiuiſibiliter retineant totum corpus Chriſti. aliàs qui conſecratum poculum continuatè non biberet , vel tripartitam hoſtiam conſecratam ſumeret,integrum Chriſtum non acciperet, quod eſt impium. tum denique quia id docet Eccleſiæ vſus,quæ ſæpe hoſtias in particulas diuidit, ob communicantium multitudinem , credens in ſingulis particulis integrum Chriſtum contineri. Hoc non eſſe Deo impoſſibile intelligimus etiam ex naturalibus. Teſtatur enim Philo *lib.2.allegor. verſus finem. Coriandrum cuius figuram habuit Manna, quod Euchariſtiam præſignificabat, ſi comminuatur in minutiſſimas partes, & ſeratur, ſingulas particulas ſatas coriandrum integrum germinare , non ſecus, ac integrum & ſolidum coriandrum.* Quare fallitur omnino Maior 4.*d.*11.*q.*3. aſſerens in hoſtiæ diuiſione deueniri,poſſe ad tam paruulas particulas , vt non ſit ibi corpus Chriſti , licèt potuiſſet eſſe ſubſtantia panis. hoc enim eſt contra Theologos omnes Scholaſticos, Conciliorum definitionem , & Patres , dicentes abſolutè ſeparatione facta corpus Chriſti eſſe ſub qualibet parte , & tamdiu eſſe corpus Chriſti ſub qualibet parte ſpecierum , quamdiu eſt ſpecies panis , ibique conſeruaretur ſubſtantia panis ſi adeſſet , vti antea fuerat. De partibus verò ſingulis ante ſeparationem opinati ſunt aliqui non adeſſe ſub ſingulis totum Chriſtum , vt Alenſis 4.*p.q.*40.*m.*3.*art.*5. Alb. 4.*d.*13.*art.*11. Altiſiodorenſis *lib.4.ſummæ de Euchariſtia,c.*4. & alij; quam opinionem etiam refert & tamquam erroneam reiicit Innocentius *lib.4. de myſt. Miſſæ, c.*8. Bonauentura 4.*d.*10. *art.*1.*q.*1. Gabriel *in canone,lect.*80. S.Thomas 3.*p. q.*79. *art.*3. Ledeſma *q.*17. Sotus 4.*d.*10. *q.*1. *art.*3. & alij. tum quia id colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*13.*c.*3. abſolutè dicente totum Chriſtum & integrum ſub ſpecie panis,& ſub quauis eius ſpeciei parte contineri. licèt *can.*3. poſtea non definierit niſi de partibus ſeparatis. & *de conſecr. d.2. can. vbi pars.* dicitur ab Hilario Papa , *Vbi pars eſt corporis , eſt etiam totum.* tum quia non eſſet totus Chriſtus in qualibet parte ante

ſeparationem, neque eſſet poſt ſeparationem; cùm ſeparatio non ſit conſecratio, quę facit vt ibi incipiat eſſe totus Chriſtus. tum quia aliàs corpus Chriſti ibi eſſet diuiſibiliter, ita vt pars corporis eſſet in parte hoſtiæ, quod eſt falſum. hoc enim modo corpus Chriſti haberet ſitum. ac proinde caput aliquando ſurſum, aliquando deorſum, & poſſet deſignari pars in qua eſſet caput, alia in qua eſſet brachium, alia in qua pes, quæ ſunt falſa. Cùm enim corpus Chriſti ſuccedat loco ſubſtantiæ panis, cuius natura & eſſentia ſpecifica æquè eſt tota in toto, & tota in qualibet parte ſuarum dimenſionum, corpus etiam Chriſti, quod incipit hîc eſſe vi conuerſionis panis in ipſum, totum erit in toto, & totum ſub qualibet parte dimenſionum panis, vt rectè docet D. Thomas *art. 3. & 4.* Non eſt igitur ibi Chriſtus diuiſibiliter, & per modum dimenſionum panis, ſed indiuiſibiliter, & per modum eſſentiæ ſubſtantialis; ideo totus etiam in qualibet parte; ſicut anima non ſolùm eſt tota in toto homine, ſed tota etiam in qualibet parte corporis. & hæc quidem ſufficiant de modo quo Chriſtus adeſt in hoc ſacramento quoad ſubſtantiam. 6.

Iam quoad accidentia primo loco grauis eſt difficultas, de quantitate. Vtrùm in Euchariſtia corpus Chriſti ſit præditum quantitate propria, vt fuit in vltima cœna, & eſt nunc in cœlo. & quidem Durandus 4. *d.* 10. *q.* 2. negat, quia ſi corporis Chriſti quantitas adeſt ſub paruulæ hoſtiæ quantitate, neceſſariò aderit indiuiſibiliter, vt S. Thomas *loco citato.* Alenſis 4. *p. q.* 40. *m.* 3. *art.* 4. & cæteri admittunt. at hoc eſſe non poteſt, cùm de intrinſeca ratione quantitatis ſit diuiſibilitas, cùm habeat partes extra partes. ideóque poſitione diſtantes & extenſas; quare tota moles corporis Chriſti ſub tam parua hoſtia eſſe non poterit: cùm implicet contradictionem corpus trium cubitorum ſub quantitate hoſtiæ digiti vnius contineri. nam eſſet maius, & non maius. Addunt alij, non poteſt ſpiritus indiuiſibilis vllo modo exiſtere per modum corporis diuiſibiliter, & extenſè; ergo neque econtra corpus vel quantitas indiuiſibiliter. Oppoſita tamen ſententia eſt communis Theologorum, Innoc. *lib.* 4. *c.* 8. S. Th. 3. *p. q.* 76. *art.* 4. *opuſc.* 59. *c.* 10. 4. *d.* 10. *q.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3. Bonau. *ibid. q.* 2. Scoti *q.* 2. *art.* 1. Rich. *art.* 1. *q.* 2. Palud. *q.* 2. Maior *q.* 3. Marſilij *q.* 7. *art.* 2. Altiſiodor. *lib.* 4. *ſum. tr.* 5. *c.* 2. Henrici *quodlib.* 1. *q.* 1. Alenſis 4. *p. q.* 40. *m.* 3. *art.* 4. vbi priorem opinionem appellat erroneam, Ferrar. *lib.* 4. *contra Gentes, c.* 64. Ledeſmæ *q.* 17. *art.* 4. Soti 4. *d.* 10. *q.* 1. *art.* 4 Claudij Sainctes *rep.* 4. *c.* 4. Alani *lib.* 1. *c.* 38. qui cõtrariam pæne hæreticam vocat, Bellat. *lib.* 3. *de Euch. c.* 5. 6. 7. Suar. *diſp.* 51. *ſect.* 2. & aliorū probatur, tum quia Chriſtus illis verbis: *Hoc eſt corpus meum.* tale corpus ſuum ſignificauit, quale eſſe ſolet quodcumq; aliud indiuiduum humanum quoad dimenſiones, & accidentia; cùm ergo cætera quantitatem habeant, & ipſum in ſacramento exhibitum ſuam habebit. tum quia de corpore quod in Euchariſtia exhibebat Chriſtus Dominus dixit, *quod pro vobis tradetur.* at illud paſſum, & traditum, fuit trinè dimenſum; ergo & illud quod continetur in Euchariſtia. tum quia corpus Chriſti in Euchariſtia eſt viuum & animatum; ergo etiam organicum, cùm anima ſit actus corporis organici. At organicum eſſe non poteſt, ſine membrorum diſtinctione & figura, quæ non eſt ſine quantitate, diuerſóque temperamento, partium denſitate, raritate, &c. quæ in materia eſſe non poſſunt niſi media quantitate: & hæc igitur aderit. tum ex communi fidelium ſenſu, qui minimè ferrent in concione dicentem, in ſacramento Euchariſtiæ Chriſtum non habere caput, pectus, brachia, & reliqua membra per idoneam quantitatem & figuram diſtincta, & formata. tum quia cum arctiori vinculo per concomitantiam vniantur corpori Chriſti ſanguis & anima,

anima, quàm eius quantitas, ſi admittatur non adeſſe quantitatem, eſſet etiam admittendum de reliquis, contra decreta Conciliorum & Patrum. neceſſariò igitur dicendum eſt adeſſe quantitatem, quæ licèt non adſit ex vi verborum, vt docet S. Thomas *loco citato.* cùm tranſubſtantiatio terminetur ad ipſam ſubſtantiam, non ad quantitatem; adeſt tamen per concomitantiam & naturalem connexionem cum corpore. Itaque reſpondendum eſt Durando ex doctrina S. Thomæ 3.*p.q.*76, *art.*4. Caietani *art.*5. Soti & aliorum, duplicem eſſe diuiſibilitatem & extenſionem quantitatis, primam intrinſecam, quæ ſcilicet ſpectatur in ordine partium quantitatis inter ſe; per hanc enim quantitatis partes ſunt extra ſe; linea enim eſt quantitas in longum extenſa, ſuperficies in longum & latum, corpus in longum, latum & profundum; ideo ſi tollatur huiuſmodi extenſio, etiam tolletur quantitas. & ſecundùm hanc conſiderationem partes quantitatis extra ſe ſunt, & abinuicem diſtant, & ſunt aptæ commenſurari loco. Et ſimiliter partes ſubſtantiæ materialis in qua inſit quantitas. quare non poteſt hæc diuiſibilitas, & extenſio ſeparari à quantitate, vel ſubſtantia quanta, nec ſeparatur vllo modo à corpore Chriſti, cùm non ſit vt Angelus indiuiſibile, ſed habeat membra ita diſtincta, vt figuram & ordinem inter ſe ſeruent, vt docet etiam D. Auguſtinus *ep.*57. *ad Dardanum*, emineat caput, ſubiectum ſit pectus, vtrimque dependeant brachia, & ſic de reliquis. non enim corpus Chriſti eſt confuſa quædam maſſa membrorum ſe penetrantium, vt malè putauit Gulielmus Ochan 4.*q.*4. & alij apud Albertum 4.*d.*13. *art.*10. & Alenſem *loco citato.* ſed pulcrum & varietate partium diſtinctum, illáſque hac intrinſeca & non locali diſtantia, magis inter ſe diſtare, inter quas ſunt plura interiecta membra, vt magis pedes à capite, quàm à genibus, aut pectore. & hoc ſenſu, teſte Boëtio, Simplicio, Porphyrio, Amonio, & Caietano dixit Ariſtoteles *in prædicamento Quantitatis*, & multo ante Ariſtotelem Ocellus, ex quo ſumſit Ariſtoteles quamdam ſpeciem quantitatis conſtare ex partibus habentibus poſitionem. loquitur enim de poſitione in ſuo toto, & non de poſitione in loco, quod pertinet ad prædicamentum Vbi, & Situs, & non Quantitatis. Alteram autem extrinſecam ſeu in ordine ad locum, quæ non eſt aliud quàm prior extenſio & diuiſibilitas quatenus per eam tam ipſa quantitas naturaliter eſt coëxtenſa diuiſibiliter in loco, tota ſcilicet in toto loco, & per partes in partibus loci, quàm etiam ipſa ſubſtantia quanta. Atque hæc ſecundaria extenſio ſeu potiùs coëxtenſio in loco, non eſt de intrinſeca ratione quantitatis, quicquid exiſtimauerit Ochan; cùm poſſit ſeparari à quantitate, ſubſtantiáque quanta, ita vt locum non occupet. Et ſanè ratio id apertè docet. tum quia occupare locum eſt quid poſterius eſſentiæ quantitatis, cùm extenſio rei in ordine ad locum neceſſariò ſupponat extenſionem rei in ordine ad ſe; alteriúſque prædicamenti ſit, ac poſſit Deus ſeparare prius à poſteriore. tum quia eadem quantitas in ſe manens, poteſt naturaliter occupare minorē locum per condenſationem, & per rarefactionem maiorem, quam antè occuparet, vt docet Ariſtoteles *lib.*4. *phyſ. text.*84. tum quia non magis repugnat Deum priuare quantitatem hac coextenſione, & repletione loci, quàm graue grauitatione ſua, quod tamen fecit & in corpore Petri ambulantis ſuper aquas, & in ferro enatante ex aquis, & facit continuè in aqua & aëre in ſuis ſphæris, & ignem calefactione, vt accedit in tribus pueris, & aliàs ſæpe, ſubſtantiam à ſuo proprio modo, licèt non eſſentiali, qui eſt per ſe ſubſiſtere, vt accidit in Chriſti humanitate, quæ exiſtit in Verbo. tum quia tam inintelligibile videtur, vt indiuiſibile ſecundùm ſe coexiſtat diuiſibili

ſecundùm ſe, quàm diuiſibile ſecundùm ſe coëxiſtat indiuiſibili ſecundùm ſe;vt igitur illud quotidie fit ab anima rationali reſpectu corporis,ita hoc fieri poteſt in Euchariſtia. tum quia Chriſtus ipſe *Luca* 18. *Matth.*19. docet diuina potentia poſſe Camelum magnum & gibboſum animal ingredi foramen acus:& narrat Alenſis 4.*p. q.*40. *m.*3. *art.*4. Monachum dubitantem quomodo poſſet Chriſtus ſub tam parua quantitate hoſtię contineri,vidiſſe in eleuatione hoſtiæ puerum bene magnum intra terminos quantitatis hoſtiæ,ſtatímque Doctori Theologiæ flentem & pœnitentem eſſe confeſſum. à quo Doctore Alexander Alenſis accepit. Non igitur eſt Deo impoſſibile facere vt quantitas relinquat ſuum modum naturalem eſſendi, locúmque non occupet, vel ei non coextendatur. Nec repugnat D.Auguſtinus *ep.*57. *ad Dardanum,* dicens: *Spacia locorum tolle corporibus, & nuſquam erunt.* & quia nuſquam erunt, nec erunt: cùm loquatur tantùm de corporibus ab vltima ſphæra contentis,quatenus naturaliter, & de lege ordinaria Dei exiſtunt; locum enim habent, quo Deus non eget: vt D. Auguſtinus infert.Hæc igitur ſola coextenſio quantitatis diuinitus ſeparatur à Chriſti quantitate, & ſubſtantia in Euchariſtia,quod reſpectu diuinæ potentiæ nullam continet implicantiā. cùm non pertineat intrinſecè ad ipſum genus Quantitatis,ſed ad prædicamentum Vbi, ſecundùm rationem ſuam communem, & ad prædicamentum Situs, prout habet talem & talem modum poſitionis partiū in loco.Et ablato huiuſmodi modo exiſtendi,& coextenſionis localis à corpore quanto Chriſti, ei tribuitur modus exiſtendi indiuiſibiliter, qui conuenit ſubſtantiæ, vt diximus *c.*14. & non naturalis quantitati. Non tamen hic modus exiſtendi indiuiſibiliter illi conuenit eodem modo quo Angelo,aut animæ.cùm illis ſua natura conueniat, quantitati verò & corpori Chriſti ſupra naturam. Tandem ſi conſiderentur Chriſti dimenſiones vt continentur ſub ſpeciebus panis, non dicuntur maiores, aut minores; cùm non commenſurentur illis, ſed exiſtant ſine ordine ad locum; ſicut anima rationalis in corpore, non dicitur maior aut minor illo,cùm non illi commenſuretur. quamuis ſi vtræque dimenſiones conſiderentur ſecundùm ſe, multo maiores ſint dimenſiones corporis Chriſti,quàm ſpecierum panis. Ad argumentum autem aliorum negamus conſequentiam; quia poteſt quidem cauſa,cùm ſit prior,eſſe ſine ſuo effectu. hic tamen cùm à cauſa dependeat,non poteſt eſſe ſine illa: ideo poteſt quantitas eſſe ſine coextenſione ad locum, qui eſt effectus eius, ſpiritus autem ſecundùm ſe indiuiſibilis non poteſt coextendi loco, ne ponatur effectus ſine ſua cauſa. Poſtremò obiiciet quis,ex dictis videtur dari penetratio dimenſionum corporis Chriſti cum quantitate, quæ erat panis, ſi adſunt vtræque dimenſiones, quam omnes Philoſophi abhorrent. Reſpondemus negando ibi eſſe propriè penetrationem, licèt adſit vtraque quantitas. & quidem tria magnitudini conueniunt,vt optimè inter cæteros Sainctes *rep.*4.*c.*4.*&* 7.& Bellarminus *lib.*3.*de Euchariſtia,c.*5. explicant. Primò eſſe in ſe extenſam, partémque habere extra partem, & proinde ſitum quemdam intrinſecum, & ordinem partium,vt diximus. & hoc eſt omnino ab illa inſeparabile. Alterum coextendi loco ſeu illi commenſurari, & habere ſitum extrinſecum in ordine ad locum. & hoc poſterius eſt primò; ideóque ab illo ſeparari poteſt, vt de vltima ſphæra conſtat. Tertium eſt expellere aliud quodcumque corpus à tali loco, quem replet & occupat: ſeu non compati ſecum aliam magnitudinem in loco ſibi adæquato;ídque naſcitur ex ſecundo;ob id enim vnum corpus nō compatitur in ſuo loco aliud, quia replet totum. ſed quia per Dei potentiam poteſt ſemper,quod poſterius

eſt,

eſt, tolli remanente priori, hinc fit, vt per Dei potentiam dari poſſit penetratio, licèt non naturaliter, quomodo loquebantur Philoſophi. Sic videmus datam in egreſſu Chriſti Domini ex vtero beatiſſimæ Virginis Matris, in eiuſdem reſurrectione à ſepulcro clauſo; in introitu ad diſcipulos clauſis ianuis; in Aſcenſione in cœlum ad Patris dexteram, nullo aditu patefacto. videndus Iuſtinus *q.* 117. *ad Gentes*, Chryſoſtomus *in c.* 20. *Ioannis*, Gregorius Nazianzenus *in Tragœdia de Chriſto patiente*, cùm ait: *Stat ecce Dominus has fores intra, &c.* Theodoretus *dialog.* 2. & Auguſtinus *lib.*22.*de Ciu.c.*8. vbi narrat Petroniam nobiliſſimam fœminam Carthagine conſilio neſcio cuius Iudæi annulum inſertum cingulo, quo cincta erat ſalutis cauſa geſtantem, cùm ad limina Protomartyris Stephani perrexiſſet, annulum ante eius pedes derepente cecidiſſe, illæſa omnino zona, & nodis firmiſſimis adſtricta. Scribit etiam Rupertus Abbas *de diu. off. lib.*8. *c.*4. eodem quo ſcribebat anno milleſimo centeſimo vndecimo, in reſurrectionis Domini nocte ad oſtendendum Monacho Leodienſis monaſterij ſub Berengario Abbate potuiſſe Dominum clauſo ſepulcro exire, cingulum indiſſolutum & firmiter obſtrictum modo, quo cingebatur, ante eum miraculo exiliiſſe, cœlitúſque ad eum factam vocem dicentem,

Sic potuit clauſo Chriſtus prodire ſepulcro.

In caſu tamen noſtro, etſi vere adſit, cum quantitate, quæ fuerat panis, tota quantitas corporis Chriſti, habeátque magnitudo primam conditionem, quæ eſt ab ea inſeparabilis, non habet tamen ſecundam, cùm ex dictis non occupet locum, & conſequenter nec tertiam, quæ oritur ex ſecunda.

7. Hac difficultate ſublata & illa conſequenter tollitur, quam tractat S. Thomas 3.*p.quæſt.*76. *art.*5. & 4.*ſent. d.*10.*quæſt.*1. aliíque Theologi *diſt.*10. *vel* 11. & Gabr. *lect.*43. *in canonem. An Chriſtus exiſtens in hoc ſacramento ſit ſub ſpeciebus localiter.* Certum eſt enim non eſſe: neque enim eſt in loco ratione propriæ quantitatis circumſcriptiuè, cùm hæc adſit per modum ſubſtantiæ indiuiſibiliter, non per modum quantitatis dimenſiuè, ſeu commenſuratiuè, cùm non coëxtendatur loco, ideo non poteſt ibi eſſe circumſcriptiuè. tum quia Chriſtus ita eſt ſub ſpeciebus panis & vini, vt erat ſubſtantia panis & vini: at illa non erat ſub dimenſionibus ſuis tamquam in loco, cùm locus ſit ſuperficies corporis extrinſecè continentis; quare neque Chriſtus. tum quia non continetur illis ſolùm ſecundùm ſuperficiem & extrinſecum contactum, ſed intimè in omnibus. Neque ratione propriæ ſuæ ſubſtantiæ definitiuè, vt ſolet eſſe ſubſtantia Angeli; cùm & ſacramentaliter ſit in multis aliis hoſtiis, & non ſacramentaliter in cœlo, contrà quàm ſint ea, quæ definiuntur loco, quæ ita ſunt in eo, vt non ſint alibi. ita S. Thomas *loco cit.* Bonauentura 4.*d.*10.*quæſt.*3. Alenſis 4.*p. quæſt.*40. *m.*3.*art.*6. Ægidius *tract.de Euch.theoremate* 3. *quæſt.*5. Scotus 4.*d.*11 .*quæſt.*1.§.*Quantum.* Sainctes *rep.*4.*c.*4. Ideo ſi Ochan 4.*q.*4.*ad dub.*6.& Gabriel *d.*10.*quæſt.*1.*art.*2. *concl.* 9. & *in canonem lect.* 47. dicunt eſſe in Euchariſtia definitiuè, per definitiuè intellexerunt ſolùm exiſtentiam totius in toto, & in qualibet parte, etiamſi ſit alibi; qua de re Sotus 4. *d.*10. *quæſt.* 1. *art.* 5. & 6. Erit igitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus modo ſuo ſingulari indiuiſibiliter, qui appellatur à Concilio Tridentino *ſeſſ.*13. *c.*1. & Theologis modus ſacramentalis, ideóque non dicit immediatum reſpectum præſentiæ ad locum, ſed ad ipſas ſpecies: earum autem locum reſpicit ſolùm mediatè, & ſecundariò, ac per accidens quatenus coniunctum cum ſpeciebus, & conſequenter non ſolùm non habet ſitum, cùm non habeat coëxtenſionem ad locum, ſed nec propriè habet vbi, quod ex Ariſtote-

le & aliis Philoſophis eſt circumſcriptio corporis in loco per quantitatem propriam; ſed ſolùm impropriè dictum, & ſimile vbi, quod habet anima impropriè in loco corporis, quæ & ipſa locum corporis reſpicit ſecundariò tantùm, & per accidens, vt quiddam coniunctum cum corpore, quod primò reſpicit, illud informando. videndus S. Thomas *opuſc.59.c.*10.*&* 11. Paludanus 4.*d.*10.*q.*3. §.*ſi dicatur,&* §.*vnde ad rationem.*

Lib. 3. phyſ. t. 45.

Sed & illud quæri poteſt cum D.Thoma 3. *p.queſt.*76. *art.*6. Scoto 4.*d.*10.*q.*6. 8.
Durando *queſt.*3. Soto 4. *d.*10. *queſt.*1. *art.*6. Gabriele *lect.*47. *in canonem,* & aliis,
1. an corpus Chriſti, vt eſt in hoc ſacramento capax ſit alicuius mutationis? Et
quidem ſi loquamur de mutatione locali ſeu ad vbi, conueniens præſentiæ ſacramentali, quo Chriſtus dicitur eſſe hîc, vel ibi, qua de re Petrus Soto *lect.* 6. *de Euchariſtia*, cùm & Angelus moueri poſſit, licèt eius Vbi non ſit quantitatiuum, dicimus Chriſti corpus verè & propriè poſſe moueri, vt docet D. Thomas 3.*p.queſt.*76. *art.*6. Paludanus, Capreolus, Richardus, Sotus 4. *d.*10. quicquid in contrarium dixerit Durandus 4. *d.*10. *queſt.* 3. tum quia verè & propriè dicitur Chriſtus in Miſſa eleuari, deferri ad infirmos, in communione manducari, & deglutiri. tum quia ſuppoſita vnione duarum rerum neceſſe eſt vt ad motum vnius moueatur & altera, cùm motis nobis moueantur quæ ſunt in nobis, ex doctrina Ariſtotelica; cùm igitur per conſecrationem facta ſit vnio Chriſti corporis cum ſpeciebus, neceſſe eſt ex vi vnionis, vt corpus Chriſti ſit vbi illæ ſunt, eóque moueatur quo à ſacerdote vel alio mouente mouentur illæ, niſi diſſoluatur vnio, quod non fit. Quia tamen huiuſmodi motus non contingit Chriſti corpori ſeipſo, ſed ad motum ſpecierum, rectè dixit S. Thomas non moueri per ſe, ſed ſolùm per accidens; etſi verè moueatur, & non tantùm denominatiuè, vt putauit Caietanus. ob id D. Thomas dixit moueri ad eum modum, quo motis nobis mouentur quæ ſunt in nobis. Qui enim ſpecies mouet, mouet etiam Chriſti corpus, quod ſub illis continetur. Atque hæc, quæ de motu dicta ſunt, intelliguntur, quando ſpecies planè locum mutant, non autem quando mouentur in eodem loco. vt ſi moueatur hoſtia circulariter. cùm enim tunc tota non mutet locum, nec corpus Chriſti habeat certum ſitum partium, ſed ſit indiuiſibiliter in quacumque parte ſpecierum, Chriſti
2. corpus non mouebitur. vt rectè docuit Sotus 4. *d.* 10. *queſt.*1. *art.* 6. Similiter ſi
loquamur de mutatione ſubſtantiali qua deſinit corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus, etſi non moueatur per ſe deſitione intrinſeca, ſeu quæ in ipſo immediatè contingat, quia quod de ſe habet eſſe indeficiens, & incorruptibile, cuiuſmodi eſt Chriſti corpus ſecundùm ſe, & non deſerit per ſe localiter ſpecies, non poteſt eſſe principium deficiendi, ob id non poteſt per ſe deſinere eſſe ſub ſpeciebus, ita vt deſitio ab ipſo Chriſti corpore incipiat. Poteſt tamen mutari per accidens: nam corruptis ſpeciebus deſinit ibi eſſe Chriſti corpus; cùm ſolùm ſpecies panis & vini rationem habeant ſacramenti huius, vt ex inſtitutione conſtat; quare illis corruptis ibi non remanet amplius corpus Chriſti. qua de re S. Thomas 3. *p.queſt.*76.*art.*4. *&* 6. & reliqui Theologi 4.*d.*10. Porrò tamdiu ſpecies incorruptæ cenſentur conſeruari, quam diu ſub illis conſeruaretur, ſi adhuc adeſſet ſubſtantia panis & vini, vt rectè S. Thomas *loco cit.&* *q.*80.*art.*3. *&* 4. *ſentent.d.*9.*queſt.*4.*art.*1. Alenſis 4.*p.queſt.*45.*m.*1.*art.*2. Durandus 4.*d.*9.*queſt.*3. *&* *d.*12. *queſt.*3. Richardus 4.*d.*12.*art.*2.*queſt.*2. Scotus *ibidem* *q.*6. Maior *q.*4. Capreolus *d.*13. *queſt.* 1. *art.*3. Paludanus *d.*12. *queſt.*5. Gabriel *lect.* 84. VValdenſis *tom.*2.*c.*60. Sainctes *rep.*5.*c.*4. Directorium Inquiſitionum *p.p.commento* 15.*&* 2.*p.* *queſt.*10.

quaſt. 10. Errauit igitur VVicleſus apud VValdenſem, & alij damnati à Gregorio XI. *in* 1. *&* 2. *parte Directory Inq. loco cit.* dicentes, ſi hoſtia conſecrata cadat in lutum vel alium locum immundum, vel comedatur, v.g. à mure, remanentibus ſpeciebus ibi deſinere eſſe corpus Chriſti. & ſimiliter Gloſſa *in can. tribus, & can. non iſte, de conſecr. d.* 2. opinata, ſumta Euchariſtia recedere Chriſti corpus antequam ſpecies corrumpantur. quod eſt contra communem ſenſum Catholicorum, exiſtimantium tamdiu intra ſe Chriſtum habere, quamdiu perſeuerant ſpecies. quare etiam D. Clemens *epiſt.* 2. *& in can. tribus, de conſecr. d.* 2. vetat ſtatim poſt communionem, communem cibum ſumere, ne ſimul commiſceantur. & Optatus Mileuitanus, refert miraculum ob Euchariſtiam à canibus deuoratam. & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *can.* 4. docet corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus conſecratis ante vſum, & poſt vſum illarum. ideo numquam erunt ſpecies conſecratæ incorruptæ abſque Chriſti corpore. Si ſermo ſit de motu alterationis, v. g. calefactionis, & frigefactionis, aut etiam fractionis ſeu diuiſionis, dicendum eſt cum D. Thoma 3. *p. quaſt.* 81. *art.* 4. Scoto 4. *d.* 10. *quaſt.* 9. *& ibidem* Paludano *quaſt.* 4. Capreolo *quaſt.* 4. *art.* 3. Richardo *art.* 5. *quaſt.* 2. Soto *quaſt.* 1. *art.* 6. Henrico *quodlib.* 5. *quaſt.* 6. Antonino 3. *p. tit.* 13. *c.* 6. §. 13. Ledeſma *quaſt.* 17. *art.* 6. & aliis (quicquid in contrarium ſenſerint Ochan 4. *q.* 4. Aliaco *quaſt.* 5. *art.* 2. Maior 4. *d.* 10. *quaſt.* 5. & Gabriel *in can. lect.* 45.) non poſſe, neque per accidens, vt conceſſimus de motu locali, conuenire Chriſti corpori. quia cùm Chriſti corpus, vt diximus, contineatur ſub ſpeciebus, neceſſe eſt, vt vbicumque ſunt ſpecies, ſit etiam corpus Chriſti, ac proinde eò moueatur, quocumque mouentur illæ: at verò cùm illa ſpecierum quantitas non inſit Chriſti corpori, nec ipſum per eam extendatur in ordine ad locum, non eſt neceſſe, vt illa quantitate calefacta aut frigefacta, vel diuiſa, eodem modo per ſe, vel per accidens afficiatur Chriſti corpus. Sicut licèt anima moueatur motis nobis, non tamen caleſit, aut frigeſit, vel inciditur nobis his mutationibus affectis. Quare huiuſmodi paſſiones recipiuntur ſolùm in quantitate ſpecierum, & non in Chriſti corpore, vel eius quantitate, cùm exiſtat modo indiuiſibili, & non quantitatiuo, quo egent accidentia ſua natura extenſa, vt in ſubiecto recipiantur. ob id ſolùm per denominationem extrinſecam ratione ſpecierum dici poteſt corpus Chriſti calefieri, frigefieri, aut frangi, nimirum vt tribuendo has mutationes corpori Chriſti ſignificetur illud intimè coniunctum eſſe ſpeciebus, quæ alterantur & franguntur. 3.

Pari modo denique exterior ſenſus Chriſti prout eſt in ſacramento, v.g. oculus aut auris, non poteſt ab obiecto extrinſeco recipere ſpecies, & immutari, vt docet Scotus 4. *d.* 10. *quaſt.* 4. Henricus *quodlib.* 5. *quaſt.* 6. Antoninus 3. *p. tit.* 13. *c.* 6. §. 13. Ægidius *Theorem.* 16. Sotus 4. *d.* 10. *quaſt.* 1. *art.* 6. *&* 7. Suarez *diſp.* 52. *ſect.* 3. & congruit cum D. Thomæ & communi ſententia, licèt oppoſitum dixerit Maior 4. *d.* 10. *q.* 6. & Ochan *quaſt.* 5. putantes Chriſtum ex ſacramento videre adſtantes, & audire canentes; malè tamen, tum quia non habet organa loco coëxtenſa ad ſonum, & ſpecies ſua natura quantas, & extenſas recipiendas. tum quia vt eſt ſub ſacramento Chriſti corpus, non dicit ad extrinſeca obiecta vllam approximationem, aut phyſicum contactum, ſine quibus non fit huiuſmodi ſenſatio. ob id quantum ad hoc attinet, Chriſti corpus ibi eſt; ſicut Angelus, qui non poteſt corporaliter agere vel pati. 4.

De

De accidentibus remanentibus in ſacramento Euchariſtiæ.
Cap. XVIII.

SVMMARIVM.

1. *Num in auguſtiſſima Euchariſtia remaneant priora accidentia, & cur.*
2. *Remanere autem ſine vllo ſubiecto ſubſtantiali.*
3. *Non omnia tamen manent ſine ſubiecto accidentali.*
4. *Vtrum accidentia huiuſmodi conſeruata ſine ſuo ſubiecto poſſint ſine nouo miraculo agere, quod ante conſecrationem poterant, ac pati, & corrumpi.*
5. *An tandem Euchariſtiæ ſacramentum nutrire aut generare aliquid poſſit, & vtrum ſine productione nouæ materiæ.*

QVia verò *ex can. ſacrificium, de conſecr. d.2.* & Theologis omnibus, & ſacrifi- 1.
cij & ſacramenti ratio ſua natura exigebat, vt in tanto myſterio poſt conſecrationem aliquid ſenſibile remaneret, quod præceſſiſſet ſub panis & vini ſubſtantia; eáque ratione non minueretur fidei meritum euidenti ac ſenſibili accidentium mutatione, vt *lib. 1. c.4.* diximus ex Algero, & docet S. Thomas contra Gentes *c.63.* & Gloſſa *c. ſuriè. de conſecr. d.2.* voluit Deus, vt panis & vini ſubſtantia in Chriſti corpus & ſanguinem conuerſa, accidentia intacta & illæſa perdurarent. neque enim, vt rectè docet Zacharias Epiſcopus Chryſopolitanus *lib.4. Concordiæ Euang.* timendum eſt nobis hac in re falli ſenſus, vt ſomniauit Aliacus *4. quæſt.6. art. 3.* cùm ſenſus circa proprium obiectum in conuenienti diſtantia, & approximatione, non fallatur. quod etiam conſtat ex Concilio Lateranenſi *cap. firmiter, de ſum. Trin.* Conſtantienſi *ſeſſ.8.* Florentino *in decreto Eugenij.* & Tridentino *ſeſſ.13. can.2.* ac Patribus, Cypriano, qui *ſerm. de cœna*, ait: *Nec iam ad elaborata impenſis & arte conuiuia inuitantur populi, ſed immortalitatis alimonia datur à communibus cibis differens, corporalis ſubſtantiæ retinens ſpeciem, ſed virtutis diuinæ inuiſibili efficacia probans adeſſe præſentiam.* Gregorio, qui *in Hom. paſchali* ait, *Species & ſimilitudo illarum rerum vocabula ſunt, quæ antè fuerunt*, ſcilicet panis & vini. Euſebio Emiſſeno *Homil. 5. de Paſchate, can. vtrùm, & can. nos autem, de conſecrat. d. 2.* Ambroſio *lib. 6. de ſacram. c.1.* Remigio Rhemenſi *in Pſalm. 21.* aſſerente: *Panis autem & vinum à Chriſtiana veritate dicuntur, non quòd naturam panis & vini poſt conſecrationem in ſe retineant, niſi quantum ad ſpeciem, & ſaporem, & odorem.* Cyrillo Hieroſolymitano *catech.4. myſtag.* S.Thoma *3. p. quæſt.75. art.5. & quæſt.77. art.1. & lib.4. contra Gentes, c.63.65.* & reliquis Scholaſticis *4. d.10. & 12.* Anſelmo *lib. de ſacramento Euchariſtiæ*, vnde fit, vt cùm in mutationibus naturalibus varientur accidentia, inuariata ſubſtantia ſubiecto accidentium, hîc contra variata ſubſtantia, inuariata remaneant accidentia.

Non manent igitur huiuſmodi panis & vini accidentia in ſubſtantiali vllo 2.
ſubiecto, ex citatis Patribus, & Conciliis, ac Theologis *4. d.12.* VValdenſi *tom. 2. c 76. 77.* Gabriele *lect. 45.* Sainčte *reper.8. c.2.* Ferrarienſi *lib.4. contra Gent. c.65.* Alano *lib.1. c.37.* Valentia *lib.2. de Tranſubſt. c. vltimo*, Bellarmino *lib.3. de Euch. c.24.* patet, tum quia damnatus eſt VViclefus *ſeſſ.8. Concilij Conſtantienſis*, qui errore ſecundo dixerat: *Accidentia panis in Euchariſtia non ſunt ſine ſubiecto.* tum quia non

poſſunt

poſſunt inhærere in ſubſtantia panis aut vini, cùm tranſubſtantietur, & non remaneat, vt definit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *can.* 2. nec in corpore & ſanguine Chriſti, cùm ſint accidentia panis & vini, & non humani corporis; & modus exiſtendi in hoc ſacramento corporis Chriſti, ſit exiſtere indiuiſibiliter, & inuiſibiliter, ideo repugnat, vt illi inhæreat quantitas locum occupans, modo extenſo, & diuiſibiliter. tum quia ſupernaturaliter & diuina virtute non eſt impoſſibile accidens conſeruari ſine ſubiecto. vt enim diuina potentia poteſt producere effectus quarumcumque cauſarum ſecundatum abſque ipſis ſecundis cauſis, cùm ipſis vim omnem agendi illa largiatur, & quòd in ſe ſit infinita: ita & earumdem effectus ſine illis conſeruare poteſt. cùm non ſit maioris difficultatis illa conſeruare, quàm eadem producere. Quare cùm illa accidentia naturaliter per panis & vini ſubſtantiam antea conſeruarentur, ita poſtea abſque inhæſione in ſubſtantia à Deo ſupernaturaliter poterunt conſeruari. tum quia non minus proprium eſt ſubſtantiæ completæ per ſe ſubſiſtere, quàm ſit accidentis inhærere; ſed illud per Dei potentiam in Incarnatione ab humanitate remoueri potuit, quæ exiſtit in Verbo, & non per ſubſiſtentiam propriam; ergo & inhærentia ab accidentibus in Euchariſtia eadem Dei potentia poteſt. tum quia eſſe ad nullius rei eſſentiam pertinet præterquam Dei, quare neque modus eſſendi: at inhærere ſubiecto eſt naturalis modus eſſendi accidentis; non erit igitur de eius eſſentia. non igitur implicat ab illo per Dei potentiam ſeparari; cùm Deus poſſit quicquid non implicat contradictionem. tum denique quia neque Philoſophis id viſum eſt impoſſibile, vt Auicembroni *lib. fontis vitæ tract.* 2. & aliis apud Auerroëm *in epitome Metaphyſ. tract.* 2. & apud Thomam VValdenſem *tom.* 1. *c.* 76. & quamuis Ariſtoteles id non concedat, quia naturaliter fieri non poteſt, vt accidentia exiſtant ſine ſubiecto, docet tamen inhærentiam non eſſe de eſſentia accidentis: quod nobis in propoſito ſufficit, quippe qui de potentia diuina & ſupernaturali diſſeramus. cùm *lib.* 3. *de anima, text.* 9. dicat, *Aliud eſt magnitudo, aliud magnitudini eſſe; ſi igitur exiſtentia accidentis diſtinguitur ab eius eſſentia, multo magis inhærentia, quæ eſt modus exiſtentiæ, diſtinguetur.* Idémque ſentit *lib.* 4. *phyſ. t.* 58. quærens an ſi ſonus tantùm vel color eſſet in ſpacio, poſſétne dici eſſe vacuum. Falluntur igitur Nouatores putantes actualem inhærentiam in ſubiecto, eſſe de quidditate accidentis, & conſequenter cùm remaneant accidentia panis & vini, remanere etiam ſubſtantias; cùm id falſiſſimum ſit, vt S. Thom. 3. *p. q.* 77. *art.* 1. 4. *ſent. d.* 12. *q.* 1. *art.* 1. *lib.* 4. *contra Gent. c.* 65. Scotus 4. *d.* 12. *q.* 1. Durandus *ibid.* Paludanus *q.* 2. Maior *q.* 1. Sotus *d.* 1. *q.* 2. *art.* 1. & alij citati docent; ſed tantùm aptitudo ad inhærendum. Nam cùm ſua natura ſit ens imperfectum, etiam ſua natura dicat aptitudinem ad ſubiectum ſubſtantiale; ideo actualis inhærentia non pertinet ad quidditatem accidentis, vt eſt rationale reſpectu hominis, ſed concomitatur, iuxta ſuam naturam, ſicut comburendi potentia ignem, quæ tamen quoad actum diuina vi poteſt impediri. qua de re Ferrarienſis *lib.* 4. *contra Gent. c.* 65.

3. Sed quoad ſubiectum accidentale, non eodem modo ſe habent accidentia omnia. vt enim docet S. Thomas *lib.* 4. *contra Gent. c.* 65. *& opuſc.* 59. *c.* 4. ordo naturalis inter accidentia eſt, vt immediatiùs & propinquiùs ſubſtantiæ inhæreat quantitas, deinde qualitates, calor, color, ſapor, odor, &c. quæ recipiuntur in ſubſtantia mediante quantitate; cùm requirant ſubiectum quantum, & diuidantur ad diuiſionem quantitatis: poſt qualitates, actiones, & paſſiones, quæ ex qualitatibus tamquam principiis agentibus proueniunt; & ad actiones, &

paſſiones conſequuntur relationes illæ, quæ non fundantur immediatè in ipſa quantitate, vt eſt ſimplex duplum, maius minus, &c. v. g. paternitatis filiationis, &c. quæ in actione & paſſione fundantur. hinc fit, vt poſt conſecrationem quantitas dimenſiua panis & vini, quæ vt ad ſenſum conſtat, remanet, non ſolùm remaneat ſine ſubiecto ſubſtantiali, vt dictum eſt, ſed etiam ſine ſubiecto accidentali. Cùm enim hæc immediatè & primò inhæreat ſubſtantiæ panis & vini, ea deſtructa in nullo ſubiecto etiam accidentali remanere poteſt, vt rectè infert S. Thomas *loco cit. & 3.p.q.77. art.* 2. cum aliis Scholaſticis 4.*d.*12. Soto 4. *d.*10.*q.*2.*art.*2.& alij, qui contra hæreſes ſcripſerunt. etſi inter eos deinde non leuis difficultas ſit, an per huiuſmodi quantitatis independentiam & ſeparationem à ſubiecto, acquirat quantitas, per hoc quòd exiſtit per ſe ad modum ſubſtantiæ, aliquid ſolum negatiuum, an etiam quid poſitiuum. Scotus enim, Richardus, Paludanus, Sotus, Bellarminus *locis citatis*, Henriquez *lib.* 8. *c.*30. & alij plures dicunt, exiſtere per ſe tantùm negatiuè (ad differentiam ſubſtantiæ completæ, quæ poſitiuè ſubſiſtit) id eſt, non exiſtere ex vi alicuius ſubiecti ſubſtantialis, ſed tantùm virtute agentis extrinſeci, Dei ſcilicet conſeruantis illam ſeparatam, vt antea illam conſeruabat in ſubiecto, ſine additamento alicuius poſitiui, cùm id videatur ſufficere. duo enim in propoſito conſiderari poſſunt, videlicet, & quantitatem eſſe ſine ſubiecto, quod eſt mera negatio, ſolúmque requirit abſentiam ſubiecti; & eamdem quantitatem eſſe in rerum natura, quod illi conuenit per exiſtentiam & entitatem efficienter conſeruatam à Deo. Henricus verò *quodlib.*4.*q.*7. *& quodlib.*8.*q.*37. & Caietanus putant quantitati ſeparatæ à ſubiecto ad hoc vt per ſe ſit, addi aliquid poſitiuum ſubſtantiale realiter à quantitate diſtinctum, quod vicem ſuppleat ſubſtantiæ, ſitque eius veluti inſtrumentum & ſemen, vt calor eſt inſtrumentum ſubſtantiæ. ſed meritò refutantur à Soto & aliis, quia non poſſit aliquid ſubſtantiale communicari accidenti ſiue tamquam pertinens ad naturam eius ſpecificam, cùm tota latitudo accidentis, ſit accidens, adeóque ſit impoſſibile ad latitudinem accidentis intrinſecè pertinere aliquid ex ſe ſubſtantiale, ſicut ad latitudinem ſubſtantiæ intrinſecè pertinere accidens; cùm hæ duæ latitudines ſint inter ſe primò diuerſæ; repugnétque id Concilio Tridentino *loco cit.* & Patribus nihil ſubſtantiale ibi admittentibus præter Chriſti ſubſtantiam. cúmque hæc entitas realiter diſtincta debeat eſſe extenſa, quippe quæ ſit materialis, potiùs indigebit quantitate, quàm ipſa ſuſtentet quantitatem; ſiue tamquam modus accidentis; modus enim rei, ad idem genus pertinet, in quo res ipſa eſt; ac proinde modus accidentis ad genus accidentis, & non ad genus ſubſtantiæ. neque enim modus rei præſtantior eſſe poteſt re, cuius eſt modus. Alij denique inter quos eſt Suarez *diſp.*56. *ſect.*2. quaſi medij incedentes arbitrantur aduenire quidem quantitati, quæ ſeparata à ſubiecto conſeruatur, aliquid poſitiuum, ſed accidentale, modum videlicet exiſtendi per ſe, actuali inhærentiæ repugnantem. tum quia ſicut ſubſiſtentia ſubſtantiæ eſt realis modus poſitiuus, quo terminatur natura ſubſtantialis completa, vt per ſe ſit, & non in alio; ita veriſimile eſt, cùm ſeparatur à ſubiecto quantitas, vt per ſe ſit, dari etiam illi realem modum proportionatum; aliàs, ſi eſſe per ſe diceret ſolam priuationem, non facilè poſſet probari ſubſiſtentiam ſubſtantiæ completæ aliud eſſe, quàm priuationem. tum quia huiuſmodi modi, qui non diſtinguuntur realiter à rebus, ſed tantùm ex natura rei, facilè reſultant quando tollitur contrarius modus: vt, v.g. in ſubſtantia ſi auferatur ab humanitate Chriſti vnio qua exiſtit in verbo, ſta-

tim

tim reſultabit perſonalitas propria; ſi à quantitate remoueatur modus exiſtendi diuiſibiliter in loco, vt fit in hoc myſterio, reſultat modus exiſtendi indiuiſibiliter; ſi ab eadem quantitate amoueatur vna figura, reſultat altera; ſi corpus deſerat vnum Vbi, conſequetur alterum. Quare etiam cùm inhærentia ſuo modo ſit terminus connaturalis exiſtentiæ accidentis, non auferetur, niſi alius oppoſitus addatur. Vt igitur ad rem noſtram reuertamur, remanet in Euchariſtia quantitas ſeparata ab omni ſubiecto; quo fit, vt cùm antea operaretur vt quo, nunc ſeparata operetur vt quod, ſiue nouus modus poſitiuus addatur, ſiue non. Eſt autem operari vt quo, nihil aliud quàm operari vt formam. Sicut enim eſſe vt quo, eſt eſſe id, quo aliud eſt, ita operari vt quo, eſt eſſe id, quo tamquam forma aliud operatur. vnde accidentia & formæ ſubſtantiales dicuntur operari vt quo. ideo cùm quantitas in Euchariſtia ſit ſeparata, non habet amplius ſtatum formæ; & ita ſicut actu non eſt id, quo aliud eſt, ita actu non eſt id, quo aliud operatur. reliquum eſt igitur vt ſit id, quod operatur per qualitates inhærentes. Vnde fit, vt ſine nouo miraculo habeat quantitas ſeparata, vt agat, & patiatur, ſicut ſi eſſet in ſubſtantia. Miraculum enim in ipſa ſeparatione conſiſtit, non in operatione poſt ſeparationem, vt docet Scotus, Sotus, & alij Theologi. Cætera verò accidentia habent pro ſubiecto accidentali ipſam quantitatem, vt docet S. Thomas 3. *p. quæſt.* 77. *art.* 2. *&* 4. *d.* 12. *& lib.* 4. *contra Gent. loco cit.* Bonauent. 4. *d.* 12. *art.* 1. *quæſt.* 3. *&* *art.* 2. *quæſt.* 3. Rich. *art.* 1. *quæſt.* 2. Scotus 4. *d.* 12. *quæſt.* 2. *&* 5. Durandus *quæſt.* 1. Palud. *quæſt.* 3. Sotus *d.* 10. *quæſt.* 2. Ferrar. 4. *contra Gent. c.* 65. & alij, quicquid ſenſerit Ochan 4. *quæſt.* 7. *& tract. de Euchariſtia, c.* 28. Maior 4. *d.* 12. *quæſt.* 2. Petrus de Aliaco *quæſt.* 5. Gabriel *lect.* 44. Marſilius 4. *q.* 9. *art.* 2. tum quia Ariſtoteles *cap. de Quanto,* ait: *Tantum album eſſe dicitur quanta fuerit ſuperficies.* vel igitur quia quantitas recipiatur in aliis, quod repugnat, aliàs cùm qualitates ſint multæ, multæ eſſent ibi quantitates ſe penetrantes, vel quia alia recipiantur in quantitate, vt verba Ariſtotelis indicant, & per eam ſint extenſa, præſertim cùm quantitas proximior ſit materiæ, eámque maximè imitetur, quòd multum habeat potentiæ receptiuæ, & ſic quantitas erit ſubiectum accidentale reliquorum. tum quia ad motum albedinis, v. g. non mouerentur aliæ qualitates, ſi non colligarentur tamquam in ſubiecto in ipſa quantitate, cùm non inſint in ſubſtantia, quippe quæ non adſit, & quoad qualitates non ſit maior ratio cur vna aliarum ſit ſubiectum, quàm alia. Tum quia niſi qualitates ſint in quantitate tamquam ſubiecto, ſpecies ſacramentales non poſſent alterari naturaliter, cùm qualitates non pugnent inter ſe niſi in ordine ad ſubiectum aliquod. tum quia naturaliter qualitates non recipiuntur in ſubſtantia, niſi media quantitate, cùm exigant ſubiectum quantum. ob id proximè recipiuntur, tamquam ſubiecto accidentali, in quantitate; vnde etiam illam afficiunt. non igitur mirum, ſi poſt conſecrationem in eadem quantitate ſubiectentur; idque ſine nouo miraculo.

4. Sicut etiam ſine nouo miraculo eadem accidentia conſeruata ſine ſubiecto poſſunt agere, quod ante conſecrationem poterant, ex S. Thoma 3. *p. quæſt.* 77. *art.* 3. 4. *d.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 2. Caietano 3. *p. quæſt.* 77. *art.* 1. Soto 4. *d.* 10. *quæſt.* 2. *art.* 3. Victoria *de ſacram. quæſt.* 62. & aliis Scholaſticis 4. *d.* 12. vt enim antea agebant quaſi virtus, organum, & vicarium quoddam ſubſtantiæ; ita cùm poſt conſecrationem retineant idem eſſe, cum naturali ſuo modo accommodato ad agendum, poterunt abſque entitate aliqua ſuperaddita tamquam eadem virtus, organum, & inſtrumentum ſubſtantiæ, quæ præfuerat, agere. Sicut

CCc 2 calor,

calor, licèt non ſit amplius cum igne coniunctus, incendere poteſt, & ſemen etiam defuncto animali, ſuapte natura & entitate agit, tamquam virtus & organum animalis, vt optimè declarat Caietanus *loco citato*, præſertim cùm ſubſtantia immediatè per ſe non agat, ſed tantùm mediis accidentibus, vt docet Ariſtoteles, cùm *lib. de ſent. & ſen. c.* 4. dicit ignem non agere vt ignem, ſed vt calidum. & *lib.* 2. *de anima.t.*42. *&* 50. & Auerroës *lib.*7. *metaph.* 31. Nec refert quòd accidentia non ampliùs inhæreant in ſubiecto ſubſtantiali, cùm huiuſmodi inhærentia ſolùm naturaliter antea eſſet neceſſaria ad agendum, quatenus neceſſaria erat, vt accidentia exiſterent in rerum natura, ideo ſi aliter exiſtant in natura, vt per conſecrationem accidit, poterunt connaturaliter idem agere, quod poterant antea. Sic experientia videmus ſpecies conſecratas ſentiri, tactu, olfactu, viſu, &c. calefacere, frigefacere, & ſi ſint in magna quantitate ſtomachum fouere, vini ſpecies inebriare, & præſtare reliqua, vt antea. Pari modo, eadem abſque nouo miraculo ab aliis rebus pati poſſunt, ſicut ante conſecrationem, ex eodem D. Thoma 3. *p. quæſt.* 77. *art.* 4. & citatis; idque ratio dictat, quia retinent idem eſſe proportionatum ſubſtantiæ, quæ præfuerat. & confirmat experientia. Species enim panis, calefiunt, frigefiunt, madefiunt, ſiccantur, franguntur, putreſcunt, comburuntur: vini autem calefiunt pariter, frigefiunt, congelantur, aceſcunt, corrumpuntur; quamquam de quantitate ipſa ſit maior difficultas quàm de qualitatibus. vnde S. Thomas, Caietanus, & Sotus *locis citatis*, cum Capreolo 4. *d.*12. *quæſt.* 1. Paludano *quæſt.* 4. Richardo *art.* 2. *quæſt.* 2. *& art.* 4. *quæſt.* 2. & aliis Thomiſtis, exiſtimantes quantitatem ineſſe toti compoſito, dicunt eam produci, cùm generatur compoſitum, adducente ſubſtantia, quæ in fine alterationis in materiam ſuccedit, nouam quantitatem, quæ aliam ſecum non admittit. Similiter etiàm corrumpi per accidens, cùm idem compoſitum corrumpitur; & conſequenter cùm eſt conſecrata, corrumpi etiam per accidens ad deſitionem præſentiæ Chriſti, cùm videlicet ſpecies ita alterantur, vt corrumpenda foret, ſi amplius, quæ præfuit panis & vini ſubſtantia, adfuiſſet. At verò Alenſis 4. *p. quæſt.* 49. *m.*2. *art.*4. §. 1. Henricus *quodl.*8. *quæſt.* 36. Ferrarienſis 4. *contra Gent.c.*66. Suarez *diſp.* 57. *ſect.*2. quos nos etiam ſequnti ſumus *lib.* 3. *phyſ.* quòd ſit etiam ſententia Ariſtotelis *lib.* 7. *metaph. t.*8. Platonis apud Simplicium *lib.* 1. *phyſ. t.*69. Auerrois *lib.*1. *phyſ.t.*63. *& lib. de ſubſtantia orbis, c.*1. Philoponi *lib.*1. *phyſ. t.*82. *& lib.* 1. *de Generat. t.*33. *&* 40. Ammonij *in Prædicamento quantitatis*, præcisè aſſerentis materiam prius eſſe quantam, tum recipere formam, & fieri compoſitum, & communis Philoſophorum, exiſtimant quantitatem inhærere in materia prima à qua ſola in genere cauſæ materialis pendeat; eſſéque ingenerabilem & incorruptibilem, eamdem numero permanere in genito, quæ fuit in corrupto: vt mediante quantitate materia prima receptura nouam formam, habere & retinere poſſit diſpoſitiones requiſitas, ad eductionem ſequentis formæ. Cùm alteratio, quæ eſt ſecundùm qualitates, non poſſit eſſe niſi in ſubiecto quanto, *ex lib.* 6. *phyſ. & lib. de ſent. & ſen.* conſequenter etiam dicunt Theologi prædicti, cùm præſentiæ Chriſti in corruptione ſpecierum ſuccedit alia materia, præexiſtentem quantitatem non corrumpi, ſed ſuccedenti materiæ vniri, ſicque remanere eamdem in animali, v. g. genito, vt etiam remanent qualitates diſponentes ad nouam formam, quæ non niſi in ſubiecto quanto eſſe poſſunt.

Tandem

5. Tandem quæri poteſt, an ex panis & vini ſpeciebus corruptis ſubſtantia aliqua fieri poſſit generatione aut nutritione? Dicendúmque eſt cum S. Thoma *3.p.q.77. art.5. & 6. lib.4. contra Gent. c.66. & opuſc.59.c.6.* & cæterorum Theologorum communi ſententia, poſſe, cùm experientia conſtet ſi putreſcant, generari vermes, & ſi comburantur, cineres. Neque enim probandus eſt Algerus *lib.2. de ſacram. Euch. c.1.* Guitmundus *lib.2.* & VValdenſis *tom. 2. c.62.* huiuſmodi nutritionem, & generationes non veras, ſed apparentes tantùm eſſe opinantes, cùm huiuſmodi vermes geniti, & cineres ſint permanentes, & in ſtomacho comedentis & bibentis verè nutriant. Quinetiam diuino beneficio factum eſt, vt Hor Abbas, vt *ex eius vita*, Pallad. *in Lauſiaca, cap.*8. & Nicephoro *lib.*11.*c.*34. conſtat, tres continuos annos ter ſumta in hebdomada Euchariſtia de manu Angeli ſine alio vixit cibo. Triennio etiam poſt ſumtam Euchariſtiam vixit ſine alio alimento puella in territorio Tullenſi imperante Ludouico pio, ex Annonio *lib.5. annal.c.*19. & Sigeberto *in Chronico* anno 823. Narrat Palladius *in Lauſiaca c.56.* Ioannem Monachum plures annos nihil ſumſiſſe præter Euchariſtiam die Dominico. & de Ertone *c.29.* non niſi poſt tres menſes ſæpe eum cibum cœpiſſe ſola communione contentum. Scribit Michaël Studita *in vita Theodori Studitæ preceptoris ſui, in carcerem coniecti ob defenſionem ſanctarum imaginum, anno* 816. diutius ſola Euchariſtia eum vixiſſe. vt etiam de religioſa fœmina, quæ ſola Euchariſtia die Dominico ſumta diu ſine cibo & potu perſeuerauit, ſcribit Cæſarius Heiſterbachenſis *lib.9.c.47.* & de alia Argentina. Afferríque poteſt B. Catherina Senenſis. Tota igitur difficultas eſt de modo, quo fiunt huiuſcemodi mutationes ſubſtantiales generationis, & nutritionis. & quidem Ferrarienſis *lib.4. contra Gent.c.66.* Henricus *quodl.8. q.36.* Viguetius *de ſacr. Euchar. verſu 9.* & videtur etiam opinio S.Thomæ *locis citatis*, ne admittant de nouo à Deo creari materiam, affirmant huiuſmodi generationem & nutritionem fieri à ſola quantitate ſupplente vices materiæ ac ſuſtentante formas ſubſtantiales aduenientes. verùm opinio hæc nimis graues inſtantias ac difficultates patitur, tum ſcilicet quia neceſſe eſſet dicere perpetuò in reliquis omnibus generationibus ſubſequentibus quantitatem manere ſeparatam à materia, quod maximum abſurdum eſt: fieríque poſſet vt ex cineribus aut vermibus huiuſmodi oriretur ſatum frumentum, & iterum fieret panis conſecrandus, & non haberet materiam. tum quia non poſſet produci aliquod ens per ſe, cùm non poſſit fieri vnum per ſe niſi ex potentia & actu ſubſtantiali, non autem ex rebus diuerſorum prædicamentorum, quantitate ſcilicet, & forma ſubſtantiali, magis quàm album conſtans ex ſubſtantia & albedine. Ideo ſi ex forma ſubſtantiali & quantitate ſubiecto accidentali fieri poteſt vnum per ſe, cur non etiam eadem ratione fiat vnum per ſe ex ſubiecto ſubſtantiali, & forma accidentali? Quare dum vnam difficultatem volunt effugere, multa admittunt miracula. Alij igitur, vt Capreolus *4.d.12. q.1. art.3. ad argum. contra 3. concluſionem.* Sotus *4.d.10.q.2. art.5.* & Caiet. *art.5.* qui credunt etiam eſſe ſententiam D.Thomæ, Scotus *4.d.12.q.5.* & *ibid.* Durand. *q.2.* Maior *q.4.* Marſilius *q.8. art.4.* Bellarm. *lib.3. de Euchariſtia, c.24. art.6.* Suarez *diſp.57. ſect.3.* & reliqui communiter, rectiùs exiſtimant in inſtanti quo deſinunt ſpecies ſacramentales, & in quo aliud generatur, aut per nutritionem adgeneratur viuenti, Deum prius natura ſubſtituere materiam abſque alio miraculo, & in eodem ab agente naturali mediis præmiſſis diſpoſitionibus, introduci formam. quare non fit materia ab agente naturali, vt putauit Richardus *4.d.12. art.2.q.2.* cùm naturaliter prima materia à prima cauſa petat produci, ſed à Deo.

Ideo ſicut ſufficienter diſpoſito humano corpore ab agente naturali abſque nouo miraculo, Deus animam creat, & infundit corpori id exigente recto rerum ordine inſtituto à Deo, ita præmiſſis diſpoſitionibus ab agente naturali, ad generationem ſubſtantiæ abſque alio miraculo, ita exigente myſterio Euchariſtiæ ab eodem inſtituto, ſubiicit materiam. Et ſi inter auctores citatos ſit in eo lis, quòd aliqui velint huiuſmodi materiam eſſe illam eamdem numero, quæ fuit ſub forma ſubſtantiali panis, & vini, quæ à Deo reproducatur, vt tenet Alenſis 4. *p.q.*53. *m.*5. Innocentius *lib.*4.*q.*12. Suarez *diſp.*57. *ſect.*3. quod non placet D.Thomæ, alij verò diuerſam eſſe exiſtimant, quòd ſit nouum miraculum idem numero reproduci, ſic tenet S.Thomas *loco cit.* Sotus 4.*d.*10.*q.*2. *art.*5.& Ledeſma *q.*18. Atque hæc dicta ſint circa tertiam canonis particulam, iam reliquas proſequamur.

Canonis pars quarta: *Vnde & memores.* CAP. XIX.

SVMMARIVM.

1. *Commemorationem Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Chriſti in Liturgia veteri conſuetudine rectè fieri, non item Natiuitatis.*
2. *De geſtu ſacrificantis, & crucibus ſuper oblatis.*
3. *Cur Euchariſtia adhuc panis vocetur, & quibus panis vitæ & calix ſalutis perpetua ſit, & quibus lethalia venena: & cur tam rarò puniantur indignè ſumentes.*
4. *Nos haud Deum rogare pro Chriſto, vt latrant Nouatores, ſed vt non tantum ex parte rei oblatæ, & offerentis principalis, veruntamen Miniſtrorum & cooſſerentium oblatio noſtra non minus Deo placeat quàm ſacrificium Abelis, Abrahami, & Melchiſedechi.*
5. *Sicut neque petimus ipſum ſacrificium corporaliter deferri per Angelos in cœlum, ſed Deo vota, & deſideria noſtra, ſua interceſſione commendare.*
6. *De ſacerdotis inclinatione, altaris oſculo, & ſignatione ſacrificij.*

Eccleſia itaque memor præcepti Chriſti, vt auguſtiſſimum hoc ſacrificium 1.
Deo in ſui memoriam offeramus, quam ſolam commemorationem dixit Origenes *Hom.*13. *in Leuit.* Deum reddere hominibus propitium, ideóque dictum à Domino: *Hoc facite in meam commemorationem*; hoc loco ante expreſſam ſacrificij oblationem, commemorat, vt obſeruat Stephanus Heduenſis *c.*17. Odo Cameracenſis *hoc loco*, Innocentius *lib.*5.*c.*1. Durandus *lib.*4.*c.*43.& Gabriel *lect.*53. eius præcipua myſteria, ſcilicet Paſſionem, iuxta D.Paulum 1.*Cor.*11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis.* quam beatam nominat, ex Gabriele, quòd nobis cœleſtem beatitudinem operetur, cùm deleuerit *ad Coloſſ.*2. quod aduersùs nos erat chirographum, affigens illud cruci. cui conformiter dixit Alexander I. *epiſtola* 1. *ad omnes Orthodoxos, In ſacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino afferunt, paſſio Domini miſcenda eſt.* Reſurrectionem ab inferis, cùm rediuiuus deuictis inimicis, expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo; & in cœlos glorioſam aſcenſionem, qua Pontifex magnus Ieſus Chriſtus penetrauit cœlos, vt dicitur *ad Hebr.c.*4. & *ad Epheſios* 1. Pater conſtituit

*Ad Coloſſ.*2.

tuit Ieſum ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro; & omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Porrò horum primo accenditur charitas, altero excitatur fides, tertio inflammatur ſpes, futurum ſcilicet aliquando, vt eò transferantur membra, vbi regnat caput noſtrum. Natiuitas autem Chriſti, commemorari non debuit, vt notat etiam Radulphus *propoſitione* 23. cùm hoc ſacrificium ſit memoriale paſſionis 1.*Cor.*11. non autem natiuitatis. Subiicitur deinde vocalis oblàtio ſacrificij, quamuis, vt diximus *lib.*1. *c.*5. cum Bellarmino, Suarez, & aliis, id non ſit ſimpliciter neceſſarium ad rationem ſacrificij, quicquid in oppoſitum exiſtimauerit Clithouæus *lib.*2. *contra Lutherum c.*16. Eckius *lib.*3. *de ſacrificio Miſſæ, c.*9. & alij. in ea aut totam rationem ſacrificij, aut ſaltem partem, vt Henriquez *lib.*9.*c.*9.§.3. conſtituentes. Habetur autem hæc canonis particula etiam in Liturgia Baſilij verbis illis: *Memorantes ergo Domine, & nos ſalutarium eius paſſionum, viuificæ crucis, triduanæ ſepulturæ, ex mortuis reſurrectionis, & in cœlum aſcenſionis, &c.* ſimiliáque etiam habentur in Liturgia Chryſoſtomi, & apud Clementem *lib.*8.*conſt.c.*17. & innuuntur in Concilio Epheſino *c.*14. & à Cyrillo *lib.*12.*in Io. c.*58. Eiuſdémque ex Latinis meminit Ambroſius *lib.*4. *de ſacram.c.*6. Auguſtinus apud Micrologum *c.*13. Bēda *lib.*6. *in Lucam, c.*8. Amalarius *lib.*3.*c.*25. Alcuinus, & alij rerum eccleſiaſticarum tractatores.

2. Dum autem hæc, ſicut ferè totum Canonem, ſacerdos recitat, manus expandit, vt Chriſti paſſionem quam verbis commemorat, corporis etiam geſtu ſignificet, qui per Iſaiam *cap.*65. dicit, *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem & contradicentem mihi,* ex S.Thoma 3.*p.q.*83. *art.*5. *ad* 5. Micrologo *c.*16. & Gabriele *hoc loco.* Cúmque hoſtiam puram, ſanctam, & immaculatam ſe Deo offerre teſtatur, ad differentiam hoſtiarum irrationabilium legis veteris, eo quòd Agni immaculati tollentis peccata mundi Chriſti Domini corpus & ſanguinem offerat, per conſecrationem panis & vini aqua mixti, quæ Deus nobis dono dedit, vt exponit Innocentius *lib.*5.*c.*3. quinque crucibus ſignat, non ad propoſita dona conſecranda, cùm iam conſecratio ſit perfecta formæ verbis conſecratoriis, vt contra Nicolaum Cabaſilam, & alios recentiores Græcos, aliàs diximus: neque ad benedicendum Chriſtum fontem omnis gratiæ, & de cuius plenitudine accepimus omnes, *Ioan.c.*1. ſed potiùs, teſte Hugone *lib.* 2. *de off.c.*32. ad teſtificationem iam peractæ & adimpletæ conſecrationis; & ex Stephano Heduenſi *c.*17. Ruperto *lib.*2.*de off.c.*12. S.Thoma 3.*p.q.*83.*art.*5.*ad* 3. Bonauentura *loco citato.* & Gabriele *lect.* 54. ad quinque Chriſti vulnera in Cruce pendentis piè recolenda. Eodémque pertinet quod dixit Chryſoſtomus *Homil. quòd Chriſtus ſit Deus.* ſignum Crucis in myſticis cœnis cum Chriſti corpore fulget, qua de re plura diximus *lib.*3.*c.*8.

Rom. 10. *Ioan.*1. *Act.*8. *Apoc.*5. *Iſaia* 53.

3. Et quamuis per conſecrationem iam adſit Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini, & non amplius panis & vini ſubſtantia, vt fatetur Ambroſius *lib.*4. *de ſacram.c.*4. dicitur tamen adhuc panis, non certè quicumque, ſed vitæ æternæ, ſecundùm illud *Ioan. c.*6. *Ego ſum panis viuus. & qui manducat hunc panem viuet in æternum.* quod fit, tum ex Lanfranco *lib.de ſacramento Euchariſtiæ.* & Algero *lib.*1.*c.*6. quia ex pane conficitur: tum ex iiſdem & Paſchaſio *c.* 10. & Catechiſmo Romano *c.de Euch.* quia noſtris oculis panis videtur ob ſpecies ſacramentales, quæ perſeuerant; tum quòd animam alat & nutriat non ſecus ac panis corpus. & ſanè

ne rectè panem hunc & ſufficientem eſſe, & ideo duraturum vſque ad diem iudicij, & iuſti animam reficere, & maximam exultationem parere, & ſapore dulciſſimum eſſe, & denique hominum corda perficere docet Hugo Card. in illud *Pſal.*21. *Edent pauperes & ſaturabuntur, &c.* tum quòd Angelorum ſit cibus & panis, ex Odone & Algero *loco citato.* cùm dictum ſit *Pſal.*77. *Panem Angelorum manducauit homo.* Porrò panis hic non quamcumque vitam ſumenti digne impertit, ſed virtutis & gloriæ. eſt enim quadruplex vita, arborum, pecudum, hominum, & Chriſti. prima illa arbores vegetat, altera non tantùm pecudes vegetat, ſed illis etiam vim ſentiendi tribuit. tertia præter hæc vim quoque ratiocinandi hominibus largitur, Chriſti denique vita, virtutes Chriſti homini inſerit, adeóque Chriſto vnit, vt de ea loquens D. Paulus *ad Galatas* 2. dixerit, *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* & Chriſtus Auguſtino *lib.* 7. *confeſſ. c.* 10. *Non ego mutabor in te, ſed tu mutaberis in me.* quo planè fit vt quod de arbore ſcientiæ boni & mali mentitus eſt dæmon, *Eritis ſicut Dij,* medio hoc pane vitæ conſequamur. dum in nouos homines in hoc ſacramento formamur, in cœlo deinde cum Deo ſine fine victuri. Verùm enimuero iis tantùm eſt panis vitæ, & calix ſalutis perpetuæ, quibus Chriſtus vita eſt, *Io.*10.11.14. mors autem & venena lethalia cæteris; dixit enim Paulus 1.*Cor.*11. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, ſomno vtique mortis, & non pacis.* vnde Pacianus *lib. de pœnit.* explicans prædicta Apoſtoli verba, *Si quis,* inquit, *futura non metuit, vel præſentem ægritudinem, præſentémque obitum reformidet,* cùm iudicamur, *inquit Apoſtolus,* à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. *Lætare peccator, ſi in hoc ſeculo aut morte interciperis, aut languore conſumeris, ne puniaris poſt ſeculum. Intellige quantum ſceleris admittat qui ad altare venit indignus, cui pro remedio computatur, cùm aut morbis laborat, aut morte diſſoluitur.* apud D. Cyprianum *ſer. de lapſis. Anus ætate prouecta, quæ indignè latenter obrepſit myſteriis, non cibum, ſed gladium ſibi ſumens, & veluti venena intra fauces & pectus admittens, angi & anima exæſtuante concludi cœpit, poſteáque palpitans ac tremens concidit: & quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit vltorem.* & *ſer. de cœna.* idem Cyprianus. *Lambunt quidem petram, ſed inde nec mel ſugunt nec oleum, qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec Spiritus ſancti pinguedine vegetantur, nec ſe iudicant, nec ſacramenta diiudicant; ſed ſicut cibis communibus irreuerenter ſacris vtuntur muneribus, & dominicæ menſæ in veſte lutulenta ſe ingerunt impudenter. quibus melius erat mola aſinaria alligata mergi in pelagus, quàm illota conſcientia de manu Domini buccellam accipere, qui vſque hodie hoc veraciſſimum & ſanctiſſimum corpus ſuum creat.* Docet etiam Chryſoſtomus *Hom.*5. *in* 1. *ad Timoth.* ſuo tempore (vt etiam de ſuo fecerat Dionyſius *lib. de eccl. hier.*) complures, qui indignè ad Euchariſtiam accedebant, à ſatana vexatos. *Plurima,* inquit, *huiuſmodi nunc quoque contingunt, quia enim ſacerdotes ignorant eos, qui peccatis obnoxij, indignè veneranda myſteria percipiunt, Deus ſæpius facit, eoſdémque ſatanæ tradit: quoties denique morbi, quoties detrimenta, quoties luctus calamitatéſque contingunt, huius rei gratia fiunt.* Idémque *Hom.*17. *in ep. ad Hebr.* docet, *Sicut cibus naturaliter nutritorius exiſtens, ſi in eum, qui prauis cibis corruptus eſt, incidat, omnia perdit & corrumpit, efficitúrque occaſio morbi; ſic etiam terribilia hæc ſacramenta, ſi ab indigno & peccatorum ſordibus inquinato ſuſcipiantur, mortem afferre.* & *Hom.*45. *in Io. Si,* inquit, *purè acceſſeris, ad ſalutem acceſſiſti, ſi in praua conſcientia, ad pœnam & ſupplicium.* Cyrillus quoque Eremita *in vita Euthymij* ſcribit ab eo ſæpe viſum in diſtributione & ſumtione dominici corporis, quoſdam illuminari, obſcurari alios, qui ea luce indigni erant, & morte affici. Quare hic diuinus panis idem omnino præſtat, quod de

Coriandro

Coriandro narrant Petrus Bercorius *cap. de Mamma,* & Petrus Valderame *ſer. 6. in feſto corporis Domini,* nempe eſſe quidem hominibus ſaluberrimum, cùm ſtomachum foueat, & cerebrum purget, at verò canibus datum protinus rabiem & mortem afferre. vt enim verbis vtar D. Bernardi *ſer. de cœna. Canes ſunt qui irreuerenter accedunt; & ideo indicati abſcedunt.* Quod etiam in Lothario Rege Franciæ accidiſſe videmus, qui cùm anno 868. vel ex Sigeberto 878. Romam ad Adrianum ſecundum veniſſet, vt ſe de obiecto crimine cum VValdrada, de quo à Nicolao ſæpius admonitus fuerat, purgaret, finitis Miſſarum ſolemniis Adrianus corpore Domini in manibus accepto, ei dixiſſet: *Si innoxium te cognoſcis à prohibito atque interdicto tibi à Nicolao adulterij ſcelere, ſtatutúmque habes numquam poſthac VValdradæ pellicis tuæ nefario concubitu miſceri, fiducialiter accede, & ſacramentum ſalutis æternæ tibi ad remiſſionem peccatorum profuturum percipe; ſin aliter, nequaquam ſumere præſumas, ne fortè ad iudicium & condemnationem tibi proueniat.* Quæ etiam aulicis Principibus, qui eum comitabantur, illúmque dicebant innoxium, præfatus eſt, & cùm de Pontificis manibus Rex cæteríque obdurati accepiſſent, in horribile Dei iudicium omnes inciderunt, cùm miſerrimè omnes in itinere perierint, vt docet Regino, & Aimoinus *lib. 5. c. 21.* Quare malè communicantibus accidit quod dicitur *Iob c. 20. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus.* eíſque etiam S. Thomas *opuſc. 59. c. 6.* accommodat illud *Pſalmi 68. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum. obſcurentur oculi eorum ne videant, &c.* quæ ad litteram prædicta fuerant de ſcripturarum menſa, quæ Iudæis ob eorum ingratitudinem, non in eſcam, ſed in laqueum & ſcandalum facta eſt. Videri alia poſſunt de peccatis malè communicantium apud Baſil. *lib. 2. de Bapt. c. 3.* Petrum Bleſſenſem *ep. 123.* & quæ ſuperiùs diximus *lib. 2. c. 6. lib. 3. c. 11.* & dicturi ſumus *hoc eodem lib. 4. c. 26.* At cur, inquies, tam rarò apertè puniuntur indignè Euchariſtiæ ſacramentum ſumentes? An ex Paſchaſio *c. 8.* quia ſi ſemper in peccantibus aperta fieret vltio, terror & non fides ac religio compeſceret homines? An vt diuinâ patientia vltionem differente multi reſipiſcant? vnde & Cecrops à Poëtis biformis fuiſſe dictus eſt, quòd fuiſſet initio malus, deinde verò bonus. videatur etiam Nicephorus *lib. 11. c. 35.*

4 Poſt expreſſam oblationem prædictam precatur Eccleſia Dominum, vt propitio ac ſereno vultu dignetur reſpicere oblata, & habere accepta; cuius etiam particulæ meminit S. Ambroſius *lib. 4. de ſacr. c. 6.* & auctor qq. noui & veteris Teſtamenti *q. 109.* ſimiliáque habentur apud Clementem *lib. 8. c. 17.* verbis illis, *Rogamúſque te, vt benignè aſpicere digneris ſuper hæc dona propoſita in conſpectu tuo, &c.* & in Liturgia Iacobi, & Baſilij. Neque verò Deum rogamus pro Chriſto, vt latrant Nouatores, ſed vt docet Stephanus Heduenſis *c. 17.* S. Thomas *3. p. q. 83. art. 4. ad* 8. Innoc. *lib. 5. c. 4.* Gabriel *lect. 55.* Rupertus, Alenſis, & alij pro infirmitate noſtra, etſi enim oblatio hæc & ex parte rei oblatæ, & ex parte offerentis principalis Chriſti Domini, ſemper Deo placeat, & in infinitum magis quàm cætera omnia ſacrificia, ex parte tamen Miniſtri & populi adſtantis, & coofferentis poteſt non placere; ob id petimus, vt Deus benignè reſpiciat munus hoc, vt offertur à nobis: concedátque tanta fide & deuotione ſacrum ſacrificium & immaculatam hanc hoſtiam offerre quanta olim Abel *Gen. 4. ad Hebr. 11.* Abraham *Gen. 22.* & Melchiſedech *Gen. 14. ad Hebr. 5. 6. 7. Pſal. 109.* in lege naturæ obtulerunt ſacrificia ſua. duo quidem priores carnem viuam, vltimus panem & vinum in figuram ſacrificij noſtri, in quo agni immaculati carnem viuam & ſanguinem latentes in panis & vini ſpecie immolamus, vt notauit etiam VVal-

Io. Bapt. Scortia de ſacrif. Miſſa.

denſis *tom.* 3. *tit.*4.*c.*39. paulo fuſior pars hæc eſt in Liturgia Baſilij, his verbis: *Reſpice in nos Deus, & vide ſuper ſeruitutem noſtram hanc, & ſuſcipe eam ſicut ſuſcepiſti Abel munera, Noe ſacrificium, Abrahæ holocauſtum, Moyſi & Aaron ſacrationes, Samuel hoſtias pacificas; ſicut ſuſcepiſti de ſanctis tuis Apoſtolis verum iſtud myſterium, ſic & de manibus noſtris peccatorum ſuſcipe munera iſta in benignitate tua Domine, &c.* Poſtrema verò verba illa, *ſanctum ſacrificium immaculatam hoſtiam*, addita ſunt à D. Leone ex Innoc.*lib.*5.*c.*4. Hugone *lib.*2. *de off.c.*11. Ruperto *lib.*2. *de off.c.*21. Durando *in Ration. lib.*4.*c.*43. Damaſo *in Pontificali,c.*45. Beda *in Martyrologio*, Bernone *c.*33. Micrologo *c.*12. VValfrido *c.*22. & Bonau. *in expoſit. Miſſæ.*

Supplices deinde Deo inclinati diuinæ gratiæ abundantiam omnibus participantibus poſtulamus, & rogamus adiuuari Angelica interceſſione, & Deo 5. commendari cultum obſequiúmque, quod immolando ei exhibere deſideramus, ex Hugone *lib.*2. *de off.c.*34. & communi ſententia; non autem vt ſomniat Lutherus, Antonius Sadeelus, & alij Nouatores, per Angelicas manus ſacrificium ipſum corporaliter deferri in cœlum, cùm illud paulo pòſt ſimus nos ſumturi. Neque id nouum aut inuſitatum eis videri debuit, cùm *Tobiæ* 12.& *Apocalypſ.*8. habeatur, orationes noſtras ad Deum Angelico miniſterio deferri. Neque enim Angeli noſtras voces ac verba realia ſurſum deferunt, ſed vota deſideriáque noſtra Deo ſua interceſſione commendant. Eumdémque loquendi modum habemus apud D. Gregorium Nazianzenum *orat.*1.*n.* 125. cùm ait: *Qui* [ſacerdos] *cum Angelis ſtabit, cum Archangelis glorificabit, ad ſupernum altare ſacrificia tranſmittet, cum Chriſto ſacerdotio fungetur.* viſúſque eſt aliquando Angelus multis aliis aſtantibus & collætantibus prope ſacerdotem conſiſtere, & ad horum verborum pronunciationem Deo propoſitum ſacrificium offerre, vt patet ex *Speculo exempl.diſt.*9.*c.*188. Hinc etiam peſſimè infert Cabaſila *c.*30. Latinos credere nondum conſecratum eſſe Chriſti corpus, vt notauit etiam Gentianus *in Præfat. ad Cabaſilam.* Neque enim ex his verbis id potuit iure Cabaſila elicere, cùm tantùm poſtulemus ſacrificium oblatum Deo ab Angelis etiam Deo commendari. Porrò nomine Angeli Stephanus Heduenſis *c.*17. Algerus *lib.*1.*c.*14. & S.Thom.3.*p.q.*83.*art.*4. Chriſtum magni Concilij Angelum intelligunt,& fauet Clemens *lib.*8.*c.*19. qui ait: *Pro dono oblato Domino Deo oremus, vt bonus Deus ſuſcipiat illud intercedente Chriſto ipſius in cœleſte altare ſuum,in odorem ſuauitatis.* & D.Paulus, *Accedens per ſemetipſum ad Deum viuum ſemper ad interpellandum pro nobis.* At verò D. Ambroſius *lib.*4. *de ſacram.c.*6. legit, *per manus Angelorum.* non enim ab hoc diuino ſacrificio Angelos abeſſe credibile eſt, vt pluribus ſuperiùs oſtendimus Patrum teſtimoniis, vnum illud repetamus Origenis *Hom.*9.*in Leuit.* quod *c.*11.*n.*22 ad propoſitam difficultatem facere videtur. Nec Angelorum, ait, officia ab huiuſmodi officiis deſunt. Angeli enim Dei aſcendunt & deſcendunt ad filium hominis, perquirunt & curioſè agunt, quid in vnoquoque noſtrûm inueniant quod offerant Deo. vident & perſcrutantur vniuſcuiſque noſtrûm mentem, ſi habeat aliquid aut cogitet, quod Deo mereatur offerri. Iam verò altare quod in cœlo eſſe hîc dicitur, ſicut etiam *Apocal.*4.8.9.14. ad quod alludit Eccleſia, vel ex Richardo Chriſtum ſignificat, ſuper quem Deo vota noſtra offerenda ſunt, vt illi ſint grata. vnde Chriſtus vocatus eſt, ſecundùm gloſſam à Patre, *Iſaiæ c.*60. *Placabile altare meum. Ioan.* 16. promiſit Chriſtus ipſe, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* vt etiam *ad Hebr.*13. ait D.Paulus, *Per ipſum quoque offerimus hoſtiam laudis ſemper Deo.* Ideo Beda *lib.*4. *de Taber. c.*21. *Super*, in-
Exod. 30. quit, *cornu altaris deprecatur Aaron in ſanguine, qui oblatus eſt pro peccato, & placat*

ſuper

ſupèr eo, quando rogantes pro populo Dei, vel ſua ignorantia ſacerdotes ipſorum per vnigenitum filium eius ſeſe adiuuandos, & per ſacramenta paſſionis illius ſaluandos eſſe confidunt. vel cœlum ipſum, quod & templum appellari ſolet, ex Irenæo *lib.4. contra hæreſes, c.34.* & D. Auguſtino *enarratione 2. in Pſal. 25.* vel Eccleſiam triumphantem, & vult S.Thomas *3.p.q.83.art.4.ad 2.*

6. Sacerdos hæc dicens ſe profundè inclinat, externo ſigno & geſtu, ad ſummam interiorem humilitatem in ſupplicando ſeipſum excitans; & oſculatur altare, vt indicet, teſte Gabriele *lect.55.* humani generis cum Deo Patre reconciliationem, in altari Crucis factam per filij mortem. Atque vt oſtendat ſe magno affectu percupere cum cæteris de altaris ſacrificio participare, ſubdit: *Vt quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum corpus & ſanguinem ſumſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur.* quorum meminit etiam Amalarius *lib.3.c.25.* Quibus inſinuatur antiquus mos Eccleſiæ, fideles ſcilicet, niſi quid obſtaret, ſolitos quotidie ſacram Euchariſtiam ſumere, vt colligitur ex *Actis Apoſtol. c. 2. quotidie quoque perdurantes, &c.* qui ſanè vſus diu viguit in Eccleſia orientali, vt conſtat ex Dionyſio *de eccl.hier.c.3.p.2.* Clemente *lib.2.c.37.lib.8.c.20.* Ignatio *epiſtola ad Epheſios.* cùmque iam infrequentes communicarent, vehementiùs diſſuetudinem obiurgat Chryſoſtomus *Hom.61.ad populum.* & in occidentali, cùm etiam tempore D. Hieronymi id fieret. ait enim *ep. 50. Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, vt fideles ſemper Christi corpus accipiant. quod nec reprehendo, nec probo. quod videlicet aliqui noctu vxore cognita non abſtinerent.* idémque docet *ep.28. ad Lucinium.* ſed hac de re infrà *c.28.* diſſeretur. Tandem ſacerdos ſignat cruce hoſtiam in memoriam crucifixionis Chriſti, & calicem ob largiſſimam ſanguinis effuſionem, ex S.Thoma *3.p.q.83.art.5.ad 3.* VValdenſi *tom.3.tit.4.c.39.* & Gabriele *in can.lect. 54.* ſignat etiam deinde ſeipſum, ad indicandum paſſionis Chriſti fructum, qui eſt deriuatio omnis benedictionis & gratiæ à Chriſto in redemtos. de eo namque dixit D.Paulus *in ep.ad Epheſ.c.1. Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto Ieſu.* Obſeruandum denique eſt, Canonis particulam hanc, *canone vtrùm. de conſecr. d.2.* poni ante conſecrationem. quòd, vt rectè notauit Bellarminus, auctor non habuerit ibi intentionem ſeruandi ordinem in Liturgia præſcriptum: præterquam quòd, quæ ibi habentur, non ſunt Auguſtini, cùm nullibi apud eum extent, ſed rapſodia quædam, ex D. Ambroſio & Paſchaſio à Collectore pro libito in vnum locum & canonem collecta.

Canonis pars quinta, *Memento etiam Domine.* CAP. XX.

SVMMARIVM.

1. *Iure optimo Eccleſiam catholicam inter ſacrificandum orare pro fidelibus defunctis.*
2. *Ritum hunc non de nouo inuentum, ſed ab ipſiſmet Apoſtolis cœptum ad nos per traditionem deueniſſe.*
3. *Valdéque vtilem & proficuum eſſe animabus exiſtentibus in Purgatorio.*

1. IAm verò diuino Spiritu, teſte Damaſceno *oratione de iis, qui hinc in fide migrarunt,* Chryſoſtomo *Hom.21. in Acta Apoſtolorum*, & *Hom.41. in ep.1. ad Cor.* & Epiphanio *hæreſi 75.* Eccleſia catholica, edocta, inter hæc ſacra myſteria Deum piè

& laudabiliter orat pro iis, qui in Purgatorio igne detinentur, eo quòd ex hac
vita nondum plenè purgati diſceſſerint, cum ſigno fidei, charitate videlicet, ex
D.Bonau. *in expoſitione Miſſæ,* cùm fides per dilectionem operetur, vel Baptiſma-
tis charactere, ex Innoc. *lib.5.c.7.* cui expoſitioni congruit illud D. Chryſoſtomi
Hom.3.ad Philipp. Defleo infideles, defleo eos, qui ab infidelibus nihil differunt,
qui ſine illuſtratione hinc abeunt, ſine ſignaculo, iſti reuera digni ſunt planċti-
bus, digni lamentationibus, quippe qui extra regias cœleſtes cum iudicio obno-
xiis ſunt, & condemnatis. *Amen* enim, inquit, *dico vobis niſi quis renatus fuerit ex
aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Ad hoc idem alludit Damaſce-
nus ſcribens orationem integram de iuuandis ſacris operationibus iis, qui hinc
cum fide migrarunt. laudat etiam pium inſtitutum Clemens *lib.6.c. vltimo,* Atha-
naſius *lib. de variis queſtionibus, q.34.* Ambroſius *in oratione funebri pro Satyro, & pro
Theodoſio & Valentiniano,* Auguſtinus *in Enchiridio.c.110.& lib.22.de Ciu.c.9.* & Con-
cilium Cabilonenſe celebratum anno 813.*c.39.*

Ex quibus & illud luce clarius perſpicias, vt præmiſimus etiam *lib.2.c.2.* ri- 2.
tum hunc non eſſe nouum, ſed cum ipſa pæne Eccleſia natum, ipſiſmet Apo-
ſtolis magiſtris. vt conſtat ex Liturgia D.Iacobi, dum ait: *Memento Domine Deus
noſter ſpirituum, & vniuerſæ carnis, quorum memoriam egimus, & quorum non egimus or-
thodoxorum, ac rectè de fide ſentientium, ab Abel iuſto vſque ad hodiernum diem; fac eos re-
quieſcere in regione viuentium, in regno tuo & deliciis Paradiſi.* Itémque ex Dionyſio
de Eccl. hier.c.vltimo, Clemente *lib.8.c.41.* Irenæo *lib.4.c.32.* Tertulliano *lib. de coro-
na militis, & lib.2. ad vxorem,* Epiphanio *hereſi 75. & in compendio doctrinæ,* Cyrillo
catech. myſt.5. Ephrem *in ſuo teſtamento.* Audiamus Chryſoſtomum *Hom.3. in ep. ad
Philip. Non fruſtrà ab Apoſtolis ſancitum eſt, vt in celebratione venerandorum myſterio-
rum memoria fiat eorum, qui hinc diſceſſerunt.* Audiamus Auguſtinum *ſer.32. aliàs
34. de verbis Apoſtoli. Hoc enim à Patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro
eis, qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cùm ad ipſum ſa-
crificium loco ſuo commemorantur, oretur, at pro illis quoque id offerri commemoretur.*
Audiamus Iſidorum *lib.1.c.18. Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerre, vel
orare pro eis, quia per totum hunc orbem cuſtoditur, credimus quòd ab ipſis Apoſtolis tra-
ditum ſit.* Accedat poſtremò Ioan. Damaſcenus *oratione de iis, qui hinc cum fide mi-
grarunt.* ſic enim ait: *Diui autem Apoſtoli in tremendis & impollutis vitalibúſque ſa-
cramentis memoriam eorum qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt.* Videatur
etiam Beda *in Pſal.21. & 48.*

Et ſanè quod citati autores dicunt id fieri in tota Eccleſia, non tantùm eſt 3.
argumentum euidens, Apoſtolicum eſſe inſtitutum, & cùm id ex diuinis litteris
non habeamus, traditione ab Apoſtolis ad nos deueniſſe, ſed etiam rem ſum-
mè vtilem eſſe. quare Chryſoſtomus *loco citato in epiſtola ad Philipp. Nouerunt*
[Apoſtoli] *illis* (defunctis ſcilicet) *multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis.
ſtante ſiquidem vniuerſo populo manus ad cœlos extendente, cœtu item ſacerdotali verendó-
que poſito ſacrificio, quomodo Deum non placaremus pro iſtis orantes: verùm iſtud quidem
de illis dicimus, qui in fide abſceſſerunt.* & *Hom.21. in Acta Apoſtolorum. Non fruſtrà
oblationes pro defunctis fiunt, non fruſtrà preces, non fruſtrà eleemoſynæ. Hæc omnia ſpiri-
tus diſpoſuit, volens vt nos mutuum iuuemus. vide enim vtilitatem, accipiet ille per te, &
tu per illum.* Cyrillus *catech. myſt.5. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita
functi ſunt, maximum eſſe credentes animarum iuuamen pro quibus offertur obſecratio ſancti
illius & tremendi quod in altari poſitum eſt, ſacrificij.* Nouerat hoc idem B. Monica,
quæ apud D. Auguſtinum *lib.9. confeſſ.c.11.* dixit: *Tantùm illud vos rogo vt ad Do-
mini*

mini altare memineritis mei, vbi fueritis. Nouerant in Concilio Africano *anno* 257. Cypriani anteceſſores, qui eodem teſte *lib.* 1. *epiſt.* 9. *aliàs* 66. ne quis clericum tutorem relinqueret, in pœnam conſtituerunt, ne oblatio aut deprecatio pro illo defuncto in Eccleſia fieret, vt terrorem iniicerent cæteris, ne ſacerdotes Eccleſiæ Dei ſeruientes, ad ſeculares moleſtias deuocarent. Solebant autem defunctorum fidelium nomina ex diptycis ſeu tabellis recitari, vt conſtat ex Liturgiis, & ex quinta Synodo *act.* 1. *& ex can. ſanè* 24. *q.* 2. Recenſent autem miracula plura quibus fructuoſiſſimum eſſe defunctis, pro eis in Miſſa offerre, & orare, D. Gregorius *lib.* 4. *dial. c.* 55. Petrus Damiani *in epiſt.* Beda *in hiſt. Anglorum.* Hugo de S. Vict. *lib.* 2. *de ſacram. fidei. part.* 16. *c.* 7. Meritò igitur hoc etiam tempore S. Mater Eccleſia, frendant quantum velint Nouatores, in auguſtiſſimo ac diuino ſacrificio petit, vt fidelium defunctorum animæ, licèt iam pacem quamdam & quietem habeant, quippe quæ iam certæ ſint de æternæ felicitatis præmio, liberæque à bello tentationum, ac malo opere, ac proinde in ſomno pacis videantur dormire, etſi nondum quietem habeant, à tormentis quibus peccatorum reliquiæ purgantur, nec à deſiderio viſionis diuinæ, refrigerij abundantioris, & lucis locum diuina benignitate in cœlis conſequantur. vbi, teſte Ioanne *Apocal.* 21. non erit amplius neque luctus, neque clamor, nec dolor, ſed vbique perpetuóque canetur illud *Pſalm.* 65. *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Videnda etiam quæ hac de re diſſeruimus *lib.* 2. *c.* 2. §. 9.

Canonis pars ſexta, *Nobis quoque peccatoribus.* CAP. XXI.

SVMMARIVM.

1. *Rogat ſacerdos pro ſe & adſtantibus, vt Sanctorum ſocietate & aliqua beatitudinis parte donentur, idque ritu antiquiſſimo, & optimo, quicquid blaterent Nouatores.*
2. *Quomodo dicatur Deus non æſtimator meriti, ſed veniæ largitor.*
3. *Tunſio pectoris pœnitentiæ ſignum.*
4. *De Apoſtolis ac Martyribus hac poſteriori parte recenſitis.*
5. *Quid ſibi velint verba illa,* Per quem hæc omnia ſemper bona creas.
6. *De crucis ſignis, aliiſque cæremoniis hoc loco adhibendis.*

1. MEminit huius quoque ſextæ partis D. Auguſtinus *ſerm. de Pœnitentia,* qui incipit: *Quàm ſit vtilis.* & *ſerm. de S. Petro & Paulo.* & *lib. de Virginitate.* Atque in ea iam Deo commendatis animabus Purgatorij (etſi in Liturgia D. Iacobi & Baſilij fiat antè) ſacerdos, qui *ad Hebr. c.* 5. non tantùm pro aliis, ſed etiam pro ſeipſo orare iubetur, quòd & ipſe circumdatus ſit infirmitate, Deum rogat, vt ſe quoque alióſque ſuperſtites confiſos de miſericordia diuina, ſecundùm illud *Pſalmi* 50. *Secundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* & *Pſalm.* 24. *Reminiſcere miſericordiarum tuarum Domine, quæ à ſeculo ſunt,* & de peccatis dolentes, dignetur Sanctorum ſocietate, & aliqua ſuæ beatitudinis parte donare: iuxta illud *ad Col.* 1. (ne nos amplius irrideat Lutherus) *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum.* Et *Io. c.* 13. *Si non lauero te, non habebis partem me-*

cum. Quamuis enim ſit idem obiectum beatitudinis omnium, ſecundùm tamen meritorum differentias alij plus, alij minus diuina viſione fruuntur. Sicut & ſtella claritate differt à ſtella, 1. *Cor.* 15. quare & manſiones plures dicuntur eſſe in domo Dei, *Io.c.*14. qua de re D. Auguſtinus *lib. de Virginit. c.*26. *& ſer.*56. *de verbis Domini, & tract.*67. *in Io.* Qui etiam *ſerm.* 191. *de tempore*, damnat errorem Iouiniani dicentis, nullam in futuro haberi differentiam meritorum.

Rectè etiam hoc loco dicit, *Intra quorum nos conſortium, non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte.* quæ citat etiam D. Hieronymus in illud *Pſal.* 72. *Vt annunciem omnes prædicationes.* tum quia ad Sanctorum conſortium obtinendum non tantùm gloria, verumetiam gratia & peccatorum remiſſio ſeu venia neceſſaria eſt, quam Deus ſine propriis meritis donat, per Chriſtum Dominum noſtrum, alioquin gratia non eſſet gratia, *ad Rom.* 10. *ad Epheſ.*2 *ad Titum* 3. & Concilio Tridentino *ſeſſ.*6.*c.*8. quamuis poſt collatam gratiam, & peccatorum remiſſionem æſtimet merita ad dandam gloriam, vt ex dictis liquet. tum quia ex ſua liberalitate magis remunerat, & minus punit quàm opera noſtra exigerent, ex Innoc. *lib.*5. *c.*8. Ideo enim dictum eſt *Pſal.* 102. *Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis*; prædixerat ſiquidem, *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* adeò enim benignus eſt Deus, vt pro peccatis quotidianis non tantùm non tribuerit debitas pœnas, ſed inſuper pro tot malis noſtris infinita contulerit beneficia, & æternam conferat coronam. & D. Lucas, *Menſuram,* inquit, *bonam & confertam & coagitatam & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum.* 2.

Porrò elata voce effertur, *Nobis quoque peccatoribus*; pectúſque tunditur, vt percuſſio pectoris pœnitentiam & luctum de peccatis ſignificet, elatáque vox magnum clamorem in corde pœnitentis, vt vult Amalarius *lib.* 3. *c.* 26. & Stephanus Heduenſis *c.*17. optantis impetraré, quæ petit, ſicut & Dauid à Domino exaudiri poſtulans *Pſalm.*129. dixit, *De profundis* (ſcilicet & miſeriæ, & cordis per contritionem) *clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* & *Pſal.* 118. *Magno deſiderio exaudiri cupiens, clamaui,* inquit, *in toto corde meo* (affectu ſcilicet, totiſque viribus, cum magna voce clamanti, & non item ſubmiſſa, ſtatim ſuppetias ferre ſoleamus) *exaudi me Domine, iuſtificationes tuas requiram. Clamaui ad te, ſaluum me fac, vt cuſtodiam mandata tua.* & mulier Chananæa *Matth.*15. clamans, *Miſerere mei fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.* fecit, vt diſcipuli dicerent, *Dimitte eam, quia clamat poſt nos*; quare Dominus exaudiuit preces eius. quod etiam præſtitit duobus cæcis clamantibus, *Matth.*20. *Domine miſerere noſtri.* Meminit tunſionis huius D. Auguſtinus *ſermone de Pœnit.* vbi cùm recenſuiſſet peccatorum mala, ſubdit: *Niſi quotidie medicamento quodam pœnitentiæ deſiccentur.* quod ſi falſum eſt, vnde quotidie tundimus pectus? quod nos quoque Antiſtites ad altare aſſiſtentes cum omnibus facimus. Sed de tunſione, iam ex Patribus diximus *lib.*3.*c.*10. quæ non ſunt hîc iterum repetenda. 3.

Recenſentur verò in hac particula Apoſtoli duo, non recenſiti ante conſe- 4.
crationem cum aliis, permixti Martyribus, habita ratione non dignitatis Apoſtolatus, ſed temporis quo paſſi ſunt. non enim Ioannes hîc poſitus, eſt Euangeliſta, qui hîc denuo ob virginitatem ponatur, vt exiſtimant Innocentius, & Durandus; ſed præcurſor Domini, vt apertè conſtat ex Liturgia D. Baſilij, & ſentit VValfridus *c.*22. qui martyr fuit, etſi aliquo etiam modo dici poſſit Apoſtolus *Io.* 1. fuit homo miſſus à Deo, priúſque paſſus eſt quàm Stephanus, &

prius

prius Stephanus, quàm Mathias. qui etiam non eſt numeratus cum aliis ante conſecrationem, tum vt eſſet etiam aliquis ex duodecim in ſecundo ordine, & veriſſimè diceretur, cum tuis ſanctis Apoſtolis. tum quia Mathias non fuit Apoſtolus ante paſſionem Domini, neque in Euangelio legitur in ordine Apoſtolorum immediatè electorum à Chriſto, quæ eſt etiam ratio, cur hîc tantùm Barnabas ſit nominatus. nec obſtat quòd etiam Paulus non fuerit Apoſtolus ante paſſionem, nec recenſeatur in Euangelio inter Apoſtolos, quamuis ſit numeratus in priori ordine, cùm ſit eius priuilegium, vt ſemper cum Petro coniungatur. Subiiciuntur deinde alij Martyres cum Chriſto regnantes. tum etiam fœminæ martyrio coronatæ, præſertim Virgines. Nulla autem in toto canone ſit mentio confeſſorum, aut virginum non martyrum, vt obſeruat etiam D. Auguſtinus *lib. de Virginitate, c.45.* quòd hi multo pòſt coli cœpti ſint, quàm compoſitus canon, ex Innocentio *lib.5.c.10.* Implicitè autem continentur etiam cæteri, tum ob verba illa, *Et omnibus ſanctis tuis, intra quorum nos, &c.* tum ex Auguſtino *lib.20. de Ciuit. c.* 10. qui, *Ideo*, inquit, *tantummodo martyrum animas commemorauit Eccleſia, quia ipſi præcipuè regnant mortui, qui vſque ad mortem pro veritate certarunt. Sed accipientes à parte totum, etiam cæteros mortuos intelligimus pertinentes ad Eccleſiam, quod eſt regnum Chriſti.* Tandem additur concluſio conſueta, *Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

5. Iam ad excellentiam eiuſdem Chriſti commendandam, dicitur: *Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas.* id eſt; teſte Alcuino *cap. de celeb. Miſſæ,* Floro *hoc loco,* Remigio Antiſiodorenſi, Amalario *lib.3.c.26.* & Hugone de S. Vict. *lib.2.off. c.36.* per quem panis, vini, & aquæ ſubſtantia, ex quibus ſacramentum conficitur, & reliqua omnia initio creauit. nam dicitur *Io.1. Per ipſum facta ſunt omnia, & ſine ipſo factum eſt nihil.* de quibus teſtatur Moyſes *Gen.c.1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Sanctificas, cùm per primam oblationem ſacrificio deſtinantur; viuificas, tranſubſtantiatione in panem vitæ Chriſti viui corporis & ſanguinis, de qua re Auguſtinus *lib. de Trinit. & canone, corpus, de conſecrat. d.2. Benedicis, cùm media conſecratione pleniſſimam bonorum omnium copiam accipiunt. Nobiſque præſtas, in edulium redemtioniſque pretium. Nóſque omni benedictione & gratia cœleſti cumulamur. Ideóque per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo, eſt Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus ſancti omnis honor, & gloria.* quæ citantur etiam à D. Ambroſio *lib. 6. de ſacram. c.5.* & videntur alludere ad illa D. Pauli *ad Coloſſ.1. Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis, & in terris, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt. & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant; & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens; quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt.* Et quidem dicitur, *Per ipſum,* ex Floro, Remigio, Antiſiod. & Innocentio tamquam Mediatorem Dei & hominum. *Cum ipſo*, tamquam æquali, & *in ipſo,* tamquam verè conſubſtantiali: ideóque eſt omnis honor & gloria Deo Patri, per filium, & cum filio, & in filio, in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſecula. qua de re Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, c.7. 27. 28. 29.* & nos ſuprà *lib. 3. c.14.* quæ vltima verba elatiori voce proferuntur, vt ſciat populus quando reſpondere debeat, Amen, omnia confirmando.

6. Dum verò profertur, ſanctificas, viuificas, & benedicis, fiunt tres cruces, eſtque ſexta ſignatio ad repræſentandum, ex D. Thom. *3. p. quæſt. 83. art. 5.* &

Gabriele

Gabriele triplicem Chriſti orationem in ſacrificio crucis, videlicet, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. Item, *Deus Deus meus vt quid dereliquiſti me*. & tandem, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Sicut etiam ex eodem S. Thoma tres fiunt cum Chriſti corpore in illis verbis, *Per ipſum, cum ipſo*, & *in ipſo*, ad ſignificandum Chriſtum tribus horis in cruce pependiſſe. & aliæ duæ, cùm dicitur, *Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus ſancti*, denotantes ſeparationem animæ à corpore; vel vt arbitratur Stephanus Heduenſis *c.*17. in memoriam ſanguinis & aquæ, quæ de latere Chriſti fluxerunt. Vt etiam hoſtiam cum calice leuantes, deponentes, cooperientes, ſignificamus dominicum corpus à Ioſepho de cruce leuatum, & in ſepulcro poſitum, lapide clauſum fuiſſe, ex Micrologo *c.*17. etſi Amalarius *lib.* 3. *c.*26. exiſtimarit id fieri, vt re ipſa confirmemus præſentia munera ad Deum eleuando, nos credere Deum omnia bona creare, ſanctificare, viuificare, nobiſque concedere. & alij inter quos Henriquez *lib.* 9. *c.* 14. id fieri putent quòd Chriſtus, etſi poſt reſurrectionem adhuc viſus ſit, breui tamen mora, & rarius apparuerit; ſolùm enim paululum eleuatur, & adoratur denuo. quod certè toties fit, quoties noua actio inchoatur, & perficitur circa Chriſti corpus & ſanguinem, pro tanti ſacramenti reuerentia. Sed ad eam iam Liturgiæ partem nobis accedendum eſt, in qua ſacrificij conſumtio & communio continetur.

De oratione Dominica. CAP. XXII.

SVMMARIVM.

1. *Præfatio ad orationem Dominicam.*
2. *Chriſtum bis eamdem orandi formam tradidiſſe.*
3. *Dominicæ orationis vſus in ſacrificio antiquiſſimus.*
4. *Variæ eiuſdem nuncupationes, quando dicenda, & an memoriter tenenda.*
5. *Multis de cauſis reliquis orationibus præſtat, ideóque attentiſſimè recitanda.*
6. *Quibus conſtet partibus.*
7. *Eiuſdem Proœmium,* Pater noſter, qui es in cœlis.
8. *Petitionis* 1. Sanctificetur nomen tuum, *ſenſus.*
9. *Petitionis* 2. Adueniat regnum tuum.
10. *Petitionis* 3. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.
11. *Petitionis* 4. Panem noſtrum quotidianum, &c.
12. *Petitionis* 5. Dimitte nobis debita noſtra, &c.
13. *Petitionis* 6. Et ne nos inducas in tentationem.
14. *Petitionis vltima*, Sed libera nos à malo.
15. *Cur ſacerdos, & non potius Miniſter, vel populus reſpondeat ſubmiſſè,* Amen.

ABſoluto canone, vt docet S. Gregorius *lib.* 7. *epiſt.* 63. & VValfridus *c.* 22. 1.
quamuis etiam orationem Dominicam in canone includat Odo Cameracenſis, & Innocentius *lib.* 5. *c.* 12. ſequitur breuis ad eamdem Dominicam orationem Præfatio. ad quam videtur alludere Cyprianus cùm ſermone de oratione Dominica ait: *Qui inter cætera ſalutaria ſua monita & præcepta diuina, quibus populo ſuo conſuluit ad ſalutem, & orandi formam ipſe dedit, ipſe quod precaremur monuit,*

&

& inſtruxit. expreſsè verò eam ponit Amalarius *lib.3.c.29.* Alcuinus, Odo Cameracenſis, Florus *locis citatis*, & D. Bernardus *lib. de amore Dei, c.7.* Et certè, vt aduertit D. Cyprianus *loco citato*, niſi Dei filius hæc nos docuiſſet, numquam tantum auſa fuiſſet humana fragilitas, vt Deum his verbis compellaret, præſertim cùm ipſe Philoſophorum Princeps Socrates haud conſultum eſſe putauerit quicquam in particulari à Deo petere, quòd neſciamus, quid nobis expediat, ſed tantùm in communi quod nobis eſt vtile, vt ſcripſit Valerius Maximus *lib. 7.c.2.* & S.Thomas 2.2.*q.83.art.5.*

2. Bis autem hanc orandi formulam & modum nos docuit Chriſtus, vt ſentit Euthymius *in Lucam c.* 11. Rupertus *in c.6. Matth.* Toletus *in c.* 11. *Lucæ.* primò quidem apud Matthæum *c.6.* vbi non interrogatus, ſed Gentium multiloquentiam repellens Apoſtolos inſtituit deinde; *Lucæ* 11. rogatus à quodam diſcipulo, ex Septuaginta ſcilicet, ex Euthymio, quòd fortè prima vice non adfuiſſet, occaſione modi orandi, quem Ioannes Baptiſta ſuos diſcipulos docuerat. Auguſtinus tamen & Ianſenius eamdem numero hiſtoriam eſſe credunt, & ſemel tantùm id factum.

3. Eius vſus in ſacrificio antiquiſſimus eſt, vt conſtat ex Liturgia D. Iacobi, Marci, & Baſilij, ex Ambroſio *lib.5.de ſacram.c.4.* Auguſtino *ſerm.28.de verbis Domini, Hom.42. ex 50. ſerm.4. de vigilia Paſchæ, & epiſt.59.ad Paulinum*, Cyrillo *catech. myſt.5.* Hieronymo *lib.3. contra Pelagianos*, vbi affirmat Chriſtum ipſum Apoſtolis edixiſſe, vt hoc in ſacrificio facerent, & D. Gregorio *lib. 7. epiſt.63.* aſſerente Apoſtolos dicere ſolitos poſt conſecrationem. Quare minus rectè ſenſit Rupertus *lib.2.de off.c.15.* Berno *c.1.* & Stephanus Heduenſis *c.vltimo*, inſtitutum recitari in Miſſa ab ipſomet D.Gregorio. nam ab eo reſtitutus eſt ſolùm abolitus vſus dicendi in Miſſa quotidie, ex Concilio Toletano IV. *can. 9.* cùm omitteretur in multis Miſſis.

4. Porrò orationem hanc, Precem orationémque legitimam appellat Tertullianus *lib. de fuga in perſeq.* & Auguſtinus *ſerm.126. de temp.* Quotidianam orationem Concilium Toletanum IV. *can.9.* citato, idque teſtimoniis Cypriani, Hilarij, & Auguſtini *in Ench. c.71.* Extra diuina myſteria ter ſaltem quotidie recitandam ſcribit Clemens *lib. 6. c. 25.* Nulli Chriſtiano licere eam ignorare dixit tempore Caroli Magni Concilium II. Rhemenſe *c.2.* Itémque Moguntinum *c.45.* Foroiulienſe, aſſerens ſine Symbolo & oratione Dominica neminem Chriſtianum poſſe in cœlo percipere portionem. & Toletanum IV. *can.9.* aliàs 10. ait: *Quam* [orationem Dominicam] *Saluator noſter docuit, & præcepit.* & D.Auguſtinus de eadem agens *ſerm. 215. de temp.* ait: *Nam neſcio qua fronte ſe Chriſtianum dicat, qui paucos verſus in Symbolo, vel in oratione Dominica parare diſſimulat.* & *epiſt. 89. ad Hilarium, quæſt. 1.* affirmat orationem Dominicam eſſe neceſſariam. videatur etiam *can. 103. de conſecr.d.4.* vnde Nauar. *in Ench. de oratione, c.3. num. 20. & c.20.* Durandus *lib. 2. Ration. c. 46.* & alij volunt eſſe præceptum eccleſiaſticum, vt memoriter ſciatur. etſi communior opinio Medinæ *de orat. quæſt.10.* Syl. *v. ſcientia*, Angel. Tab. *ibid.* Emanuelis Sà *v. fides*, Valentiæ 2.2.*d.1.quæſt.2.p.5.* Azor *lib.8. c.7.* Suarez *lib. 3. de orat. c.6.* ſit, non eſſe neceſſe memoriter tenere ipſam orandi formulam, ſed ſufficere ſi ſciatur ipſa ſubſtantia, & materia illius, nempe petere à Deo bona corporis & animæ; etſi optima ſit D.Clementis admonitio, & conſilium.

5. Præſtat hæc oratio reliquis omnibus, tum autoritate præceptoris, cùm nos 1. eam Chriſtus docuerit, qui ſolus, quid & quomodo ſit orandum, ſciebat: nos

enim, quid oremus ſicut oportet, neſcimus, *ad Rom.* 8. ideo Petrus Chryſolo-
gus *ſerm.*70. ſupplicandi normam ipſe tibi, qui exorandus eſt, indulſit, ad amo-
ris indicium. Rex ipſe functus eſt officio Aduocati, vt preces quibus reſponſu-
rus erat ipſe dictaret. Et Tertullianus *lib. de oratione. Quid mirum? Deus ſolus docere
potuit, vt ſe vellet orari; ab ipſo igitur ordinata religio orationis, & de ſpiritu ipſius iam
tunc cùm ex ore diuino ferretur, animata ſuo priuilegio aſcendit in cœlum commendans Pa-
tri, quæ filius docuit.* Idque conueniens fuit, quia rogatus id facere, vt Ioannes
fecerat ſuis diſcipulis; & quia id ex nobis ſcire non poteramus, vt dictum eſt
ad Rom. 8. & ad tollendum opinionem Gentilium exiſtimantium ex vanilo-
quentia à ſuis diis exaudiendos; denique quia cùm eſſet legiſlator, debuit nos
in moribus inſtituere: moralis autem bonitas & malitia maximè ex appetitu
pendet; debuit ergo dare regulam appetibilium, quæ etiam in oratione petere
2. poſſemus. qua de re plura Abulenſis *in c.6. Matthei.* tum breuitate, ait enim Ter-
tullianus *loco cit.* Breuitas iſta magnæ ac beatæ interpretationis ſubſtantia fulta
eſt, quantúmque ſubſtringitur verbis, tantum diffunditur ſenſibus. Cyprianus
ſerm. de orat. Dominica. Ipſa, inquit, *eſt oratio, quam ipſe Deus orare docuit, qui ſuo ma-
giſterio omnem precem noſtram ſalutari ſermone breuiauit, tamquam ſit ſermo, de quo Iſaias
c.*10. Sermonem breuiatum fecit Dominus in toto orbe terræ. & Auguſtinus
*ſerm.*28. *de verbis Domini. Vides quàm breuis oratio & omnium plena virtutum.* & *ſerm.*
182. *de temp. Hæc oratio compendioſis verbis ſeptem petitionibus, omnes ſpecies orationis
comprehendit.* Septem breuitatis cauſas pauciſſimis verbis recenſet Alenſis 4. *p.
quæſt.* 37. & Carthuſianus *p. p. c.*37. vt faciliùs diſcatur, meliùs retineatur, fre-
quentiùs iteretur, minus orantem faſtidiat, fiduciam tribuat impetrandi citò,
in deuotione mentis non in verborum multitudine virtus orationis colloce-
3. tur; & minus excuſetur ignorans. tum fœcunditate myſteriorum. Audiamus
Tertullianum *lib. cit. c.*1. *Nedum venerationem Dei, aut hominis petitionem complexa
eſt, ſed omnem ſermonem Domini, omnem commemorationem diſciplinæ, vt re vera in ea ora-
tione breuiarium totius Euangelij comprehendatur.* Audiamus Cyprianum *lib. de orat.
Qualia,* inquit, *ſunt fratres dilectiſſimi orationis Dominicæ ſacramenta, quàm multa, quàm
magna breuitate in ſermone collecta, ſed in virtute ſpiritualiter copioſa, vt nihil omnino præ-
termiſſum ſit, quod in precibus atque orationibus noſtris cœleſtis doctrinæ compendio, non
comprehendatur.* Cui ſubſcribens Auguſtinus *epiſt.* 121. *ad Probam, c.*12. *Etſi,* ait,
*per omnia precationum ſanctarum verba diſcurras, quantum exiſtimo, nihil inuenies, quod
non iſta dominica contineat, & concludat oratio.* & ſanè hæc meritò à Sanctis dicuntur
cùm in ea contineatur quicquid determinatè poteſt à Deo piè peti, vel circa
vltimum finem noſtrum, ſiue conſideretur ſecundùm ſe, ſiue reſpectu noſtri,
vel circa media ad illum, & principaliter, & inſtrumentaliter. qua de re plura
4. S. Thomas 2.2. *quæſt.*83. *art.*9. tum efficacia, de qua Cyprianus *ſer. de oratione Do-
minica. Quando peccatores pro delictis noſtris petimus, Aduocati noſtri verba promamus.
nam cùm dicat,* Quia quodcumque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis,
quanto efficaciùs impetrabimus quod petimus in Chriſti nomine, ſi petamus ipſius oratione?
& Auguſtinus *Hom.*42. *ex* 50. *Spem habemus obtinendi cauſa noſtræ, quando talis Iu-
5. riſperitus nobis preces dictauit.* Eamdem Dominicam orationem venialia delere pec-
cata docet Concilium Toletanum IV. *can.* 9. Auguſtinus *in Enchiridio, c.*71. vbi
ait, *Delet omnino hæc oratio, minima & quotidiana peccata, delet & illa à quibus vita fi-
delium ſcelerate etiam geſta, ſed pœnitendo in melius mutata diſcedit, ſi quemadmodum ve-
raciter dicitur,* Dimitte nobis debita noſtra, *quoniam non deſunt, quæ dimittantur, ita
veraciter dicatur,* Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. item *lib. de decem
chordis,*

*chordis,c.*11 *tract.*12.*in Io:epiſt.*108. ad Seleucianum *Hom.vltima ex* 50.*c.*8.*lib.de pœnit, medic. c.*2. Magiſter 4.*ſent. d.*16. Hoſtienſis *c.omnis, de pœnit. & remiſſ.* Gloſſa *in proœmio* 6. *in verbo, Benedictionem.* Quare meritò infert Nauarrus *lib.de orat. & horis can. cap.* 19. *num.* 101. *&* 102. multis reſpectibus, ſeu cauſis deuotè dicendam, quia, quo aliquid præſtantius eſt, eo etiam ſit reuerentiùs tractandum.

6. Continet verò exordium, illis ſcilicet verbis, *Pater noſter qui es in cœlis.* Petitiones ſeptem, ex D.Auguſtino *in Ench.c.*115. S. Thoma 2. 2. *quæſt.*83. *art.*9. etſi alij duas vltimas coniungentes ſex tantùm conſtituant. Earum prima Dei reuerentiam, honorem & gloriam diuinam ſpectat; primùm enim regnum Dei quærendum eſt, *Matth. c.*6. cùm nolit Deus vtilitatem noſtram à ſuo honore & gloria ſeiunctam eſſe; cùm ipſe ſit vltimus finis. Duabus ſequentibus oramus pro conſequendis bonis ſpiritualibus, æterno ſcilicet regno Dei, ſeu beatitudine noſtra, & in hac vita adimpletione diuinæ voluntatis, tamquam medio. Quarta petuntur bona temporalia, quibus dum viuimus indigemus. Sequentibus tribus depulſionem malorum præteritorum, præſentium, & futurorum, ita Innocentius *lib.*5.*c.*17. Nauar. *loco citato,num.*106. & alij. Concluſionem vnico verbo contentam, *Amen.* quo ex Gabriele *lect.* 64. *&* 71. optatur orationis exauditio & efficacia, vel ex aliis ſignificatur preces à Deo exauditas eſſe.

7. Commemoramus itaque in Proœmio Dei benignitatem captantes, tum eius voluntatem promtam ad benefaciendum nobis, vt qui ſit Pater noſter, quo etiam exordio vſus eſt perditus ille filius adoleſcens ad ſuos rediens *Luca c.*15. tum eiuſdem ad id poteſtatem, cùm ſit in cœlis, corporalibus ſcilicet, in quibus præcipuè ſeſe manifeſtat, ex D.Cypriano & Gregorio Nyſſeno, licèt D.Ambroſius *lib.*5. *de ſacram.c.*4. & Auguſtinus *lib.*2. *de ſerm. Domini in monte,c.*9. de ſpiritualibus, ſanctis videlicet intelligant. Nobis verò Patris nomen fiduciam maximam alloquendi Deum præbet, & impetrandi, quæ poſtulaturi ſumus. *Oratio,* inquit S. Bernardus *ſerm.*15. *in Cant. quæ paterno nomine dulceſcit, omnium petitionum mearum impetrandarum fiduciam mihi præſtat;* & Cyprianus *de orat. Dominica. Quia eſt & quia eſſe deſiderat, Pater placuit nominari.* Idem docet Tertullianus *lib.de oratione,* Chryſoſtomus *Hom.*20.*in Matth. & Hom.*14. *in Imperf.* Cyrillus *catech.*5. *myſtag.* Rupertus *lib.*6.*de gloria filij hominis,* Hugo *lib.*2.*off.c.*39. Remigius Antiſiod. *in expoſitione Miſſæ,* & Bonauentura *in expoſitione orationis Dominicæ.* Notátque *ibidem* Tertullianus, & D.Auguſtinus *lib.*2.*de ſerm. Domini in monte,c.*8. in veteri Teſtamento nuſquam inueniri præcepiſſe aut voluiſſe Deum, Patrem vocari, ſed Dominum, quòd Iudæi ſpiritum ſeruitutis accepiſſent; nos autem filiorum & libertatis, *ad Rom.*8. quòd ſi apud Iſaiam *c.*63. Iudæi Deum Patrem & Protectorem vocant, caput illud pertinet ad Chriſtum redeuntem in cœlum deuictis hoſtibus, & quando iam orationem hanc docuerat. Huc etiam pertinet argumentum illud Chriſti *Matth.*7. *Quis ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei, aut ſi piſcem petierit numquid ſerpentem porriget ei? ſi ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter cœleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Quærenti verò an hoc loco Patris nomine primam ſanctiſſimæ Trinitatis perſonam, an totam Trinitatem alloquamur, dicimus exiſtimaſſe pleroſque ad primam tantùm perſonam dirigi, vt ſentit Tertullianus *lib. de orat.* dicens, aſcendere ad cœlum, commendaréque Patri, quæ filius docuit, Cyprianus *de orat. Dominica,* Chryſoſtomus *Hom.*14.*in Matth.* Rupertus *lib.*6. *de gloria filij hominis,* quia Chriſtus eumdem ſuum & noſtrum Patrem vocare ſolet, quamuis non eodem modo. *Io.* 20. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem*

 veſtrum

veſtrum. Alij quos ſequitur Maldonatus *in c.6. Matthei*, & Gabriel *lect.64.* totam ſanctiſſimam Trinitatem hîc inuocari putant, quòd creatio, conſeruatio,& reliqua opera ad extra toti Trinitati ſint communia. Porrò iure optimo Deus dicitur Pater, quod etiam ex Philoſophis vidit Mercurius Triſmegiſtus. cùm in Pimandro *c. 2.* docuit duobus tantùm nominibus dignè Deum appellari, Patris ſcilicet,& Boni. Etenim verè Pater eſt, tum iure creationis, *Deut. 32. Numquid non ipſe eſt Pater tuus,qui poſſedit te,& fecit & creauit te?* tum iure conſeruationis ſeu gubernationis paterna quadam prouidentia, charitate & cura proſpiciendo, & conſulendo vtilitati noſtræ. vnde Syneſius *orat. de regno.*& ſacræ in ſanctis ſacrificiis preces, Pater noſter, exclamantes ad Deum in omnibus non potentiam ipſius glorificantes,ſed prouidentiam adorant. Eodémque pertinent, quæ Chriſtus diſſerit *Matth.6. Reſpicite volatilia cœli,&c.* Tum iure redemtionis, qua de cauſa Chriſtus dicitur ſecundus Adam, Pater futuri ſeculi. Tum iure adoptionis, qua Deus nos per gratiam in filios adoptauit. *Ad Rom.8. Accepiſtis ſpiritum adoptionis,in quo clamamus, Abba Pater.* Audiamus Euthymium *in c.6. Matth. Iubet Chriſtus, vt dicamus, Pater, vt cœleſtem cognationem ad memoriam reuocemus, & quo munere affecti ſimus, puta diuina adoptione.* & D. Ioannes, *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Eodem Patris nomine commonemur filij tum honoris quem ſuper omnia Deo debemus, iuxta illud *Malachie c.1. Si ego Pater, vbi eſt honor meus?* tum amoris & charitatis erga eumdem, cùm filiis nihil charius patre eſſe debeat. quod docuit S. Auguſtinus *lib.2. de ſerm. Domini in monte, c.8.* dum nomen hoc amoris eſſe pleniſſimum, eóque charitatem excitari confirmat. tum denique vt noſtræ dignitatis ſimus memores,& enitamur Patri noſtro eſſe ſimiles. ob id Cyprianus *loco cit. Meminiſſe,* inquit, *debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quaſi filij Dei agere debemus, vt quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, ſic ſibi placeat & ille de nobis.* Nyſſenus *de orat. Dominica. Si conſcientia vitioſa quis praditus, Deum Patrem ſuum dicat, nihil aliud quàm ſuorum malorum quaſi Principem & autorem inſimulabit.* Clemens *lib.7.c.25. Preparantes vos ne ſitis indigni adoptione filiorum Patris, ne ſi indignè vos illum Patrem vocetis, exprobretur vobis id quod Iſraël primogenitus audiuit:* Si ſum Pater, vbi eſt gloria mea, & ſi ſum Dominus, vbi eſt timor meus? Petrus Chryſologus *ſerm. 68. Qui ſe Dei filium credit, actu, vita, moribus, honeſtate, tanto generi reſpondeat.* Denique S. Germanus *in Theoria: Si voluntatem eius facimus, Pater noſter eſt, ſin minus, cuius opus exequimur, Pater noſter eſt. nam Chriſtus ipſe dixit:* Vos de diabolo Patre eſtis, & concupiſcentias Patris veſtri vultis perficere, *Io. 8. Noſter* verò dicitur, & non *meus.* tum ad differentiam Chriſti, vt ſentit Ambroſius *lib. 5. de ſacram. c. 4.* Rupertus *in c.6. Matth.* & S. Thomas item *c. 6. in Matthæum*, qui non dicit, Pater noſter, ſed meus; cùm ſingulari modo ſit Pater illius, quia illum de ſua ſubſtantia genuit. nos verò noſter dicimus in communi, quia omnes creauit, omnes conſeruat,& nutrit, omnes quantum in ipſo fuit, redemit. tum ad differentiam infidelium, ex Tertulliano, & Cypriano *locis citatis*; licèt enim ſit Pater omnium, *ad Eph.4.* quantum ad creationem, conſeruationem, gubernationem,& redemtionem, peculiari tamen ratione eſt fidelium Pater, *Ioan. c. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius*, ratione adoptionis; vnde ſumus veluti medij inter Chriſtum filium naturalem Dei, & infideles quaſi ancillæ filios, non ex gratiâ quaſi ex libera per adoptionem genitos, nos autem adoptiui quidem, ſed legitimi, ideóque hæredes Dei, & cohæredes Chriſti, *ad Rom. 8.* Talis tamen, vt verbis vtar D. Auguſtini *ſerm. 4. de vig. Paſche*, eſt iſte

Pater

Pater cum quo poſſideamus: dat hæreditatem, ſed non moriens illam nobis derelinquit, non enim ille diſcedit, ſed ille permanet, vt nos accedamus. tum vt admoneamur mutuæ dilectionis quam proximis debemus, ſiue diuites, ſiue pauperes, ſiue nobiles, ſiue ignobiles, cùm ſimus eiuſdem patris filij, & inter nos fratres. D.Auguſtinus *ſerm.*182. *de tempore. Admonemur,* inquit, *hoc verbo diuites, & nobiles, cum Chriſtiani facti fuerint, quatenus ſe non extollant aduerſus pauperes, & ignobiles, quoniam ſimul dicunt,* Pater noſter, *quod non poſſunt verè & piè dicere, niſi ſe fratres eſſe cognoſcant.* & *ſermone* 4. *de vigilia Paſchæ. Ad magnum genus pertinere cœpiſtis, ſub iſto Patre fratres ſunt Imperator, & miles; ſub iſto Patre fratres ſunt diues & pauper; omnes Chriſtiani fideles diuerſis in terris habent patres, alij nobiles, alij ignobiles, vnum verò Patrem inuocant, qui eſt in cœlis: ſi ibi eſt Pater noſter, ibi nobis preparatur hereditas.* Chryſoſtomus *Hom.*14. *in c.*6. *Matth. Quo verbo* [Noſter] *& inimicitias dirimit, & ſuperbiam reprimit, & explodit inuidiam, & introducit matrem bonorum omnium charitatem, & humanarum rerum inæqualitatem prorſus expellit, & miram regis cum paupere æqualitatem honoris oſtendit.* tum denique ex Cypriano *vbi ſuprà,* Fortunato Pictauienſi *lib. de oratione dominica.* Auguſtino *lib.*2. *de ſer. Domini in monte,* & *ſer.*182. *de temp.* Ambroſio *lib.*5. *de ſacram. c.*4. Chryſoſtomo *Homil.*20. *in Matth.* & *ibidem* Theophylacto, & Floro *in expoſitione Miſſæ,* vt meminerimus quando oramus non pro nobis tantùm orare, ſed pro toto populo, cùm omnes ſimus fratres. Autor Imperfecti *in Hom.*14. *in* 6.*cap. Matthæi. Libenter Deus audit, quando Chriſtianus non ſolùm pro ſe, ſed pro altero orat; pro ſe enim orare natura eſt, pro altero autem gratiæ. pro ſe orare neceſſitas rei cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur. dulcior autem eſt ante Deum oratio non quam neceſſitas rei tranſmittit, ſed quam charitas fraternitatis commendat. Qui es.* rectè quidem, cùm Deo ſoli propriiſſimè *eſſe* conueniat, cùm ſolus ſit actus purus, & nulla admixtus potentia ad non eſſe, cùm immutabiliter ſit, & in quo nihil eſt præteritum, & futurum, ſed ſemper tantùm præſens æternum. ideo *Exod.*3. *Ego ſum qui ſum.* & Moyſi, *Qui eſt miſit me ad vos. Hoc nomen mihi eſt in æternum.* Sicut verè & propriè aurum eſſe dicitur, in quo nihil eſt niſi aurum, & nihil eſt non aurum; ita is eſſe verè dicitur, in quo nihil eſt niſi eſſe, nihilque in potentia ad non eſſe. *In cœlis.* etſi Deus vbique ſit, cùm dixerit Iob, *excelſior cœlo eſt,* & Dauid *Pſal.* 138. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. ſi aſſumſero pennas, &c.* rectè tamen dicitur eſſe in cœlis. tum corporalibus, vt exponit ſecundùm litteram Cyprianus *de orat. dominica,* Nyſſenus *orat.*2. *de eadem,* Chryſoſtomus *Hom.*20. *in Matth.* Theophylactus *ibidem,* Caſſianus *collat.*9.*c.*18. S.Thom. *p.p.q.*8. S.Bernardus *ſer.* *in Pſal: Qui habitat.* quòd ibi gloria eius maximè elucеat, ſicut anima ex eodem Bernardo, cùm in toto ſit corpore, excellentiùs tamen & præſtantiùs cenſetur eſſe in capite, quòd ibi vigeant ſenſus omnes. eadémque de cauſa Tertullianus & Arnobius teſtantur Chriſtianos oculos in cœlum, ſeu ad orientem ſolem ſolitos orando conuertere, vt in re meliori Deum præ cæteris optimum contemplentur. qua de re egimus *lib.*3. *c.* 19. Quare etiam Dauid *Pſal.*18. dixit, *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* & *Pſal.*2. *Qui habitat in cœlis irridebit eos. Pſal.*112. *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat.* & *Pſal.*122. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.* vt etiam ſcribit Ariſtoteles *lib.*1. *cœli. t.*3. omnibus gentibus quaſi à natura inſitam opinionem fuiſſe, Deum habitare in cœlo. tum ſpiritualibus, ideſt, cordibus iuſtorum, vt myſticè intelligit Ambroſius *lib.*5. *de ſacram. c.*4. Auguſtinus *lib.*2. *de ſer. Domini in monte, c.*9. Cyrillus *catech.*5. *myſt.* Innocent. *lib.*5. *c.*20. Bonau. *in expoſitione Miſſæ,* Hugo de S.Vict. *lib.*2. *de off. c.*39. cùm dicatur Deus peculiariter

culiariter habitare in Sanctis. vt docet S.Auguſtinus *tr.48. in Io.*& S.Thom. *p.p.*
q.43.art.5. & colligitur ex illo *Io. 14. Ad eum veniemus, & apud eum manſionem fa-*
ciemus, & ex illo D. Pauli, *Templum Dei quod eſtis vos.* Sitque inter cœlos & ſan-
ctos non parua analogia, tum ob vitæ ſublimitatem, *ad Philip. 3. Noſtra autem*
conuerſatio in cœlis eſt; tum ob bonorum operum claritatem, *ad Philipp.2. Inter quos*
lucetis vt luminaria in mundo; tum ob propoſiti in bonis firmitatem, *Pſal.32. Verbo*
Domini cœli firmati ſunt. tum ob quieſcentem Deum in eis per gratiam. quare Am-
broſius *loco citato. Cœlum eſt ibi, vbi ceſſauit culpa, cœlum eſt ibi, vbi flagitia feriantur.*
Cœlum eſt ibi, vbi nullum mortis eſt vulnus. Et ſane hoc procemio dum Patrem in cœ-
lis eſſe fatemur, inſinuatur nobis, vt poſtpoſitis terrenis negotiis ad cœleſtia, vbi
Pater noſter eſt, animum intendamus. *Nolite*, inquit D. Auguſtinus *ſer.4. de vig.*
Paſchæ, inhærere in terris, qui Patrem inueniſtis in cœlo. Chryſoſt. *Hom.20. in Matth.*
Cùm Deum dicit eſſe in cœlis, non ibi eum hoc dicendo concludit, ſed à terris abducit oran-
tem, eúmque ſuperius habitaculis ac regionibus affigit excelſis. Similia habet *in Imperfecto*
Hom.14. Theophylactus *in c.6. Matth. Cùm dicit in cœlis, oſtendit tibi patriam tuam, &*
domum paternam. Videndus etiam Caſſianus *collat.9.c.18.* Nyſſenus & Fortunatus
Pictauienſis *de oratione Dominica.*

Sanctificetur nomen tuum. Prima petitio pertinens, teſte D. Thoma 2. 2. q.83. 8.
art.9. ad vltimum finem noſtrum ſecundùm ſe conſideratum; vnde etiam pri-
mo loco poni debuit. In ea verò petimus per charitatem abſolutè Dei gloriam,
optantes, vt ab omnibus glorificetur, abſque intuitu vtilitatis noſtræ, iuxta illud
Domini *Matth. c.6. Quærite primùm regnum Dei.* rectè igitur Chryſoſtomus *Hom.*
20. in Matth. Sanctificetur nomen tuum. digna prorſus oratio eo, qui Deum Patrem
appellauit, nihil omnino priuſquam pro illius gloria ſupplicare, omnia verò re-
liqua ſecundo loco ducere, & infra eius laudes numerare. Intelligimus autem
per eius Nomen hoc loco, non tantùm vocem *Deus*, vt obſeruauit etiam Mal-
donatus *in c. 6. Matthei*, ſed de Maieſtate illius hominum exiſtimationem, &
quicquid ad eius excellentiam declarandam aliquo modo pertinet. Sic *Iſaiæ c.30.*
dicitur, *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* & *Ieremiæ c. 50. Speret in nomine Do-*
mini. Sed qui fieri poteſt, dicet quis cum Cyrillo *catech.5. myſt.* & Chryſoſtomo
Hom.14. Imperfecti, vt petamus ab hominibus ſanctificari, qui & homines ipſos
ſanctificat, & ſua natura ſanctus eſt, etiamſi id nos non dicamus? ſunt qui exi-
ſtiment à nobis peti ſanctificari Dei nomen in nobis, ita vt ſanctificatio, qua in
eius nomine ſanctificati ſumus in Baptiſmo, perſeueret & augeatur bonis ope-
ribus. ideo S.Germanus *in Theoria. Et quid enim? non eſt ſanctus Deus? profectò ſan-*
ctus eſt, ſed hoc ais: In me ſanctificetur nomen tuum. eodem modo exponit Bo-
nauent. *in expoſitione Miſſæ.* Hugo *lib.2. de off.c.39.* & videtur expoſitio D.Cypria-
ni *in orat. dominicam*, & Didymi S.Hieronymi præceptoris *in c.3. ep.1. D.Petri.* Alij
tamen, vt Ianſenius *in Concordia c.41.* & Maldonatus *loco citato* exiſtimant, nos pe-
tere vbique glorificari Dei nomen ac maieſtatem, ita vt vniuerſi Deum colant,
honorent, & timeant. tum quia aliàs non diſtingueretur petitio hæc ab illa, *fiat*
voluntas tua. nam dicitur *ad Theſſal. 4. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra:* tum
quia videtur Dominus nos docere voluiſſe, vt ante omnia Dei gloriam quæra-
mus, vt quæ præ omnibus ſit optanda: ita acceperunt etiam Chryſoſt. *Hom.20.*
in Matth. & Hom.14. in Imperfecto. Hieronymus *in c.6. Matth.* Auguſtinus *lib.2. de*
ſer. Domini in monte.c.10. & ep.121. de orando Deo. c.11.12. Euthymius *in Matthæum.*
S.Thomas 2.2. q.83. *art.9. ad 1.* Fortunatus Pictauienſis *de oratione dominica*, vbi
ait: *Sanctificetur nomen tuum*, id eſt, benedicatur nomen tuum inceſſanter omnibus
linguis,

linguis, vniuerſis locis. Et prædictum fuerat *Sapientiæ c.10. Decantauerunt Domine nomen ſanctum tuum.* & *Pſal.112. A ſolis ortu vſque ad occaſum laudabile nomen Domini. Pſal.144. Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.* & *Malachiæ c.1. Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificium offertur nomini meo.* præſertim cùm apud Hebræos ſanctificare idem ſit, atque apud Latinos celebrare; vt ſanctificare ſabbatum, *Ezech.44.* ſanctificare ieiunium, *Ioelis c.1.* Sed cur potius dicitur ſanctificetur, quàm laudetur vel glorificetur? An quòd nihil æquè Deus æſtimet quàm eſſe & haberi ſanctus. vt ſemper magno affectu à cœleſtibus illis ſpiritibus proclamatur *Iſaiæ 6. Apoc.4.* Cur item non eſt adiectum vt per nos eius nomen ſanctificetur? An vt deſiderium noſtrum de ſanctificatione eius nominis ſe extendat etiam ad omnes homines qui nunc in terra verſantur, & in futuro erunt, & ſunt in Purgatorio; nec non ad Angelos, quin etiam ad omnes omnino creaturas?

9. *Adueniat regnum tuum.* Non optamus, nec petimus hac ſecunda petitione regnum naturæ, quo Deus ab initio mundi rebus omnibus dominatur, déque ſingulis diſponit, vti vult, ſecundùm illud *Pſal.144. Regnum tuum regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem,* vt rectè aduertit S. Auguſtinus *lib.2. de ſer. Domini in monte. c.10.* ita enim Deus creaturis omnibus dominatur, vt nihil ei poſſit reſiſtere. *Eſther c.13.* ſed vel regnum gratiæ, quo regnat in omnibus iuſtis per fidem, ſpem, & charitatem, cæteraſque virtutes. de quo S.Paulus *ad Rom. c.14.* & Lucas *c. 17. Regnum Dei intra vos eſt.* quem ſenſum ſequutus eſt D. Ambroſius *lib.5. de ſacram. c.4.* Hieronymus *in Matthæum, & lib. 3. contra Pelagianos,* Cyrillus *catech.5. myſt.* Nyſſenus *de orat.dominica.* Autor Imperfecti *Hom.14.* S.Germanus *in Theoria,* Caſſianus *collat.9.c.18.* Hugo de S. Victore *lib.2. off.c.39.* Bonauentura *in expoſitione Miſſæ.* Eſtque contrarium regno diaboli & peccati, quod *ad Rom.6.* in homines tyrannidem exercebat. Etſi huic expoſitioni obſtare videatur, quòd tunc non eſſet diſtinguenda petitio hæc à ſequenti, vt innuit etiam Tertullianus *lib.de oratione*; & quia in tota hac oratione æternam beatitudinem non peteremus, quæ poſt Dei gloriam maximè eſt expetenda, & flagitanda: vel quòd maximè congruere videtur, Regnum gloriæ beatitudinémque noſtram, vt non iam amplius neceſſitati ſeruiamus, ſed maturiùs cum Domino regnemus, quod poſt Dei gloriam & honorem nobis cordi eſſe maximè debet, tamquam finis noſter, & cuius tamquam media ſunt illa, quæ petuntur in reliquiis petitionibus. de quo *Lucæ 23.* latro dixit Chriſto, *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* quódque concupiſcebat Dauid *Pſal.23. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* & *Pſal.83. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atriis tuis.* & alibi, *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, &c.* & D.Paulus *ad Philipp. c.1. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Siue per beatitudinem intelligamus felicitatem corporis & animæ, quæ poſt diem Iudicij futura eſt, iam æternis ignibus adiectis improbis, nulliſque exiſtentibus amplius in Dei regno ſcandalis: ſed erit, 1. *Cor.15:* Deus omnia in omnibus. & de Regno dictum eſt *Matthæi c.25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c.* ſic exponunt Auguſtinus *lib.2.de ſer. Domini in monte, c.10.* Theophylactus *in Matthæum.* Rupertus *lib.6.de gloria filij hominis,* Ianſenius *in c. 41.* Maldonatus, & alij. ſiue pro hoc tempore felicitatem animæ tantùm, conſequuturo deinde poſt diem Iudicij, corpore propriam, vt beatitudo ſit vndequaque perfecta, vt exponit Tertullianus *lib. de orat.* Cyprianus *de orat. Dominica.*

nica. Auguſtinus *ep.*121. *ep.ad Probam*, Chryſoſtomus *Hom.*20. *in Matth.* Euthymius *ibidem.* Fortunatus Pictauienſis *de orat. Dominica*, Florus *in expoſitione Miſſæ*, S.Thomas 2.2. *q.*83. *art.*9. Valentia *ibid.* Curandum tamen nobis diligenter eſt, vt non tantùm vocibus, ſed ipſis etiam factis, huiuſmodi regnum gloriæ à Deo flagitemus, cùm eodem Domino teſte *Matth.*7. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* vt conſtat etiam ex parabola decem virginum *Matth.* 25. Quare rectè D.Auguſtinus *tr.*9. *in ep. D. Ioannis*, ſuper illis verbis, *In hoc perfecta eſt charitas in nobis, ſi fiduciam habeamus in die Iudicij. Cœpit aliquis deſiderare quod timebat, timebat enim ne veniret Chriſtus, & inueniret impium, quem damnaret; deſiderat vt veniat, quia inuenturus eſt quem coronet. Iam cùm cœperit deſiderare venientem Chriſtum caſta anima, quæ deſiderat amplexus ſponſi, renunciat adultero; fit Virgo interius ipſa fide, ſpe, & charitate, habet iam fiduciam in die Iudicij, non contra ſe pugnat, quando orat, & dicit:* Adueniat regnum tuum. *Qui enim timet ne veniat regnum Dei, timet ne exaudiatur, & quomodo orat, qui timet ne exaudiatur? qui autem orat cum fiducia, charitas in eo optat iam, vt regnum Dei veniat, de ipſo deſiderio dicebat quidam in Pſ.* Et tu Domine vſquequo? Conuertere Domine, & eripe animam meam. *gemebat ſe differri.*

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Propoſito fine ſequuntur media, quo- 10.
rum primum per ſe, ſeu directè ac principaliter ad finem conſequendum, ex S. Thoma 2.2.*q.*83.*art.*9. eſt adimpletio voluntatis Dei, ſeu præceptorum eius. dictum eſt enim *Matthæi c.*19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Atque vt notat etiam Euthymius *in Matth.* licèt dicatur per verbum Imperatiuum *fiat*, vt etiam dictum eſt, *Adueniat*, optatiuè tamen ſumuntur; optamus enim, & precamur, cùm diuino auxilio ad ea conſequenda opus ſit. Duplex autem voluntas Dei à Theologis diſtingui ſolet 1.*ſent. d.*45. *vel* 46. & S. Thoma *p.p. q.*19. quarum vna dicitur abſoluta & efficax, qua Deus abſolutè & ſimpliciter vult aliquid fieri, & dicitur à D. Thoma *ibid.* beneplaciti, & ſemper impletur, iuxta illud *Pſal.*113. *Omnia quæcumque voluit fecit in cœlo, & in terra. Iſaiæ c.*46. *Omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* & ratio id docet, quia ſi Deus cùm aliquid vult illud poſſet non ſequi, eſſet vel quia Deus non poteſt quod vult: at eſt omnipotens; vel quia impeditur à ſecundis cauſis; at omnis ſecunda cauſa pendet à libero Dei influxu, & concurſu, & vt ſit, & vt operetur; vel quia Deus voluntatem mutat: at in Deo non eſt viciſſitudinis obumbratio. nihilque poteſt accidere non præuiſum, & præcognitum à Deo, ratione cuius mutetur Dei voluntas. neceſſe eſt igitur vt ſemper impleatur quicquid huiuſmodi voluntate abſoluta Deus vult. Altera dicitur voluntas conditionata, ſi videlicet nos etiam velimus, vel non ſtet per nos ipſos. hac voluntate vult Deus ſeruari ſua præcepta, & nihilominus ea multi tranſgrediuntur, licèt peccatores ab hac ordinatione voluntatis Dei recedentes, labantur in aliam priorem, qua abſolutè diſcedentes ab hac vita cum peccato vult punire, vt explicat S. Auguſtinus *lib. de ſpiritu & littera*, *c.*33. & S.Thomas *loco cit.* & hæc conditionata voluntas dicitur ab aliis voluntas ſigni, quia quaſi ſignis indicatur. & dicitur eſſe quintuplex præceptum, prohibitio, permiſſio, conſilium, operatio, quarum duæ ſunt ratione mali, permiſſio mali præſentis, & prohibitio mali futuri. Tres ratione boni, operatio ratione boni præſentis, præceptum ratione boni neceſſarij, & conſilium ratione boni ſupererogationis. qua de re S.Thom. *loco cit. art.*12. Dur.1.*d.*45. *q.*3. Gabriel 1.*d.*46. *q.*1. Caietanus *p.*1.*q.*19, *art.*12. Cùm igitur dicitur, *Fiat voluntas tua.* non eſt ſermo de voluntate Dei primo modo, cùm hæc

ſemper fiat, & impleatur; ſed de ſecunda, ex S. Thoma vbi ſuprà *art.* 11. 12. Quare D. Cyprianus *de orat. Dom. Dicimus*, Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, *non vt Deus faciat quod vult, ſed vt nos facere poſſimus, quod Deus vult. nam Deo quis obſiſtit, quo minùs quod velit, faciat?* eodem etiam modo exponit Florus *in expoſit. Miſſæ.* Eſt tamen deinde difficultas inter autores, in quónam ſit intelligenda hæc conditionata Dei voluntas. Tertullianus *lib. de oratione* putat, à nobis peti promtum paratúmque animum non tantùm ad ſuſcipienda bona, ſed etiam calamitates & tribulationes fortiter patientérque tolerandas, vt conſtat exemplo Iob dicentis, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* D. Ambroſius *lib.* 5. *de ſacram. c.* 4. & S. Germanus *in Theoria* intelligunt nos poſtulare vt ita pacificetur terra victo & deiecto in Abyſſum diabolo, ſicut olim pacificatum eſt cœlum lucifero cum ſatellitibus expulſo, *Apocal.* 12. Alij de obſeruatione mandatorum Dei eſſe intelligendum volunt, ita vt nos precari Chriſtus iuſſerit, vt quod iuſſit, aut conſuluit Deus, id omne obediendo homines in terra præſtent, ſicut Angeli faciunt in cœlo. ſic Hieronymus *in c.* 6. *Matth.* Chryſoſtomus *Hom.* 20. *in eundem, & in Imperf. Hom.* 14. Theophylactus & Euthymius *in Matth.* & Auguſtinus *lib.* 2. *de ſer. Domini in monte. c.* 11. vbi ait, fiat voluntas tua, *rectè item intelligitur, obediatur præceptis tuis*, ſicut in cœlo & in terra, *id eſt, ſicut ab Angelis ita ab hominibus.* Denique Maldonatus & alij ſine reſtrictione putant generaliter peti, vt in omnibus rebus fiat voluntas Dei, non ſolùm à nobis, ſed etiam in nobis, ſicut Chriſtus, qui peccare non poterat, dicebat *Lucæ* 22. *Non mea, ſed tua voluntas fiat*, vtique non tantùm à ſe, ſed etiam in ſe. *Sicut.* triplicem comparationem dicere poteſt. Primam vt ab omnibus hominibus in terris fiat, ſicut fit ab omnibus Angelis in cœlo. Sicut explicat D. Chryſoſtomus *Hom.* 20. *in Matth.* vbi ait: *Non dixit in me, vel in nobis fiat voluntas tua, ſed prorſus vbique terrarum, vt ſcilicet euellatur error, & veritas inſeratur, atque vndique vitiis expulſis virtus reuertatur, & in illius cultu nihil prorſus terra diſtet à cœlo.* Similiter quoque explicat Caſſianus *collat.* 9. *c.* 20. Alteram vt non minus integrè Dei voluntas fiat, & non tantùm ex parte ſeruando ſolùm quædam præcepta, aut faciendo quod Deo placet, ſed integrè in omni re fiat hic voluntas Dei, ſicut in rebus omnibus fit à Beatis. vt etiam admittit Chryſoſtomus *loco citato* poſſe explicari. Tertiam, ratione modi, ex Ianſenio *c.* 41. *Concordiæ*, vt ex charitate libenter & alacriter, in terra ab hominibus impleatur voluntas diuina, ſicut fit à beatis in cœlo. de quibus Dauid *Pſal.* 102. *Benedicite Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius*; id eſt, celeriter, ſtatim & illico cùm Deus aliquid iubet, aut certè, vt textus Græcus & Hebraicus videntur innuere, non ob neceſſitatem vel vtilitatem, aut alium finem, ſed ex charitate & alacri Dei obedientia, qua de re Bellarminus in eundem Pſalmum. *In cœlo & in terra.* ſenſus litteralis eſt, vt ſicut fit Dei voluntas in patria à Beatis, ita fiat à viatoribus in terra, & exilio, vt accepit Nyſſenus *lib. de orat. Dom.* Chryſoſtomus *Hom.* 20. *in Matth. & Hom.* 14. *Imperfecti.* Hieronymus & Euthymius *in c.* 6. *Matt.* Auguſtinus *ſer.* 126. *de temp. & ep.* 121. *c.* 11. Caſſianus *collat.* 9. *c.* 20. S. Germanus *in Theoria.* S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *art.* 9. Ianſenius *loco citato.* Senſus autem myſticus non vnicus eſt. Tertullianus enim *lib. de orat.* Cypr. *lib. de orat. Dom.* Auguſtinus *ſer.* 135. *de temp. & lib.* 2. *de ſer. Domini in monte. c.* 11. & Florus per Cœlum ſpiritum, per Terram carnem intelligunt. quòd ſit colluctatio inter carnem & ſpiritum, dum ſpiritus cœleſtia & diuina quærit, caro terrena & temporalia; & ſit ſenſus, vt æquè caro noſtra ac

ſpiritus voluntatem Dei faciat, iuxta illud *Pſal.83. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Atque ad hoc idem propoſitum affert D. Auguſtinus *lib.2. de ſerm. Dom. in monte c.11.* illud D. Pauli *ad Rom. c.7. Mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati*, &, *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem, &c.* Cyrillus verò *Catech.5. myſt.* Cyprianus & Auguſtinus *locis cit.* per Cœlum fideles, pios & ſpirituales homines intelligunt, per Terram infideles & impios adhuc terrena ſapientes; vt ſit ſenſus, quomodo in cœlo (fidelibus ſcilicet & piis) facta eſt Dei voluntas, vt eſſent de cœlo, ita fiat in nondum credentibus & impiis, qui ex aqua & ſpiritu incipiant pariter eſſe de cœlo. vel etiam ex eodem Auguſtino & Floro ſuum cuique meritum tribuatur, quod in extremo Iudicio fiet, atque vt præmium iuſtis cum agnis, ſic peccatoribus cum hædis tribuatur damnatio, *Matth. c.15.* Tandem idem D. Auguſtinus *ibid.* per Cœlum Chriſtum, per Terram Eccleſiam interpretatur.

Panem noſtrum, &c. ſequitur quarta petitio, qua, teſte D. Thoma 2.2. *q.83. art.9.* petimus ſecundum medium per ſe, ſed inſtrumentaliter conducens ad expoſitum finem conſequendum, ſiue panis nomine panem verbi Dei, aut panem vitæ, ſeu Euchariſtiæ intelligamus, & in eo tamquam principali intelligantur reliqua ſacramenta, & quicquid alit animam, ſiue panem ordinarium, & in eo tamquam potiſſimo alimento omnem victus ſufficientiam tamquam piæ & ſtudioſæ operationis adminiculum. vnde Ionathas *lib.1. Reg. c.14.* cùm mel comediſſet habitus eſt tranſgreſſor præcepti paterni, ne quis panem comederet vſque ad veſperam. & *Lucæ c.14.* Chriſtus ingreſſus domum Principis Phariſæorum ſabbato ad capiendum cibum, dicitur ingreſſus manducare panem. Sed non leuis inter Patres difficultas eſt, quonam ſenſu accipiendum ſit panis nomen hoc loco. D. Auguſtinus *lib.2. de ſerm. Domini in monte, c.12.* Origenes *Hom.14. in Ezechielem*, & Caietanus per quotidianum panem intelligunt Dei verbum, præceptáque diuina, quorum executio debet eſſe cibus noſter, *Io. c.4. Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei. Io. c.6. Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* ſed videtur obſtare, tum quia hoc continetur in præcedenti petitione; tum quia huiuſmodi cibum non in hodiernum diem, ſed in omnem æternitatem conuenientiùs peteremus. Tertullianus *lib. de orat.* Cyprianus *de orat. Dom.* Ambroſius *lib.5. de ſacram. c.4.* Marius Victorinus *lib.4. contra Arianos*, Athanaſius *lib. de Incarnat.* Hieronymus *in c.6. Matth. lib.3. contra Pelagium, & in c.2. epiſt. ad Titum*, Cyrillus *Catech.5. myſt.* Fortunatus *lib. de orat. Dom.* Caſſianus *lib.9. c.21. & 24.* S. Germanus *in Theoria*, Iſidorus Peluſiota *ep.281.* & Florus *in expoſitione Miſſæ*, docent ſignificare Chriſti corpus, ſeu Euchariſtiæ panem, cùm ſit panis, qui de cœlo deſcendit, *Io. c.6.* & quia quotidie in Eccleſia ſumitur, & *Matth. c.6.* ſit ἐπιούσιον, id eſt, *ſuperſubſtantialis*; quod maximè conuenit Euchariſtiæ, quæ ſuperat vniuerſas creaturas, & debuerit Chriſtus prohibere ſollicitudinem cibi temporalis, & multo minus docere, vt priùs peteremus temporalem panem, deinde remiſſionem peccatorum, & liberationem à malo, quæ pertinent ad vtilitatem animæ. Sed difficultatem facit, tum quòd nondum Chriſtus Euchariſtiam inſtituerat; tum quòd, vt aduertit etiam D. Auguſtinus *lib.2. de ſer. Domini in monte, c.12.* non neceſſe ſit quotidie Euchariſtiam percipere, etſi ſit vtiliſſimum, cùm tamen videatur Chriſtus docere petere hunc panem tamquam rem ſingulis quotidie neceſſariam; tum quòd verbis illis, *da nobis hodie*, prohibeamur quaſi in craſtinum petere: at ſi de corpore ſuo

ſuo intelligeret, non prohiberet, hunc panem poſtulare etiam in craſtinum, & toto vitæ tempore; tum quòd Apoſtoli hac de re nihil cogitarent. Ἐπὶ verò non ſolùm *ſuper*, verumetiam, *ad*, ſignificat, quaſi congruens & pertinens, ideo, ἄρτος ἐπιούσιον erit panis congruens, & pertinens ad ſubſtantiam noſtram, vt colligitur ex D. Baſilio *in qq. compendio explicatis, q.252.* Niſſeno *lib. de orat. Dom.* & Theophylacto. Eumdem ſenſum facit verſio noſtra, teſte Ianſenio *c.41.* dum legit, *quotidianum,* nempe qui quotidie nobis ad vitæ ſuſtentationem eſt neceſſarius; cui fauet textus Caldaicus, qui habet, *panem noſtrum calamitatis ſeu indigentiæ.* ſicut nec fuit conſilium Chriſti vt iuberet quærere panem aliáſque res neceſſarias, quod terrenum eſt, & prohibeat ibidem Chriſtus ſollicitudinem in craſtinum, & ad quod ſatis procliues ſumus natura ipſa; ſed vt doceret vnde & quatenus hæc quærere debeamus. Non enim à terra vt pecudes, ſed à Deo, & non in omne tempus, ſed tantùm in præſens, quare non tam corporis, quàm animæ curam oſtẽdit Chriſtus ſe habere; exſcindit enim vehementem affectum ex quo maior peccatorum pars proficiſcitur, vnde D. Auguſtinus *ſer. 126. de temp. O ſapientia vera, & diuina prouidentia, qua docuit & panem ſolum petere, & hodie nominare. Hoc enim dicto & auiditas cum auaritia tollitur, & humanæ vitæ inſinuatur incertum, ſecundùm illud,* Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum. *Corpori igitur & animæ eodem tempore Chriſtus petere docet, dum & pro vita panem, & pro anima ne peccata fiant docet poſtulare: ſicut ſequenti petitione poſtulamus ignoſci commiſſa.* Idem verò S. Auguſtinus *ep. 121. ad Probam c.12. & ſer. 126. de temp.* Chryſoſtomus *Hom. 20. in Matth. & Hom. 14. Imperfecti, & in Pſal. 127.* Baſilius *loco citato.* Nyſſenus *lib. de orat. Dom.* Theodoretus *in c.4. ep. ad Philip.* S. Thom. *2.2. q.83. art.9.* Innocent. *lib.5. c.24.* Bonauentura *in expoſitione Miſſæ,* Gloſſa *in c.11. Lucæ,* Ianſenius *in concordia Euang. c.41.* Maldonatus *in c.6. Matthæi,* panem quotidianum, & ad victum neceſſarium, reliquáque, quæ ad ſuſtentandam vitam requiruntur, ſignificare exiſtimant. tum quia dicitur, *Panem noſtrum, & quotidianum;* nempe in hodiernum diem, non in futurum, & *calamitatis noſtræ,* vt ex Caldæo diximus, & paulo pòſt ſubditur, *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum,* quæ indicant agi de cibo corporali, tum quia non exigua eſt pietas, quæ ad victum pertinent non aliunde petere & ſperare quàm à cœleſti Patre, ſicut fecit Iacob *Geneſis c.28. Si dominus fuerit mecum, & cuſtodierit me in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſúſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Et Salomon *Prouerb. 30. Victui meo tantùm tribue neceſſaria.* Dices: at tunc non videretur oratio hæc conuenire omnibus Chriſtianis; licèt bonis, illis videlicet, qui iam habent paratum cibum, non ſolùm diarium, ſed etiam in vnum & multos annos; cùm non petatur quod iam poſſidetur. Item neque veſperi etiam viuenti in diem, cùm iam ad neceſſitatem refectus eſt. Sed ad priorem difficultatem reſpondet Auguſtinus *ep. citata ad Probam,* pauperes petere vt habeant, diuites vt non amittant; cùm multi dormierint diuites, qui ſurrexerunt pauperes, & quòd illis non deeſt, miſericordiæ Dei eſſe, & non potentiæ ipſorum. Alio etiam modo reſpondet Autor Imperfecti *citata Hom. 14.* non ſolùm nos orare panem noſtrum dari nobis, vt habeamus quod manducemus, ſed vt quod manducamus de manu Dei accipiamus. nam habere ad manducandum commune eſt iuſtis & iniuſtis, & frequentiùs habent abundantiùs peccatores: de manu verò Dei panem accipere iuſtorum tantùm eſt; ideo, qui cum iuſtitia præparat panem, illi dat Deus panem, quem manducet, qui autem cum peccato, illi non dat Deus, ſed diabolus. nam omnia quidem à

Deo creantur, non tamen à Deo omnia ſubminiſtrantur. Ad alteram reſpondemus cum Ianſenio & aliis, cùm nomine panis intelligatur quicquid eſt neceſſarium ad vitam, ſingulíſque horis & momentis aliquo egeamus, vt dormituri cuſtodia, meritò ſemper dicere debemus, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* & panis *Noſter* dicitur, tum quia, vt modò ex Autore Imperfecti dicebamus, à nobis acquirendus eſt iure, non iniuria, fraude, furto, malíſque artibus, qui non noſter, ſed alienus eſt, vt etiam ſentit Nyſſenus *lib. de orat. Dom.* tum ex Gregorio *lib.*33. *Mor.c.*5. quia noſter eſt per acceptionem, licèt Dei ex munere. tum ex Euthymio, quia nobis congruit, nobíſque formatus eſt, vt ſecernatur panis noſter à cibo cæterorum animalium: tum quia nobis neceſſarius non petentes ad luxuriam, & laſciuiam, ſed ad neceſſitatem noſtram ſubleuandam; tum myſticè ex Autore Imperfecti, & Gabriele *lect.*70. quia non nobis ſolis datur, ſed etiam aliis per nos, vt de eo quod accipimus à Deo, partem egentibus faciamus. Et panis *Quotidianus*, ſeu vitæ accommodatus, & ſubſtantiæ noſtræ congruens, tum ex D. Auguſtino *ſer.*126. *de Temp.* Nyſſeno, & Autore Imperfecti, vt ſignificetur frugalitas, & parſimonia; cùm non multiplicem & paratu difficilem cibum petamus, ſed omnino neceſſarium ad humidum radicale, quod deperditur, reſtaurandum. *Eccli.*29. *Initium vitæ hominis panis & aqua.* 1.*ad Tim.*6. *Habentes alimentum, & quibus tegamur his contenti ſimus.* qua etiam de re egregiè diſſerit Seneca *epiſt.* 61. & Macrobius *lib.*7. *Saturnal.* tum vt præſcindatur ſollicitudo in futurum, ex Chryſoſtomo *Hom.*20. *in Matth.* tum ex eodem Auguſtino *vbi ſuprà*, quia ignoramus, an ſequenti die victuri ſimus. fortè enim hodie vita finienda erit, iuxta illud *Lucæ* 6.12: *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem paraſti cuius erunt? Da nobis*, liberaliter tamquam Pater, & gratis, non autem redde tamquam ex inſtitia debitum. tu enim es, de quo dicitur *Pſal.* 103. *Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore; dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* & *Pſal.* 135. *Qui dat eſcam omni carni.* & *Pſal.*144. *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione.* omnium enim bonorum prima cauſa eſt Dei liberalitas, quæ tempore opportuno dat; quando ſcilicet æquum eſt dati, quòd videlicet iuxta temporum varietates, varios fructus ex terra producat, & quòd det, quando egemus & eſurimus; quod ſi quando tollit, & ſterilitatem immittit quòd id merentur hominum peccata, Deus medicum imitatur, qui præſcribit ægris inediam & abſtinentiam vini. Dat verò Deus ſecundùm ordinem ſuæ diuinæ prouidentiæ per ſecundas cauſas, etiam nobis laborantibus, cùm iuſſerit initio, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Euentus tamen non induſtriæ & labori noſtro tribuendus eſt, ſed Deo, ſine quo inanis eſſet labor noſter. vnde D. Paulus ad hoc alludens, *Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Quare omnino pia eſt, & ſeruanda conſuetudo illa, vt numquam ſumantur cibi ſine oratione, 1 *ad Tim. c.* 4. Numquam recedamus à menſa, niſi actis Creatori gratiis, vt docet Ioſephus *lib.*2. *de bello Iud.c.*7. agens de Eſſænis, vbi ait: *Deinde voce cibum ſacerdos antenenit: neque guſtare quemque cibum fas eſt niſi priùs Deo celebratur oratio: poſt finem quoque prandij vota repetunt quaſi datorem victus Deum laudibus canant.* Hieronymus *ep.* 22. *ad Euſtochium, de cuſtodia virginitatis.* Athanaſius *de virginitate, ſiue de meditatione*, vbi id pluribus explicat, Chryſoſtomus *Hom.*50. *&* 34. *in Matth.* & *Hom.*57. *ad populum Antiochenum*, & Prudentius *in hymno de hac eadem re.* Baſilius

lius *epiſt. ad Gregorium Nazianzenum*, & patet exemplo Chriſti *Matth.* 26. & D. Pauli *Act.* 27. *verſ.* 33. quòd etiam Gentiles natura ipſa duce, id feciſſe conſtat; initio enim conuiuiorum deos inuocabant, vt docet Quintilianus *in declamationibus*, Deique alicuius ſtatuam in menſa ponebant, veluti eius conuiuij tutelam, ex Statio *in Siluis*, Arnobio *lib.* 2. *adu. gentes*, & Athenæo *lib.* 1. *c.* 9. & diis dapes libare eoſdem conſueuiſſe in conuiuiis docet Liuius *lib.* 19. *Hodie.* D. Auguſtinus *lib.* 2. *de ſerm. Domini in monte, c.* 12. *&* *epiſtola* 121. *c.* 11. Cyrillus *catech. myſt.* 5. Caſſianus *collat.* 9. *c.* 21. interpretantur in præſenti ſeculo, cùm *ad Hebr.* 3. dicatur, *Adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur.* id eſt, quamdiu vita ſuppetit, vt etiam interpretantur, qui per panem, Euchariſtiam intelligunt. Idem Auguſtinus *ſerm.* 126. *de temp.* Nyſſenus *de orat. Dominica*, Cyprianus item *de orat. Dominica*, Euthymius *in c.* 6. *Matth.* & Chryſoſtom. *Hom.* 28. *in Matth.* Hodiernum diem exponunt, quòd noluerit Chriſtus fideles angi de conſequenti die, cùm neque ſciamus an ſimus victuri. Porrò non omnem ſollicitudinem rerum temporalium Chriſtus damnat, cùm & loculos habuerit, *Io. c.* 12. 13. & Apoſtoli *Act.* 11. annonam curauerint parandam ad futuram famem tolerandam. & Ioſeph *Gen.* 41. magna cum prudentiæ laude in ſeptennium ſolicitus fuerit: ſed eam, quæ tamquam finem temporalia quærit, & quæ naſcitur ex diffidentia Dei. vnde dicit, *Si autem fœnum agri ſic veſtit, &c.* & denique eam, quæ non ſequitur, ſed præcedit ſollicitudinem regni Dei, quod primo loco quærere debemus: atque tanta eſt, vt illi ſeruiamus; dixerat enim non poſſe nos duobus dominis ſeruire. videndus S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 108. *art.* 3. *ad* 5. *&* 2. 2. *quæſt.* 55. *art.* 6. *ad* 7. Gabriel *in canone lect.* 70. qui etiam rectè monet includi ſub hac petitione congruens etiam fomentum corporis, veſtitum, habitationem, defenſionem, & cætera ad corpus, eiúſque bonam ac ſanam conſtitutionem requiſita, ſiue ſint bona naturalia, ſiue fortuita, interiora, vel exteriora.

12. *Et dimitte nobis debita noſtra, &c.* Cùm docuerit nos Dominus orare pro bonis adipiſcendis, quæ & principaliter & inſtrumentaliter conducunt ad ſalutem, docet deinceps orare pro malis deuitandis, quæ nos à beatitudine prohibere poſſent. idcóque eſt medium per accidens ad beatitudinem, ſeu remotio prohibentis. quod triplex eſt, peccatum ſcilicet, ſeu malum culpæ, quod directè excludit à regno Dei, in quod nihil inquinatum introire poteſt, vt ait Ioannes *in Apoc.* Tentatio, quæ nos impedit ab obſeruatione voluntatis, & præceptorum Dei. & præſentes pœnæ. quare ob primum dicimus in hac quinta petitione, *Dimitte nobis debita noſtra.* ob ſecundum dicimus in ſexta, *Et ne nos inducas in tentationem.* ob tertium in vltima, *Sed libera nos à malo*, ex ſententia D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 9. Poſt igitur ſubſidium temporalis cibi, & cæterorum, quæ requiruntur ad vitæ ſuſtentationem, veniam delictorum petimus, vt qui à Deo paſcimur, in Deo viuamus, nec tantùm præſenti & temporali, ſed etiam æternæ vitæ conſulamus, ad quam venire poſſumus, ſi peccata donentur, vt ait etiam Cyprianus *loco citato.* Rectè autem *debita* Chriſtus pro peccatis poſuit, vt ex *Luca c.* 11. patet. tum quia, Euthymio teſte, illis tanquam ære alieno Deo obligati tenemur. tum ex Tertulliano *lib. de orat. c.* 7. & Venantio Fortunato *lib. de orat. Dominica*, quia peccatum in Iudicio debeatur & exigatur. nec peccans iuſtitiam exactionis euadat, niſi donetur exactio. Sicut ſeruo illi dominus dimiſit debitum *Matth.* 18. tum ex D. Ambroſio *lib.* 5. *de ſacram. c.* 4. & Auguſtino *ſerm.* 28. *de verbis Domini*, quia cùm antea homo liber eſſet, factus eſt diaboli debitor qui ei peccata, veluti pecuniam, fœneratus eſt. & miſer homo pro fœnore æternas luit pœnas. cúm-

que cautionem eius teneret diabolus,eam Dominus cruci affixit, & ſuo cruore deleuit,abſtulit debitum, & reddidit libertatem;ob id petimus, vt dimittat debita noſtra quaſi ſoluendo de theſauro ſuæ paſſionis, quod debemus. Atque ex hoc loco D. Hieronymus *lib.3. aduerſ. Pelag.* Auguſtinus *lib.2. contra epiſt. Parmen. c.10.& lib.3.contra duas ep.Pelag.c.5.lib.5.de pecc.mort.c.13.ep.89.& Hom.42.* Cyprianus *lib. de orat. Dominica*, probant neminem in hac vita ſine peccato eſſe, cùm omnes iubeamur dicere,*Dimitte nobis debita noſtra.*vt etiam monet D.Io.*epiſt.1.c.1. Si dixerimus,quia peccatum non habemus,&c. Prouerb. 20. Quis dicere poteſt,mundum eſt cor meum, & purus ſum à peccato. Eccl. 7. Non eſt homo, qui non peccet.* Sicut ex eodem loco probat D. Chryſoſtomus *Hom. 20. in Matth.* & Cyprianus *loco cit.* poſt Baptiſmum concedi remedium pœnitentiæ, cùm fidelium tantùm ſit oratio hæc, quibus competit Deum Patrem nominare. quare hac petitione nos ſalubriter monet Dominus, & infirmitatis noſtræ ne efferamur, & paternæ miſericordiæ ne deſperemus,vt idem Chryſoſtomus docet. Non dicimus autem, dimitte mihi debita mea, quod fraterna charitas poſtulet,vt cùm oramus,non tantùm pro nobis, verumetiam pro noſtris proximis poſtulemus. Fuit verò veterum Chriſtianorum mos,vt dicendo: *Dimitte nobis debita noſtra*, pectus tunderent, vt conſtat ex D. Auguſtino *Hom. 10. inter 50.* Quod verò ſubditur, *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*,non eſt regula,vt docet D.Chryſoſt. *Hom.20. in Matth.* cùm ait,*Et certè nequaquam iſtud æquale eſt,* Tu remiſiſti,&c. Cyrillus *catech.5 myſt.* Maldonatus *in 6.cap. Matth.* & alij, alioquin malè omnino nobiſcum ageretur, ſi non aliter nobis Deus,quàm noſtris nos debitoribus, peccata dimitteret. Deus enim nobis & multo plura, & multo maiora, & multo minus merentibus, & multo liberalius, remittit, quàm nos iis, qui nos offenderunt. quod etiam patet ex parabola debentis decem millia talenta *Matth.* 18. ideo ſi regula eſſet, non nobis ſalutem, ſed damnationem peteremus; regula enim eſt quam imitemur,& non Deus nos, ſed nos Deum in dimittendis peccatis imitari debemus: non igitur nos illi,ſed ille nobis eſt regula.Erit igitur conditio tantùm,eo quòd ſi nos debitoribus noſtris non remittamus, neque nobis ille remittet, vt eodem loco *Matth.* 6. Chriſtus paulo pòſt docet, & *Marci* 11. *Cùm ſtatis ad orandum dimittite,ſi quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater veſter, qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra.* & *Lucæ* 11. non dicitur: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus*: ſed dicitur,*Siquidem nos dimittimus omni debenti nobis. Eccl.28. Homo homini reſeruat iram,& à Deo quærit medelam?*Quare Chryſoſtomus *Hom.20.in Matth. Itaque à nobis tota hæc res ſumit exordium,futurùmque de nobis iudicium in noſtra eſt poteſtate. ne enim vel irrationabilis quiſpiam, aut in magno, aut exiguo delicto de iudicio Dei conqueri poſſet,ipſum reum Dominum illius fecit eſſe ſententiæ. Quemadmodum*, inquit, *tu tibi ipſe iudicaueris, ita etiam tibi iudicabo.* Terribile omnino eſt exemplum illud Sapritij apud Surium 9. *Februarij*, qui offenſus à Nicephoro dum ad martyrium duceretur ob fidei Chriſti confeſſionem, rogatus à Nicephoro, vt ſibi noxam iniuriámque dimitteret, & is renuiſſet; cùm iam collum ictui ſubieciſſet, à fide reſiliuit, id permittente Deo ob negatam condonationem. quod videns Nicephorus ob Chriſti honorem ſtatim tamquam Chriſtianus proſiliuit, & coronam conſequutus eſt martyrij.Admonet tamen D. Auguſtinus *lib.21. de Ciuit. c.12.& 27.*non eſſe intelligendum abſolutè Deum dimiſſurum nobis peccata, ſi aliis dimittamus, ſed ſi etiam cætera, quæ neceſſaria ſunt, accedant. non enim nobis quomodocumque viuentibus, licèt dimittentibus, condonaret peccata, cùm non vt fiant,ſed quia fiunt peccata, præcipit, vt dicamus, *Dimitte nobis, &c.*

ideo

ideo neceſſe eſt, vt nos peccaſſe pœniteat, adſit animus non iterum peccandi, &c. ea enim eſt differentia inter affirmatiuas promiſſiones ſeu conditiones, & negatiuas, quòd negatiuæ abſolutè & ſine alia ſuperaddita conditione intelliguntur, affirmatiuæ autem rarò abſolutè intelliguntur, vt rectè notauit Maldonatus *in c.6. Matth.* Peſſimè verò quidam orationem Dominicam recitantes non dicunt, *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, ne ſeipſos potiùs obligare, & damnare videantur, mentientes Deo, nolentes inimicis dimittere, ſed, vt Caſſianus docet *collat. 9. c. 22.* & Autor Imperfecti *Hom.* 14. has cauillationes fruſtrà Iudici omnium prætendere moliuntur, nec eſt diſcipulus Chriſti, qui non orat, vt docuit Chriſtus, nec Pater libenter exaudit orationem, quam non dictauit filius. ob id orationem dicere potes, Deum fallere non potes, nec accipies indulgentiam, niſi priùs indulſeris ipſe. Quòd ſi, teſte eodem Autore Imperfecti, qui læſus eſt, ſine ſpe orat Deum niſi indulſerit ei à quo læſus eſt, quomodo putas orabit, qui non ſolùm ab altero læſus non eſt, ſed ipſe per iniuſtitiam alios lædit & grauat? Attamen ſi quis nolit ab odio diſcedere, non debet tamen abſtinere ab hac oratione, vt noui ego feciſſe quemdam, qui hac de cauſa ipſos vigintiquinque annos numquam recitauerat, quia, vt docet S. Thom. 2.2. *quæſt.* 83. *art.* 16. Abulenſis *in c.6. Matth. q.* 116. & Catechiſmus Romanus, dicit etiam in perſona Eccleſiæ, quæ vt pia mater, perſequutoribus libenter ignoſcit. ideoque reſpectu Eccleſiæ in qua multi ſunt, qui dimittunt, non mentitur. Porrò non defuerunt inter Gentiles, qui hac eadem de re nos & verbis, & exemplis monerent, inter quos Plato *lib.* 1 *de Repub. & in Critone in fine*, dixit: *Nullo modo iniuriandum eſt, neque ſi iniuriam paſſus fueris, vlciſcendum, vt vulgus putat.* & fusè præclaréque idem argumentum perſequutus eſt Maximus Tyrius *ſerm. de non referenda iniuria* 42. & Plutarchus *lib. de cohibenda iracundia, & in Apophthegmatibus.* Narrat idem *in Periclis vita*, cum domum veſperi redeuntem à quodam conuitiis laceſſitum, ſeruo imperaſſe vt illum domum ſuam cum face accenſa deduceret. Lycurgus etiam non modò cæcitatem oculi ab Alexandro illatam æquo tulit animo, ſed illum ſibi ad ſupplicium deditum, clementer penes ſe tamdiu habuit, quoad ex improbiſſimo factus eſſet ſtudioſiſſimus virtutis, vt ſcribit Stobæus *ſer.* 17. Volaterranus *lib.* 16. & Sabellicus *lib.9. c.*1. Solon quoque teſte Maximo Tyrio *loco cit.* ſeu manis Ariſtippus, teſte Laërtio, cùm ei vitio daretur, quòd neſcio quem in ipſum deſpuentem tuliſſet, dixit: *Piſcatores vt gobium vnum capiant patiuntur ſe aqua marina conſpergi, ego idem non feram, vt hominem capiam?* Euclides fratri dicenti in quodam iurgio, *Peream, niſi te vlciſcar*, reſpondens, *Ego verò peream, niſi te in meam traduxero ſententiam*, confeſtim pudorem homini incuſſit, & mutauit, vt ſcribit Plutarchus *lib. de ira cohibenda*, qui etiam ſubiicit Polemonem maledictis inceſſitum à quodam homine lapidum pretioſorum ſtudioſo, & qui vitiò conquirendi ſigilla magno emta laboraret, nihil reſpondiſſe, ſed ſigillorum vni animum aduertiſſe; idque perſpexiſſe, quo facto delectatus ille. *Non ſic*, inquit Polemo, *ſed expoſitum luci contemplare; longè enim pulcrius tibi videbitur.* Denique eodem teſte *ibidem*, cùm Arcadio Achiuus Philippum numquam non inſectaretur verbis, aliiſque ſoleret dicere,

Fuge hinc
Donec ad hos venias, qui non nouêre Philippum.

Et aliquandò in Macedonia eſſet, atque amici non omittendum, ſed ſupplicio afficiendum dicerent: *Philippus humanè compellatum donis muneribúſque hoſpitalibus affecit, iuſſitque deinde inquirere, quos de ſe ille apud Græcos ſpargeret ſermones, omnibúſque teſtantibus*

teſtantibus mirabilem eum Philippi laudatorem factum: Ego itaque, inquit, *melior vobis ſum medicus.* videantur, quæ etiam diximus hac de re *lib.3.c.14.n.7.*

Et ne nos inducas in tentationem. Sexta petitione Deum oramus, vt amoueat à nobis malum tentationis, quæ impellendo ad peccatum obſtare poteſt acquiſitioni beatitudinis; ideóque petimus alterum remouens, prohibens, & medium per accidens ad finem conſequendum, ex S. Thom. *2.2.quæſt.*83.*art.9.* Et dupliciter poteſt exponi; primò ne Deus ſinat nos vinci à tentationibus, vt exponit D. Auguſtinus *lib.2.de ſerm. Domini in monte, c.*14. *& epiſtola* 121.*c.*11. Hilarius in illud *Pſalm.*118. *Non me derelinquas.* Ambroſius *lib.5.de ſacram.c.*4. Hieronymus *in c.*26. *Matth.* Caſſianus *collat.* 9. *c.* 23. Theophylactus *in c.6. Matth.* Hugo de S. Vict. *lib.2. off. c.*39. quòd aliud ſit tentari, aliud induci in tentationem: nam ſine tentatione nullus probatus eſt. ob id *Tobiæ c.*12. *Quoniam acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te. Iacobi c.*1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, &c.* &, *Omne gaudium exiſtimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis, &c.* Induci autem in tentationem ſit ſuperari à tentatione, vnde rogamus, non quidem ne nos Deus inducat in tentationem, cùm ipſe ſit intentator malorum *Iacobi c.*1. quando enim agitur de peccatis, certum eſt apud omnes Catholicos, quicquid latret Caluinus, Deum non incitare, non impellere, ſed ſolùm permittere tentari, ex Tertulliano & Cypriano *lib. de orat. Dominica,* Auguſtino *ſerm.* 124. *de tempore*, Gregorio *lib.* 23. *Mor. c.*27. Ruperto *lib.6.de gloria filij Dei.* Sed ne permittat nos ſuperari à tentationibus; ſic tentatus Ioſeph illecebra non illatus in tentationem, ſic Suſanna. Eodem igitur modo rogamus nos, tamquam ſi quiſpiam, eodem D. Auguſtino teſte, cui neceſſe ſit igne examinari, non oret, vt non contingatur igne, ſed vt non exuratur. Vaſa enim figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Altero modo exponitur, non ſolùm ne nos vinci ſinat à tentatione, ſed etiam ne permittat nos tentari & impeti tentationibus, præſertim periculoſis. Memores enim noſtræ infirmitatis, non ſolùm vt vincamus, petimus, ſed etiam ne in certamen deſcendamus, ne fortè vincamur, ita Cyprianus & Tertullianus *de orat. Dominica,* Auguſtinus *lib. de bono perſeuer. c.6.* Chryſoſt. *Hom.*20. *in Matth. & Hom.*14. *Imperfecti,* Euthymius *in c.6. Matth.* Nyſſenus *de orat. Dominica,* Chryſologus *ſer.*63. vt enim ait D. Auguſtinus *lib.*10.*Confeſſ.c.*28. iubet Deus tolerare tentationes, non amare. Non igitur mirum ſi nos memores noſtræ infirmitatis eas deprecamur, cùm & Petrus, qui fortis videbatur, ad vnius mulierculæ vocem Chriſtum negauerit. Quòd ſi vterque ſenſus coniungatur, integer & perfectius habebitur huius petitionis intellectus, vt ait Ianſenius *in Concordia, c.*41. videlicet ne Deus tentationibus præſertim grauioribus nos concuti ſinat, & ne iam tentatione pulſatos nos ſuperari patiatur. 13.

Sed libera nos à malo. Vltima petitio, non pars præcedentis, vt exiſtimat Ianſenius. Eadémque de cauſa *malum* non eſt referendum ad tentationem, vt voluit Hugo de S. Vict. *lib.2. off.c.*39. vt ſit ſenſus, ne inducas in tentationem, ſed libera nos ab illa. non enim tunc ſaluari poſſet ſeptenarius petitionum numerus admiſſus communiter. Ex Græcis autem Chyſoſtomus *Hom.* 20. *in Matth.* Euthymius, Theophylactus *in Matth.* Nyſſenus *de orat. Dominica,* Germanus *in Theoria,* & ex Latinis Ambroſius *lib.* 5. *de ſacram.c.*4. Caſſianus *collat.*9.*c.*23. Tertullianus *lib. de fuga in perſeq.* & Petrus Chryſologus *ſerm.* 70. per *malum* à quo liberari petimus, intelligunt diabolum, quod id ſuadeat articulus τοῦ, qui eſt in textu Græco, quaſi libera nos ab illo Maligno, ſeu ab ipſo noſtro malo inimico. Sed ſimilis articulus reperitur etiam *in c.*12.*epiſt. ad Rom.* Odientes malum, adhæren- 14.

tes bono, vbi malum non ſignificat dæmonem. ſic etiam *Pſalm.*40. Communior igitur expoſitio Cypriani *de orat. Dominica*, Auguſtini *loco cit.* Bedæ *in Matth.* Ruperti *lib.6. de gloria filij Dei.* S. Thom. 2.2. *quæſt.*83. *art.*9. Amalarij, & Flori *in expoſit. Miſſæ*, Abulenſis, Caietani, Carthuſiani, Gabrielis *lect.*71. Catechiſmi Romani, & aliorum eſt Mali nomine intelligi cuncta aduerſa, quatenus à ſummo bono nos impediunt. Et differt hæc petitio à ſuperiore, eo quòd illa vitationem culpæ, hac liberationem à pœna poſtulamus, ne per impatientiam, puſillanimitatem, vanam ſollicitudinem, aut aliter officiat. videtúrque hunc eumdem ſenſum probare Eccleſia; poſtquam enim populus reſpondit, *Amen*, ſacerdos quaſi populi petitionem exponens, ſubdit, *Libera nos quæſumus ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris, &c.* Omittimus clauſulam illam à Græcis additam, *Quia tuum eſt regnum, & poteſtas, & gloria in ſecula*; quæ habetur in Liturgia D. Marci, & apud Clementem *lib.7.c.25.* Chryſoſtomum *Hom.20. in Matth. & Hom.14. Imperfecti*, Theophylactum, & Euthymium *in c.6. Matth.* & in textu Syriaco, Hebraico, & Græco, cui credibile eſt primùm à Græcis additam, & inde irrepſiſſe in alios, qui ex Græco tranſlati ſunt. Solent enim Græci in precationibus aliqua addere, vt conſtat Pſalmis addidiſſe, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, &c.* Salutationi Angelicæ, *Quia tu peperiſti Saluatorem noſtrum.* Latini enim non habent, vt patet ex Tertulliano, Cypriano, Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo, qui tamen in dubiis vti ſolebant exemplaribus Græcis; & ex Miſſa Chryſoſtomi conſtat appendiculam illam Græcos non continuaſſe cum oratione Dominica, ſed à populo & clero recitata Dominica oratione, ſacerdos ſolus dicebat, *Quia tuum eſt regnum, & poteſtas, & gloria in ſecula.* vt apud Latinos etiam ſubditur, *Libera nos quæſumus, &c.* Nec addiderunt tantùm, *Quia tuum eſt regnum, &c.* verùm ex S. Germano, & aliis, *Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, quæ docent addita fuiſſe cum ſuperioribus.

15. *Amen.* Concluſio totius orationis, ſeu vt appellat D. Hieronymus *in Matth.* ſignaculum. eóque verbo, vt notat Catechiſmus Romanus *in fine*, ſacerdos, qui Dei & populi interpres eſt, non autem Miniſtri, aut populus, qui dixerunt, *Sed libera nos a malo*; reſpondet ſubmiſsè, eo quòd ſpem habeat, non certitudinem, Deum exoratum eſſe populo, & illius precibus conſenſiſſe; cùm tamen in aliis precibus vox *Amen* conſenſum populi ac deſiderium ſignificet, & non Dei. plura de hac voce diximus *lib.3.c.20.*

De oratione, *Libera nos quæſumus.* CAP. XXIII.

SVMMARIVM.

1. *Senſus & antiquitas orationis*, Libera nos quæſumus. *cur dicatur ſecretò, déque ſigno crucis à fronte ad pectus, & oſculo patenæ.*

1. EMboliſmus eſt ſeu excreſcentia, ac expoſitio vltimæ petitionis, orationis Dominicæ, vt docet Amalarius *lib.3.c.29.* Micrologus *c.17.* Florus *hoc loco*, Innocentius *lib.5. c. vltimo*, Gabriel *lect.* 80. in ea autem petitur, vt liberemur à Malo, in hac explicatur à quibúſnam malis optemus liberari, ſcilicet præteritis, præſentibus, & futuris, per interceſſionem B. Virginis, & Sanctorum omnium,

Mala præterita ex Alcuino, Floro, Gabricle ſunt peccata à quibus precamur liberari, iuxta illud, *Fili peccaſti, ne adiicias iterum, ſed de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur.* Mala præſentia ſunt, & quotidiana peccata, vnde quotidie neceſſe habemus dicere, *Dimitte nobis debita noſtra,* vt diximus ex Hieronymo *lib.3. aduerſus Pelag.* Auguſtino *lib. 5. de pecc. mor.c.13.* Cypriano & aliis; & afflictiones corporis, aliæque extrinſecus irruentes calamitates. Mala futura ſunt, inſidiæ, laquei, & quæcumque nobis accidere poſſunt ſiue per tentationes diaboli, ſiue per bella, famem, peſtem, cæteráſque ſeculi miſerias, vt à peccatis liberi, ſimus etiam ab omni perturbatione ſecuri. Huius orationis videtur meminiſſe Hieronymus, cùm agens de trina vigilia Chriſti ſuper illud *Marci* 14. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Trina,* inquit, *Domini vigilia tres perſonas habere nos in orando docet, & de præteritis, & de futuris, & præſentibus veniam rogare.* eam explicat Amalarius, Alcuinus, Florus, Innocentius, & alij, ex quibus antiquitas eius conſtat. Dicitur verò ſecretò ex Innocentio *lib.5. c. vltimo,* & Gabriele *lect.* 80. ad ſignificandam triduanam Domini quietem in ſepulcro. Interim ſacerdos accepta patena, quæ à patendo dicitur ex Varrone *lib.4. de lingua Lat.* & latitudinem charitatis in qua ſacrificium ſumendum eſt, innuit, crucis ſigno, à fronte ad pectus, ad demonſtrandum ſignatum fuiſſe ſepulcri lapidem cum cuſtodibus, ex Gulielmo Durando *lib.4. Ration.c.*56. ſe ſignat: & ſimul ad indicandum obſequium, quod piæ mulieres Chriſti corpori exhibere volebant, quæ *Matth.*28. parauerant aromata, vt venientes Ieſum vngerent, ex Innoc. *lib. 6. c.1.* Amalario *lib. 3. c.30.* Dur. *lib.4.c.50.* patenam oſculatur, eáque hoſtiam diuidendam ſuſcipit.

De Hoſtiæ partitione. Cap. XXIV.

SVMMARIVM.

1. *De hoſtiæ diuiſione, non diuiſo corpore Chriſti, eiúſque antiquitate, & ſignificatione.*
2. *De ſignis crucis cum particula ſuper calice.*
3. *De annunciatione pacis.*
4. *De mixtione particulæ cum ſanguine ac prece, vt peracta conſecratio fiat nobis ſalutaris, & quàm grauiter in ea re decipiamur Nouatores.*

IAm ſacerdos hoſtiam in manibus acceptam tres in partes diuidit (in quatuor 1.
& crucis ſimilitudinem in Liturgia Chryſoſtomi) & depoſitis aliis, vltimam, vt fit etiam in dicta Liturgia Græca, cum præſcriptis verbis, *Hæc commixtio, &c.* quæ mox explicabuntur, immittit ſanguini. Ea porrò fractione, vt aliàs diximus, non diuiditur corpus Chriſti, ex Magiſtri & Scholaſticorum communi ſententia 4.d.12. S. Thom.3.*p.queſt.*83.*art.*5.*opuſc.*59.*c.*7. Alb. *tract. de Miſſa,* & in illud Marci, *Et manducantibus illis.* Micrologo *c.*17. Turrecrem. *can. triforme, de conſecrat. d.2. num.*1. & docet expreſsè D. Iacobus, cùm in Liturgia ait, *Guſtate & videte quod benignus eſt Dominus, qui in partes diſtributus, ac non diuiſus, & fidelibus impertitus, nec conſumitur eſt,* & S. Germanus *in Theoria. Statim fit partitio diuini corporis* (quoad ſpecies ſcilicet) *verùm enimuero tametſi in partes diuidatur, indiuiduum & inſectum in ſingulis ſectorum partibus totum agnoſcitur, & inuenitur.* videndus S. Dionyſius Patriarcha Alexandrinus *in epiſt. aduer. Paulum Samoſathenum,* approbata in Concilio

(Lib. 4. c. 17. §. 2. & 5.)

Concilio Antiocheno, quam recitat Turrianus noſter *lib.1.de Euch.c.*10. D.Thomæ ſequentia *in feſtiuitate corporis Domini, & opuſc.*59.*c.*7. vbi affert exemplum ſpeculi, quo fracto non frangitur imago animalium anuloſorum quorum anima eſt vna integra, ſed ſi diuidantur tot fiunt animæ, quot partes, ex Ariſtotele *lib. 2. de animalibus*, & hominis cuius anima diuiſo membro aliquo integra perſeuerat. Eſt autem diuiſionis hoſtiæ ritus antiquiſſimus, vt conſtat ex D. Iacobo *in Liturgia*, Dionyſio *de eccl.hier.c.*3. Chryſoſtomo *in Liturgia, & Hom.*24. *in* 1. *ad Corinth.* Sergio Papa *can.triforme, de conſecr.d.*2. Proſpero *can. cùm frangitur, de conſecrat.d.*2. Amalario *lib.*3.*c.*35. Rabano *lib.*1 *inſt.c.vltimo*, Paſchaſio *lib.de corpore Domini,c.*18. Stephano Heduenſi *c.*18. Guitmundo *lib.*1. & aliis. Sed huiuſmodi partitio non eſt cenſenda de ſubſtantia ſacrificij, vt contra Canum *lib.* 12. *c.*13. ſuperiùs *lib.*1. *c.*5. diximus, ſed omnino accidentalis. tum ex D. Thoma 3.*p. quæſt.* 83.*art.*6. *ad* 6. tum quia non fit in omnibus Liturgiis: v.g. in Liturgia Baſilij, & in iis in quibus fit, non fit eodem prorſus modo. Significat verò hæc diuiſio hoſtiæ in tres partes, tum diuiſionem corporis Chriſti in paſſione, ex D.Thom. 3.*p.quæſt*.83.*art.*5. eſt enim Chriſtus vulneratus in manibus, pedibus, & latere; tum tres in Chriſto ſubſtantias, diuinitatem, animam & corpus, ex eodem D. Thoma *opuſc.*59.*c.*7. tum eiuſdem triplicem ſtatum, cum aliquando fuerit mortalis, aliquando mortuus, & nunc ſit immortalis, ex D. Thoma *ibid.* tum diſtinctionem myſtici Chriſti corporis, ex *can.triforme, de conſecrat. d.*2. Gloſſa, & Turrecremata *ibid. num.* 5. vt nos ſcilicet adhuc pugnantes denotemur; degentes in Purgatorio (vtrique enim adhuc afflictionibus terimur, vt vtraque hoſtiæ pars ſicca teritur dentibus) & illi, qui iam cum Chriſto regnant, & inebriantur ab vbertate domus Dei, ſignificati particula quæ in calice miſcetur ſanguini; ſeu vt vult S. Bernardus *ſer.de cœna*, Innocentius *lib.*6.*c.*3. Hugo de S. Vict. *lib.*2.*offic. c.*39. & Stephanus Heduenſis *c.* 18. pars, quæ in calice ponitur Eccleſiam militantem adhuc fluctuantem repræſentat, aliæ duæ Eccleſiam, quæ in Purgatorio purgatur, & eam quæ in cœlis triumphat, etſi alij aliò trahant, vt in fine capitis dicetur.

2. Signat ſacerdos cum particula ter ſuper orificium calicis; cuius cauſam reddens Rabanus *lib.* 1. *inſt. c.* 23. ait: *Crux, quæ formatur ſuper calicem oblata particula, ipſum corpus nobis ante oculos oſtendit, quod pro nobis crucifixum eſt; ideo verò tangit quatuor latera calicis, quia per illud humanum genus ad quatuor climata mundi ad vnitatem vnius corporis coniungit, & ad pacem Eccleſiæ catholicæ & Apoſtolicæ perduxit.* Stephanus autem Heduenſis *c.* 18. exiſtimat fieri triplex ſignaculum crucis ad honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ miſit Agnum, qui per crucem ſaluauit mundum, pacémque fecit Angelorum & hominum. Micrologus *c.*17. & S. Thom. 3.*p.quæſt.* 83. *art.* 5. huiuſmodi triplici crucis ſigno, & mixtione particulæ cum ſanguine, docent ſignificari triduo vnitam fuiſſe animam Chriſti corpori, factamque reſurrectionem.

3. Tum pax omnibus à ſacerdote nunciatur, ídque veteri Eccleſiæ ritu, cùm habeatur apud Dionyſium *de eccl.hier.c.*3. Clementem *lib.*8.*c.*18. Chryſoſtomum *Hom.*18. *in* 2. *ad Corinth.* Optatum Mileuitanum *lib.*3. Alcuinum *c.de celebr. Miſſæ*, Amal.*lib.*3.*c.*31. Ordinem Romanum, VValfridum & Micrologum; eóque oſtenditur myſterium hoc, eſſe & ſacrificium ad reconciliandos Deo peccatores, & ſacramentum concordiæ & charitatis; vt quotquot ex eo participant, veluti vnius corporis membra ſe diligant: éſtque pax triplex ad Deum, ad ſeipſum, & proximum. Eamdem imprecatur populus ſpiritui ſacerdotis. Porrò ſacrifi-

cante D. Gregorio cùm dixiſſet, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, & non reſpon-
deret Miniſter, *& cum ſpiritu tuo,* id Angeli clara voce reſponderunt. quod innuit
etiam Damaſcenus *in orat. quòd mortui viuentium Miſſis iuuentur*, aſſerens illi in
Miſſa Angelos inſeruiſſe.

Subditur oratio, *Hæc commixtio & conſecratio*, *&c.* quæ habetur & in Conci- 4.
lio Tolerano IV. *can.* 17. in antiquiſſimo ordine Romano, apud Algerum *lib.* 1.
*c.*19. Amalarium *lib.*3. *c.*31. & Micrologum, qua petimus fieri, non quidem in
propria ſpecie, ſed ratione ſpecierum panis, & vini mixtionem myſticam. vt
enim corpus Domini dicitur tangi, attolli, &c. ratione ſpecierum; ſic etiam ratio-
ne ſpecierum panis & vini, dicitur permiſceri, vt Gabriel *lect.*54. cæteríque Theo-
logi docent. D. Iacobi Liturgia habet, *Vnio ſanctiſſimi corporis & pretioſi ſanguinis Do-
mini, & Dei ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* deinde, *vnitum & ſanctificatum & conſum-
tum in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, nunc & ſemper.* Sic etiam poſtulamus vt
conſecratio antea facta (iam enim ſub ſpeciebus adeſt Chriſtus) fiat accipienti-
bus proficua ad vitam æternam, ac ſalutaris. Similiáque habentur in Græcis Li-
turgiis, vt apud D. Iacobum, *Mitte ſuper nos, & ſuper hæc dona Spiritum ſanctum tuum,
vt ſint nobis ex his ſumentibus in remiſſionem peccatorum,* & apud D. Chryſoſtomum, *Vt
fiat communicantibus in emundationem animæ.* Ideóque nihil continet abſurdi, vt Lu-
therus, & Kemnitius ſomniant, nec damnata eſt à Iulio Papa *can. cum omne, de con-
ſecrat. d.*2. ibi enim, ſicut etiam in Concil. Bracarenſi III. *can.*1. damnatur ſolùm
mixtio quædam, quæ fiebat ad communicandum populum hoſtiæ in calice,
quòd crederent in corpore non contineri etiam ſanguinem, vt S. Thomas, Tur-
recremata, & alij docent. Rectè igitur cùm ſeorſim corpus & ſanguis per ſe
conſecrata fuerint, ad recolendam Chriſti Domini mortem, per quam ſanguis
ſeiunctus eſt à corpore, ad exprimendum myſterium dominicæ reſurrectionis,
qua reunita ſunt, ſanguis & anima corpori, ſpecies panis miſcentur ſpeciebus vi-
ni, vt explicat S. Thomas, etſi ex ſupradictis alij referant aliò. non enim repu-
gnat idem variis de cauſis fieri. non pertinere autem hanc mixtionem ad eſſen-
tiam, aut integritatem ſacrificij, diximus *lib.*1. *c.*5. *n.*2.

De precatione, *Agnus Dei.* CAP. XXV.

SVMMARIVM.

1. *Quiſnam inuexerit in Miſſam* Agnus Dei, *déque eius conuenientia, & trina repetitione.*
2. *Cur Chriſtus vocetur Agnus Dei.*
3. *Cur dicatur in præſenti,* Tollis peccata mundi.
4. Miſerere nobis, *vel,* Dona eis requiem.

SEquitur ſanctiſſimæ Euchariſtiæ adoratio, precatione illa, *Agnus Dei qui tollis* 1.
peccata mundi, miſerere nobis; quam inſtituiſſe Sergium Papam in Miſſam dici
teſtis eſt Amalarius *lib.*3. *c.*32. Alcuinus *c. quid ſignificent veſtimenta.* VValfridus *c.*22.
Micrologus *c.*18. Innocentius *lib.*6. *c.*4. Rupertus *lib.*2. *c.*21. Berno Augenſis *c.*1.
Stephanus Heduenſis *cap. vltimo,* Hugo de S. Vict. *lib.*2. *off. c.*11. Bonauentura *hoc
loco*, Platina *in Sergio*, Nauclerus *generatione* 24. Baronius *in anno* 701. Agni ta-
men Dei in Miſſæ ſacrificio hoc loco mentio, ſi non precatio, multo antiquior
eſt,

eſt, vt conſtat ex illis verbis D. Iacobi *in Liturgia: Ecce Agnus Dei, filius Patris, qui tollit peccata mundi, mactatus pro mundi vita, & ſalute.* & Chryſoſtomus item *in Liturgia. Diuiſurus ſacerdos panem dicit: Diuiditur Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* & *Hom.* 41. in 1. *ad Cor. Non eſt temere excogitatum, nec fruſtra memoriam mortuorum inter ſacra myſteria celebramus, & accedimus pro ipſis Agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem, &c.* Decuit verò, teſte Paſchaſio *lib. de corpore Chriſti. c. vltimo,* vt priùs Agnus Dei inuocaretur, fidéſque caleſceret, quàm eius caro comederetur immolata, vt tollat peccata mundi. Inclamatur verò ter, tum ex Bonauentura quòd petamus liberari à malis præteritis, præſentibus, & futuris. tum ex Innocentio quòd pro tribus peccatorum generibus cogitationis, oris, & operis imploremus miſericordiam.

2. Appellatur hîc Chriſtus Agnus, vt etiam fit *Iſaiæ c.* 53. *Io. c.* 1. *Apocal. c.* 5. 6. 7. tum propter innocentiam, ex D. Auguſtino *tr.* 4. *in Io.* ob quam 1. *Petri c.* 1. appellatur, immaculatus, & incontaminatus. *Non corruptibilibus auro vel argento redemti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati, & incontaminati.* tum ob manſuetudinem in opprobriis & tormentis, vt docet illis verbis Iſaias, *Quaſi Agnus coram ſe tundente obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* tum quòd fuerit victima ſacrificij, figuratus in agno, qui *Num. c.* 28. mane & veſperè immolabatur, & de quo *Ieremias c.* 11. *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.* Idémque ſentit Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius *in c.* 1. *Io.* Ambroſius *lib.* 9. *ad Gratianum*, vbi comparans ſacrificium Chriſti ſacrificio Abelis, & non Cain. *Sciuit,* inquit, *Abel diuidere, qui ex primitiis ouium obtulit ſacrificium, docens non terræ munera placitura Deo, quæ degenerauerunt in peccatore; ſed ea in quibus diuina gratia myſteriis refulget. Prophetauit itaque nos per paſſionem Domini à culpa eſſe redimendos, de qua ſcriptum eſt:* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: *vnde de primitiis obtulit, vt primogenitum deſignaret.* Dicitur etiam Agnus Dei, tum quòd ſit vnigenitus filius Dei, *Io. c.* 1. tum quòd à Deo miſſus, & nobis datus, *Io. c.* 3. *Sic Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* tum quòd fuerit victima Deo oblata, & illi ſummè grata. quare Theophylactus, *Agnus,* inquit, *Deus dicitur, ſiue quòd Deus acceperit mortem Chriſti pro ſalute noſtra, ſiue quod Deus tradiderit illum pro nobis ad mortem, quemadmodum dicere ſolemus, ſacrificium hoc illius eſt, id eſt, ille ſacrificium hoc obtulit; ſic ergo Chriſtus dicitur Agnus Dei, eo quòd Pater propter charitatem ſuam erga nos, eum dederit ad mortem.* Idem docet Euthymius. Cap. 13.

3. Dicitur, *Tollis*, in præſenti, & non in præterito tantùm, *tuliſti*, aut futuro ſolùm, *tolles*, vt aduertit Chryſoſtomus *Hom.* 17. *in Io.* & Theophylactus, quia cœleſtis ac diuinus Agnus ſemper tollit peccata. ideóque tempus præſens ſignificat perpetuitatem quamdam, ita vt intelligatur tollere quotidie; per ipſum enim aliquando paſſurum antiquis Patribus credentibus peccata ſunt condonata, condonantur nobis in præſenti per ipſum iam cruci affixum, & dimittentur cæteris vſque ad mundi finem, eius ſanguine deleto, quod aduersùm nos erat, chirographo peccati. Et quidem tollit Chriſtus peccata, tollit Pater, tollit Spiritus ſanctus, ſed Chriſtus tollit ac dimittit, vt Deus cum Patre & Spiritu ſancto, & tollit vt Agnus, id eſt, Deus homo per mortem & ſanguinem ſuum, *Apoc.* 5. *Quoniam* (inquiunt cœleſtes ciues) *occiſus es, & redemiſti nos Deus in ſanguine tuo, ex omni tribu & populo, & natione.* & *Iſaiæ c.* 52. *Iniquitates eorum ipſe portabit.* 1. *Petri. c.* 2. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Tollit igitur peccata non vnius tantùm hominis, aut Gentis, ſed totius mundi. 1. *epiſt. Io. c.* 2. *Ipſe eſt*

propitiatio pro peccatis noſtris,non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam totius mundi. & *Io. c.3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Rectè & appoſite dicitur, *Miſerere nobis*, ſiue agni naturam conſideres, ſiue 4.
Dei,ſiue peccati, ſiue miſericordiæ, ſiue naturæ humanæ conditionem. & qui-
dem Agno miſereri conuenit, cùm ei manſuetudo naturalis ſit, non ira & vin-
Plin. lib. dicta. quod ſi idem ſit etiam leo Iudæ *Apoc.5.* leoni quoque in ſupplices cle-
8.c.36. & Pierius mentia conuenit,vt ferunt. ſimiliter quatenus eſt Agnus Dei, eum miſereri de-
Valeria- cet, cùm propriiſſimum ſit Dei miſereri & parcere, & in hoc,teſte D. Thoma
nus lib.1. 2.2. *q.30. art.4.* maximè Dei omnipotentia manifeſtetur. ad quod alludens Da-
Hierogl. uid veniam poſtulans *Pſalmo 50.* dicebat, *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam; & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Sit etiam Pater miſericordiarum, vt ait Apoſtol. *2.ad Cor.c.1.* & longam
quoque habeant conſuetudinem miſerendi, *Pſal.102. Miſericordia Domini ab æterno,& vſque in æternum ſuper timentes eum.* Idem ſuadet natura peccati, cùm adeò
ingens ſit malum, vt multo grauius ſit ipſa morte; cùm hæc corpus, illud ani-
V.Lucre-tium lib. mam occidat, etſi modò nondum apparcat, ſicut fulmen argentum & enſem
6. Ariſt. conſumit, licèt crumenam & vaginam relinquat intactam. nulla enim fieri po-
lib.3.me- teſt conueniens comparatio inter malum culpæ,& malum pœnæ: morte enim
taph.c.1. anima ſeparatur à corpore, & peccato anima ſeparatur à Deo; ideo in hoc ma-
Plin. lib. 2.c.50. ius incurritur malum; & maius in infinitum amittitur bonum. quare filius Dei
de cœlo deſcendit, non vt mortem corporis euaderemus, cùm etiam homines
modò moriantur, ſed vt liberaremur à peccatis. Miſericordia quoque ipſa hoc
idem poſtulat,cùm ex S.Thom.*loco citato.* potior ſit iuſtitia, tum quia antiquior,
vt ex creatione conſtat in Angelis & hominibus,tum quia vniuerſalior, cùm ſe
extendat etiam ad eos,qui peccare non poſſunt, amentes, pueros, &c. ideóque
regius Propheta *Pſal. 32.* ait, *Diligit miſericordiam & iudicium*, ſed miſericordiam
magis diligere docet,ſubdens, *Miſericordia Domini plena eſt terra.* tum quia efficacior,cùm Dei filium in terras ad ſaluandos homines attraxerit; ideóque meritò
Dauid *Pſal.144.* dicit, *Miſericordia Domini ſuper omnia opera eius.* Humanitas denique ipſa ſua natura deficiens miſericordiam implorat.quare Iob eamdem flagitans à Domino,comparabat naturam humanam folio quod vento rapitur, &
ſtipulæ ſiccæ, quæ ſtatim ſpargitur. quod etiam iidem ipſi,qui in rebus carnalibus tantùm ſapere ſolent, veritate compulſi confeſſi ſunt. ſiquidem Æſchylus,
humanum genus nihilo magis firmum eſſe, quàm vmbram fumi, dixit. & Homerus apud Plutarchum *lib.an grauiores ſint animi morbi.*

Haud quicquam miſerum magis ærumnoſius atque
Eſt homine in terris.

Nec non Democritus apud Plutar. *ibidem* fatebatur hominem eſſe theſaurum
quemdam reconditum miſeriarum. Omnino igitur Dei Agnum,qui venit tollere peccata mundi, decet peccatorum miſericordiam depoſcentium, & ſuppli-
Cap.18. cum pectoris tunſione Methancam profitentium,miſereri; quippe qui per Ezechielem olim etiam edixerit, *In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Et quidem antea etiam tertiò dicebatur, *miſerere nobis,*
ſed ob varias deinde ingruentes perſequutiones, Innocentio teſte *lib.6.c.4.* cœptum eſt dici, *Dona nobis pacem.* In ſacrificiis verò pro defunctis dicitur, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi,dona eis requiem.* addito in tertia deprecatione, *ſempiternam.* optamus autem illos à pœna ſenſus & damni liberari, ita vt ſoluti à ſum-

mis

mis quos in Purgatorio patiuntur doloribus, vt *lib.* 2. diximus, Dei viſionem quam meritò tantopere appetunt, diuina miſeratione conſequantur.

De mutuæ pacis & oſculi oblatione. Cap. XXVI.

SVMMARIVM.

1. *Pacis & oſculi oblationem in Miſſa ex Apoſtolica traditione ad nos veniſſe.*
2. *Cur fiat ante communionem.*
3. *Adhibitam ſimul ſalutationem,* Pax tecum; *& dexterarum coniunctionem.*
4. *Vti viri viros,ita meritò fœminæ fœminas oſculari conſueuerunt, nunc tamen ob maiorem decentiam fieri media imagine.*
5. *Cur in Miſſis defunctorum id omittatur.*

1. CVmque Sacerdos pacem à Domino petierit, quod etiam repetit in prima trium illarum orationum, quas pro præparatione ad communionem ſubiicit, quas non præſcripſit quidem antiquus ordo Miſſæ, inuexit tamen deuotio religioſorum,vt notat Micrologus *c.*18. Ipſe primùm, deinde cæteri pacem in oſculo ſancto ſibi inuicem impartiuntur, ritu ab ipſiſmet Apoſtolis deriuato, vt aſſerit Florus,non autem inſtituto ab Innocentio I.vt voluit Sigibertus *in Chron. anno* 404. Rupertus *lib.*2.*off.c.*21. Hugo *lib.*2.*c.*11. VValdenſis & alij: id enim habetur *ad Romanos c.vltimo,Salutate inuicem in oſculo ſancto.*vt ibidem obſeruat Origenes,Ambroſius, Haymo, & S.Remigius *in expoſitione Miſſæ.* vt etiam 1.*Cor.*16. 2.*Cor.*13.1.*ad Theſſ.*5. habetúrque eius mentio apud Clementem *lib.*2.*c.*61.*lib.*8. *c.*12. Dionyſium *lib.de Eccl.hier.c.*3. Ignatium *epiſt.ad Antiochenos,* Iuſtinum *Apol.* 2.*circa finem,* Tertullianum *lib. de orat. & lib. de velandis virginibus,* Chryſoſtomum *lib.*1.*de compunctione,& Hom.de proditione Iudæ,* Nazianzenum *orat.*3.*de pace,*Auguſtinum *ſer.de vigilia Paſchæ,&* 83.*de diuerſis,* Cyrillum *catech.*5.*myſt.* Iſidorum *lib.de off.c.*15. Innocentius autem in Decretali ad Decentium *c.*1.& habetur etiam *can. pacem.de conſecr.d.*2.non inſtituit,ſed correxit.cùm enim id à quibuſdam fieret ante confecta myſteria, reſpondet neceſſariò poſt confecta myſteria pacem indicendam,per quam conſtet populum ad omnia, quæ in myſteriis aguntur, & celebrantur, præbuiſſe conſenſum.

2. Datur verò pacis oſculum ante communionem, tum ex Remigio & Alberto, vt oſtendatur in iis ſolùm, qui vera pace & charitate vniti ſunt, eſſe Domini locum, iuxta illud *Pſal.*75. *Et factus eſt in pace locus eius.* vnde etiam Dionyſius, *Datur*, ait, *oſculum pacis ante ſanctam communionem, quia diuiſis vnctio ſancta non congruit; & vt diuinitus vniformes facti ad varias concupiſcentias non decidamus, ex quibus veniunt inter homines inimicitiæ.* & Chryſoſtomus *Hom. de proditione Iudæ. Inimicum eſt Deo liuidum & tumidum pectus, audi quid dicat:* Quando offers munus tuum ad altare, & ibi aſtans memor fueris, quòd habet frater tuus aliquid aduerſum te, dimitte donum tuum ſuper altare,& vade reconciliari fratri tuo. & *Homilia* 78. *in Io. Propterea in myſteriis amplectimur inuicem, vt qui multi ſumus, ſiamus vnum.* & docet etiam Philo *lib. de migratione Abraham, non longè ab initio,* in holocauſtis auferri ſolitum pectuſculum ab hoſtia, ad omnem iram, quæ in pectore reſidet, pacis inimicam, auerſandam. tum ex Alexandro Alenſi ad oſtendendum per hoſtiæ,

hoſtiæ ſalutatis immolationem dimiſſis peccatis nos Altiſſimo fuiſſe reconci-
liatos, & pacis oſculum accepiſſe. ob id enim Chriſtus dicitur, *Pax noſtra, ad
Eph.c.1. Princeps pacis, Iſaie c.9. & 53. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum,* quòd eius ca-
ſtigatio pacem & reconciliationem nobis pepererit. & *2.Cor.5. Deus erat in Chri-
ſto mundum reconcilians ſibi.* quare Chryſoſtomus *in ep. ad Col.c.1. Magnum eſt recon-
ciliari, quòd verò per Chriſtum hoc factum eſt, maius eſt, atque hoc quoque ipſo maius eſt
illud, quòd per ſanguinem eius factum eſt, & non ſimpliciter per ſanguinem, ſed quod am-
plius eſt, etiam per crucem.* tum ex Innoc. *loco citato,* vt appareat populum ad omnia
in ſacro acta præbere conſenſum.

Ea autem adhibebatur cum oſculo ſalutatio, *Pax tecum,* vti hodie etiam fit, 3.
vt apertè conſtat ex D.Auguſtino *ſer.83. de diuerſis,* vbi ait: *Poſt ipſam* [orationem
Dominicam] *dicitur: Pax vobiſcum, oſculantur ſe Chriſtiani in oſculo ſancto, quod eſt
ſignum pacis, ſi quod oſtendunt labia, fiat in conſcientia, ideſt, quomodo labia tua ad labia
fratris tui accedunt; ſic cor tuum à corde eius non recedat.* Eodem quoque tempore
dexteras iungebant, vt docet S. Paulinus Nolanus *in carmine ad Cytherium,* ait
enim,

Tunc ambo nexi ad inuicem dexteras damus
In oſculo pacis ſacra.

Illud verò in pacis oſculo ſeruatum eſt, vt viri viros, fœminæ fœminas oſcu- 4.
larentur, ex Clem. *lib.8.c.12.* & cauſam tradit Amalarius *lib.3.c.32.* ad vitandam
ſcilicet omnem turpitudinis titillationem, quæ etiam in quocumque maximè
remouenda eſt. Ideo Athenagoras *in orat. ad Chriſtianos,* ait: *Tam accuratè tempe-
rare oſculum, ſeu potiùs adorationem ſalutationis oportet, ne ſi modo pauxillum mens polluta
fuerit, ab æterna vos vita proſcribat verbum.* Origenes etiam *loco citato. Oſculum verò fi-
dele primò caſtum ſit, deinde pacem in ſe ſimplicitatémque habeat, in charitate non ficta.* Et
Clemens Alex. *lib.3. Pædag. Etenim hoc vtique monit turpitudinem, ſuſpicionem, & male-
dicentiam, quòd imprudenter oſculo vterentur, quod eſſe oportebat myſticum, id ſanctum
vocauit Apoſtolus, regno dignè guſtato, ore modeſto, & clauſo, beneuolentiam animi oſten-
damus, per quod maximè ſe exerit manſuetudo morum.* Eſt enim aliud quoque oſculum
inceſtum, veneno plenum, ſanctitatem ſimulans. An neſcitis quòd etiam pha-
langia ſi ore tantùm tangant, graues dolores hominibus afferunt? eadem de
cauſa Cyrillus *Catecheſi 5. myſtag.* docet, huiuſmodi oſculum non tale eſſe, qua-
le in foro inter amicos eſſe conſueuit. verùm cùm nimium excreuiſſet malitia,
vt omnis impudicitiæ ſuſpicio tolleretur, ſtatutum eſt, vt pacis oſculum dare-
tur media imagine ſeu tabella quæ inde etiam ſermone vulgari, Pacis nomen
accepit. vt teſtatur Gabriel *lect.81.* Turrecremata *can. pacem. de conſecr. d.2.* Du-
randus *in Rationali,* Hugo de S.Vict. & alij.

v. Plinium lib. 11. c. 24. & Xenophontē lib. 1. de dict. & fact. Socratis.

In Miſſis defunctorum non datur Pax. tum ex Durando *lib.4. Ration.c.53.* 5.
Alberto, Turrecremata & aliis, quòd mortui temporali pace non egeant, cùm
ſint extra mundi perturbationem, & pugnam. tum ex Alenſi, quòd in iis ex
ſpeciali offerentis intentione ſacrificetur pro defunctorum requie, & non pro
populi pace. tum ex Hugone & Durando *lib.7. c.35.* quòd nondum appareat de
eorum requie & reconciliatione cum Deo; propter quod etiam omittitur pri-
ma prædictarum orationum, vt teſtatur Durandus *lib.4.c.53.* Atque in fine, *Be-
nedicamus Domino.* ſubiiciuntur poſtremò pro diligentiori præparatione ad com-
munionem reliquæ duæ orationes. ſed de præparatione aliàs.

De

De conſumtione ſacrificij. Cap. XXVII.

SVMMARIVM.

1. *De veteri ritu precationis*, Domine non ſum dignus, *exemplo Centurionis.*
2. *De conſumtione ſacrificij, & multiplici modo ſumendi.*
3. *Suſceptæ Euchariſtiæ fructus ſeu effectus, quot, & qui.*
4. *Quo tempore effectus hi proueniant.*
5. *An ſi vnica moraliter ſit ſumtio, plures autem phyſicè, ſiue ſpecies ſint eiuſdem rationis, ſiue diuerſæ, vnicus etiam ſit effectus vel multiplex.*
6. *Quidnam tanti myſterij effectum impedire poſſit, & quid non.*

1. PEracta genuflexione, & inuocatione diuini nominis, acceptáque ſiniſtra ſacra hoſtia cum ſuppoſita patena, ſacerdos iterum adorat illis verbis, *Domine non ſum dignus, vt intres, &c.* cum pectoris tunſione, quibus cum Centurione ſe indignum proclamat tanti myſterij, ne indignitas hoſpitij in hoſpitis manet iniuriam. vt eadem ratione dixerat D.Petr. *Lucæ 5. Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* vt notarit etiam Chryſol. *ſer.15.* eandémque conſuetudinem indicat & approbat Origen. *Hom.5.* in diuerſa Euangelij loca, in qua agens de Centurionis puero ait: *Quando ſanctum cibum, illúdque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & ſanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur; & tu ergo humilians teipſum imitare hunc Centurionem, & dicito,* Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. *vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipientis.* Idem exemplo ſuo docuit Hieronymus moriens *ex epiſt. Euſeby ad Damaſum de morte Hieronymi,* vt dicemus *c.30.* Porrò licèt ſacerdos ſine peccato mortali ſacrificet, & ob id non ſit indignus illa indignitate, de qua loquitur Origenes, & D.Paulus 1.*Cor.11. Qui manducat & bibit indignè, &c.* eſt tamen indignus conſiderata excellentia & maieſtate tanti ſacramenti; ſuáque humilitate Deo placebit magis, iuxtà illud D.Iacobi *in epiſt. canonica. c.4. Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.* vt contigit etiam Centurioni. Etenim ex D.Auguſtino *ſer.6. de verbis Domini, dicendo ſe indignum præſtitit dignum, non in cuius parietes, ſed in cuius cor Chriſtus intraret.* & *ſer.74. de temp. Humilitate Centurio placuit, tecto non recipiebat, corde recipiebat: quanto humilior, tanto capacior, tanto plenior. Colles enim aquam repellunt, valles implebuntur.* & Ambr. *ſer.89. O fides Chriſtiana, quæ cum humilitate totum impetrare conſueuiſti, ecce Centurio ad accipiendam ſalutem fit dignior, dum ſe profitetur indignum.* Sed quanta non debeat eſſe communicantis humilitas, diſcamus ex Caietano *collatione 22.c.7.* vbi ait: *Tanta autem cor noſtrum humilitatis debemus vallare cuſtodia, vt hanc definitionem perpetua ſenſuum ſtabilitate teneamus.* Nequaquam nos poſſe ad tantum purificationis meritum peruenire, vt licèt hæc, quæ ſuprà dixi, per Dei gratiam omnia fecimus, indignos tamen nos communione ſacri corporis Chriſti eſſe credamus, quia cœleſtis illius Mannæ tanta maieſtas eſt vt nemo hac carne lutea circumdatus, pro ſuo merito eius edulium, & non ex gratia Domini largitate, percipiat. *Luc.7.*

2. Inde hoſtia manu dextera accepta ſeipſum ſignat, deprecans, vt corpus Domini in æternam vitam animum ipſius cuſtodiat, ac tamquam publicus mini-

ſter Eccleſiæ hoſtiam conſumit. & præmiſſis etiam verſiculis *Pſal.*115. *Quid retribuam Domino, &c.* ſe iterum ſignans calice, & precatus, vt eius animam Chriſti ſanguis cuſtodiat in vitam æternam; ſanguinem quoque cum particula ſumit, vt perfecta fiat totius ſacrificij conſumtio, inſtar combuſtionis holocauſti. quod etiam ad eſſentiam diuini huius ſacrificij pertinere diximus cum Couarr. *c. alma mater, p.p.§.5.n.6.* Soro *4.d.13.q.2.art.1.& lib.9. de iuſtitia, q.2. art.2.* Bonau. *4.d.13.* Bellar. *lib.1. de Miſſa, c.27. lib.2.c.10.* & aliis *lib.1.c.5.* Quare ne imperfectum ſit ſacrificium ſacerdos toties ſumere debet quoties conſecrat, *ex can.8. Apoſtol.* Clem. *lib.8.c.20.* Dionyſio *lib. de Eccl. hier. c.3. in fine*, Concilio Tolerano XII. *c.5.* & habetur *can. relatum, de conſecr. d.2.* vbi dicitur, *Quale erit ſacrificium cuius neque ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur.* & *can. comperimus*, dicitur, eſſe inmane ſacrilegium, ſi ſacrificans vtramque ſpeciem non ſumat. Concilio Tridentino *ſeſſ.13. c.8.* S. Thom. *3.p.q.82.art.4.* Soto *4. d.12.q.1. art.12.* Turrecremata *can. relatum. d.2. de conſecr.* Quicumque enim ſacrificium offert, debet fieri ſacrificij particeps, cùm, teſte D. Auguſtino *lib.10. de Ciu. c.5.* exterius ſacrificium ſit ſignum interioris, quo quis ſe offert Deo; particeps verò fit edendo de victima. Porrò quadruplex diſtinguitur à Gabriele *lect.87.* & aliis Theologis huius ſacramenti ſumtio, etſi Concilium Tridentinum *ſeſſ.13. c.8.* S. Thomas *opuſc. 58.c.17.* & Catechiſmus Romanus *c. de Euchariſtia.* triplicem tantùm diſtinguant, omiſſo primo membro, ſupponentes huiuſmodi ſumtionem fieri ab homine Catholico. Prima eſt purè corporalis, éſtque conſumtio ſpecierum, nullo habito reſpectu ad contenta. vt, v.g. ſi mus corrodat ſacramentum. Secunda ſacramentalis tantùm, cùm ſcilicet manducantur ſpecies ab eo, qui ſcit inſtitutas eſſe ad repræſentandum res ſacras, etiamſi non dignè comedat, & ſumat: vnde ſcribit D. Auguſtinus *tr. 27. in Io. Carnem Chriſti & ſanguinem Chriſti non edamus & bibamus tantùm in ſacramento, quod etiam faciunt multi mali, ſed vſque ad Spiritus participationem manducemus & bibamus.* Tertia eſt ſpiritualis tantùm, cùm videlicet percipitur fructus ſacramenti ob deſiderium affectúmque pium abſque ſumtione ſpecierum. Quarta ſacramentalis & ſpiritualis ſimul, cùm quis ſpecies ſacramentales ſumit dignè, & cum fructu iuxta inſtitutionem. quærenti verò an per Euchariſtiam re ipſa ſuſceptam plus gratiæ ſumatur, quàm cùm deſiderio tantùm ſuſcipitur. Reſpondeo maximè, vt Salmeron *tom.9. tract.42.* Azor *lib.2.c.7.q.6.* & alij docent; quòd enim interiori actui voluntatis nihil bonitatis & malitiæ accedere ex coniunctione cum actu exteriori dicitur, à D. Thoma *1.2. q.20. art.4.* Bonauent. *2.d.42. ar.1.q.1.* Richardo *2.d.40.art.1.q.4. & d.42. art.1. q.2.* Durando *ibid. q. 1. num.8.* Ariminenſi *q.1. concl.5. 6.7.* Gabr. *q.1. art.2.* Hugone *de ſacram. lib.2.14.c.6.* Bern. *ep.77.* Auguſt. *ep. 45. q.4.* intelligitur de bonitate & malitia, quam habet actus per ſe, ſeu ex opere operantis; non de ea, quam aliunde actus habere poteſt. vt in caſu propoſito; cùm etiam ex opere operato conferatur gratia ſumenti re ipſa, dignè ſacramenta.

Iam verò effectus ſeu fructus huius tanti myſterij & ſacramenti duplices 3.
ſunt. alij enim illi cõueniunt veluti per ſe, & ex inſtitutione; alij veluti per acci-
1. dens, prout ſcilicet fuerit affectus is, qui ſumit. Prioris generis ſunt. Primò augmentum gratiæ, ex Magiſtro cum Scholaſticis *4.d.9.& 12.* Alenſi *p.4.q.41.* S.Th. *4.d.12.q.2.& 3.p.q.89.art.1.& opuſc.58.c.24.& opuſc.59.c.6.* Gabr. *lect.85.* Anton. *3.p.tit.14.c.12.* Gerſone *ſer.9. ſuper Magnificat.* Innoc. *lib.4.c.44.* Sainčte *rep.6.c.10.*
1. Bellar. *lib.4. de Euch. c.23.* Suar. *diſp.63. ſect.1.* & patet. tum ex Patribus, inter quos Chryſoſt. *Hom.45. in Io. & Hom.61 ad popul* ait: *Hic ſanguis facit, vt imago regia in*

nobis

*nobis floreat, hic ſanguis pulcritudinem atque nobilitatem animæ, quam ſemper irrigat &
nutrit, langueſcere non ſinet, ſanguis enim à cibo non fit repentè, ſed priùs aliquid cuippiam.
Hic quamprimum irrigat animam, eámque vi quadam magna imbibit.* Cyrillus *lib.4. in
Io.c.17. Sicut parum* (vt ait Paulus) *fermenti totam maſſam fermentat, ſic paruula bene-
dictio totum hominem in ſeipſum attrahit, & ſua gratia replet. & hoc modo in nobis Chriſtus
manet, & nos in Chriſto.* Damaſcenus *lib.4. de fid. c.14. Crucifixi corpus ſuſcipiamus, vt
ignis in nobis deſiderij, ex eo carbone aſſumens inflammationem, comburat peccata noſtra, &
illuminet corda noſtra, & participatione diuini ignis accendamur & deificemur.* D.Bernar-
dus apud S.Thom. *opuſc.59.c.5. Hoc corpus Chriſti ægris medicina, peregrinantibus via,
debiles confortat, valentes delectat, languorem ſanat. per hoc homo manſuetior efficitur ad
correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, ſagacior ad cautelam, ad obedien-
tiam promtior, ad gratiarum actionem deuotior.* videatur ad idem propoſitum D.Igna-
tius *ep.14.* Cyprianus *ſer.de cœna.* Tertullianus *lib.de carne Chriſti.* Ambroſius *lib.5.
de ſacram. c.4.* & *in Pſal.118. ſer.15.* Auguſtinus *tr.27. in Io.* tum ex Conciliis, vt 2.
Epheſino *c.11.* & eiuſdem Synodica epiſtola, Viennenſi ſub Clemente V.
& refertur *Clementina de reliq. & vener. ſanct.* vbi dicitur: *Hoc eſt memoriale dulciſſi-
mum, memoriale ſacratiſſimum, & memoriale ſaluificum, in quo gratam redemtionis noſtræ
recenſemus memoriam, in quo à malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum
& gratiarum proficimus incrementa.* Florentino, quod agens de effectu huius ſacra-
menti ait, *Et quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris eius vnitur, conſe-
quens eſt, vt per hoc ſacramentum, in ſumentibus dignè gratia augeatur; omnémque effe-
ctum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem. ſuſtentando, augendo,
reparando, delectando, ſacramentum hoc, quoad vitam operetur ſpiritualem; in quo gratam
ſaluatoris noſtri recenſemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad vir-
tutum & gratiarum proficimus incrementum.* Et Tridentino *ſeſſ.13. c.2.* tum denique 3.
ratione ab iiſdem Conciliis, & D. Thoma allata ex fine deſumta. Quia ſcilicet
ſumtio Euchariſtiæ inſtituta eſt, vt nos conſeruaret, aleret & augeret in vitam
ſpiritualem, & æternam, non ſecus ac panis & vinum corpus, cùm dictum ſit
*Io.c.6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis
vitam in vobis.* vitam autem ſpiritualem nemo conſequitur, niſi per gratiam.
Meritò igitur canit Eccleſia, *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur
memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* De eo
enim qui in Euchariſtia comeditur, dixit *Io. c.1. Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum
facta eſt.* Ideo ſicut veniens in mundum vitam gratiæ nobis contulit, ita nunc
veniens ſacramentaliter in hominem, gratiam concedet. Secundò præſeruatio à II.
peccato mortali, vt docet S. Thomas *3.p. q.79. art.3. & 6.* Innocent. *lib.4. c.44.*
D.Bernardus *ſer. de cœna Domini,* qui incipit, *Hi ſunt dies.* vbi ait: *Hoc ſacramentum
minuit ſenſum in minimis, & in grauioribus tollit omnino conſenſum.* Et Concilium Tri-
dentinum *ſeſſ.13. c.2.* aſſerens ſuſcipiendum tamquam antidotum, quo libere-
mur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur. in quo vide-
tur alluſiſſe ad D.Ignatium, qui *in epiſt. ad Epheſ.* ſic ſcribit: *Frangite panem, qui eſt
medicamentum immortalitatis, antidotum, non moriendi, ſed viuendi per Ieſum Chriſtum
in Deo, catarcticum expellens malum.* & ſumitur ex illo *Io.6. Hic eſt panis de cœlo de-
ſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.* Cùm enim conſtet non intelligi de
morte corporali, neceſſariò de ſpirituali intelligitur. quæ per peccatum mortale
contingit. nec mirum cùm inſtar panis & potus cor hominis Euchariſtia confir-
met, noſtram ſpiritualem vitam corroboret ad reſiſtendum contrariis tentatio-
nibus, dum nos per gratiam Chriſto coniungit tamquam membra capiti, id-

1. que, tum illuminando intellectum, vt docet D. Auguſtinus *lib.3. de conſenſu*
2. *Euang.c.25.*& Beda *in c.24. Lucæ*, exemplo diſcipulorum euntium in Emaus; tum
3. mouendo voluntatem ad bonum; tum retundendo concupiſcentiæ ſtimulum, vnde D.Bernardus *loco citato. Si quis veſtrùm non tam ſæpe modo, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiuſmodi, gratias agat corpori & ſanguini Domini, quoniam virtus ſacramenti operatur in eo; & gaudeat quòd paſſionum vlcus accedat ad ſanitatem.* refert quoque Leonardus Vairus *lib.3. c.vltimo de faſcino*, adoleſcentem laſciuiæ æſtu vehementer ſolicitatum Neapoli, eáque de cauſa ab Euchariſtia abſtinentem, edoctum, vt bene paratus accederet, eóque facto tentationem omnem ſublatam. nec mirum:nam docet etiam Cyrillus *lib.3.c.37. & lib.4.c.17.in Io.* hoc idem ſacramentum ſedare ſæuientem membrorum legem, pietatem corroborare, & animi perturbationes extinguere. vt etiam Gregorius Nyſſenus *in orat. catechetica,c.37.* dicit, hoc ſacramentum eſſe ſalutare medicamentum, corrigens prauas noſtri corporis affectiones. & Damaſcenus *lib.4. de fide,c.14.* cedere in animæ & corporis præſidium. quare illi accommodari poteſt quod dicitur *Cant.4.* *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* ideóque non mirum, ſi dixerit Cyprianus *in orat. Dominica. Non eſt idoneus ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium, quia mens deficit quam recepta Euchariſtia*
4. *non erigit, & accendit.* tum remouendo externas occaſiones peccandi. tum debili-
5. tando & terrendo inimicos dæmones tentantes, quam ob cauſam plurimum pro Chriſtianis gloriatur Dauid *Pſal.22. Dominus regit me, nihil mihi deerit; in loco paſcuæ ibi me collocauit. ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es Domine. Virga tua & baculus tuus,ipſa me conſolata ſunt. Paraſti in conſpectu meo menſam aduersùs eos, qui tribulant me.* quæ de Euchariſtia interpretantur Orig. *Hom.35. in Matth.* Euſebius *lib.1. demonſt.c.10.* Cyrillus *catech.4. myſtag.* Ambroſius *lib. de iis, qui initiantur,c.8.* huius rei plura ex probatis autoribus exempla affert Martinus del Rio *lib.6. diſq. mag. c. 2. ſect. 3. q.3.* & certè firmiſſimam armaturam eſſe contra dæmones, & peccata, auguſtiſſimum hoc ſacramentum his verbis docet Ignatius *in epiſt. ad Eph. Feſtinate frequenter accedere ad Euchariſtiam & gloriam Dei. quando enim aſſiduè id agitur, expelluntur poteſtates ſatanæ, qui actus ſuos conuertit in ſagittas ignitas ad peccandum.* Cyprianus *lib.1. ep.2. Nunc non infirmis ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viuentibus communicatio à nobis danda eſt; vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus. & cùm ad hoc fiat Euchariſtia vt poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarios volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus. nam quomodo docemus, aut prouocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus?* Chryſoſtomus etiam *Hom.45. in Io. & 61. ad pop. Hic*, ait, *myſticus ſanguis dæmones procul pellit, Angelos atque Angelorum Dominum ad nos vocat, vbi namque ſanguinem dominicum viderint dæmones in fugam vertuntur, Angeli verò concurrũt.* & paulo pòſt: *Si figura ipſius tantam habuit virtutem & in Hebræorum templo, & in media Ægypto ſuperliminaribus inunctis, quomodo veritatem ipſam diabolus non timuerit?* Ambroſius pariter hoc idem explicans *ſer.8. in Pſal.118. Cùm* (inquit) *hoſpitium tuum aduerſarius viderit occupatum cœleſtis fulgore præſentiæ, intelliget locum tentamentis ſuis per Chriſtum eſſe interclusum, fugiet, recedet, & tu noctem ſine vlla offenſione tranſibis.* Itémque docet S. Macharius apud Palladium *c.2.* mulierem à dæmone obſeſſam, quòd quinque hebdomades non acceſſiſſet ad dominicum ſacramentum. Qui etiam narrat Ammonem Preſbyterum Deo offerentem ſacrificium vidiſſe à dextris altaris

Angelum

Angelum ſignantem fratres ad Euchariſtiam accedentes, eorúmque nomi-
na ſcribentem in codice; quorumdam verò, qui abſuerant à Synaxi delen-
tem nomina, qui poſt triduum mortui ſunt. Denique Abulenſis *queſt.8. in c.16.
Exod.* dicit, Manua adeò ſalutare fuiſſe ſumentibus Hebræis, vt corpora eo-
rum ſeruaret, ne vlla tabeſcerent ægritudine. quod cum Euchariſtiæ figu-
ram geſſerit, colligere oportet, hoc diuinum epulum ægritudinem peccatorum
depellere, & ſanitatem animi, hoc eſt, virtutes, conſeruare. Tertiò remiſſio III.
peccatorum venialium, vt docet Magiſter *4.d.12.* Bonau. *ibid.p.2.art.5.q.2.* S. Tho-
mas *ibidem q.2.art.1. queſtiuncula 1. & art.2. queſtiuncula 1. & 3.p.q.79.art.4.* Innoc.
lib. 4. c.44. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. c. 2.* & propter hunc eumdem effe-
ctum nos ad quotidianam communionem hortatur Ambroſius *lib. 4. de ſacram.
c.6. lib.5. c.4. Si,* inquit, *quoties effunditur ſanguis in remiſſionem peccatorum funditur, de-
beo illud ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur; qui ſemper pecco, ſemper de-
beo habere medicinam.* videndus etiam Auguſtinus *ſerm.28. de verbis Apoſtoli*, Gre-
gorius *Hom.22. in Euang.* & habetur *can. quid ſit ſanguis, de conſecrat. d.2.* & Paſcha-
ſius *can. iteratur, ibidem.* Quod etiam ex eo probari poteſt, quia natura alimenti
eſt, vt reſtauret quod actione caloris naturalis quotidie deperditur. Ideo etiam
huius diuini munus erit reſtaurare quod calore concupiſcentiæ per peccata ve-
nialia deperditur, vt argumentatur D. Thomas. Accedit quia per prædictum
augmentum gratiæ & ſpecialia auxilia ab hoc ſacramento collata, excitamur
ad actualem charitatis feruorem, quo huiuſmodi peccata tolluntur, quippe
quæ aliquo modo repugnent perfectioni amicitiæ. Quartò dulcis quædam vnio IV.
ſuſcipientis cum Chriſto, eiúſque membris Chriſti fidelibus, vt indicat Pau-
lus *1. Corinth. 10. Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio Chriſti ſangui-
nis eſt, & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? quoniam vnus
panis vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane participamus.* Atque etiam de-
clarat Damaſcenus *lib. 4. de fide. c.14.* Cyprianus *ſerm. de cœna Domini, in fine*, Cy-
rillus *lib.4. in Io.c.12. & 14. & 17. lib.10. c.13.* vbi affert exemplum ceræ liquefa-
ctæ alteri commixtæ, & *lib.11. c.26. Origo,* ait, *& via, qua Spiritu ſancto participa-
mus, & Deo vniti ſumus, Chriſti myſterium eſt, omnes enim in illo ſanctificamur; vt igitur
inter nos & Deum ſingulos vniret, quatenus corpore ſimul & anima diſtamus, modum ta-
men adinuenit conſilio Patris & ſapientiæ ſuæ congruentem: ſuo enim corpore credentes per
communionem myſticam benedicens, & ſecum & inter nos vnum nos corpus efficit. Et alia
plura in eamdem ſententiam diſputans oſtendit, ſicut in Incarnatione naturam humanam
ſibi Dei filius copulauit, ita in Euchariſtiæ ſacramento ſibi ſingulos communicantes vniuiſſe.*
Gregorius etiam Nyſſenus *in orat. catechetica, c. 37.* affert exemplum fermenti &
maſſæ, quæ ab eo tota alteratur. D. Leo *ſerm. 14.* de Paſſione. *Non,* inquit, *aliud
agit participatio corporis & ſanguinis Chriſti, quàm vt in id, quod ſumimus, tranſeamus, &
in quo mortui, & ſepulti, & conreſuſcitati ſumus, ipſum per omnia & ſpiritu & carne gu-
ſtemus, dicente Apoſtolo,* Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chri-
ſto in Deo. Et S. Thom. *3.p.queſt.79.art.1. & 5.* dicit ad hunc maximè effectum &
finem fuiſſe à Domino Euchariſtiæ myſterium inſtitutum. Sed hæc cum Ioan-
ne Roffenſi *lib.1. de Euchariſt.c.vlt.* placet audire ex D. Bernardo. *Poteſne,* ait, *eſti-
mare quale vel quantum eſt hoc Sanctum Sanctorum, & ſacramentum ſacramentorum,
amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum, hæc ſunt verè feſta paſchalia, hæc ſunt gau-
dia, & fercula vitalia iuſtorum: hæc ſunt ſpirituales lætitiæ iuſtorum, & Sanctorum: hic bi-
buntur in loco vberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balſami cœleſtis: hîc efficitur
vna caro ſponſa cum ſponſo: vnus ſpiritus ſancta anima cum Chriſto.* habentur *in ſerm. de*

cœna Domini, qui incipit, *Panem Angelorum.* videri etiam ad hoc idem poteſt D.
Auguſtinus *tract.* 26. *in Io.* D. Thomas *opuſc.* 58. *c.* 25. Concilium Tridentinum
ſeſſ. 13. *c.*2. & Catechiſmus Romanus *c.de Euchariſtia,* dum de communionis no-
V. mine diſſerit. Quintò ius ad gloriam. tum quia ex dictis gratiam auget, qua
1. tale ius nititur, cùm gratia ſit ſemen gloriæ. tum quia conſeruat vitam gratiæ
2. ne ad interitum tendat, ſicut vita naturalis, ſed permaneat, & perficiatur bea-
3. titudine. iuxta illud *Io. c.* 6. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* tum quia
largitur ingens deſiderium vitæ futuræ, & cor hominis veluti à terrenis auul-
ſum eò transfert, ita vt dicat verè: Ibi noſtra ſint corda, vbi vera ſunt gaudia.
vnde meritò dixit Concilium Tridentinum *ſeſſ.*13.*c.*2.eſſe pignus futuræ noſtræ
gloriæ, & perpetuæ felicitatis. vt etiam canit Eccleſia *in Veſperis feſtiuitatis corpo-
ris Chriſti.* & D. Cyprianus *ſerm. de cœna.* Vident hæc ſacramenta pauperes ſpiri-
tu, & hoc vno contenti ferculo omnes mundi huius delitias aſpernantur, &
poſſidentes Chriſtum, aliquam huius mundi poſſidere ſupellectilem dedignan-
tur. Eſurientes & ſitientes iuſtitiam, cùm ſaturati fuerint, vide, quid agant, in-
tellige, quæ loquantur, quàm ſancti odoris ſit, quicquid eructat plenitudo, ver-
bum bonum, mores compoſitos, affectus pudicos, ſenſus pacificos, illa interior
ſinceritas vbique diffundit, ita vt poſt odoramenta iſta gratiæ huius comparti-
cipes diſcurrant, & mutuis ſe ad inuicem affectibus complectantur; & qui-
bus vnus eſt panis, vnum eſt corpus, & omnium vnum cor, & anima vna, vni
Chriſto adhærens, cætera omnia quaſi fermentata reſpuens, in vnius azymi
4. ſinceritate lætatur. tum quia præſtet robur quatenus eſt viaticum perueniendi
ad vitam æternam. cuius figura fuit ſubcinericius panis, in cuius fortitudine
ambulaſſe vſque ad Horeb montem Dei Helias dicitur *lib.*3.*Regum c.*19.adeò vt
affirmet Chryſoſtomus *Hom.*45.*in Io.& Hom.*61 *ad popul.* Cyrillus *lib.*4.*in Io.c.*16.
Ambroſius *lib.de his qui initiantur,c.*8. Auguſtinus *tract.*26. *in Io.* S. Thom. 3.*p.queſt.*
79.*art.*2. vitam æternam eſſe effectum huius ſacramenti. Audiamus Chryſoſto-
mum *Hom.* 24. *in* 1. *ad Corinth. Quando corpus Chriſti propoſitum fuerit, dic tecum: Per
hoc corpus non amplius cinis & terra ego ſum, non amplius captiuus ſed liber, propter hoc
cœlum & ea quæ in eo ſunt bona me accepturum ſpero, immortalem vitam, Angelorum ſe-
dem, Chriſti conſuetudinem.* Et infrà: *Ipſa menſa animæ noſtra vis eſt, fiducia vinculum,
fundamentum, ſpes, ſalus, lux, vita noſtra. Si hinc hoc ſacrificio muniti migrauerimus, ma-
xima cum fiducia ſanctum aſcendemus veſtibulum, tamquam aureis quibuſdam veſtibus
contecti.* Narrat idem *lib.* 6. *de ſacerd.* pompam qua in paradiſum animas duci vi-
dit quidam, his verbis: *Quidam mihi narrauit non illa quidem ab alio edoctus, ſed di-
gnus habitus, qui id & vidiſſet ipſe & audiuiſſet, quòd qui de hac vita migraturi ſunt, ſi
myſteriorum huiuſmodi cum pura & munda conſcientia fuerint participes, ſpiritum afflaturi
ab Angelis illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumtum illud ſacramen-
tum, hinc rectà in cœlum adducuntur.* & Paulinus *in vita S. Ambroſij. Quod* [domini-
cum corpus] *vbi accepit, emiſit ſpiritum, bonum viaticum ſecum ferens, vt in virtute eſca
anima refectior, Angelorum nunc conſortio, quorum vitam vixit in terris, & Heliæ ſocieta-
Matth. 24. te lætetur.* & Autor imperfecti *Hom.*51.*in Matth. Adeamus igitur Chriſtum ſinguli ægro-
tantes magna cum fide. nam ſi qui fimbriam veſtimenti eius tunc tetigerunt, rectè omnes con-
ualuerunt, quanto magis corroborabimur, ſi totum in nobis habebimus?* Bernardus *ſerm. de
cœna,* qui incipit, *Panem Angelorum. Caro mea verè eſt cibus, ſimiliter liquor iſte qui iam
non eſt vinum, ſed ſanguis meus, quem pro te fudi in pretium, tibi reſeruans in altari pocu-
lum in peregrinatione tua præſidium, in exitu de Ægypto conductum, in cœlo viaticum.*
Sunt apud Ioannem Laurinum noſtrum *in Pſ.*21. qui piè meditentur, ſingulari

neſcio qua pulcritudinis corporeæ nota inſigniendos præter cæteros, qui communicauerint, ad ſimilitudinem aureolæ, quæ Virginibus, Martyribus, & Doctoribus tribuetur.

Poſterioris verò generis ſeu per accidens, & vt vocat S.Thom. 3. *p. quæſt.* 79. *art.* 3. reſpectu ſuſcipientis, Primus effectus eſt aliquando conferre etiam primam gratiam, ac proinde remiſſionem peccatorum mortalium; cùm quis hoc ſacramentum ſuſcipit in peccato mortali, cuius neque conſcientiam, neque affectum habet, ac probabiliter putat ſe habuiſſe contritionem, cùm non haberet. 1.
vel ſe fuiſſe legitimè abſolutum, cùm non fuerit, ex S.Thom. 3. *p. quæſt.* 79. *art.* 3. *quæſt.* 80. *art.* 4. *ad* 5. Scoto 4. *d.* 9. *quæſt.* 1. Alenſi 4. *p. quæſt.* 46. *m.* 3. *art.* 2. Bonau. 4. *d.* 9. *art.* 2. *quæſt.* 3. Rich. *ibidem art.* 2. *quæſt.* 1. Alb. *d.* 13. *art.* 16. Dur. 4. *d.* 9. *quæſt.* 4. Soto *d.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 4. Gabriele *lect.* 80. 85. Antonino 3. *p. tit.* 14. *c.* 12. §. 6. Syl. *Euchariſtia* 4. *num.* 3. Nauarr. *c.* 21. *num.* 47. Bellarm. *lib.* 4. *de Euchariſtia, c.* 18. 19. Suarez *diſp.* 63. *ſect.* 3. Quod etiam volunt Patres cùm huic ſacramento tamquàm cuidam inſtrumento paſſionis Chriſti, tribuunt vim remittendi peccata, vt indicatur illis verbis conſecrationis: *Qui pro vobis & pro multis effunditur, in remiſſionem peccatorum.* vt facit Ignatius *epiſt. ad Epheſ.* Cyprianus *ſerm. de cœna Domini*, Ambroſius *lib.* 5. *de ſacram. c.* 4. Cyrillus *lib.* 4. *in Io. c.* 14. *lib.* 9. *c.* 19. Nyſſenus *orat. catechetica, c.* 36. Damaſcenus *lib.* 4. *c.* 14. & confirmatur ex verbis *Io.* 6. *Qui manducat me, viuet propter me.* ex his igitur conſtat primam gratiam & remiſſionẽ peccatorum mortalium non eſſe effectum per ſe huius ſacramẽti, vt falsò contendunt Nouatores noſtri temporis, Kemnitius *in examine Concilij Tridem. ſeſſ.* 13. *c.* 2. *&* 7. *& can.* 5. Caluinus *lib.* 4. *Inſt. c.* 17. §. 41. 42. Lutherus *in concione de præparat. ad Euchariſtiam*, negantes per ſe prærequiri gratiam, tamquam præparationem, vt patet, tum ex 1. *Cor.* 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, &c.* & Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.* 2. *&* 7. *& can.* 5. tum ex Patribus, Iuſtino *Apol.* 2. Cypriano *lib.* 3. *epiſt.* 4. Baſilio *lib.* 2. *de Baptiſmo, c.* 3. Chryſoſtomo *Hom.* 61. *ad pop.* Theophylacto *in* 1. *ad Corinth.* 11. Ambroſio *lib.* 6. *in Lucam, c.* 9. *&* 37. Hieronymo *in c.* 1. *ad Titum.* Auguſtino *tract.* 26. *in Io.* Gregorio *lib.* 2. *c.* 1. *in lib.* 1. *Regum.* Anſelmo *in* 1. *ad Corinth.* 11. cæteriſque Patribus, vt docet Bellarm. *lib.* 4. *de Euch. c.* 17. 18. 19. qua de re diximus ſuperiùs *c.* 19. tum quia cibus & potus, in quorum ſymbolis inſtituta eſt Euchariſtia, non datur per ſe mortuis ad eos viuificandos, ſed viuis ad eorum vitam nutriendam, & augendam; quare etiam Euchariſtia per ſe ſolùm exiſtentibus in gratia. tum quia Agnus paſchalis & panes propoſitionis figura Euchariſtiæ non niſi à mundis comedi poterant. tum denique quia, vt rectè docet Ioannes Pineda noſter *in c.* 1. *Iob verſu* 5. requiſita fuit præparatio ad eſum ſacrificiorum non tantùm in lege veteri, vt patet *lib.* 1. *Regum, c.* 16. ſed etiam in lege naturæ, *ex eodem lib. Iob c.* 1. quare meritò etiam requiretur in lege euangelica præ cæteris ſanctiore, cùm manducandus eſt Agnus diuinus pro peccatis totius mundi immolatus. Secundus eſt remiſſio pœnæ temporalis. Et quia Euchariſtia ex ſententia S. Thomæ 3. *p. q.* 79. *art.* 5. cæterorúmque Theologorum 2.
conſiderari poteſt, & vt eſt ſacramentum, in quantum ſcilicet ſumitur, & vt eſt ſacrificium, in quantum videlicet offertur; ſi conſideretur vt ſacrificium, de ſe habet, vt remittat pœnam offerentibus, vel pro quibus offertur, non tamen ſemper totam, ſed iuxta eorum diſpoſitionem, ex S.Thoma *loco cit.* & ex dictis *lib.* 1. *c.* 8. cum communi Theologorum ſententia; ſi verò conſideretur vt ſacramentum directè quidem, & per ſe ex opere operato, non remittit pœnam temporalem; cùm enim pœna non ſit contra perfectionem charitatis, & amicitiæ

ad

ad quam hoc ſacramentum eſt inſtitutum, hoc ſacramentum directè pœnam non tollet, vt rectè infert S. Thomas; conſequenter tamen & per concomitantiam, ſeu indirectè, quatenus ſcilicet hoc ſacramentum excitat actum charitatis, valet per eum etiam ad remiſſionem pœnæ, non quidem ſemper totius, ſed iuxta quantitatem & feruorem charitatis. quantus enim fuerit actus, tanta erit & remiſſio. qua de re S. Thomas *loco citato & 4.d.12. quæſt.2. art.2.* Sotus *d.11. quæſt.2. art.5.* Ledeſma 1.4.*quæſt.*20. Caietanus 3.*p.quæſt.*79.*art.*1. Sylueſter *Euchariſtia* 4.Sainctes *rep.6.c.*10.Bellarm.*lib.4.de Euch.c.*19.& alij.

Sed difficultas eſt, quónam tempore Euchariſtiæ ſacramentum effectum ſuum producat. & quicquid aliqui ſenſerint, videtur omnino non producere, dum ore ſumitur, cùm ex Soto 4. *d.*11. *quæſt.* 2. *art.*1. Victoria *in ſumma tract.de Euch. num.*76. Salmerone *tom.9.tract.*40.Henriquez *lib.*8.*c.*43.& aliis promiſſio talis effectus facta ſit manducanti. *Ioan.c.6. Qui manducat me, viuet propter me*; non eſt autem manducatio ſuſceptio in ore, tactus, aut guſtus, niſi deglutiatur: aliàs qui os lauit ante communionem, non eſſet ieiunus, ideóque communicari non poſſet. pari ratione talis effectus daretur per quemlibet contactum abſque ſumtione, cùm videatur eadem prorſus ratio. Caietanus igitur 3.*p.quæſt.*79.*art.*1. Paludanus 4. *d.*17.*quæſt.*8.*num.*30. Maior 4.*d.9.quæſt.*1. *ad* 6. Gabriel *lect.*85. Tapper *art.*15. exiſtimant id fieri toto tempore, quo ſpecies ſacramentales in ventriculum demiſſæ incorruptæ perſeuerant, iuxta illud *Io.9. Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi*; quia hic cibus ſpiritualis proportione reſpondet corporali, qui maximè confortat, nutrit, & auget, non cùm applicatur, ſed cùm digeritur. Sed huic ſententiæ illud obſtat, quòd vel gratia ſacramentalis datur toto illo tempore continuatè: at non eſt ratio, cur ſacramentum totam illam gratiam non conferat ſimul, ſicut lux, ſi cauſa alia non obſtiterit, cùm & gratia ipſa ſacramentalis ſit qualitas permanens, & non habeat poſitiuum contrarium; ideóque habeat in inſtanti tota produci, & cauſa etiam producens ex ſe ſit apta ſimul totam producere, quòd ſit efficax, & ſubiectum ipſum æqualiter diſpoſitum toto tempore manducationis (ſi enim inter manducandum melius & melius diſponeretur, tunc effectus creſceret, cùm pro maiori diſpoſitione augeatur effectus, vt dicemus) quare non producetur ſucceſſiuè, ſed in inſtanti. Præterquam quòd ſequeretur vberiorem gratiam conſequuturum, qui plures ſpecies, aut difficilioris digeſtionis ſumeret, debiliorive eſſet ſtomacho, tardiúſque digereret, ablutionémve tardiùs ſumeret propter diuturniorem ſacramenti præſentiam, vt rectè infert Salmeron, Sotus, & alij. Quod tamen ſuperſtitioſum eſſe fidei Quæſitores in Hiſpania cenſuerunt. vel gratia datur diſcretè pro multitudine aut paucitate actuum deuotionis actualis, quam Caietanus putat neceſſariam ad fructum ſacramenti percipiendum: at neque id dici poteſt, tum quia deuotio actualis non eſt omnino neceſſaria, vt infrà dicemus. tum quia debet dari gratia illo momento, quo applicatur ſacramentum, vt fit in cæteris, illo ſcilicet, quo fit comeſtio, aut potatio, vt diximus *ex Ioan. c.6.* ob promiſſionem factam manducanti & bibenti, tum quia alioquin ſi ſumtâ Euchariſtia, qui communicauit, ſtatim moreretur, non conſequeretur effectum, quod omnino eſſe falſum colligitur *ex cit. loco Io. 6.* Nec obſtat, quòd cibus corporalis tunc maximè nutriat, cùm digeritur, vt dicebat Caietanus, cùm ſit diſparitas in hoc cibi corporalis & ſpiritualis, quia ille per ſui conuerſionem in ſubſtantiam viuentis maximè nutrit, & non tantùm dum ſumitur retundendo actionem caloris naturalis ne humidum radicale exſiccet, & conſu-

mat.

mat. hic verò nutrit per ſpiritualem conuerſionem ſuſcipientis ipſius in ipſum cibum; ad quam ſolùm requiritur intima applicatio, quæ fit ſola manducatione. Quamuis ſi ageretur de effectu per accidens, ſuſcipiente ſe meliùs diſponente, non improbabilis cenſeri poſſit opinio Caietani, vt mox dicemus. S. Thomas igitur *3. p. quæſt.* 80. *art.* 8. *ad* 6. Victoria *de Eucharistia, num.* 76. Ledeſma 1. 4. *quæſt.* 20. *art.* 1. Sotus 4. *d.* 11. *quæſt.* 2. *art.* 1. Henriquez *lib.* 8. *c.* 43. Suarez *diſp.* 63. *ſect.* 4. Salmeron cum cæteris arbitrantur, huiuſmodi effectum dari immediatè in ipſa ſumtione, quòd huiuſmodi fructus ratione ſumtionis ſit promiſſus *Io.* 6. ideo non expectandam digeſtionem, aut moram poſt ſumtionem, aliàs multi obeuntes ſumta Euchariſtia non conſequerentur effectum. Quare per ſe, & ex inſtitutione in ſumtione dabitur gratia non ponenti obicem. Diſſident tamen prædicti autores in aſſignando inſtanti in ipſa ſumtione & deglutione, in quo talis effectus fiat. Nam Sotus, Henriquez, & alij exiſtimant non dari effectum vſque ad illud primum inſtans, in quo hoſtiæ attingit ventriculum, & terminatur motus hoſtiæ deorſum, ſeu manducationis, quòd tunc tantùm cenſeatur perfectus manducationis vſus, cui facta eſt promiſſio prædicta *Io.* 6. deinde quia non poteſt dici conferri initio motus aut temporis manducationis, quia motus ſucceſſiuè non datur prima pars; nec in medio tempore manducationis, quia non poteſt aſſignari ratio, cur in illo puncto temporis conferatur, non antea, aut poſtea. Neceſſariò igitur conferetur effectus, vbi primùm motus manducationis aut potationis abſoluitur. Suarez verò conſtituit in inſtanti, quo ſacramentum peruenit ad certum terminum diuidentem internum ſpacium gutturis per quod fit deglutio ſeu manducatio ab externo, in quo talis deglutio nondum fit. quia cùm ille terminus continuet interiorem partem gutturis cum exteriori, ſacramentum tunc dici poteſt ſufficienter & intrinſecè applicatum ad effectum ſuum producendum, cùm eò peruenit: quia iam ſpecies attrahi poſſunt, & alterari ab interiori virtute nutritiua, cùm antea non poſſent; ideo intrinſecè tunc incipit manducatio, etſi motus deſcenſus nondum abſolutus ſit, tunc enim manducantur; cùm verò ſpecies perueniunt ad ventriculum manducatæ ſunt, & non amplius manducantur. Atque ideo ſi ſumens tunc moreretur, etſi nondum perueniſſent ad ventriculum, nec motus deſcenſus abſolutus eſſet, conſequeretur effectum & fructum. Et hæc quidem intelligenda ſunt non aucta ſumentis diſpoſitione, ſed vniformiter ſe habentis, & per ſe, vt conuincunt argumenta facta contra ſuperiorem opinionem. Si enim ſermo ſit de effectu per accidens, ſeu aucta ſumentis diſpoſitione, aut ablato obice, opinio Caietani nobilibus Theologis non videtur improbabilis, dum adhuc realiter Chriſto præſente augetur diſpoſitio, aut obex tollitur; quia gratia, quæ promittitur manducanti hunc panem *Io.* 6. promittitur ratione cibi manducati, non præcisè ratione manducationis, aut actus mandendi; cùm manducatio non ſit ratio agendi, ſed conditio, vt ſcilicet cibus applicetur. Solet autem applicatio eſſe vtilis quamdiu durat, & non in fieri tantùm, vt de corporali cibo ſumto conſtat. Ideoque eſſe probabile ſublato obice dum ſpecies perſeuerant, conferri primam gratiam, vel meliùs diſpoſito iuſto, qui ſuſcepit, dari eius augmentum. Quod non parum nos excitare debet ad deuotionem, & reuerentiam erga ſacramentum toto illo tempore quo ſpecies in nobis conſeruantur. Cuius ſanè ſententiæ fuit etiam Cyrillus Alexandrinus *lib.* 9. *in Io.* c. 19. docens Iudam dæmonis impulſu acceptâ Euchariſtiâ continuò exiiſſe, etſi nox eſſet, quòd diabolus timeret, ne ſi ei daretur mora, virtute ſumtæ

Sainctes rep. 6. c. 10. Tolet. in c. 13. Io. ver. 30. Suarez diſp. 63. ſect. 7. & aliis apud Henriquez lib. 8. c. 43. quãuis ipſe oppoſitũ teneat ob argumẽta facta contra Caietanum ſicut etiã Salmeron. Io. 13.

ſumtæ Euchariſtiæ Iudas pœniteret, & reſipiſceret. *Timet (ait) vt credo diabolus, ne morando locus pœnitentiæ detur, & quaſi à temulantia mentem ſuam rectiùs cogitans homo eripiat; ea de cauſa feſtinat & impellit. Nam etiam Iudam poſt panem omnino ſeparauit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne ſcintillam in animo eius accenderet, ac inde illuminaret, & ad meliora retraheret, ideo magna præcipitem egit celeritate.* Diximus autem dum adhuc perſeuerant ſpecies, ſeu præſentia Chriſti; quia ſi omnino deſiit ſpecierum præſentia recedente etiam fictione, hoc ſacramentum non confert effectum, ex S. Thoma 4. *d.*4. *quæſt.*3. *art.*2. *quæſtiuncula* 3. *ad* 3. Bonau. *art.*2. *q.*3. *ad penultimum, & d.*12. *p.*2. *art.*1. Soto *d.*11. *q.*2. *art.*1. Suarez *diſp.*63. *ſect.* 8. cum communi, quicquid aliqui dicant, cùm neque manducatio, neque cibus manducatus ſub ſpeciebus ſit præſens.

Quæres an ſi ſumtio moraliter quidem ſit vnica, plures autem phyſicè, vt 5.
ſi fiat per partes, effectus ſit vnus tantùm, an multiplex, ſiue partes ſint eiuſdem rationis, vt ſi plures ſumantur formulæ, vel ſanguis multiplici hauſtu potetur, ſiue diuerſæ, vt cùm ſumto ſub ſpecie panis corpore paulo pòſt ſumitur calix. Et quidem quoad ſpecies eiuſdem rationis dicendum eſt, eumdem, non autem maiorem vel minorem eſſe gratiæ effectum cæteris paribus, communionis ex parte ſuſcipientis, iuxta ſuperiùs explicata, ſiue tota hoſtia, aut totus calix ſimul ſumatur, ſiue ſucceſſiuè per partes, vt docet S. Thomas 3. *p. quæſt.*79. *art.*7. *ad* 3. Sotus 4. *d.*11. *quæſt.*2. *art.*7. *in fine.* Suarez *diſp.*63. *ſect.*5. quia omnes illæ formulæ ſeu partes hoſtiæ ſumuntur per modum vnius cibi, cùm non dicatur quis toties eo die communicaſſe, quot ſunt partes, quas ſumſit: & omnes hauſtus calicis per modum vnius potus, quod nihil referat ſi quis phyſicè continuè vel diſcretè ſumat. Ideo vnum & eumdem effectum, non plures pro multitudine partialium ſumtionum, cauſare debet, nec integros ſeu totales, vt fit in diſtinctis moraliter ſumtionibus: v.g. in tribus Miſſis Natiuitatis Domini, nec per partes quaſi vnum integrantes, quippe cùm in qualibet totus Chriſtus & non tantùm pars contineatur, non ſecus ac ſi pars illa ſola & abſque aliis ſumeretur. Quare vnicus dabitur effectus totus per ſe loquendo, & ex parte ſacramenti; non item ſuſcipientis, ſi melius in ſequentibus diſpoſitus reperiatur, ex dictis. Id autem fiet in prima ſumtione partiali, vt docet ratio; ſi enim priore parte ſumta ante ſumtionem reliquarum homo moreretur, eſſet iam gratiam conſequutus. Nec mirum eſt non dari alium fructum in reliquis ſumtionibus partialibus, cùm omnes illæ ſumtiones habeant rationem vnici cibi moraliter. Quoad ſpecies diuerſæ rationis ſentiendum eſt etiam per ſe cæteris paribus tantumdem gratiæ & commodi colligi ex vna ſpecie, quàm ex duplici, tum quòd ſit communis Theologorum ſententia, vt S. Thom. *opuſc.*58. *c.*29. *in fine, &* 3. *p. quæſt.*80. *art.*12. *ad* 3. Bonau. 4. *d.*11. *p.*2. *art.*1. *quæſt.* 2. Richardi *ibid. art.* 4. *quæſt.* 6. Soti *d.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 12. Gabrielis *lect.* 84. Thomæ VValdenſis *lib. de ſacram. c.*94. Nicolai de Cuſa *epiſt.* 2. Victoriæ *in ſumm. num.*79. *de Euchariſtia,* Caietani 3. *p. quæſt.*80. *art.*12. *quæſt.*2. Caſtri *v. Euchariſtia. hæreſi vltima.* Turrecrematæ *can. comperimus, de conſecr. d.*2. Ledeſmæ 1. 4. *quæſt.*21. *art.* 12. Petri Soti *lect.*10. *de Euchariſtia,* Alberti Pighij *controuer.*7. Æneæ Syluij *epiſt.* 130. Pauiæ *lib.*7. Alani *lib.*1. *c.*43. Sainctes *rep.*10. *c.*3. *&* 4. Gregorij de Valentia *lib. de legit. vſu Euchariſt. c.*6. Salmeronis *tom.*9. *tract.*36. Bellarmini *lib.*4. *de Euch. c.*23. *& ſequenti.* vt omittam cæteros, quicquid in contrarium voluerit Alenſis *p.* 4. *quæſt.* 53. *m.* 1. & Gaſpar Caſalius *lib.* 2. *c.*25. tum quia eadem videtur ſententia Concilij Conſtantienſis *ſeſſ.*13. & Baſilienſis quòd ea conditione, teſte Ruardo

Tappero

Tappero *art.* 15. & Ænea Syluio *in hiſt. Bohemica, c.* 35. vt crederent non plus ſumi in duabus ſpeciebus, quàm in vna, conceſſit Bohemis communionem ſub vtraque ſpecie; & Concilij Tridentini *ſeſſ.* 21. *c.* 1. *&* 3. docentis nulla gratia neceſſaria ad ſalutem fraudari eos, qui vnam tantùm ſpeciem accipiunt. & probat *cap.* 3. quia totus & integer Chriſtus, omnium gratiarum fons & autor ſub qualibet ſpecie ſumatur, quam etiam cauſam expreſſerat Concil. Baſilienſe *ſeſſ.* 30. & Conſtantienſe. vnde cùm res contenta ex qua fructus omnis dimanat ſit totus Chriſtus Deus & homo, qui æquè ineſt cuique ſpeciei, atque ambabus ſimul, & æquè in vna atque ambabus ſumatur, æqualis quoque fructus ex vna ſpecie atque ex ambabus ſumetur. Nihil enim refert quomodo Chriſtus in ſpeciebus inſit, an ſcilicet ex vi verborum, vel per concomitantiam, dummodo inſit totus, vt Caietanus, Sotus, Sainctes, Salmeron *tom.* 9. *tract.* 36. & alij rectè obſeruarunt; ſicut nihil intereſt, ſiue edendo, ſiue bibendo, ſiue edendo & bibendo medicamentum accipias. tum quia ſicut ſi vnam hoſtiam poſt alteram accipias, vel calicem potes multiplici hauſtu, non plus gratiæ capies; ita neque ex vtraque ſpecie quando per modum vnius refectionis ſumuntur. Sicut neque ſi trina, aut vnica merſione Baptiſmus conferatur. Quòd ſi dicas, aliud efficit cibus, aliud potus, cùm ille famem, hic ſitim extinguat. Reſpondeo in ſpiritualibus idem eſſe cibum & potum, famem & ſitim, vnde eadem beatitudo *Matth.* 5. famem & ſitim iuſtitiæ extinguit. & *Eccl.* 15. ſapientia comparatur pani, & aquæ. præſertim quia in corpore Chriſti eſt etiam concomitanter ſanguis: non igitur mirum ſi cùm Dominus *Io.* 6. dixiſſet, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*; conſequenter adiecit de vna tantùm ſpecie, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Sub vtraque enim ſpecie eſt idem numero Chriſtus, cuius non eſt maior virtus ſub vtraque, quàm ſub vnica ſpecie. Quare, vt notauit etiam Bonauentura, Richardus, Turrecremata, Valentia, & alij *locis citatis*, ſpecierum quæ ſumuntur varietas, clariùs quidem ſignificat ſeparationem animæ à corpore in paſſione, cuius fructum in hoc ſacramento participamus, non tamen pleniorem & vberiorem fructum impertitur. non enim valet, expreſſior eſt ſignificatio; ergo etiam fructus maior; cùm Chriſtus non plus promiſerit ei, qui ſignificantiùs hoc ſacramentum ſumeret. Nec tamen inferas, ergo alterutra ſpecies eſt fruſtrà inſtituta, tum quia ambæ rem expreſſiùs & ſignificantiùs declarant, & quaſi dominicæ paſſionis hiſtoriam & memoriam ſub oculos ponunt. Sicut in lege veteri voluit Deus multiplicari ſacrificia, & ſigna ad Chriſtum venturum prænunciandum, & non fruſtrà; tum quia ſi interim ſumens meliùs diſponatur, ex accidenti vel recipiet, ſi fortè gratiam non recepit, vel ſi iam recepit, conſequetur incrementum, iuxta dicta ſuperiùs de ſumente magis diſpoſito ſucceſſiuè plures particulas, vt docet Sotus 4. *d.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 12. Bellarminus *lib.* 4. *de Euch. c.* 23. *ad* 4. Valentia *tom.* 4. *d.* 6. *quæſt.* 8. *p.* 5. §. 6. *verſu, Per accidens autem,* Suarez *diſp.* 63. *ſect.* 6. *in fine.* Porrò hunc effectum dari poſt ſumtam vtramque ſpeciem, ſentit Claudius Sainctes *rep.* 10. *c.* 3. Valentia *loco citato, verſu, Quinimò ex dictis.* & non improbabile putat Ledeſma *t.* 4. *quæſt.* 21. *art.* 12. *dub.* 3. & Bellarminus, quia cùm ſumitur vtraque ſpecies, non cenſetur abſoluta ſumtio, niſi cùm vtraque ſpecies ſumta eſt. Sotus verò 4. *d.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 12. Palacius *quæſt.* 5. *concl.* 7. Ledeſma 2. 4. *quæſt.* 31. *art.* 4. Henriquez *lib.* 9. *c. vltimo,* Bellarminus, & Suarez *locis citatis,* probabilius docent dari in ſumtione primæ ſpeciei; tum quia ſi celebrans moriatur poſt

Lll 2 ſumtam

ſumtam primam, non debet priuari effectu, vt diximus de ſpeciebus eiuſdem rationis ſucceſſiuè ſumtis; tum quia, vt docet Victoria *num.76.de Euch.* Valentia *lib.de legitimo vſu Euchariſtiæ,c.6.* Bellarminus, & Suarez *locis citatis*, & communiter omnes, non eſt ſacramentum diſtinctum à priori, ſed vnicum tantùm ſub ſpecie panis, & vini, cui tribuitur effectus ſtatim ac per aliquam ſui partem applicatur.

Iam verò quærendum eſt, quidnam impedire poſſit tanti ſacramenti effe- 6.
ctum? Et ante omnia certum eſt, impedire conſcientiam peccati mortalis, cùm ſit euidens ſententia Apoſtoli 1. *Corinth.* 11. *Probet autem ſeipſum homo; & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, &c.* quod exponens S. Cyprianus *ſerm. 5. de lapſis. Item*, ait, *contumacibus & pernicacibus comminatur, & enunciat:* Quicumque ederit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. *Spretis his omnibus atque contemtis ante expiata delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam, ſacrificio & manu ſacerdotis ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis, vis infertur corpori eius, & ſanguini, & plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negauerunt.* & B. Firmilianus *epiſtola 13. ad Cyprianum. Quale delictum eſt, vel illorum, qui admittuntur, vel eorum, qui admittunt, vt non ablutis per Eccleſiæ lauacrum ſordibus, nec peccatis expoſitis, vſurpata temere communicatione contingant corpus & ſanguinem Domini; cùm ſcriptum ſit,* Quicumque ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. S. Eulogius apud Palladium *cap. 75. Quomodo audetis ad ſancta accedere ſacramenta, cùm habeatis malas cogitationes? & tu quidem hac nocte animo verſaſti turpem fornicationis cogitationem, alius autem in animo ſuo reputauit dicens nihil referre an peccator, vel iuſtus, accedat ad Dei gratiam, &c.* & concludit: *Niſi enim primùm mundaueritis cogitationes, non poteritis ad Chriſti gratiam accedere.* Anaſtaſius Synaita *in orat. de ſacra Synaxi*, docens non accedendum imparatos ad Synaxim, ait: *Nec enim ingredi in Eccleſiam ac diuinas imaginum Sanctorum formas, pretioſaſque ac venerabiles cruces etiam ſalutaſſe ſatisfuerit: non frigida manus abluiſſe, ac fugiſſe; ſed confeſſione, ſed lacrymis, ſed contritione, humiliatóque animo, ſed demiſſo contractóque vultu, peccatorum quibus tenemur catenas eluiſſe; ac tum demum ad illa ſancta decet accedere myſteria.* S. Auguſt. *ſer. 1. de temp. Quantum*, inquit, *poſſumus, cùm Dei adiutorio laboremus, vt cum ſincera & pura conſcientia, & mundo corde, & caſto corpore, ad altare Domini poſſimus accedere, vt corpus & ſanguinem eius, non ad iudicium, ſed ad remedium animæ noſtræ mereamur accipere. In Chriſti enim corpore vita noſtra conſiſtit, ſicut ipſe dixit:* Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam: nam ſi non mutat vitam, ad iudicium accipiet vitam, & magis ex ipſa corrumpitur, quàm ſanatur, magis occiditur, quàm viuificetur.* Eadémque eſt ſententia Chryſoſtomi *Hom. 6. ad populum*, vbi hoc peccatum comparat cum peccato eorum, qui Chriſtum occiderunt. Bedæ *in c. 22. Lucæ*, conferentis hoc idem peccatum cum peccato proditionis Iudæ, Theophylacti, OEcumenij, & cæterorum *in eundem D. Pauli locum*; qua de re egimus *c. 19.* vnde Concilium Tridentinum grauiſſimo ſuo decreto *ſeſſ. 13. c. 7. & can. 11.* definit, neceſſariam eſſe confeſſionem ſacerdoti celebraturo, ſibi conſcio de peccato mortali, quantumuis ſibi contritus videatur, data confeſſarij copia. Eſtque communis Theologorum ſententia. qua de re fuse Couar. *c. alma mater. p. p. §. 1. num. 7.* Caſtro *Euchariſtia, hæreſi 50.* Canus *relect. de pœnit. p. 5.* Victoria *num. 78. de Euchariſtia.* Corduba *lib. 1. quæſt. 16.* Henriquez *lib. 8. c. 45. 46.* Sed egimus hac de re *lib. 2. c. 6.* Difficultas igitur eſt, an hunc effectum impediant

peccata

peccata venialia, vel etiam carentia actualis deuotionis in ſumenda Euchariſtia. & quicquid in contrarium putauerit Marſil. 4. *q.* 6. *art.* 4. *circa finem*, ſentio peccata venialia non impedire gratiæ augmentum, etiamſi concomitentur actu ipſam ſumtionem Euchariſtiæ, tum quia ſit communis ſententia Alenſis 4. *p. q.* 41 *m.* 1. *art.* 1. Alb. 4. *d.* 13. *art.* 25. S. Thom. 3. *p. q.* 79. *art.* 8. Adriani *q.* 1. *de Euchariſtia*, Gabrielis *lect.* 85. Victoriæ *n.* 76. *de Euchariſtia*. Ledeſmæ 1. 4. *q.* 20. *art.* 1. *dub.* 4. *&* *art.* 8. Soti 4. *d.* 11. *q.* 2. *art.* 8. Cordubæ *lib.* 1. *q.* 8. Valentiæ *tom.* 4. *diſp.* 6. *q.* 8. *p.* 3. Salmeronis *tom.* 9. *tr.* 42. Suarez *diſp.* 63. *sect.* 3. *&* 10. Henriquez *lib.* 8. *c.* 45. *n.* 2. tum quia nihil impedit aut expellit aliud niſi ſit ei contrarium: veniale autem peccatum non eſt contrarium gratiæ habituali, cùm ſimul cum ea ſtet, aliàs non ſolùm ob mortale, ſed etiam veniale homines damnarentur. quare veniale peccatum non impediet gratiam, ſed ſe inuicem compatientur, non ſolùm in facto eſſe, ſed etiam in fieri, dummodo cauſa efficiens ſufficiens ſit (vt certè eſt ſacramentum Euchariſtiæ) ad dandam gratiam ex opere operato, non ponenti obicem peccati mortalis; cùm vtrobique ſit eadem ratio; tum quia, qui cum veniali accedit, aut dignè accedit, aut indignè. ſi dignè, conſequetur igitur, vt contendimus ſuſcepti ſacramenti effectum: ſi indignè, ergo accedens peccat mortaliter, & non ſolùm venialiter, cùm iam dixerim veniale peccatum non pugnare cum gratia habituali, vel eius augmento; at falſum eſt peccatum eſſe mortale accedere cum veniali, cùm non ſit grauis irreuerentia, & dicat Ambroſius *lib.* 5. *de ſacram. c.* 4. *Qui vulnus habet, medicinam requirit, vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus, medicina eſt cæleſte & venerabile ſacramentum.* & *lib.* 4. *c.* 6. *Qui ſemper pecco, ſemper habere debeo medicinam.* Auguſtinus *tr.* 26. *in Io. Panem cæleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate, peccata ſi ſint quotidiana, non ſint mortifera.* Hilarius etiam *can. ſi non ſunt. de conſecr. d.* 2. *Si non ſunt*, inquit, *tanta peccata, vt excommunicetur quis* (videlicet ſeparetur à Deo per peccatum mortale.) *non ſe debet à medicina corporis & ſanguinis Domini ſeparare.* quæ etiam habentur apud Auguſtinum *ep.* 118. & Bedam 1. *Cor.* 11. Non impediet igitur veniale peccatum effectum, etiamſi cum ipſa ſuſceptione fiat. Quamuis enim actus ille, vt eſt ab operante, ſit venialiter malus, eſt tamen ex operato efficax inſtrumentum Dei ad dandam gratiam non ponenti obicem peccati mortalis. Illa tamen ſumtione, tale peccatum veniale cuius affectus viget in anima, non dimittetur, cùm repugnet tolli peccatum, dum actu committitur; aliàs ſimul eſſet, & non eſſet. & minuetur etiam actualis ſenſus guſtus ſpiritualis, & delectatio, vt docet S. Thomas 3. *p. q.* 79. *art.* 8. Alenſis, Corduba, Victoria, & alij citati. Similiter arbitror non impedire effectum ſacramenti carentiam actualis deuotionis, ſeu euagationem mentis, quicquid in contrarium ſenſerit aliquando S. Thom. 4. *d.* 12. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 3. Alenſis *q.* 41. *m.* 3. *art.* 2. Bonau. 4. *d.* 12. *art.* 1. *q.* 1. Durandus *q.* 4. *ad* 2. Petrus Soto *lect.* 12. *de Euchariſtia.* Turrecremata *can. ſi non ſunt. de conſecr. d.* 2. Sylueſter *Euch.* 4. *in fine.* S. Antoninus 3. *p. tit.* 13. *c.* 6. §. 8. Caiet. fusè 3. *p. q.* 79. *art.* 1. *&* *in* 2. *q. vltima art.* 3. *&* 2. 2. *q.* 24. *art.* 6. Probatur, tum quia S. Thom. teſte Ledeſma ſe poſtea correxit 3. *p. q.* 79. *art.* 8. eúmque ſequuti ſunt Ledeſma 1. 4. *q.* 20. *art.* 1. *dub.* 4. *&* *art.* 8. Victoria *n.* 76. *de Euch.* Adrianus IV. *q.* 4. *de Euchariſtia*; Sotus 4. *d.* 11. *q.* 2. *art.* 8. Corduba *lib.* 1. *q.* 8. Salmeron *loco cit.* Henriquez *lib.* 8. *c.* 45. 48. Suarez *diſp.* 63. *sect.* 3. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 6. *q.* 8. *p.* 3. & alij. tum quia euagatio mentis, aut carentia actualis deuotionis, neque pugnat cum gratia, cùm non ſit peccatum, ſi ſit inuoluntaria, vel ſi ſit voluntaria; ſit ſolùm peccatum veniale, vt idem ipſe Caietanus ſentit, neque excludat neceſſariam diſpoſitio-

nem ad percipiendam Eucharistiæ gratiam, cùm non alia requiratur neceſſariò ad digne ſuſcipiendum, quàm quæ poſita eſt 1. *Cor.* 11. *Probet autem ſeipſum homo, &c.* & in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.* 7. nullius ſcilicet ſibi eſſe conſcium peccati mortalis. tum quia ſi euagatio, aut carentia actualis deuotionis impediret effectum Euchariſtiæ augmentum gratiæ, verè eſſet peccatum mortale, ſi eſſet voluntaria, quia ea ſacramentum fruſtraretur præcipuo ſuo effectu; ideóque poneretur obex, vt rectè argumentatur Sotus. tum quia cætera ſacramenta ex operato ſecluſo alio merito operantis, conferunt gratiam, vel eius augmentum, cùm non inueniunt obicem. cur igitur id denegetur Euchariſtiæ? tum quia ex doctrina S. Thomæ 4. *d.* 16. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3. ad recipiendam gratiam non ſemper requiritur actualis attentio, ſed ſatis eſt virtualis, habuiſſe videlicet actu, & voluntariè non mutaſſe intentionem; quare cùm ſacerdos accedit animo ſacrificium piè offerendi, non fruſtrabitur effectu, etiamſi accidat diſtractio, aut carentia deuotionis: tum quia phreneticis & amentibus datur Euchariſtia. 26. *q.* 6. *cap. is qui*; ex Concilio Carthag. IV. & olim dabatur infantibus, ex Auguſtino *ep.* 23. 26. 107: *lib.* 3. *de Trin. c.* 10. Cypriano *ſer.* 5. *de lapſis.* Hieronymo *dialogo contra Luciferianos*; ad eius ſcilicet conſequendum effectum, ne eſſet fruſtrà, qui tamen ſunt incapaces actualis deuotionis. At dicet Caietanus multos ſacerdotes in ſtatu gratiæ quotidie celebrare, & laicos multoties communicare in hebdomada; & tamen ex moribus non apparere magnum conſequi gratiæ augmentum, contra quàm accideret, ſi non impediretur effectus euagatione, aut carentia actualis deuotionis, facile enim conſpiceretur profectus. Reſpondeo fallacem eſſe experientiam illam, quia habitus infuſi & eorum augmentum non cognoſcuntur experientia, cùm formaliter & per ſe non mortificent paſſiones, nec excludant vitiorum habitus, nec impediant peccata venialia: vnde poteſt quis creſcere in gratia, & tamen operari tepidè. Gratia enim immediatè quidem facit gratum Deo; non eſt tamen immediatus habitus operatiuus, vt docet Concilium Mileuitanum, ſed operatur mediis aliarum virtutum habitibus, in quibus poteſt quis eſſe negligens, etſi ſit iuſtus. Quamquam ſi huiuſmodi homo diu perſeuerat in gratia, nec labitur in mortalia, eſt manifeſtum ſignum efficaciæ frequentis communionis. Sed inſtabis pro Caietano. Aucta gratia augetur etiam charitas, quæ eſt operatiua, in ea igitur appareret profectus, ſi fieret, prædictus gratiæ, & charitatis augmentum. Reſpondeo habitus infuſos inter quos numeratur charitas, dari ad eleuandam potentiam ad actus ſupernaturales eis proportionatos, ita vt potentia cum illis poſſit producere actus illos, quos ex ſe naturaliter producere non poſſet: verùm ad facilitationem actuum illorum & paſſionum mortificationem requiri etiam habitus acquiſitos contractos ex actuum frequentia. ob id ex defectu huiuſmodi habituum acquiſitorum euenire poſſe, vt remaneat quis in tepiditate priſtina, & vitiorum habitibus, & non deprehendatur augmentum habitus ſupernaturalis, etiamſi ex opere operato ſacramenti fiat tale augmentum. Cùm enim peccata venialia, euagatio, & deuotionis carentia, non minuant gratiam, aut charitatem, alioquin poſſet quis amittere gratiam & charitatem, licèt non peccaſſet mortaliter, neque etiam impedient opus operatum ſacramenti, vt cum aliis notauit etiam Henriquez *lib.* 8. *c.* 45. Addo huiuſmodi gratiæ & charitatis augmentum non deprehendi ex communi conuerſatione, cùm fieri poſſit vt quis minus mortificatus & cum minori gratia, ſed cum faciliori complexione, & natura magis quieta, melior in communi conuerſatione videatur, ſed

ex quibuſdam actibus data occaſione arduis & inſignibus, v.g. iniuriarum ſuffe-rentia, martyrio, & ſimilibus, in quibus ſeſe gratiæ & charitatis prodit augmentum in ſacramentis receptum.

Quomodo ſit occurrendum defectibus occurrentibus in Miſſa. Cap. XXVIII.

SVMMARIVM.

1. *Quomodo ſint ſupplendi defectus ex parte ineptæ, aut dubiæ materiæ.*
2. *Quomodo ſi accidant ex parte formæ.*
3. *Item ex defectu celebrantis.*
4. *Et denique ex parte ſumtionis.*

1. AT quia inter celebrandum plures contingere poſſunt & ſolent defectus, paucis dicemus quomodo ſit illis occurrendum. Et quidem ratione materiæ ſiue ante ſiue poſt conſecrationem aduertatur materia panis inepta aut dubia, vt ſi hoſtia ſit hordeacea, vel dubitetur an ſit corrupta, noua materia accipienda eſt & conſecranda, ex Rubricis Liturgiæ iuſſu Pij V. editis, S. Thom. *3. p. q. 83. art. 6. ad* 4. Gabriele *lect.* 88. Syluestro *Euchariſtia, 2. num.* 14. & communi ſententia incipiendo ab illa clauſula, *Qui pridie quàm, &c.* vſque ad, *Simili modo.* indéque tranſeat ad locum ad quem peruenerat; & quod priùs conſecratum fuerat, ſeruet & ſumat ſacerdos poſt ſumtionem calicis. Atſi ſolùm appareat fracta, vel ex fermentato, nihil innouandum eſt, ex S. Thoma *loco citato.* Suarez *diſp.* 84. Henriquez *lib. 9. c. 36. 37.* quia nihil deeſt de neceſſitate ſacramenti. Sicut neque ſi caſu, v.g. frigore nimio, ſpecies panis decidant in calicem, ſiue ante, ſiue poſt fractionem, ex S. Thoma *loco citato.* Azore *lib.* 10. *c.* 33. & communi ſententia. Similiter ſi in calice non ſit infuſum vinum, ſed aqua vel acetum, reponendum eſt vinum cum modico aquæ, & iterum conſecrandum, & ſumendum, ex S. Thoma *ad* 4. Gabriele *lect.* 88. Syluestro *loco citato,* Victoria *num.* 101. *de Euchar.* Soto *4. d. 13. q. 2. art.* 6. Nauar. *Manualis c. 25. num.* 91. Emanuel Sà *verbo Miſſa, n.* 30. Suarez, Henriquez, Azore & cæteris, quia id pertinet ad eſſentiam ſacrificij, quamuis iam ſumtum ſit, quod erat in calice; quicquid in contrarium docuerit Paludanus *4. d. 11. q. 1. art.* 2. Non enim refert quòd celebrans non ſit amplius ieiunus, quia, vt rectè monet S. Thomas cum citatis, Scotus *4. d. 8. q.* 3. & Rubricæ Liturgiæ, præceptum diuinum de integritate ſacrificij præualet Eccleſiaſtico, ieiuné celebrandi: excuſaretur tamen à mortali, ex ſententia Adriani IV. vbi de ſacramento Euchariſtiæ. Suarez *diſp.* 85. Nauarri, Emanuelis Sà, *locis citatis,* ſi quis inopinato caſu perturbatus per inconſiderationem aut ignorantiam omitteret alteram conſecrationem vini ad perficiendum ſacrificium. vt etiam cùm denuo eſſet conſecrandum vinum, ſi non reperiatur in templo, haberique non poſſit ſine notabili offenſione & ſcandalo populi, nihil incommodi eſſet, ſi illo caſu omitteretur, & abſolueretur Miſſa, ex Rubricis, Syluestro *Euchariſtia, 2. in fine,* Tabiena *Euchariſtia,* §. 55. 57. Roſella §. 48. Azore *lib. 10. c. 33. q.* 6. tum quia ius naturale vitandi ſcandalum arctius obligat, quàm diuinum poſitiuum. tum quia ſi
2. fiat miraculoſa immutatio permanens in altera ſpecie, non cogimur neceſſariò

eam

eam denuo conſecrare, etſi faciendum conſulat S.Thomas 3.*p.q.*83. *art.*4. quod renuit Angelus *Euch.*3. *num.*17. In eo diſſentiunt autores, an cùm denuo eſt conſecrandum vinum, ſit etiam conſecranda altera hoſtia. Et quidem Paludanus *loco citato.* dicit etiamſi hoſtia nondum ſit conſumta, eſſe alteram quoque conſecrandam, quòd in hoc & ſimilibus caſibus, ſit totus Canon iterandus. male tamen, cùm quæ pertinent ad hoſtiæ conſecrationem, ritè peracta ſint. ideo ſufficit ſupplere conſecrationem ſanguinis, vt in ſimili de ordinato & confirmato aſſerit Innocentius III. *cap.*1 *de ſacram.non iter.* S.Thomas 3.*p.q.*83.*art.*6.*ad* 4. Syluetter *Euchar.*2. *num.*14. Tabiena *Miſſa*, *num.*32. Victoria *num.*101. & Rubricæ Liturgiæ volunt conſecrandam nouam hoſtiam, cùm iam ſpecies panis conſumta eſt, cùm deprehenditur defectus vini, propter integritatem ſeruandam in celebratione ſacrificij, quòd cùm non ſit amplius in altari corpus Chriſti, ſpecies antea conſecratæ non poſſint ad alterum ſacrificium pertinere. Maximè cùm in Concilio Toletano VII. *c.*1. dicatur non eſſe ſacrificia perfecta, niſi perfecto ordine compleantur. Quibus tamen Scotus cum ſuis reſpondet conſecrationem illam ſanguinis moraliter coniungi priori conſecrationi hoſtiæ, & ex vtraque vnicum confici ſacrificium, vnáque totalem actionem moralem, licèt calix conſecretur poſt conſumtas ſpecies panis. idémque videatur factum à Chriſto in vltima cœna, nempe conſecratum calicem poſt manducationem ſpecierum panis. Rubricas autem Liturgiæ non eſſe ſpeciales conſtitutiones, ſed ſolùm inſtructiones doctrinales iuxta probabilem doctrinam. Sotus 4.*d.*13.*q.*2. *art.*6.*ad* 4. Henriquez *lib.*9.*c.*37.§.3. Emanuel Sà *Miſſa*, *num.*31. dicunt ſatis eſſe, ſi Miſſa publica ſit, vinum conſecrare; ſed ſi celebretur in priuato loco, vbi ſolus miniſter adeſt, etiam nouam hoſtiam conſecrandam eſſe. Sed ex hac eadem diſtinctione conſtare poteſt, nec rei naturam, nec præceptum aliquod neceſſariò exigere nouam ſpeciei panis conſecrationem. Scotus denique 4.*d.*9.*q.*3. Gabriel *lect.*88. & *ibidem* Hoſtienſis, Angelus *v. Miſſa*, *num.*16. Roſella *Euchariſtia* 3. *n.*43. Nauar. *c.* 25. *num.* 93. Suarez *diſp.*85. Azor *lib.*10. *c.*33.*q.*5. & videtur D.Bernardi *ep.*69. *ad Guidonem*, & probabilem putat D. Thomas 4. *d.*11. *in expoſitione Litteræ*, exiſtimant conſumto etiam corpore ſufficere conſecrare calicem, & ſtatim ſumere abſque repetitione cæterarum cæremoniarum. tum quia prior conſecratio hoſtiæ rata, firma, & vera fuit, ideo non eſt ratio cur fiat alia; ob id ſatis erit ſi ſuppleatur conſecratio & ſumtio calicis, quæ defuit, vt completum ſit ſacrificium. vt in vltima cœna à Chriſto factum diximus. tum quia ſi noua hoſtia cum calice conſecretur, erit nouum ſacrificium facere, & non perficere imperfectum. tum quia minor eſt offenſio populi; quare cùm non ſit euidens ratio neceſſitatis nouæ hoſtiæ conſecrandæ, pars hæc eſt præeligenda. Quocirca ex eodem Scoto, Gabriele, Nauarro, & aliis citatis, ſacerdos infuſo vino, cum modico aquæ, niſi huius aliquid ex priori aquæ hauſtu in calice remanſerit, quaſi ablutionem accepturus ſubmiſsè in medio altaris conſecret, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo*, & ſine noua eleuatione ſpecies ſumat, purificetur, & proſequatur cætera. ita enim fiet, vt populus errorem non deprehendat. Quòd ſi in calice fuit quidem infuſum vinum, ſed non item aqua, aut certè non naturalis, ſed v. g. roſacea, ſi id deprehendatur ante conſecrationem, infundatur etiam aqua, vel ſi aqua roſacea fuerat, vinum nouum, cum aqua naturali; ſi poſt conſecrationem, proſequenda eſt Miſſa, & nihil innouandum, quia quod defuit, non eſt de eſſentia ſacrificij.

Ratione verò formæ; ſi omiſſum ſit aliquid eſſentiale, vt tota forma, aut eius a.

pars

pars aliqua eſſentialis, vel talis facta verborum perturbatio, aut mutatio, vt dubitetur, an ſit rite conſecratum, iuxta dicta *lib.4. c.11.* iteranda erit conſecratio tota (neque enim ſufficiet poſt interiecta verba ſupplere vnum aut alterum verbum omiſſum) perperam facta, ex S.Thoma *3.p.q.83.art.6. ad 5.* Soto *4.d.13. q.2.art.6.ad 5.* Ledeſma *1.4.q.24.art.6.* Tabiena *Miſſa, num.37.* Suarez *diſp.83. ſect.1.* & Rubricis Liturgiæ, ſiue in vtraque ſpecie conſecranda, ſiue in altera tantùm peccatum ſit. quia alioquin vel nullum vel ſaltem imperfectum eſſentialiter eſſet ſacrificium; ideo emendandum eſt ante ſumtionem, quod peccatum eſt in vna, aut etiam ambabus ſpeciebus. Poſt ſumtionem verò emendandum quod in altera erratum eſt, ſi enim vtraque conſecratio inualida fuit, & iam conſumtæ ſunt ſpecies, cùm fuerit ſacrificium fictum, & nullum, & fractum ſit ieiunium, non eſt noua conſecratio vtriuſque ſpeciei facienda. Hoc enim eſſet facere nouum omnino ſacrificium, & non perficere inchoatum, vt notauit etiam Suarez. Si celebrans non recordetur ſe formam pronunciaſſe, debet ex S.Thoma, Gabriele, Soto, Suarez, & aliis credere, ſe conſecraſſe. multa enim agimus quorum non meminimus, quòd ſine reflexione fecerimus, cùm fiat res memorabilis, reflexione. Quòd ſi valde vrgeant rationes dubitandi, atque indicia, quibus admodum probabiliter ſentiamus nos oblitos eſſe conſecrare, iterum ex D.Thoma & citatis, ac Rubricis Liturgiæ, repetemus formam cum conditione, ex Suarez *diſp.75. ſect.1.* Henriquez, Emanuele Sà *Miſſa, num.6.* in mente, non conſecrandi, ſi fortè iam conſecrauimus. At verò ſi quod omiſſum eſt, aut creditur, non eſt ſacrificio eſſentiale, nihil repetendum eſt, ex Rubricis, & communi ſententia.

3. Ex parte celebrantis ſi rationabiliter valde dubij ſimus an ob mentis, v. g. euagationem habuerimus intentionem conſecrandi, quæ non eſt neceſſe, vt ſit actualis, ſed ſufficit virtualis, cùm accedens ad altare intendit facere, quod facit Eccleſia, ex S.Thoma *3.p.q.64.art.8.& 10.* Thomiſtis *ibidem*, Scoto *4.d.4.q.6.* Gabriele *ibid.q.1.art.3.dub.1.* & Rubricis, iterum repetenda erunt verba cum intentione, ex Henriquez *lib.9.c.39.* & communi. Ideo qui multas hoſtias conſecrandas ſuſcipit, & memor tantùm eius quam in manibus tenet, formam profert, omnes conſecrat, ob intentionem virtualem, manantem ex actuali, quam initio habuit, ex Panor. *c.Sacerdos.de off.ord.* Scoto *4.d.12.* Nauar. *c.25. num.91.* Angel. *Euch.1.num.27.* vt etiam ſi celebrans duas hoſtias credens vnicam eſſe manibus teneat, vtramque conſecrat, quia intendit conſecrare quod in manibus habet, ex Rubricis Liturgiæ, Emanuele Sà *v.Miſſa, num.28.* & aliis. Si inter celebrandum Sacerdos podagra, aut morbo correptus, vel morte impediatur abſoluere Miſſam, ſi id euenit ante cœptam conſecrationem, non eſt neceſſe ab alio perfici, cùm nondum ſit ſubſtantialiter inchoatum ſacrificium, ex S.Thoma *3.p.q.83. art.6.* Henriquez *lib.9. c.vltimo*, cum communi ſententia, & Rubricis Liturgiæ. Si cœpta, ſed non abſoluta conſecratione corporis, vt non eſt neceſſe per alium perfici ex Suarez, poteſt tamen, idque ſtatuitur in Rubricis, alius exordiens vel à principiò Canonis ex Suarez, vel ex Rubricis ab illis verbis, *Qui pridie.* complere, vel cum eadem hoſtia, quia nondum fuit conſecrata, vel cum noua ex Rubricis, & in dubio ſemiconſecrata (quod etiam de ſemiconſecrato Calice intelligi debet) ſumetur poſt ſumtionem ſanguinis, ex Rubricis. Si poſt conſecrationem hoſtiæ, eius loco ſuccedet alius, qui conſecrabit ſanguinem, & tandem vtramque ſpeciem conſumet, ex S.Thoma *4.d.8. q.2. art.4. 3.p.q.83. art.6.* Concil. Toletano VII. *c.2.* Soto *d.13.q.2.art.6.* Syluestro & Rubricis. Tunc enim,

non eſt neceſſe aliam etiam hoſtiam conſecrare, vt voluit Innocent. *lib.4. c.22.* cùm ex vtraque conſecratione integrum fiat ſacrificium. qua de re Panor. *cap. finali.de ſacram.non iter.* Suarez *diſp.85.ſect.*1. Henriquez *lib.9.c.40.num.*3. Sotus *loco citato.* Si contingat poſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei, ſacerdos ſuccedens perficiet quæ deſunt,& conſummabit,vel vtramque ſpeciem, ſi prior nullam ſumſit, vel ſolùm ſanguinem, ſi prior corpus ſumſerat, ex Soto, Suarez, Henriquez *locis citatis.*

Poteſt etiam impedimentum accidere in ſumtione. ob id ſi effundatur ſan- 4.
guis, ſi remanſit pars aliqua in calice, ſatis erit illam ſûmere, cùm in qualibet parte contineatur totus Chriſtus,Henriquez *lib.9.c.37.* Suarez *loco citato,regula* 2. §.*ſexto.* Rubricæ Liturgiæ. Si totus omnino effuſus ſit,iteranda eſt calicis oblatio & conſecratio, quæ valent etiam de hoſtia ſi rapta à vento diſpareat, vel arripiatur ab animali. Si enim aliquid haberi poſſit ſufficiat, ſi nihil, iterabitur eius conſecratio, *ex citatis.* Si autem cadat in terram, aut lignum, vel tapetem hoſtia conſecrata, radetur locus, lauabitur, & raſura combuſta cum ablutione mittetur in piſcinam. idémque faciendum eſt de ſanguine, priùs tamen ſorbebitur quantum poterit,ex Pio I.apud Iuonem *lib.*1. & apud Gratianum *can.ſi per negligentiam.de conſecr.d.*2. S.Thom. 3.*p.q.83.art.*6. Paludano 4.*d.9.q.*1.*& d.*11.*q.*1. *art.*1. Syluestro *Euchariſtia* 2.*in fine,* Soto 4.*d.*13.*q.*2. *art.*6. Ledeſma 1.4.*q.*24. Nauarr. *c.25.num.*89. Suarez *diſp.85.ſect.*1. Henriquez *lib.9.c.*37. & Rubricis. Pœnas impoſitas *citato canone. ſi per negligentiam.* nemo ſubire tenetur, antequam per eccleſiaſticum Iudicem imponantur,ex Suarez & doctrina communi. Iiſdem verò pœnis is dignus eſt,teſte S.Thom. cuius negligentia putreſit hoſtia,vel comeditur à mure. *can. qui non bene.de conſecr. d.*2. & qui ob ebrietatem aut voracitatem Euchariſtiam euomit. *can. ſi quis. eadem diſtinctione.* Pari modo ſi ſacramento ſit admixtum venenum, ſiue ex hominum malitia, vt contigit Victori II. anno 1055. cui à ſubdiacono in calice fuerat venenum infuſum, res tamen miraculo patefacta eſt, cùm nullo modo potuerit Pontifex eleuare calicem; & ſubdiaconus fuerit à dæmone arreptus, ex Humberto, & Vrſpergenſi Abbate. & Henrico VI. Imperatori veneno infecta Euchariſtiæ particula ex Baptiſta Ignatio *lib.3.de Rom.Princip.* Volaterrano *lib.*18.*lib.*23. & Sabellico *Ænead.9. lib.*18. ſiue caſu animalis venenoſi, aut alio modo, ne quis fit ſui ipſius homicida,& panis ac calix vitæ vertatur in mortem, non erunt ſpecies ſumendæ.ex S.Th. 3.*p.q.*83. *art.* 6. Gabriele *lect.* 88. & communi ſententia; ſed ſimilis ſpecies eſt de nouo conſecranda,& ſumenda,ex eodem D.Thoma,Soto 4.*d.*13.*q.*1.*art.*4. *& q.*2.*art.*6. Syluestro *Euchariſtia,* 2.*num.*13. Suarez *diſp.*81.*ſect.*1. & ſpecies priores venenatæ ſunt decenter conſeruandæ, donec naturaliter corrumpantur; inde mittentur in piſcinam,& ſi ſint ſpecies vini imbibantur in panno, vel ſtuppa, & cùm fuerint exſiccatæ,ita vt non remaneat ibi amplius ſanguis (perſeuerante enim ſanguine id eſſet ſacrilegium,ex Paludano 4.*d.9.q.*1. Tabiena *Miſſa,* 1. *num.*39. Syluestro *Euch* 2.*q.*2.§.2.) erunt comburendæ,mittendique cineres in piſcinam, ex Heſychio *lib.*2. *in Leuit. c.*8. Altiſiodorenſi *lib.4. ſum.tr.5. c.*3. Bellarmino *lib.4. de Euch.c.*5. qui etiam citat Conc.Aurelianenſe,Angelo *Euch.3.n.5 & Miſſa, n.17.in fine,* Suarez *loco citato,*Emanuele Sa *Miſſa,num.*33. Henriquez *lib.9. c.36. num.*4. & Rubricis. Et redactum in cineres animal, ſi capi poſſit, poſt diligentem lotionem mittetur in piſcinam, vt etiam fiet de veſpa, muſca, &c. ſi non poſſit cum ſanguine ſumi ob horrorem, & periculum vomitus, ex S.Thom. *loco citato.ad 3. & 7.* Gabriele *lect.* 88. Soto 4. *diſt.* 13. *quaſt.*2. *art.*6. Ledeſma 1. 4. *quaſt.*

24. *artic.* 6. Guitmundo *lib.* 2. Algero *lib.* 2. *c.* 2. Bellarmino, Suarez & Rubricis. In hoſtium irruptione præſertim infidelium, a quibus timetur irreuerentia Euchariſtiæ iam conſecratæ (aliàs enim non conſecrabitur) ne ſacrificium imperfectum perueniat in hoſtium poteſtatem, prætermiſſis cæteris intermediis, quæ non ſunt de eſſentia, acceleranda erit ſacrificij conſummatio, ex Suarez. vt etiam ſacramentum aſſeruatum in altari in dicto caſu, non erit comburendum, vt malè exiſtimauit Angelus *loco citato.* ſed (ſi ſaluari non poſſit) à ſacerdote etiam non ieiuno, ſumendum erit, ex Azore *lib.* 10. *c.* 33. ne ſit ludibrio irruentibus Paganis. Eccleſiaſtica enim inſtituta, quæ in reuerentiam ſacramenti præſcripta ſunt, non debent cedere in eiuſdem irreuerentiam, & iniuriam.

De diſtributione ſacræ Euchariſtiæ inter adſtantes. Cap. XXIX.

SVMMARIVM.

1. *Non eſſe neceſſe in quolibet ſacrificio adſtantes communicari, quicquid Nouatores dicant.*
2. *Fideles obligari ad percipiendam Euchariſtiam.*
3. *Iure diuino non tantùm ſemel, ſed ſæpius id facere tenentur.*
4. *Eccleſiaſtico præcepto declaratum id ſaltem ſemel in anno faciendum.*
5. *Excipi ab hoc præcepto eos, qui rationis vſum nondum habent. & quando pueri incipiant obligari.*
6. *Autoritas diſtribuendi Euchariſtiam eſt ſacerdotis propria, licèt aliquando etiam Angeli id feciſſe legantur, vel etiam Chriſtus id dignatus ſit facere poſt Aſcenſionem per ſe.*
7. *Non quilibet ſacerdos, ſed proprius, & habitu conuenienti debet Euchariſtiam præbere.*
8. *An ſit neceſſe communicari ſub vtraque ſpecie.*
9. *Quo ritu olim, & quo nunc, Euchariſtia diſtribuatur.*
10. *Licere quouis die, & quacumque hora, ſi reliqua adſint, neceſſaria communicari.*
11. *Infirmis periclitantibus etiam non ieiunis Euchariſtia, etiam ſæpius ſi opus ſit, danda, & cum decoro ferenda.*
12. *Magna reuerentia Euchariſtia ſumenda, adhibendáque cautela poſt ſumtionem.*
13. *Sacerdos oblitus apponere conſecrandam particulam pro alicuius communione, poteſt ad hoc reſeruare partem hoſtiæ.*
14. *Fructuoſiſſimum eſt per ſe loquendo, frequenter communicare.*
15. *Num teneatur ſacerdos indignos à communione repellere.*
16. *Formula, quæ ſuperſunt, vſu veteri in pyxide magna cum diligentia ſeruandæ ſunt.*

1. NEceſſe eſſe in quolibet ſacro fieri Euchariſtiæ diſtributionem inter adſtantes, tamquam huius cœleſtis menſæ ac cœnæ conuiuas, contendunt, Kemnitius *in* 2. *p. examinis Concily Trid.* Brentius *in Confeſſione VVittemberg. c. de Euchar.* aliique noſtri temporis hæretici, ideóque negant celebrandum ſacerdoti niſi adſint communicaturi. Quorum error inde naſcitur, vt rectè aduertit Bellarminus *lib. contra Reg. Angliæ, c.* 8. & *lib.* 2. *de Miſſa, c.* 9. & 10. quòd credant Eucha-

riſtiam eſſe ſolùm ſacramentum. ſi enim putarent eſſe etiam ſacrificium, vt verè eſt, cùm poſſit Deo à ſacerdote offerri pro populo etiam non communicante, non requirerent, vt neceſſariò de illo participaret etiam populus; eorúmque dogma tamquam hæreſim damnauit Concilium Tridentinum *ſeſſ.22.c.6.& can.8.* & meritò. tum, quia ſacrificio per accidens eſt, vt adſtantes de eo participent, cùm poſſit etiam pro abſentibus offerri. & ſi offertur pro adſtantibus, ſicut hi dicuntur offerre ſolùm per ſacerdotem tamquam immediatum miniſtrum, ita ſatis eſt, ſi conſummatio fiat per ſacerdotem, adſtantes verò cæteri ſpiritualiter tantùm participent, vt idem Concilium docet. ſicut videmus *Leuit.c.6. & 7.* de ſacrificio oblato pro peccato non manducaſſe eos pro quibus offerebatur. tum quia conſtat ſemper ſacerdotes ſine animarum cura, vt D. Paulinum Nolanum, & Monachos, in Eccleſia Dei celebraſſe, qui tamen non poterant Euchariſtiam adſtantibus impertire, quippe non ſubditis, cùm id ſit tantùm munus Paſtoris, ex Dionyſio *de Eccleſ. hier.c.3.* Tertulliano *lib. de corona militis,c.3.*& aliis inferiùs afferendis. tum quia poſt prima illa tempora ter ſolùm in anno Natiuitate Domini, Paſchate, & Pentecoſte, tenebantur fideles communicare, ex Fabiano *can.ſi non frequentius.de conſecr.d.2.* & Conc. Agathenſi *c.18.* cùm tamen *ibid. c. 47.* iubeantur omnes ſingulis diebus Dominicis ſacrificio intereſſe. licebat igitur Miſſam audire, & celebrare, etiamſi non diſtribueretur Euchariſtia inter adſtantes. Immo ſemel in anno Græcos & alios cõmunicare ſolitos conqueritur Chryſoſtomus *Hom.61. ad populum*, Ambroſius *lib.5. de ſacram.c.4.* Auguſtinus *lib.2. de ſer.Domini in monte,c.7.* cùm tamen quotidie offerretur. tum quia indicat Dionyſius *lib. de Eccl. hier.c.3. p.2.* conſilium tantùm, & non præceptum eſſe, vt quoties ſacerdos celebrat, adſtantes communicent. ait enim, *Sacerdos & ipſe communicat, & alios, vt communicent, hortatur.* Baſilius etiam *ep. ad Cæſariam. Communicare ſingulis diebus, & ſanctum Chriſti corpus percipere, & præclarum eſt, & vtile, cùm ipſe apertè dicat:* Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. *Quis igitur ambigat vitam aſſiduè participare, nihil aliud eſſe quàm multifariè viuere? Nos autem quater in ſingulas hebdomadas, diuina ſacramenta participamus.* Et Maximus *aduerſus Monothelitas, Omnes,* inquit, *viri, qui communicare deſiderant, priùs lauent manus ſuas, vt mente pura & nuda conſcientia Chriſti ſacramenta ſuſcipiant.* Et denique Cabaſila *c.39. Sacerdos,* ait, *poſtquam particeps fuit ſanctificatorum, ad populum conuertitur, & oſtenſis ſanctis vocat eos, qui participare voluerint, & iubet accedere cum timore Dei.* Neque obiiciat Kemnitius Chriſtum in vltima cœna diſtribuiſſe, & dixiſſe: *Hoc facite.* nam præcipit quidem fieri, ſed ſuo loco, & tempore, & perſonis volentibus communicare, non inuitis, nec eodem modo quoad omnes circumſtantias accidentarias, in quarum numero hæc etiam reponenda eſt. Quare non eſt, quod dicat nos prophanare dominicam cœnam celebrando ſine diſtributione inter adſtantes. At S. Chryſ. *Hom.3. in ep. ad Epheſios, & Hom.17. in epiſt.ad Hebr.* dicit, fruſtrà fieri oblationem quotidianam, cùm nemo ſit, qui ſimul participet: & quiſquis myſteriorum conſors non eſt impudentem & improbum adſtare; & ſatius fuiſſe non comparuiſſe. Dicimus D.Chryſ. loqui de hoc myſterio, non vt eſt ſacrificium, ſed vt ordinatur ad communionem, ſecundùm quam conſiderationem fruſtrà conſecrantur particulæ, ſi nemo recipiat, & per exceſſum deſiderij, vt frequentaretur magis hoc myſterium, ſi de omnibus loquitur, iuxta ſententiam Bellar. *lib.2. de Miſſa.c.10.* Suar. *diſp.69.ſect.3.*& aliorum, meliùs facturos ſi non intereſſent: cùm alibi hortetur, vt ſaltem adſint, vt *Hom.3.de incomprehenſib.nat.Dei;* vel vt alij putant

tant

tant conqueritur de miniſtrantibus in Miſſis ſolemnibus, qui non communicabant, vti Anacletus inſiſtens canoni 9. Apoſtolorum, præceperat *epiſt.*1. vt habetur *can. Epiſcopus, & 20. de conſecrat. d.*1. Non enim Anacletus de omnibus adſtantibus agit, vt idem Kemnitius putat, ſed de miniſtrantibus, vt recte ſentit Alenſis 4. *p. quæſt.*51.*m.*1. *art.*2. Turrianus *lib.*1. *pro Canonibus Apoſtol.c.*22. Hoſius *in confeſſione, c.*41. & Catechiſmus Romanus, dum agit de Euchariſtia. Inſtabis *in can.*9. *Apoſtolorum*, haberi omnes fideles, qui ingrediuntur Eccleſiam, & Scripturas audiunt, & non perſeuerant in oratione, nec ſanctam communionem percipiunt, veluti inquietudines Eccleſiæ commouent, & conuenit communione priuari. Dicimus primò potuiſſe Apoſtolos pro conditione temporum, & fidelium ardore præcepiſſe, vt quotidie adſtantes communicarent, & ſequentibus ſeculis id fieri deſiiſſe. Secundò reſpondemus canonem illum variè legi. Quidam enim ſic legunt, *Si quis intrat Eccleſiam Dei, & ſacras Scripturas audit* (vel vt alij habent, *non audit*) *& pro luxuria ſe auertit à communione ſacramenti, & in obſeruandis myſteriis declinat conſtitutam regulam diſciplinæ, talem de Eccleſia Catholica proiiciendum decernimus.* quare ex ſententia Gloſſæ, & Turrecrematæ *can. omnes fideles, de conſecrat. d.* 1. loquitur de iis, qui ſtatuto tempore non communicant. non autem agit de non communicantibus in eadem Miſſa. poteſt item agere de non communicantibus ex ſuperſtitione, vt colligitur ex Concilio Antiocheno, *can.*2. vbi idem Apoſtolorum canon renouatur: vel de non permanentibus donec conſummatur ſacrificium, & perturbantibus ſuo exitu cæteros. nam ita habet alia lectio: *In precatione autem & ſacra communione non permanent, & Eccleſiæ confuſionem afferentes ſegregari oportet.* videndus Salmeron *tom.*9. *tract.*33.

2. Sed numquid præcepto aliquo obligentur fideles ſumere aliquando ſacram Euchariſtiam? obligantur ſanè, non tantùm Eccleſiaſtico, *cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* ſed etiam diuino, ex probabiliori ſententia, etſi oppoſitum aliquando ſenſerit S.Thomas 4.*d.*9. *quæſt.*1. *art.*1. *quæſtiuncula* 2. Alenſis 4.*p. quæſt.*51.*m.*4. Bonauentura 4.*d.*12.*ar.*5.*quæſt.*1. Caiet. 3.*p.quæſt.*80.*art.*11. Ferrarienſis *lib.*4. *contra Gentes, c.*61. Gabriel *lect.* 87. probatur ex communiore Theologorum opinione, S. Thomæ 3.*p.quæſt.*80. *art.* 11. Durandi 4.*d.*9.*q.*2. Maioris *quæſt.*3. Paludani *quæſt.*1. *art.*1. *ad* 2. Richardi 4. *d.*12.*art.*6.*quæſt.*1. Adriani *de Euchariſtia, quæſt.*1. Soti 4.*d.*12. *quæſt.*1.*art.*11. Ledeſmæ 1.4.*quæſt.*21.*art.*11. Victoriæ *num.*86. *de Euchariſtia*, Petri Soti *lect.*9.*de Euchariſtia*, Viguerij *de ſacramento Euchariſtiæ*, §.3. *verſu* 19. Tappeti *art.*15. Roffenſis *lib.*4. *de verit.corp. Chriſti in Euchariſtia*, Democharis *lib.*4.*c.vltimo*, Nauar. *c.*21. *num.* 45.57. Sainctes *repet.*6.*c.*7. Valentiæ *lib. de legit.vſu Euchariſtiæ, & tom.*4. *diſp.* 6. *quæſt.*8.*p.*4. Bellarmini *lib.* 1. *de Euchariſtia, c.*5. *lib.*4.*c.*25. Suarez *diſp.*69.*ſect.*1. tum quia *Ioan.*6. dictum eſt à Domino: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* quo loco ex communi ſententia Patrum, quos accuratè recenſet Maldonatus *in c.*6.*Io.verſu* 53. Itémque Concilij Epheſini initio, & Synodi VII. *act.* 6. *tom.*3. Concilij Cabilonenſis II. *c.*46. & Tridentini *ſeſſ.* 13. *c.* 2. loquitur de ſacramentali manducatione; non poteſt autem conditionalis illa eſſe vera, niſi talis ſumtio & manducatio ſit aliquo modo ad ſalutem neceſſaria: vel igitur neceſſitate præcepti, & habemus quod optamus; vel neceſſitate medij. at cùm huiuſmodi actus per ſe ſumtus ex natura ſua non ſit neceſſarius ſimpliciter, cùm effectus eius ſit confirmare in bono, erit medium neceſſarium ratione præcepti. tum quia cùm Chriſtus *Lucæ* 22. confeciſſet, & adſtantibus Apoſtolis diſtribuiſſet, dixit: *Hoc facite.* quod ſonat præceptum celebrandi & miniſtrandi

fidelibus hoc ſacramentum,quo ſimul viciſſim obligantur fideles ſumere.Sicut ex præcepto *Io.* 20. dato Prælatis, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* inferunt Patres præceptum confeſſionis. tum quia is fuit ſemper fidelium ſenſus, eaque cura Paſtorum,vt ſumeretur Euchariſtia tamquam Domini præceptum & mandatum, Apoſtolica traditione declaratum, vt ſenſerunt Cyprianus *lib. de orat. Dominica,* Cyrillus *lib.3. in Io.c.37.* Chryſoſtomus *Hom.45.& 47.in Joan.* Ambroſius *lib.5. de ſacram.c.4.* Et fauet Concilium Cabilonenſe II.*c.4*7. & Tridentinum *ſeſſ.13.c.2.& ſeſſ.21.cap.1.*

Iam verò cùm huiuſmodi diuinum præceptum ſit affirmatiuum, ideóque 3.
non obliget pro quocumque tempore., quæritur quandonam iure diuino teneantur fideles Euchariſtiam ſumere? Sunt qui putent ſemel tantùm obligare, ſiue id in vita, ſiue in mortis articulo fiat, ſicut Baptiſmus, vt Palud. 4. *d.9.q.1. num.*16. Ledeſma 1.4.*quæſt.*21. *art.*11. Victoria *num.* 86. *de Euchariſtia,* Caietanus *in ſum.v.Communio,* Viguerius *de Euchariſtia,§.3.verſu* 19. Sylu. *v. Euchariſtia* 3. Armilla *verb. Communio,* Graff.*p.p.lib.2.c.*38. Emanuel Sà *v.Euchariſtia,* eo quòd *Io.6.* non limitetur quoties ſumenda ſit, ideo videatur ſatisfieri præcepto, ſi ſemel ſumatur; ſicut præcepto: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* ſatisfit vnico Baptiſmo. Alij probabilius ſentiunt ſæpius ſumendam, cùm ratio nutrimenti ſpiritualis indicet ſumendum ſæpius ad reparandas vires,ad augendam gratiam,ad vniendum nos arctiùs Chriſto capiti noſtro, ad vincendas tentationes; cùm tamen contrà vnicus eſſe debeat Baptiſmus, quo ſpiritualiter generamur, ſicut vnica eſt generatio. ob id volunt maximè obligare in mortis periculo, niſi paulo antè, v. g. octo diebus, ſumta ſit Euchariſtia, vt Adrianus *in 4.ſent.in mat. de confeſſ. quæſt.3. ad* 1. Sotus 4.*d.*12. *quæſt.*1.*art.*11. Richard.*art.6. quæſt.*1. Durand.*d.9.quæſt.* 2.*art.*2. Gabriel *quæſt.* 1. Petrus Sotus *lect.9. de Euchariſtia,* Nauarrus *c.*21. *num.*57. Valentia *tom.*4. *d.6. quæſt.*8.*p.*4. Henriquez *lib.*8. *cap.*4. Suarez *diſp.* 69. *ſect.*3. tum quia ita videtur ſentire Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *c.6.* Chryſoſtomus *lib.* 6. *de ſacerd.* & S. Thom.3. *p.quæſt.* 80. *art.* 8. tum quia is tunc eſt peregrinaturus cum magno periculo ex hac ad alteram vitam, vnde ne in re grauiſſima, ſalute videlicet ſua, negligens videatur, viatico ſe parare & munire debet. quod etiam indicat antiquiſſima & ex Apoſtolica traditione deriuata conſuetudo, tamquam de iure diuino, ne quis ſine viatico obire permittatur, etiamſi non ſit ieiunus, vt inferiùs dicetur. Itémque obligare aliquoties in vita (ſi non ſit valde breuis) & non ſemel tantùm, quia præceptum affirmatiuum ſit prudenter interpretandum, iuxta peculiarem ſuam naturam; quamuis enim non obliget pro omni tempore, non limitatur tamen ſemper ad vnum actum, non enim dices præceptum affirmatiuum fidei, amoris Dei, honoris parentum, ad vnum tantùm fidei charitatis & honoris actum obligare. ideo eſt ſpectanda vniuſcuiuſque præcepti affirmatiui natura ex fine. quare cùm huius ſacramenti finis ſit nutritio ſpiritualis ad reficiendas vires, facilè perſpicimus non ſemel tantùm in vita communicandum, vt rectè Sotus, Gabriel, Durandus,Petrus Sotus,cùm citatis docent:ſed toties quoties prudenter iudicari poterit neceſſariam eſſe Euchariſtiam ad eum finem,ad quem eſt inſtituta.vt,v.g.ſi in graui tentatione, vel periculo ratio dictat, vt hoc etiam efficaciſſimo remedio ſuæ ſaluti proſpiciat, vel ad nutriendam vitam ſpiritualem, augendúmque robur, vel ex Victoria *num.* 86. ſi credat non habiturum vlterius opportunitatem accipiendi.

Porrò cùm iure diuino non conſtet quoties id determinatè faciendum ſit, 4.

Eccleſia

Eccleſia ſuo præcepto ſtatuit, *cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentia & remiſſ.* & Concilij Tridentini *ſeſſ.* 13. *c.* 9. ad minus faciendum ſemel in anno (licet aliàs ex præcepto Fabiani Papæ, Concilij Elibertini, & Agathenſis *can.* 18. & Turonenſis III. *can.* 50. fieret in Natiuitate Domini, Paſchate, & Pentecoſte, *can. etſi, & can. omnis homo, de conſecrat. d.* 2. & apud Iuonem *lib.* 1. S. Thoma 3. *p. quæſt.* 80. *art.* 10. *ad* 5. Soto 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 10. *ad* 5. Nauarro *c.* 21. *num.* 59. Azore *lib.* 7. *c.* 41. Suarez *diſp.* 69. *ſect.* 2. Catechiſmo Rom. vbi de Euchariſtia. quare id permittens Eccleſia, declarat tacitè id ſufficere ad non peccandum contra hoc diuinum præceptum. aliàs non proſpiceret ſufficienter ſaluti fidelium. Ibíque etiam ſtatuitur id faciendum in Paſchate. Quo tamen nomine non intelligitur præcisè ipſe dies Paſchæ, ſed à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis, vt conſtat tum conſuetudine recepta, tum declaratione Eugenij Papæ IV. quam citat Maior 4. *d.* 17. *quæſt.* 2. Caietanus *v. Communio,* Armilla *eodem,* Tabiena *ibid. num.* 4. Nauar. *c.* 21. *num.* 45. quam non vidit Panormitanus *in dicto cap. omnis.* nec Antoninus 2. *p. tit.* 9. *c.* 9. reſtringentes præceptum ad tres dies Paſchæ. Immo in aliquibus diœceſibus, vt Valentiæ, & Conimbricæ, ex Nauarro *loco citato,* Hieronymo Sorbo *in priuilegiis Minorum,* Gregorio de Valentia *tom.* 4. *d.* 6. *quæſt.* 8. *p.* 4. Henriquez *lib.* 8. *c.* 5. & aliis, ex conceſſione Clementis VII. ad totam Quadrageſimam extenditur. Sciſcitanti verò an qui tranſgreſſus eſt in Paſchate hoc Eccleſiæ præceptum, remaneat liber ab obligatione implendi illud vſque ad ſequens Paſcha, ita vt non communicando amplius in toto anno, non peccet nouo peccato, dico vtramque partem ſuos habere defenſores, & patronos. Liberum eſſe tenet S. Antoninus 2. *p. tit.* 9. *c.* 9. §. 3. Syluester *Euchariſtia* 3. *quæſt.* 15. Medina *tract. de confeſſ. quæſt.* 14. *circa finem.* Sotus 4. *d.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 4. Victoria *num.* 137. Valentia *loco citato,* Henriquez *lib.* 8. *c.* 5. Non eſſe liberum docet Nauarrus *c.* 21. *num.* 45. Armilla, & Tabiena *v. Communio,* Palud. 4. *d.* 1[illegible]. *quæſt.* 1. *num.* 25. Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 4. Porrò non communicantes ſtatutis diebus peccare quinque de cauſis, docet Hugo Cardinalis *in cap.* 6. *Ioannis.*

5. Excipiuntur autem ab hoc Dei & Eccleſiæ præcepto, qui propter ætatis imbecillitatem nondum rationis vſum habent; etſi antea multis in locis etiam infantibus ſacra Euchariſtia tribueretur, vt videre eſt apud Dionyſium *c.* 7. *de Eccl. hier. p.* 3. Auguſtinum *epiſt.* 23. *ad Bonifacium, & lib.* 1. *de peccatorum merit. c.* 20. Cyprianum *ſerm.* 5. *de lapſis,* & alios. id tamen non eſſe neceſſarium conſtat. tum *ex cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* quod ſolos adultos comprehendit. tum ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 21. *c.* 4. *& can.* 4. vbi id expreſſe definitur. tum quia adulti ſolùm ſciunt ſacrum cibum à profano diſcernere. tum quia id inſtitutioni conſonat: dixit enim Chriſtus, *Accipite, & comedite,* ad quod infantes idonei non ſunt. tum ex D. Thoma 3. *p. quæſt.* 80. *art.* 9. *ad* 3. Caiet. *ibidem,* Soto 4. *d.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 9. Nauar. *c.* 21. *num.* 57. Suarez *diſp.* 40. *&* 70. & communi reliquorum Theologorum ſententia. Qui idem de perpetuo amentibus ſtatuunt, qui erga hoc ſacramentum numquam proprium deuotionis actum habuerunt: ſecus autem de iis, qui cùm antea compotes mentis eſſent, affectum ad illud oſtenderunt, quibus in mortis articulo dandum eſt, ex Concilio Arauſicano I. *can.* 3. Carthaginenſi IV. *c.* 76. *&* 26. *quæſt.* 6. *can. is qui.* Concilio Toletano XI. *c.* 11. Catechiſmo Romano, vbi de Euchariſtia, Paludano 4. *d.* 9. *q.* 4. Syluestro *Euch.* 3. *num.* 7. Henriquez *lib.* 8. *c.* 42. Suarez *diſp.* 69. *ſect.* 2. vbi docent, non eſſe neceſſe, vt explicitè petierint. vt etiam dandum viaticum extremo ſupplicio afficiendis, ſi pœnituerint, ſtatuitur *can. quæſitum* 13. *quæſt.* 1. At quæres, quandonam

donam pueri incipiant obligari hoc præcepto? Gloſſa *cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* & Palud. 4. *d.*12. *quæſt.*1. *art.*5. *concluſ.*1. exiſtimant præceptum tum confeſſionis, tum communionis incipere obligare pueros, cùm ſunt doli capaces, adeò vt mortaliter peccare poſſint. Cùm *prædictum cap. omnis vtriuſque*, generaliter loquatur de his, qui ad annos diſcretionis peruenerint; & coniungat vtrumque præceptum. Communis tamen vſus populi Chriſtiani legem interpretatur, vt prius obligare incipiat præceptum annuæ confeſſionis, quàm communionis, vt ſentit S. Thomas 4.*d.*9. *quæſt.*1. *art.* 5. *quæſtiuncula* 4. Alenſis 4. *p.quæſt.*49. *m.*4. Maior 4.*d.*9. *quæſt.*2. Nau.*c.*21 *num.*33.57. Caiet.3.*p.quæſt.*80. *art.*9. *& in ſum.v.Communio*, vt etiam Armilla,& Tabiena, Suarez *diſp.*70.*ſect.*1. Henriquez *lib.*8. *c.*42. Azor *lib.*7.*c.vltimo*, Toletus *lib.*6. *c.*15. Sanchez *lib.* 1. *de Decalogo*, *c.*12 *num.*6.quia cùm ſacramentum Euchariſtiæ ſit dignius ſacramento Pœnitentiæ, maiorem vſum rationis & reuerentiam requirit. Contingere is ſolet in 11. vel 12. ætatis anno, vt vult Sotus 4.*d.*12,*quæſt.*1. *art.*11. Syluester *Euch.* 3. *num.*7. Valentia *tom.*4. *d.*6. *quæſt.*8. *puncto* 2. Suarez, Azor, & alij. & in aliquibus paulò tardius, vt 14. vel 15. ex Caietano. quare id conſtituere in particulari parentum ac confeſſoris munus erit, qui debent explorare pueri iudicium, vt aduertit Catechiſmus Romanus, Caietanus, Armilla, Suarez, Toletus, & alij citati. Decenni autem puero morti proximo præbendam ſacram Euchariſtiam, & ſacram vnctionem conſilium eſſe optimum,& factitatum à piis viris,docet Emanuel Rodericus *tom.*3.*quæſt.*79.*art.*2.

Diſpenſandi autem Euchariſtiam autoritas & poteſtas eſt propria ſacerdo- 6.
tis, tum ex D. Thom.3.*p.quæſt.*82. *art.*3. & 4. *d.*13.*quæſt.*1. *art.* 3. Richardo *ibidem art.*1. *quæſt.*3. Durando *quæſt.*4. Palud. *quæſt.*2. *art.* 4. & cæteris Theologis. tum ex Concilio Nicæno I. *can.* 14. & habetur *can. peruenit*, *d.* 93. Concilio Carthaginenſi IV. *can.*38. Rhemenſi I. *c.*2. Aurelianenſi II. *c.*15. & Tridentino *ſeſſ.*13.*c.*8. tum quia in perſona ſacerdotum dictum eſt à D. Paulo 1. *Corinth.*4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum eius.* & præcipuè de ſacramentis, quorum excellentiſſimum eſt Euchariſtia, & Pontianus *epiſt.ad Felicem.* Ipſi quoque (nempe ſacerdotes) proprio ore corpus Domini conficiunt,& populis tradunt. In neceſſitate tamen, vt ſi deſit ſacerdos, vel iuſſu illius, aut Epiſcopi, poſſet tamquam ſacerdotis miniſter diſpenſare Euchariſtiam ipſe Diaconus. tum ex S.Thom.3.*p.quæſt.*82.*art.*3.& 4.*d.*13.*quæſt.*1.*art.*3.*quæſtiuncula* 2. Alenſi 4.*p.quæſt.*50.*m.*3. Paludano 4. *d.*13. *quæſt.*1. Soto *quæſt.*1.*art.*3.Bonauentura *d.*9.*art.*2.*q.vltima*, Ledeſma 1.4.*quæſt.*23.*art.*3. Sylueſtro *Euchariſtia* 3. *num.*5. Bellarmino *lib.de ordine c.*6. & communi ſententia. tum ex Clemente *lib.*8.*c.*28. *aliàs* 34. *Diaconus* (ait) *non offert, oblationem verò ab Epiſcopo vel Presbytero factam dat populo, non tamquam ſacerdos, ſed tamquam, qui miniſtrat Presbytero.* Iuſtinus *Apol.* 2. *Abſoluta*, inquit, *gratiarum actione Præſulis, & læta approbatione populi, Diaconi, quos vocamus, dant ſingulis præſentibus partem panis & calicis diluti, ſuper quos facta gratiarum actio, quod alimentum apud nos vocatur Euchariſtia.* De ſanguine etiam cùm dabatur ſolitum diſpenſari per Diaconum conſtat, ex D. Ambroſio *lib.*1. *off. c.*41. Maximo *ſerm.* 1. *de S. Laurentio*, Cypriano *ſerm.* 5. *de lapſis.* Iſidoro *lib.*2. *off.c.*8. & Epiphanio *hæreſi* 79. licèt enim diuino iure confectio & diſtributio Euchariſtiæ conueniat ſacerdoti, vt patet ex iuſtitutione *Lucæ* 22. non tamen iure diuino prohibetur, poſtquam conſecrata eſt, ne ſacerdos opera & miniſterio Diaconi in ea diſtribuenda vti poſſit: quod in aliis ſacramentis accidere non poteſt,cùm in illis vſus non diſtinguatur ab ipſo ſacramento. Euchariſtia enim res eſt permanens.

manens, & antiquitus dabatur etiam in laicorum manibus, vt ipſi ori admouerent, vt conſtat ex Concilio Toletano I. *c.*14.& habetur 11.*quæſt.*1.*c.ſi quis laicus.* Sexta Synodo *c.*101. Origene *Hom.* 13. *in Exod.* Tertulliano *lib.* 2. *ad vxorem,c.*3. Cypriano *ſer.*5.*de lapſis*.qua de re diſſeretur §.9. Legimus etiam aliquando à ſanctis Angelis delatam Euchariſtiam, vt ſingulis diebus Dominicis S. Onuphrio *in vitis Patrum*, Marco Eremitæ apud Pallad. *in Lauſiaca*, *c.* 21. & Sozomenum *lib.*6.*c.*29. Maglorio Epiſcopo in Britannia *anno* 620. ex Vincentio *in ſpec. hiſt. lib.* 22.*c.*221.Trithem.*de viris illuſtr.* S.Bened.*lib.*3.*c.*50.& Ludouico Granatenſi *tract. de comm.*D.Bonau.ex Chron. S.Franciſci *p.*2.*lib.*2.*c.*2. & hiſtoria S. Dominici *p.*1. *lib.*3.*c.*39.S.Claræ de Monte Falco ex Chron.S.Franciſci *p.*2.*lib.*5.*c.*41. B.Agneti Policianæ ex hiſtoria S.Dominici *p.*2.*lib.*1.*c.*32.& B. Staniſlao Hoſchæ Societatis Ieſu, *ex eius vita*. Immo etiam Chriſtum ipſum dignatum eſſe idem præſtare; ſcribit enim Cæſarius Heiſterbachenſis *lib.*9.*c.*3. Vdam religioſam fœminam in Brabantia communicatam in cubiculo à Chriſto pyxide cum auguſtiſſima Euchariſtia accepta ex Eccleſia. Simile etiam narrat *c.* 36. de Hildegunda honeſta vidua prope Coloniam. Idem de aliã muliere ſcribit Iacobus de Voragine, & Seraphinus Razius.& de B. Catherina Senenſi ex hiſtoria S.Dominici *p.*2. *lib.*2. *c.*46. conſtat. Simile narrat de Liduuina virgine, & Collecta moniali Surius in earum vitis de Firmino Epiſcopo, Vincentius in Speculo hiſt. *lib.*16.*c.*89. denique de Honorato Epiſcopo communicato ab imagine Saluatoris in altari poſita refert Ludouicus Granatenſis *loco citato*,& Seraphinus Razius.

7. Non à quocumque tamen ſacerdote accipi ritè poteſt, ſed à proprio (niſi ipſe poteſtatem faciat accipiendi ab alio) etiam extra tempus Paſchale, cùm hoc ſit Paſtoris munus; vnde requiritur iuriſdictio,& poteſtas in oues paſcendas, vt conſtat ex Concilio Carthaginenſi I. *c.*7. Mileuitano *c.* 18. Dionyſio *de Eccl. hier,c.*3. Iuſtino *Apologia* 2. Tertulliano *lib. de corona mil. c.*3. Gloſſa *in Clem. Religioſi, de priuilegiis*, Syluestro *Euchariſtia* 3. *num.*5. Caiet. *v.Communionis miniſter*, Armilla *v.Communio num.*21. Tabiena *num.*52.Nauarro *c.*21.*num.*52. Soto 4.*d.*13. *quæſt.*1.*art.*3. Azor *lib.*10.*c.*23.*quæſt.*2. Henriquez *lib.*8.*c.*55. Toleto *lib.*6.*c.*17. Suarez *diſp.*72.*ſect.*2. Roderico *tom.* 1. *quæſt.*56. *art.*3. vbi docent ex ſuo genere ſine huiuſmodi iuriſdictione vel facultate miniſtrare Euchariſtiam, niſi bona fides & probabiliter præſumta voluntas Paſtoris excuſet, eſſe peccatum mortale; eo quòd id ſit vſurpare alienum ius contra pacem, & debitum ordinem, & gubernationem Eccleſiæ. Et in citata Clementina excommunicantur Religioſi, qui ſine priuilegio id faciunt, reſeruatúrque abſolutio ſummo Pontifici. Qui verò priuilegium habent, vt ſunt Mendicantes, poſſunt cuicumque accedenti miniſtrare, præterquam in die Paſchæ Reſurrectionis, niſi tunc fiat facultas à Parocho, ex Nicolai V. Sixti IV. & Leonis X. conceſſionibus in Monumentis Minorum, *conceſſione* 149.150.160.de quibus Alphonſius Caſarubius, & Hieronymus Sorbus Capucinus *in priuilegiis Mendicantium, v. Communicare*, & Rodericus *tom.* 1. *quæſt.* 56. *art.* 3. Dices, licebítne abſque alia facultate ipſo die Reſurrectionis de manu Religioſorum communicare, ſi iam de manu Parochi intra ſtatutum tempus, quis communicauit, vel communicaturus eſt? Reſpondeo, licèt P. Emanuel Sà *v.Euchariſtia,num.*10. Suarez *diſp.*72.*ſect.*2.*dub.*2. & Emanuel Rodericus *tom.* 1. *quæſt.* 56. *art.* 6. ſenſerint licere, quòd formalis, & non materialis Paſchalis communio illa limitatione excipi videatur, vt adeant Paſchali tempore oues ſuas Eccleſias, cui per iam factam communionem, aut faciendam ſupponitur ſatisfactum, aut ſatisfaciendum, oppoſitum tamen eſſe probabilius,

bilius, idque cenſuerit congregatio Illuſtriſſ. Cardinalium ſuper Concilio Tridentino die 23. Ianuarij anno 1586. Idémque docet Nauarrus *c.21. num.52.* Sarnenſis *lib.2. de viſitat.c.*30. Henriquez *lib.* 8.*c.*55. Azor *lib.*7.*c.*41. quòd Priuilegia quando derogant iuri communi, reſtringenda & non amplianda ſint. Similiter, cùm ſumitur per modum viatici, à Parocho accipienda eſt, ex communi ſententia. quòd ſi non poſſit Parochus adeſſe, Cardinalis *in Clem.* 1. *de priuilegiis, quaeſt.*1. Syluester *excommunicatio.7.excom.*14.§.3.& Nauar.*c.21 num.*52. negant ſumi poſſe à religioſis, vel aliis ſacerdotibus. Angelus verò *excommun. c.5.caſu* 12. Suarez *loco citato*, Emanuel Sà *v.Euchariſtia, num.*4. Henriquez *lib.*8.*c.*55. Emanuel Rodericus *tom.*1. *quaeſt.*56. *art.*5. Hoſtienſis, & Archidiaconus affirmant, ex præſumta Papæ, vel etiam Epiſcopi, aut Parochi voluntate. Et ita Paulus III. in priuilegio conceſſo Societati Ieſu, excipiendo feſtum Reſurrectionis & mortis articulum addidit, *Niſi neceſſitas vrgeret.* Illud etiam notandum in Mendicantium Religioſorum Eccleſiis poſſe ſuperiorem dare facultatem ſacerdoti ſeculari communicandi alios, vt per ſe poteſt, ex Suarez *diſp.*72. *ſect.*2. *concl.2.in fine,* Emanuele Sà *v.Euchariſtia, num.*14. qui idem etiam de Sacriſta, ſeu præfecto Eccleſiæ tenet. Emanuele Roderico *tom.*1. *quaeſt.*56. *art.*3. vbi citat priuilegium Iulij II. conceſſum Minoribus his verbis, vt refertur in Supplemento, *vt in Eccleſiis ſuis quoties opus fuerit, poſſint miniſtrare & miniſtrari facere ſacramentum Euchariſtiæ Curialibus, Mercatoribus, peregrinis, & tranſeuntibus, ac aliis quibuſcumque perſonis.* Medina in inſtitutione *lib.*1.*c.*11. §. 3. *in fine,* Henriquez *lib.*8.*c.*55.*Gloſſ.lit.C.* Corduba *in Addit. ad compendium. Tit. Communicatio Priuilegiorum.* Induat autem extra Miſſam ſacerdos communicaturus aliquem ſuperpelliceum, & ſtolam, aliàs niſi obliuione excuſetur, grauiter peccaret, ex Syluestro *v.ſacerdos, num.*4. Nau.*c.*21. *num.*54. Graffio *p.p.lib.2.c.*41. *num.*3. Suarez *diſp.*72.*ſect.*4. quia *d.*23 *can.eccleſiaſtica.* ex Concilio Bracarenſi III. *c.*3. ſub excommunicationis pœna id præcipitur. Sicut etiam cùm ipſe ſacerdos communicandus eſt, ſtolam accipiat, *ex citato can.* qui ait: *Cùm ſacerdos ad Miſſarum ſolemnia accedit, aut per ſe Deo ſacrificium oblaturus, aut ſacramentum corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumturus, non aliter accedat, quàm orario vtroque humero circumſeptus, ſicut & tempore ordinationis ſuæ dignoſcitur conſecratus, ita vt de vno eodémque orario ceruicem pariter & vtrumque humerum premens, ſignum in ſuo pectore præparet crucis: ſi quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ ſubiaceat.* etſi eo caſu Turrecremata *ibidem,* Suarez *diſp.*68.*ſect.*1. Syluester, Nauarrus, Graffius, exiſtimant eſſe ſolùm veniale ſecluſo contemtu; eo quòd communi vſu ille canon non videatur tanto rigore receptus. immo Azor *lib.* 10. *c.*28. *quaeſt.* 12. negat eſſe vllum peccatum, ſi ſacerdos ſine ſtola recipiat Euchariſtiam, quòd ille canon, quoad hoc, videatur vſu & conſuetudine contraria abrogatus. Sed de habitus decentia in præbenda Euchariſtia erit etiam ſermo infrà *num.*11.

Sed iam videamus, an neceſſariò ſub vtraque ſpecie ſit communicandum, 8.
quambreuiſſime tamen, quòd à pleriſque nobilibus Theologis res hæc ſit diligenter explicata, VValdenſi *tom.2.c.*91. Caſtro *v.Euchariſtia, hæreſi vltima,* Ruardo Tappero *art.* 15. Alberto Pighio *controu.*7. Roffenſi *in refutatione art.*16. *Lutheri,* Ænea Syluio *epiſtola* 130. Caietano 3.*p.quaeſt.*80. *art.* 12. & *tom.*3. *opuſcul. tract.* 12. Soto 4. *d.*12. *art.* 12. Sainctæ *repet. vltima, c.*1.2.3. & *ſequent.* Alano *lib.* 1.*c.*39. & *ſeq.* Bellarm. *lib.4.de Euchariſtia c.*20. & *ſeq.* Valentia *lib.de legit.vſu Euchariſtiæ,* & *tom.*4.*diſp.*6.*quaeſt.*8.*p.*5. Suarez *diſp.*71. Petro Caniſio *de ſacramento Euchariſtiæ.*§.8. Toleto *in c.6.Io.num.*27. Georgio Scherero *in concionibus de commun.ſub vtraque ſpecie.*

cie. Salmerone *tom.9.tract.*34.35. vt cæteros omittam. Et quidem primò certum eſt iure diuino non prohiberi laicos ſub vtraque ſpecie ſumere, vt conſtat, tum ex 1. *Corinth.* 10. *Vnum corpus ſumus, qui de vno pane & calice participamus*, & *c.*11 *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* vnde Chryſoſtomus *Hom.* 18. *in* 2. *ad Cor.* dicit in Euchariſtiæ participatione, quoad vtramque ſpeciem, iure diuino non eſſe differentiam inter ſacerdotem & laicum, quòd ſcilicet vtrique liceat, licèt non vtrique æquè neceſſarium, cùm ſemper ſacrificans debeat non tantùm corpus ſed etiam ſanguinem ſumere, communicans autem poſſit non accipere ſanguinem. Non diſſimilia habet Theophylactus *in* 1. *ad Cor.*11. & Paſchaſius *lib. de corpore & ſanguine Domini,c.*18. tum ex Dionyſio *lib.de Eccl.hier.c.*3. vbi ait: *Sed opertum panem & indiuiduum aperit, in fruſta concidens, & ſingularem calicem omnibus impertiens.* Idem conſtat ex Cypriano *ſer.* 5. *de lapſis.* *Vbi verò* (inquit de puella à dæmone obſeſſa) *ſolemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris, locus eius aduenit, faciem ſuam paruula inſtinctu diuinæ Maieſtatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare; perſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licèt de ſacramento calicis infudit.* S.Ambroſius Theodoſium alloquens poſt patratam Theſſalonicæ cædem apud Tripartitam *lib.* 9. *c.*30. *Quomodo*, ait, *huiuſmodi manibus ſuſcipies ſanctum Domini corpus? qua temeritate ore tuo poculum ſanguinis pretioſi percipies?* & *lib.*1.*off.c.*41. *de S. Laurentio. Qui commiſiſti dominici ſanguinis diſpenſationem, huic, &c.* D. Auguſtinus *can. cùm frangitur, de conſecrat. d.* 2. *Cùm frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice in hora fidelium funditur, quid aliud quàm, &c.* S. quoque Leo *epiſt. ad Maioricum & Ioannem Epiſcopos*, ad detegendos Manichæos negantes Chriſtum habere ſanguinem, vnde percepto Chriſti corpore, non ſumebant ſanguinem, ad tempus prohibuit communionem fieri ſub altera tantùm ſpecie. videndus idem *ſerm.* 4. *de Quadrageſima.* Gelaſius *can.comperimus,de conſecr.d.*2. Athanaſius *Apolog.*2. *in actis Synodi Alexandrinæ,* Hieronymus *in c.*3. *Sophoniæ,* Gregorius *Hom.* 22. *in Euangelia,* S.Thomas 3.*p. q.*80.*art.*12. Concil. Chalcedonen.*act.*10. Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.*13. tum quia Clemens VI. conceſſit Regi Galliæ, vt ſub vtraque ſpecie communicaret, vt docet Gaſpar Caſſalius *lib.*3. *de cœna, & calice, c.*11. & conceſſum eſt tempore Concilij Conſtantienſis Bohemis, ex Ænea Syluio *lib.de Origine Bohemorum,c.*35. & Tappero *art.*15. Certum deinde eſt, etiam iure diuino non obligari laicos, & non conficientes ſacerdotes ad recipiendam ſub vtraque ſpecie; ſed licitè in vnica accipere, ex Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 13. Baſilienſi *ſeſſ.* 30. Tridentino *ſeſſ.*21. *can.* 1. & 2. quicquid Petrus Dreſdenſis inuentor dogmatis apud Æneam Syluium *loco citato*; Lutherus *lib. de capt. Babyl. c.* 1. Brentius *in Apolog. pro Confeſſ. VVittemberg.* Kemnitius *in exam.Concilij Trid.ſeſſ.*21. & Caluinus *lib.*4. *Inſt.c.*17.§.47. ineptè garriant; cùm tale præceptum neque colligatur ex illis verbis Domini *Matth.*26. *Bibite ex eo omnes,* quia ad ſolos Apoſtolos, quos verbis illis, *Hoc facite.* 1.
ex Dionyſio *lib.de Eccl.hier.c.*3. Clem.*lib.*5. *conſtit.c.*18. Ireneo *lib.*4.*c.*32. Cypriano *lib.*2.*epiſtola* 3. Chryſoſtomo *Hom. de prodit. Iudæ,* & Ambroſio *lib.*4.*de ſacram.c.*4. ſacerdotes & Euchariſtiæ miniſtros faciebat, eorúmque ſucceſſores, ea dicta ſunt, ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*21.*c.*1. D.Thoma 3.*p.quæſt.*80.*art.*12. Caiet.*ibid.* Soto 4.*d.*12.*q.*1.*art.*12. VValdenſi *tom.*2.*c.*90. Roffenſi *art.* 16. contra Lutherum, Caſtro *v.Euchariſtia, hæreſi vltima.* ideo ſolis ſacerdotibus conficientibus id competit. At dicet Kemnitius, Apoſtoli tunc non conficiebant, & tamen iuſſi ſunt bibere; ergo ſaltem ſacerdotes non conficientes etiam ſub ſpecie vini communicare debent. Reſpondemus duplici titulo iuſſos Apoſtolos bibere, nempe &

vt miniſtros futuros Euchariſtiæ, quo in munere ſuccedunt ſacerdotes conficientes, idéóque ibi ſacrificantes bibunt, & vt perſonas particulares præſentes, & cum Chriſto cœnantes, quæ licèt tunc non conficerent, iuſſæ tamen ſunt à Chriſto bibere, quod omnes fecerunt *Marci* 14. qua ratione non eis ſuccedunt ſacerdotes non conficientes, cùm fuerit particulare præceptum datum Apoſtolis tanquam particularibus perſonis. ideo ſacerdotes non conficientes non
2. adſtringuntur bibere. Neque ex illis D. Pauli 1. *Cor.* 11. *Hoc facite quotieſcumque bibetis*; quia ibi non præcipitur actus bibendi, vt ipſa verba indicant, vt rectè Caietanus & alij notarunt, ſed ordo actus in finem, vt ſcilicet cùm id fit, & bibitur, in memoriam & commemorationem mortis Chriſti fiat, & Apoſtolus ipſe ibidem innuit licere tantùm manducare, ait enim, *Quicumque manducauerit, vel bi-*
3. *berit*. Neque ex verbis illis *Io.* 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. etſi enim loquatur de reali & vera perceptione corporis & ſanguinis Chriſti, vt rectè aduertit Origenes *Hom.* 16. *in Numer.* Baſilius *in moralibus, ſum.* 21. *c.* 1. *&* 2. Athanaſius *epiſtola ad Serapionem*, Chryſoſtomus *hom.* 45. 46. *in Io.* Cyrillus Alexandrinus *lib.* 4. *in Io. c.* 14. Cyprianus *lib.* 1. *contra Iudaos, c.* 22. Ambroſius *lib.* 6. *de ſacram. c.* 1. Auguſtinus *tract.* 26. *in Io.* & alij Patres, non tamen loquitur de neceſſitate modi percipiendi ſub ſpecie non tantùm manducabili, ſed etiam potabili, vt patet ex ipſa concluſione, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, ſignificans ſufficere vnam ſpeciem, vt obſeruat Concilium Trident. *ſeſſ.* 21. *c.* 1. & ſuprà etiam dixerat, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. Sufficit igitur, vtrumque ſumere quoad realitatem, etiamſi ſub vna
4. ſpecie ſumatur. Neque colligitur ex natura huius ſacramenti, cùm etiam res contenta ſit eadem tam ſub vna quàm ſub duabus ſpeciebus, totus ſcilicet Chriſtus, vt ſuperius diximus, cum Concilio Tridentino Conſtantienſi, Baſilienſi, & Patribus; & fructus non minor ex perceptione vnius tantùm ſpeciei, quàm ambarum, vt *hoc eodem libro cap.* 27. probauimus; & ſignificatio eſſentialis vtrobique eadem, ſpiritualis ſcilicet animæ refectio *Io.* 6. *Qui manducat me, &c.* & qualibet ſpecie repræſentetur Chriſti mors, quam recoli voluit Dominus hoc ſacramento; cùm ex vi verborum ſub ſpecie panis ſit tantùm Chriſti corpus, & ſub ſpecie vini tantùm ſanguis. Nullum igitur ex hoc capite colligi præceptum po-
5. teſt de vtraque ſpecie ſumenda. Neque ex praxi Eccleſiæ, quæ ſicut aliquando ſub vtraque ſpecie miniſtrauit, vt diximus, ita diu ſub vnica; vt conſtat tum ex *Act.* 2. *Erant autem*, ait, *perſeuerantes in doctrina. Apoſtolorum & communicatione fractionis panis.* & *Act.* 20. *Vna autem Sabbati cùm conueniſſemus ad frangendum panem.* tum ex ſerie temporum. nam ætate Tertulliani Euchariſtiam ſæpe domum deferebant, ex Tertulliano *lib.* 2. *ad vxorem*, Cypriano *ſerm.* 5. *de lapſis*, Clem. Alexandrino *lib.* 1. *Stromatum*, Hieronymo *Apolog. ad Pammachium* pro ſuis liberis, & aliis vt infrà dicemus. non autem vinum, cùm ne tangere quidem calicem laicis permiſſum eſſet. vnde Cyrillus *catech. myſt.* 5. alloquens communicaturum ait: *Ad calicem, ne extendas manum.* Ægrotis etiam dabatur ſub vna ſpecie panis, vt patet ex Serapione apud Euſebium *lib.* 7. *c.* 43. S. Baſilio *apud Amphylochium*, D. Ambroſio *apud Paulinum in ipſius vita*, & aliis *apud Bedam lib.* 4. *hiſt. Angl. c.* 14. *&* 24. Aſſeruabatúrque hoſtia, & non ſanguis pro iiſdem infirmis communicandis, ex Nazianzeno *in orat. de S. Gorgonia*, Cyrillo Alexandrino *epiſtola ad Caloſyrium*, Concilio Nicæno *can.* 12. *&* 14. Amalario *lib.* 3. *c.* 35. Micrologo *c.* 17. vt etiam videmus ſub vna panis ſpecie datum ſanis apud Bedam *lib.* 2. *hiſt. Angl. c.* 5. Ordinem Romanum *cap. de ordine celebr. Miſſ.* Giſelbertum qui vixit anno Dom. 880.

in libro Altercationis Synagogæ & Eccleſiæ. & VVilelmum Abbatem *in vita S. Bernardi lib.*1.*c.*11.idémque ſeruatum in Germania ante 550. annos docet Georgius Scherer *in Concione* 12.*&* 14. *de Comm. ſub vtraque ſpecie*, adducens illud Rodulphi Abbatis S. Trudonis:

Hic & ibi cautela fiat, ne preſbyter ægris
Aut ſanis tribuat laicis de ſanguine Chriſti.
Namque poteſt fundi leuiter, ſimpléxque putaret
Quòd non ſub ſpecie Ieſus ſit totus vtraque.

Vixit enim Rodulphus ſub Henrico IV. ex Trithemio quam etiam conſuetudinem laudat S.Thomas in Io. *lect.*7.*&* 3.*p.* *q.*80.*art.*12. Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.* 13. Baſilienſe & Tridentinum *ſeſſ.* 21. *c.* 2. Idem ſeruatur nunc in Eccleſia Latina etiam in officio Paraſceue à ſacerdote, & olim ex Rabano *lib.* 2. *c.* 37. & Micrologo *c.* 19. & in Eccleſia Græca in tota Quadrag. excepto die Sabbati & Dominico fit communio ex præſanctificatis ſub ſpecie tantùm panis, ex Concilio Laodiceno *can.*49. & Trullano *can.*52. tum denique, quia apud veteres Diaconis & aliis Eccleſiaſticis in pœnam alicuius delicti dabatur communio laica ſub vna ſpecie, vt conſtat ex Siricio Papa *epiſt.*1.*c.*2. Felice *epiſt.*1.*c.*2. Cypriano *lib.* 4.*ep.*2. Conc.Elibertino *can.* 36. Sardicenſi *c.*2. Quare cùm poſſit Eccleſia ſalua ſacramentorum ſubſtantia ordinare, quæ iure diuino non ſunt præſcripta, circa eorum vſum, nihílque circa communionis ritum ſub vna vel duabus ſpeciebus iure diuino ſtatutum ſit; rectè omnino potuit Eccleſia perſcribere, pro fidelium ædificatione, ne acciderent multæ profanationes; vt docet experientia Bohemorum, teſte Ænea Syluio *ep.*130.& ne ſpecies vini effunderentur, vt accidit Diacono in vita S.Donati; qui cadens calicem fregit & effudit ſanguinem, ex Martyrologio Adonis, 7.Idus Auguſti, aut ne diu conſeruatæ corrumperentur, aliíſq; iuſtiſſimis de cauſis, de quibus Tapper *art.*15. Caſtro *v.Euch. hæreſi vltima*, Sainctes *rep.*10.*c.*4.Bellar. *loco cit.c.*28. Valent. Sotus, Scherer *concione* 14.*citata.* & alij, ſub vnica ſpecie panis communionem. quod etiam probat Conc.Trid.*ſeſſ.*21.*c.*2.ex illo D.Pauli 1.*Cor.*11. Cætera cùm venero diſponam, & Aug. *ep.*118.ad Ianuarium.

9. Sicut hodie ſumturis ſacram communionem candida apponuntur linteamina, ne ſi quid fortè decidat, in terram cadat, ita olim perpolitæ & dolatæ apponebantur ad hoc tabellæ, quas etiam miniſtri ſpongia tergere ſolebant, vt docet Chryſoſtomus *Hom.*61 *ad pop. Antiochenum*, & quas ab Arianis combuſtas conqueritur Athanaſius *ep.ad ſolitarios.* Antea etiam Euchariſtia viris dabatur in manu. quare Dionyſius Alexandrinus *in epiſtola ad Sixtum Papam*, vt videre eſt apud Nicephorum. *lib.*5.*c.*9. ait: *Dixi ſufficere ei tam diuturnam nobiſcum communionem, qui gratiarum actione exaudita ſimul nobiſcum Amen occineris; quique menſæ aſſiſtens manus ad exceptionem ſancti alimenti porrexeris, & id ſuſceperis, corporiſque & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſatis longo tempore particeps fueris.* Et illius coætaneus Origenes *Hom.*13.*in Exod. Noſtis,* ait, *qui diuinis myſteriis intereſſe conſueuiſtis, quomodo cùm corpus Domini ſuſcipitis, cum omni cautela & veneratione ſeruatis, ne ex eo parum quid dilabatur.* Eódem pertinet quod ait Gregorius Nazianzenus *oratione* 1. *in Iulianum. Manus ſuas profanat, vt nimirum eas ab incruento illo ſacrificio, per quod nos Chriſto ipſiúſque paſſionibus & diuinitati communicamus, elueret ac repurgaret.* & qui ducentos poſt annos vixit Anaſtaſius Synaita *in oratione de ſancta Synaxi. Etenim rapinis, ſceleribus peccatorum multitudine cooperti, tantula modo aqua ablutis manibus ſanctiſſimum illud corpus diuinúmque ſanguinem pro mundi ſalute olim largiter effuſum, impuri ſordidique ori admoueamus.* Meminerunt eiuſdem conſuetudinis Cyprianus *ſer.*5.*de lapſis*, Baſi-

vt miniſtros futuros Euchariſtiæ, quo in munere ſuccedunt ſacerdotes conficientes, ideóque ibi ſacrificantes bibunt, & vt perſonas particulares præſentes, & cum Chriſto cœnantes, quæ licèt tunc non conficerent, iuſſæ tamen ſunt à Chriſto bibere, quod omnes fecerunt *Marci* 14. qua ratione non eis ſuccedunt ſacerdotes non conficientes, cùm fuerit particulare præceptum datum Apoſtolis tanquam particularibus perſonis. ideo ſacerdotes non conficientes non
2. adſtringuntur bibere. Neque ex illis D. Pauli 1. *Cor.* 11. *Hoc facite quotieſcumque bibetis*; quia ibi non præcipitur actus bibendi, vt ipſa verba indicant, vt rectè Caietanus & alij notarunt, ſed ordo actus in finem, vt ſcilicet cùm id fit, & bibitur, in memoriam & commemorationem mortis Chriſti fiat, & Apoſtolus ipſe ibidem innuit licere tantùm manducare, ait enim, *Quicumque manducauerit, vel bi-*
3. *berit*. Neque ex verbis illis *Io.* 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. etſi enim loquatur de reali & vera perceptione corporis & ſanguinis Chriſti, vt rectè aduertit Origenes *Hom.* 16. *in Numer.* Baſilius *in moralibus ſum.* 21. *c.* 1. *&* 2. Athanaſius *epiſtola ad Serapionem*, Chryſoſtomus *hom.* 45. 46. *in Io.* Cyrillus Alexandrinus *lib.* 4. *in Io. c.* 14. Cyprianus *lib.* 1. *contra Iudæos, c.* 22. Ambroſius *lib.* 6. *de ſacram. c.* 1. Auguſtinus *tract.* 26. *in Io.* & alij Patres, non tamen loquitur de neceſſitate modi percipiendi ſub ſpecie non tantùm manducabili, ſed etiam potabili, vt patet ex ipſa concluſione, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, ſignificans ſufficere vnam ſpeciem, vt obſeruat Concilium Trident. *ſeſſ.* 21. *c.* 1. & ſuprà etiam dixerat, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. Sufficit igitur, vtrumque ſumere quoad realitatem, etiamſi ſub vna
4. ſpecie ſumatur. Neque colligitur ex natura huius ſacramenti, cùm etiam res contenta ſit eadem tam ſub vna quàm ſub duabus ſpeciebus, totus ſcilicet Chriſtus, vt ſuperius diximus, cum Concilio Tridentino Conſtantienſi, Baſilienſi, & Patribus; & fructus non minor ex perceptione vnius tantùm ſpeciei, quàm ambarum, vt *hoc eodem libro cap.* 27. probauimus; & ſignificatio eſſentialis vtrobique eadem, ſpiritualis ſcilicet animæ refectio *Io.* 6. *Qui manducat me, &c.* & qualibet ſpecie repræſentetur Chriſti mors, quam recoli voluit Dominus hoc ſacramento; cùm ex vi verborum ſub ſpecie panis ſit tantùm Chriſti corpus, & ſub ſpecie vini tantùm ſanguis. Nullum igitur ex hoc capite colligi præceptum po-
5. teſt de vtraque ſpecie ſumenda. Neque ex praxi Eccleſiæ, quæ ſicut aliquando ſub vtraque ſpecie miniſtrauit, vt diximus, ita diu ſub vnica; vt conſtat tum ex *Act.* 2. *Erant autem*, ait, *perſeuerantes in doctrina. Apoſtolorum & communicatione fractionis panis.* & *Act.* 20. *Vna autem Sabbati cùm conueniſſemus ad frangendum panem.* tum ex ſerie temporum. nam ætate Tertulliani Euchariſtiam ſæpe domum deferebant, ex Tertulliano *lib.* 2. *ad vxorem*, Cypriano *ſerm.* 5. *de lapſis*, Clem. Alexandrino *lib.* 1. *Stromatum*, Hieronymo *Apolog. ad Pammachium* pro ſuis liberis, & aliis vt infrà dicemus. non autem vinum, cùm ne tangere quidem calicem laicis permiſſum eſſet. vnde Cyrillus *catech. myſt.* 5. alloquens communicaturum ait: *Ad calicem, ne extendas manum.* Ægrotis etiam dabatur ſub vna ſpecie panis, vt patet ex Serapione apud Euſebium *lib.* 7. *c.* 43. S. Baſilio *apud Amphylochium*, D. Ambroſio *apud Paulinum in ipſius vita*, & aliis *apud Bedam lib.* 4. *hiſt. Angl. c.* 14. *&* 24. Aſſeruabatúrque hoſtia, & non ſanguis pro iiſdem infirmis communicandis, ex Nazianzeno *in orat. de S. Gorgonia*, Cyrillo Alexandrino *epiſtola ad Caloſyrium*, Concilio Nicæno *can.* 12. *&* 14. Amalario *lib.* 3. *c.* 35. Micrologo *c.* 17. vt etiam videmus ſub vna panis ſpecie datum ſanis apud Bedam *lib.* 2. *hiſt. Angl. c.* 5. Ordinem Romanum *cap. de ordine celebr. Miſſ.* Giſelbertum qui vixit anno Dom. 880.

in libro Altercationis Synagogæ & Eccleſiæ. & VVilelmum Abbatem *in vita S. Bernardi lib.*1.*c.*11.idémque ſeruatum in Germania ante 550. annos docet Georgius Scherer *in Concione* 12.*&* 14. *de comm. ſub vtraque ſpecie*, adducens illud Rodulphi Abbatis S. Trudonis:

Hic & ibi cautela fiat, ne presbyter ægris
Aut ſanis tribuat laicis de ſanguine Chriſti.
Namque poteſt fundi leuiter, ſimpléxque putaret
Quòd non ſub ſpecie Ieſus ſit totus vtraque.

Vixit enim Rodulphus ſub Henrico IV. ex Trithemio quam etiam conſuetudinem laudat S.Thomas in Io. *lect.*7.*&* 3.*p. q.*80.*art.*12. Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.* 13. Baſilienſe & Tridentinum *ſeſſ.* 21. *c.* 2. Idem ſeruatur nunc in Eccleſia Latina etiam in officio Paraſceue à ſacerdote, & olim ex Rabano *lib.* 2. *c.* 37. & Micrologo *c.* 19. & in Eccleſia Græca in tota Quadrag. excepto die Sabbati & Dominico fit communio ex præſanctificatis ſub ſpecie tantùm panis,ex Concilio Laodiceno *can.*49. & Trullano *can.*52. tum denique, quia apud veteres Diaconis & aliis Eccleſiaſticis in pœnam alicuius delicti dabatur communio laica ſub vna ſpecie,vt conſtat ex Siricio Papa *epiſt.*1.*c.*2.Felice *epiſt.*1.*c.*2.Cypriano *lib.* 4.*ep.*2. Conc.Elibertino *can.* 36. Sardicenſi *c.*2. Quare cùm poſſit Eccleſia ſalua ſacramentorum ſubſtantia ordinare, quæ iure diuino non ſunt præſcripta, circa eorum vſum, nihilque circa communionis ritum ſub vna vel duabus ſpeciebus iure diuino ſtatutum ſit; rectè omnino potuit Eccleſia perſcribere, pro fidelium ædificatione, ne acciderent multæ profanationes; vt docet experientia Bohemorum,teſte Ænea Syluio *ep.*130.& ne ſpecies vini effunderentur,vt accidit Diacono in vita S.Donati, qui cadens calicem fregit & effudit ſanguinem, ex Martyrologio Adonis,7.Idus Auguſti,aut ne diu conſeruatæ corrumperentur,aliiſq; iuſtiſſimis de cauſis, de quibus Tapper *art.*15. Caſtro *v.Euch. hæreſi vltima*, Sainctes *rep.*10.*c.*4.Bellar.*loco cit.c.*28. Valent. Sotus,Scherer *concione* 14.*citatâ.* & alij,ſub vnica ſpecie panis communionem.quod etiam probat Conc.Trid.*ſeſſ.*21.*c.*2.ex illo D.Pauli 1.*Cor.*11. Cætera cùm venero diſponam,& Aug. *ep.*118.ad Ianuarium.

9. Sicut hodie ſumturis ſacram communionem candida apponuntur linteamina,ne ſi quid fortè decidat, in terram cadat, ita olim perpolitæ & dolatæ apponebantur ad hoc tabellæ,quas etiam miniſtri ſpongia tergere ſolebant,vt docet Chryſoſtomus *Hom.*61 *ad pop. Antiochenum*, & quas ab Arianis combuſtas conqueritur Athanaſius *ep.ad ſolitarios.*Antea etiam Euchariſtia viris dabatur in manu. quare Dionyſius Alexandrinus *in epiſtola ad Sixtum Papam*,vt videre eſt apud Nicephorum. *lib.*5.*c.*9. ait: *Dixi ſufficere ei tam diuturnam nobiſcum communionem,qui gratiarum actione exaudita ſimul nobiſcum Amen occinerit; quique menſæ aſſiſtens manus ad exceptionem ſancti alimenti porrexerit, & id ſuſceperis, corporiſque & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſatis longo tempore particeps fuerit.* Et illius coætaneus Origenes *Hom.*13.*in Exod. Noſtis*, ait, *qui diuinis myſteriis intereſſe conſueuiſtis, quomodo cùm corpus Domini ſuſcipitis, cum omni cautela & veneratione ſeruetis, ne ex eo parum quid dilabatur.* Eodem pertinet quod ait Gregorius Nazianzenus *oratione* 1. *in Iulianum. Manus ſuas profanat, vt nimirum eas ab incruento illo ſacrificio, per quod nos Chriſto ipſiuſque paſſionibus & diuinitati communicamus, elueret ac repurgaret.* & qui ducentos poſt annos vixit Anaſtaſius Synaita *in oratione de ſancta Synaxi. Etenim rapinis, ſceleribus peccatorum multitudine cooperti, tantula modo aqua ablutis manibus ſanctiſſimum illud corpus diuinúmque ſanguinem pro mundi ſalute olim largiter effuſum, impuri ſordidique ore admouemus.* Meminerunt eiuſdem conſuetudinis Cyprianus *ſer.*5.*de lapſis*,Baſi-

lius *epiſt.ad Cæſariam Patriciam*, Chryſoſtomus *Homil.2.& 12. ad populum.* & *Hom. 3.in ep.ad Eph.* Euſebius *lib.6.c.35.*Nicephorus *lib.12.c.41.* Tripartita *lib.9.cap.30.* Theodoretus *lib.5.hiſt.c.17. & in 1.ad Cor.c.11.* Auguſtinus *Hom.26. ex 50.* Maximus *in lib. contra Monothelitas*, & Concilium Toletanum I. *c.14.* & habetur 11. *q.1. can. ſi quis laicus.* & Dorotheus *ſerm.9. qui eſt de mendacio.* Io. Euiratus *in prato ſpirit. c.78.* Porrò qua manuum configuratione ſuſciperent viri Euchariſtiam docet VI. Synodus *can. 101.* verbis illis: *Antequam fiat communio Euchariſtiam accepturus manus in crucis formam figurans ſic accedat, & gratiæ communionem accipiat. Eos autem qui ex auro aut alia materia quadam loco manus receptacula efficiunt, ad diuini muneris ſuſceptionem minimè admittimus.* & alia ſubiicit quibus imponitur excommunicationis pœna dantibus & recipientibus Euchariſtiam in dictis receptaculis, & non in manibus. Eamdem manuum configurationem & ſuſceptionis modum exactiùs docuerat ante trecentos annos Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi 5. myſtagogica*, dicens: *Accedens ad communionem non expanſis manuum volis accede. neque diſiunctis digitis, ſed ſiniſtram veluti ſedem quamdam ſubiicias dexteræ, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt, & concaua manu ſuſcipe corpus Chriſti, dicens: Amen. Sanctificatis ergo oculis tam ſancti corporis contactu communica; caue ne quid excidat tibi, quod enim amittes, hoc tamquam ex proprio membro amiſeris. nam ſi quis aurea ramenta tibi daret, nónne magna cum diligentia illa teneres, cauens ne quid ex illis periret, damnúmque ſuſtineres? & non multo magis & diligentiùs de hoc quod auro gemmiſque pretioſius eſt; ne mica aliqua ex illo cadat, prouidebis?* At verò fœminis non dabatur Euchariſtia in manu, ſed in mundiſſimo linteamine, quod vocabatur Dominicale; vt conſtat ex D.Auguſtino *ſer.42. & 150. de temp.* Concilio Antiſiodorenſi *can.36. & 42.* & Maximo *loco præcitato*, vbi ait, *Omnes viri, qui communicare deſiderant, prius lauent manus ſuas, vt mente pura, & nitida conſcientia Chriſti ſacramenta ſuſcipiant. Similiter & mulieres nitida exhibeant linteamina vbi corpus Chriſti accipiant pura mente, & munda conſcientia.* Proceſſu verò temporis multo conuenientius viſum eſt, vt ſacra Euchariſtia in ore daretur, tam viris, quàm fœminis, qui ritus vbique receptus eſt: licebat etiam antiquitus Euchariſtiam domum deferre, cùm ob ingruentes perſequutiones non facilè poſſent fideles in locis abditis ſacris intereſſe quotidie, vt de vita quotidie periclitantes, quotidie ieiuni Euchariſtiam participarent. vt docet Tertullianus *lib.2.ad vxorem, c.3.* Cyprianus *ep.56.ſer.5.de lapſis, & lib. de ſpectaculis*, Clem. Alexandrinus *lib.1 Strom.* Hieronymus *ep. 50.* Gregorius Nazianzenus *oratione in funere Gorgoniæ*, Auguſtinus *ſer. 252. de tempore*, Sophronius ſeu potiùs Io.Euiratus *in Prato ſpirituali.c.39.* Beda *lib.4. hiſt. Angl. c.24.* Metaphraſtes *in vita Theoctiſtis Leſbiæ*, Epiphanius Preſbyter *epiſtola ad Hormiſdam Papam*, Anaſtaſius Nicænus Epiſcopus *in libro quæſtionum.* & Baſilius *ep.ad Cæſariam Patriciam*, vbi ſcribit: *Omnes enim, qui ſunt in deſertis Monachi, vbi non eſt ſacerdos, illic habentes communionem, ex ſeipſis eam ſumunt. Alexandriæ autem & in Ægypto vnuſquiſque ex laicis, qui illic degunt maxima ex parte habent communionem domi ſuæ. nam cùm ſacerdos ſemel confecerit hoſtiam, & dederit, eam accipiens & communicans tamquam à ſacerdote ſumtam participare ſe debet credere.* Sancta quoque Hilaria cùm ſub Numeriano duceretur ad ſupplicium rogauit tantulum ſibi moræ concedi donec oratiunculam recitaret, qua obtenta flexis genibus è ſinu paruulam extràxit thecam in qua ſacram aſſeruabat, & ſecum ſemper deferebat Euchariſtiam, cámque ſumma cum deuotione conſumſit, & manibus ad cœlum elatis expirauit, vt ſcribit Eſpencæus *lib.2. de ador. Euch.c.7.* Petrus Valderame *ſerm. 5. in feſto corporis Chriſti.* Hormiſdæ tamen tempore in Synodo Cæſarauguſtana in Hiſpània abrogatus

eſt

eſt huiuſmodi vſus, ità enim ſtatutum eſt *can.3. Euchariſtiæ gratiam, ſi quis probatur acceptam non conſumſiſſe in Eccleſia, anathema ſit in perpetuum.* Et meritò, cùm enim vbique vigeat Chriſtiana religio, liberùmque ſit in Eccleſia communicare, vetus conſuetudo antiquari debuit, vt maiori religione, honore, & cultu, tantum ſacramentum adſeruaretur: qua de re *n.16.* dicemus.

10. Poteſt autem quouis die, etiam Paraſceues dari communio, tum quia ita graues Theologi ſentiunt, vt Beleth *c.99.* Emanuel Sà *v. Euchariſtia, num.16.* Suarez *diſp.80. ſect.2.* quicquid in contrarium ſentiat Francolinus *lib. de horis canon. c.30.* tum quia non extat prohibitio aliqua. tum quia Gregorius *in lib. ſacramentorum in Liturgiis Pamelij*, agens de officio diei Paraſceues dicit: *Communicet ſacerdos & omnis plebs.* Et in ordine Romano antiquo in fine officij eiuſdem diei habetur: *Et communicent cum ſilentio.* Amalarius etiam *lib.1. c.11.* dicit in die cœnæ reſeruari ſacramentum, pro omnibus, qui ſequenti die communicare voluerint, & Durandus *lib. 6. ration. c. 75.* ſeruari pro infirmis & religioſis (pietate ſcilicet) qui communicare voluerint. Itémque poteſt dari, ſi cætera adſint, quauis hora diei, ex Syluestro *Euchariſtia, num. 37. verſu 5.* Emanuele Sà, *v. Euchariſtia, num.19.* Henriquez *lib.9. c.24. §.6.*

11. Ex Apoſtolica quoque traditione & conſuetudine cauendum, ne ſine viatico quis obire permittatur, etiam non ieiunus, ex *can. Preſbyter. de conſecr. d.2.* Concil. Nicæno I. *can.13. 26. q.6. can. de his.* Concil. Carthag. IV. *c.77. 78.* Rhemenſi *c.2.* Lateran. ſub Innocentio III. *c.2.* Euſebio *lib.7. c.43.* Et diuinitus admonitus eſt Honoratus, vt feſtinus ſurgeret, & Ambroſio iam ex vita receſſuro, Euchariſtiæ viaticum præberet, ne abſque eo diſcederet, quo facto, ſanctus obiit, vt ſcribit Paulinus *in eius vita.* Porrò infirmus, qui periclitans ante ſex dies non ieiunus communicauit, licitè iterum atque iterum in morbo periculoſo viaticum ſumere poteſt, ex Tabiena *v. communio, n.48.* Armilla *n. 18.* Maiore *4. d.9. q.3.* Henriquez *lib.8. c.50.* Emanuele Sà *Euchariſtia, n.5.* Suarez *diſp.66. ſect.5.* cùm ſemper habeat rationem viatici; & in praxi vtuntur multi regulares quamuis oppoſitum cenſuerit Nau. *de celebr. Miſſ. conſilio* 10. & Graffius *p.p. lib.2. c.38. n.32.* & alij. idque vtiliſſimum eſſe ex eo intelligere poſſumus, vt cætera omittamus, quòd ſcribat D. Chryſoſtomus *lib.6. de ſacerdotio*, Dei virum vidiſſe eos qui ex hac vita diſcedunt, ſi puta conſcientia communionis participes fuerint, ab Angelis ſatellitum more ſtipantibus propter aſſumtum ſacramentum, hinc rectà in cœlum abduci. & quidem olim etiam cum Euchariſtia defuncti inueniuntur ſepulti, vt conſtat ex Amphylochio *in vita S. Baſilij*, Conc. III. Carthag. *can.6.* Gregorio *lib.1. dial. c.24.* Gropero *lib.2. c.18.* Eſpencæo *lib.2. de ador. Euch. c.7.* ſed in poſterum id fieri vetuit Concilium prædictum illis verbis: *Placuit vt corporibus defunctorū Euchariſtia non detur. dictum eſt enim à Domino: Accipite & edite. Cadauera autem nec accipere poſſunt, nec edere.* Iam verò quando communio exhibenda eſt infirmis, ſacerdos in propria perſona in habitu clericali tanto ſacramento conuenienti, præcedente lumine deferet ſacramentum: ita enim ſtatutum eſt in Concilio Eboracenſi. Quoties autem communio exhibenda eſt infirmis, ſacerdos in propria perſona hoſtiam in habitu clericali tanto ſacramento conuenienti deferat, lumine præcedente, niſi aëris intemperies vel viarum difficultas, vel alia ratio præpediat. & in Concilio Rhemenſi *c.2.* & habetur *can. peruenit. de conſecr. d.2.* Peruenit ad notitiam noſtram, quòd quidam Presbyteri in tantum paruipendant diuina myſteria, vt laico, vel fœminæ ſacrum corpus Domini tradant, ad deferendum infirmis, & quibus prohibetur ne ſacrarium

crarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis Sancta Sanctorum committuntur; quod quam ſit horribile, & deteſtabile, omnium religioſorum aduertit prudentia. Per puerum etiam miſſam Euchariſtiam Serapioni morienti narrat Euſebius *loco citato lib.7. c.43.* Auſtriacam domum ſereniſſimam ad tantum rerum faſtigium perueniſſe Gerardus de Rom. *in annal. rerum Auſtriac.* VVidmanſtadius *in Præfat.in Syriacum Teſtam.* Georgius Scherer *concion.3. in feſto ſanctiſſimæ Trinitatis,* & alij plures ſcribunt, quòd liberaliſſimus Dominus voluerit quaſi gratias referre Comiti Rodulpho de Abſpurgo familiæ fundatori, quòd dum venaretur, & Parochum cum ſanctiſſima Euchariſtia reperiſſet adeuntem infirmum, imbre denſiſſimo de cœlo cadente, pallium ſibi detraxerit ad ſacram Euchariſtiam ac ſacerdotem operiendum, acceptáque face vſque ad infirmum proſequutus ſit; is enim paulo pòſt Imperator electus eſt, eiúſque ſucceſſores Archiduces Auſtriæ conſtituti.

In ſumenda Euchariſtiæ ſumma non tantùm interna, verumetiam externa 11.
reuerentia exhibenda eſt, cùm Cypriano teſte *in oratione Dominica,* placendum ſit diuinis oculis etiam corporis habitu. Ideo Cyrillus *Catechesi 5. myſtag. Pronus,* inquit, *accedat in modum adorationis, & venerationis.* videri poteſt ad hoc propoſitum Chryſoſtomus *Hom.61. ad pop.* Damaſcenus *lib.4.c.14.* & Caſſianus *coll.22. c.7.* quem ſuprà *c.27.* diſſerentem audiuimus. Addimus Euſebium ſcribere *in epiſt. ad Damaſum* de morte S. Hieronymi, cùm ei ægrotanti ſacerdos Chriſti corpus attuliſſet, vt vir Dei videre potuit, adiuuantibus, qui aderant, ſeſe pronum in terra proſtrauiſſe, & voce cum lacrymis quantum potuit exclamaſſe: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ac pluries pugno pectus percuſſiſſe. Eluxit etiam in Io. Coruino viro fortiſſimo & ſereniſſ. Mathiæ Regis Hungariæ patre in extremis conſtituto anno 1456. humilitas, pietas, & reuerentia erga ſanctiſſimã Euchariſtiam. nulla enim ratione permittere voluit vt domum vſque ſuam ad ſe morti proximum deferretur, ſed ipſemet è lectulo ſurgens maxima vi morbi extremi grauatus ſuis pedibus ſacram adiit ædem multíſque lacrymis miráque pietate ac reuerentia corpus Chriſti Domini veneratus communicauit, domúmque iterum decubiturus rediit, incredibili gaudio repletus, vt ſcribit Petrus Ranſanus Epiſcopus Lucerinus *in epit. rerum Hungaricarum Indice* 28. Euchariſtiam verò miniſtrans ſacerdos dicit: *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.* qui ritus antiquus eſt, cum etiam Gregorij tempore vigeret verbis illis, Ioanne Diacono teſte *in vita Gregorij, Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti proſit tibi in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam.* & in Concilio Rothomagenſi *c.2. Corpus Domini & ſanguis proſit tibi ad remiſſionem peccatorum, & vitam æternam.* Poſt communionem adhibenda eſt cautela, vt os abluamus, ne fortè fragmentum aliquid diuini epuli expui poſſit, vt conſuluit D. Chryſoſtomus apud Palladium, de illius rebus geſtis, etſi ei deinde vitio perperam datum ſit, eáque de cauſa accuſatus.

At verò ſi celebrans particulam diſtinctam ad communicandum aliquem 12.
non appoſuiſſet, poſſet ad hunc effectum ſeruare particulam hoſtiæ, ex S. Thoma *4.d.17.* Paludano *4.d.12. q.1. art.5.* Syluestro *Euchariſtia 2.q.10.* Graffio *lib.2. c.38.n.31.* Emanuele Sà *v. Euchariſtia n.15.* Henriquez *lib.9.c.30.§.7.* Suarez *diſp. 85.fine.* & patet tum *ex can.triforme, de conſecr. d.2.* & vſu in vita D. Baſilij apud Amphylochium, & ex Amalario *lib.3.c.35.* & Micrologo *c.17.*

Quoad frequentiam communionis, dicimus per ſe loquendo ſi dignè fiat, id 13.
eſſe ſaluberrimum, & colligi ex Actis Apoſtolorum *c.2.* quotidie perdurantes

vnani

vnanimiter, in templo, & frangentes circa domos panes. Anacleto qui *epiſt. ad Epiſcopos Italiæ* quotidianam communionem indixit. Ignatio *epiſtola ad Epheſ.* vbi ait, *Feſtinate frequenter ad Eccleſiam & gloriam Dei accedere.* D. Baſilius etiam *epiſtola ad Cæſariam. Communicare,*inquit, *per ſingulos dies,& participare de ſacro corpore & ſanguine Chriſti, pulcrum eſt, & valde vtile, ipſo manifeſtè dicente:* Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. *Quis enim ambigit, quin frequens vitæ participatio nihil aliud ſit quàm pluribus modis viuere? Nos idcirco quater in ſingulis hebdomadis communicamus, &c.* apud Palladium Epiſcopum Capadociæ in Hiſtoria Lauſiaca *cap.*48. Apollo Abbas optat Monachos, ſi fieri poſſit, quotidie communicare. Cyprianus *in orat. Dominica,*ſcribit, non paruum eſſe detrimentum abſtinere à quotidiana communione. Conſulunt quotidie accipere, ſi dignè fiat, Ambroſius *lib.*4. *de ſacram.c.*6. Cyrillus *lib.*3. *in Io. c.*37. B.Nilus *parænesi* 120. Fortunatus *in orat. Dominica,* & Hieronymus *ep.*28. *ad Lucinium*, etſi *ep.*50. timens ne dignè fiat, dicat nec laudare nec vituperare; D.etiam Auguſtinus *ſer.*28. *de verbis Domini.* bis aut ter in hebdomada communicandi ritum probat, vt etiam Chryſoſtomus *Hom.*1. *in epiſt. ad Timoth. Hom.*28. *in ep.*1. *ad Cor. & Hom.*61. *ad pop.*& Epiphanius *in compendio.* Singulis diebus Dominicis accipere laudat idem Auguſtinus *can. quotidie. de conſecr.d.*2. ídque ſufficere laicis piis, niſi adſit aliqua ſpecialis cauſa, docet Bonauentura *lib. de proceſſu relig. proceſſu* 7.*c.*21. & 61. eamdémque conſuetudinem refert Iuſtinus *Apol.*2. Mulier apud Pallad.*c.*2. à dæmone obſeſſa eſt, quòd tribus hebdomadibus non communicaſſet. Agunt de communionis frequentia Gregorius *lib.*1.*Reg.c.*1. *lib.*2.*c.*1. Socrates *lib.*5.*c.*22. VValfridus *c.*20. S. Thom. 3.*p.q.*80. *art.*10. Bonauentura 4. *d.*12. Dionyſ. Carthuſ. *ibidem.* Soto 4.*d.*12. *art.*10. Gabriel *lect.*87. Concilium Tridentinum *ſeſſ.*13.*c.*8. *ſeſſ.*22.*c.*6. Auila *ep.*2. Ludouicus Granatenſis *tr. de comm.* Madridius noſter *lib. de frequenti commun.* ratio verò ſumitur ex præclaris effectibus Euchariſtiæ, de quibus egimus *c.*27. quóſque recenſet B. Laurentius Iuſtinianus *ſer. de Euchariſtia. Frequentatur,*ait,*in Eccleſia vt iuſtis gratiam, peccantibus veniam, debilibus robur, lætitiam mœſtis, diligentibus exultationem, nutantibus ſpem, credentibus pacem, victoriam certantibus, captiuis libertatem, atque defunctis conferat requiem.* & inferiùs: *Vnde oro, ſi panis & vini ſubſtantia eſt, & non corpus Chriſti, ex hac cibi modicitate & potus, tanta in anima & corpore prouenit fortitudo, interioris hominis innouatio, charitatis diuinæ feruor, ſuauitatis ſpiritualis iucunda libatio, intimæ pacis affluentia, æternorum amor, deſiderium proficiendi, virtutum concupiſcentia, & gratiarum actionis ignita exhibitio? ex huius ſumtione deuota, ceſſant odia, contentiones ſequuntur, dirimuntur lites, vitia diſplicent, diligitur pudicicia, terrena vileſcunt, efficitúrque homo alius non per naturam, ſed per gratiam, mutatúſque totus in melius. Compeſcit linguam, amat ſilentium, orationi vacat, fraternitatis cuſtodit vnitatem, cordis ſectatur munditiam, & quicquid Deo placere cognoſcit.*

15. Sed hoc loco quæri poteſt, an ſacerdos teneatur Euchariſtiam denegare exiſtentibus in peccato mortali. Et quidem per ſe loquendo tenetur, tum ob communem opinionem S.Thomæ 3.*p.q.*80.*art.*6. Alenſ.4.*p.q.*48. Alberti 4.*d.*13. *art.*17. Bonauent. 4.*d.*9.*art.*2.*q.*5. Richard. *art.*3.*q.*2. Palud.*q.*4. Durand. *q.*5. Soti 4.*d.*12.*q.*1.*art.*6. Anton.3.*p.tit.*14.*c.*12. Adriani *quodlib.*3.*art.*3. Ledeſ.1.4.*q.*21. Sylu. *Euchariſtia* 3. Viguerij *de Euch.verſu* 19. Nauar. *c.*21.*num.*55.56. Graffij *lib.*2.*c.*38. Henriquez *lib.*8.*c.*56.59. Suarez *diſp.*67.*ſect.*1. tum quia ſacerdos per ſe loquendo debet eſſe prudens & fidelis diſpenſator myſteriorum Dei, non dare ſanctum

canibus, *Matth.6.* nec cooperari alterius peccato; dicimus per ſe loquendo, quia ſi negari non poſſit ſine ſcandalo, aut inconuenienti, concedenda erit. tum ex communi ſententia S.Thom. Palud. Anton. Syluest. Nauar. Henriquez, Suarez & aliorum. tum exemplo Chriſti, qui non negauit Iudæ, cùm adhuc eius proditio eſſet occulta, & inter Apoſtolos verſaretur. Quòd ſi dicas, præceptum non adminiſtrandi Euchariſtiam indignè eſt naturale negatiuum ſuppoſita inſtitutione, ob id obligabit ſemper, & pro ſemper. numquam igitur dari poterit indigno. Reſpondemus cum Suarez & aliis, non eſſe ſimpliciter negatiuum, ſed reduci ad affirmatiuum fideliter & prudenter illam diſpenſandi; ideo ſi negari ſine inconuenienti non poſſit, concedendam. peccaret tamen grauiter, qui ad communionem quempiam in peccato mortali exiſtentem inuitaret, id enim eſſet inducere ad malum. Sed vt clariùs res definiatur, ſtatuendum eſt. Peccatori publico, ſiue publicè, ſiue priuatim, ſeu ſecretò petat communionem, eſt ei deneganda. tum ex communi opinione Theologorum Scholaſticorum *locis antea citatis.* tum ex Patribus, Clem. *lib.8. conſtit.c.32.* Cypriano *lib.1.ep.10.& 17.* Auguſtino *Hom.vltima*, *x 50.* & habetur *can. multi.1.q.1.* Chryſoſtomo, qui *Homil.83. in Matth.* diſputans, vt ipſemet ſubiicit, de peccatoribus nobis & manifeſtis, ait: *Non parua vobis imminet pœna, ſi quem aliqua improbitate teneri ſcientes, huius menſæ participationem permittatis, ſanguis enim Chriſti de manibus veſtris exquiretur.* tum ex Concilio Arelatenſi I. *c.4. & 5. & can. pro dilectione. de conſecr. d.2.* vbi cùm quæſitum eſſet, an Mago & hiſtrioni eſſet concedenda, reſpondetur ex Cypriano *ep. 10. citata: Puto nec Maieſtati diuinæ, nec Euangelicæ diſciplinæ congruere, vt pudor & honor Eccleſiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* Eadémque ratio eſt de meretricibus, vſurariis, & ſimilibus. de quibus Aleuſ. *4.p.q.48.* Henriq. *lib.8.c.56.* iuxta *cap. veſtra. & c. finali. de cohabit. cler.* tum quia huiuſmodi peccatores publici (quod etiam valet ſi peccatum non ſit quidem notorium, ſed ſuſpicio ſit violenta, ex S.Thom. *4.d.9. q.1.art.3. quæſtiuncula 2.* Syluest. *Euchar. 3. q.5.* Henriquez *lib.8. c.56. num.5.* Suarez *diſp.67.ſect.6.* Richard. *4.d.9. art.3. q.7.* Gabr. *q.2.art.3.dub.2.* Anton. *3.p. t.14.c.12.§.2.* quicquid ſenſerit Sotus) neque externa ſpecie ius habent pro illo ſtatu ad petendum, & ex altera ius diuinum *Matth. 6.* exigit, vt non detur illis. Quinetiam quantumlibet ſuorum peccatorum eos pœniteat, & ſanctè confiteantur, non eſt publicè danda communio donec publicè ſcandalo ſatisfaciant, déque emendatione vitæ conſtet. tum ex communi ſententia Paludani *4. d. 9.* Bonauenturæ *ibidem*, Nauar. *c.8.num.11.& c.21. num.56.* Caiet. *v. Confeſſori neceſſaria*, Victoriæ *num.80.* Graffij *lib.2.c.38.* Emanuelis Sà *Euchariſtia, num.17.* Henriquez *lib.8.c.56.num.3.* Suarez *diſp.67.ſect.2.* tum *ex can. ſi peccauerit.2.q.1. & cap.1. de pœnit. & remiſſ.* & fauet Concilium Tridentinum *ſeſſ.24.cap.8.* tum quia id neceſſarium eſt ad tollendum ſcandalum, & ſufficit. poſſet tamen interim, cùm iam coram Deo diſpoſitus ſit, ſecretò dari, ex Syluestro *Euchariſtia 3.§.5.* Henriquez, Suarez, Graffio, & Sà. In mortis autem articulo facienda erunt, quæ pro facultate & opportunitate temporis fieri poterunt. Porrò quandónam ſit dicendus peccator publicus ſeu peccatum notorium, diſputat Syluest. *v. Notorium.* Nauar. *c.21.n.56.c.25.n.73. & ſeq.* Henriquez *lib.8.c.56.n.1.* Adrianus *de Euchar.q. penult.* Suar. *diſp.67. ſect.5.* Peccatori occulto petenti occulte Euchariſtiam ab eo, qui eius peccatum ſecretè nouit, neganda ſimiliter eſt. ex ſententia D. Th. *3.p.q. 80.art.6.* Alenſis *4.p.q.49.m.5.* Bonau. *4.d.9.art.2.q.4.* Maior *ibid.q.4.* Rich. *art.3. q.1.* Suarez *diſp.67.ſect.3.* tum quia, vt publico publicè negatur, ita occulto occultè

cultè neganda, aliàs ſi in hoc expectandus eſt ordo iudiciarius, vt poſſit negari, & in illo expectandus eſſet. tum ex Conc. Vaſenſi *c.*8. & habetur *can. ſi tamen.*6.*q.*2. quod ait, Epiſcopum, qui nouit aliquem peccatorem, ſi ſolus ipſe nouit, debere eum ſecretò monere, corrigere & communione priuare. male igitur putauit Sotus *loco citato*, Graffius, & aliqui alij, id ſolum admittendum in eo, qui non eſt Parochus, ſeu Paſtor, quòd cùm non teneatur miniſtrare, ſi deneget, non ei faciat iniuriam, ſecus cùm petitur à Paſtore, quippe qui teneatur ex iuſtitia miniſtrare. nam prædictus textus loquitur de Paſtore. tum argumento *in cap. ad aures, de temp. ordin.* vbi dicitur religioſos non eſſe ordinandos inuitis eorum ſuperioribus, quia ipſi norunt eorum ſecreta crimina, propter quæ fortaſſe non expedit ordinare. poteſt ergo ſuperior propter delictum occultum, dummodo ſine ſcandalo & infamia faciat, denegare aliquid. Obiicienti autem Soto, Victoriæ, Graffio, & aliis hunc in foro exteriori ratione Baptiſmi habere ius petendi communionem, non poſſe igitur ſine iniuria antequam probetur reus, illo priuari. Reſpondet Suarez cum aliis diſpenſationem & negationem Euchariſtiæ non eſſe regulandam ſecundùm actionem iudicialem, & inflictionem pœnæ, ſed ſecundùm fidelem ac prudentem adminiſtrationem myſteriorum Dei ſacerdoti commiſſam: ob id ſufficere cognitionem, quæ perpenſis circumſtantiis prudẽter exiſtimetur ſufficiens, non autem pendere ex teſtibus & probationibus. Sed an deneganda ſit etiam cùm cognitio hæc ſecreti peccati habetur ex confeſſione, & ſecretè petitur communio, maior eſt difficultas. & quidem etiamſi cum cauta diſſimulatione non ſit reuelatio ſigilli, negant licere vti ſcientia confeſſionis eius, aut complicis, ad negandam communionem petenti occultè, Gabriel 4.*d.*9.*q.*2. *art.*3. *dub.*1. Paludanus *ibid.q.*2. *concl.*3. Antoninus 3.*p. tit.*14.*c.*12.§.2. Adrianus *quodlib.*3. *art.*3. Sylu. *Euchariſtia* 3.*q.*5. Victoria *num.*80. Nau. *c.*21.*n.*55. Soto 4.*d.*12.*q.*1.*art.*6. Henriquez *lib.*8. *c.*59. tum ob *cap. ſi ſacerdos. de off. ord.* tum quòd reddatur confeſſio odioſa. tum quòd, vt non licet extra confeſſionem loqui cum pœnitente de peccato in confeſſione audito, & ei exprobrare, ita nec ei petenti communionem denegare, facto enim reprehendet de peccato in confeſſione audito. Affirmant autem Alenſis 4.*p. q.*49.*m.*1. S. Thom. 4. *d.*9. *q.*1. *art.*5. *q.*1. Dur. *ibid. q.*6. Angelus *Euchariſtia* 3. *n.*20. Tabiena *v. communio.*§.52. Ledeſma 1.4.*q.*21. *art.*6. *dub.*3. Suarez *diſp.*67. *ſect.*3. tum quia ex ſe id non eſt contra ſigillum confeſſionis, ſicut neque ſi indigno per confeſſionem noto Prælatus neget ſuffragium, quo petit ad beneficium eligi; vt fatetur etiam Sotus 4.*d.*18.*q.*4. *art.*5. Sylu. *v. confeſſ.*3.§.9. Ledeſma 2.*p.q.*10. *art.*5. Palud. 4.*d.*21.*q.*3. Nau. *c.*8. *num.*12. *& cap. ſacerdos, num.*146. S. Thom. *in add.q.*11. *art.*1. *& quodlib.*5. *art.*23. Henriquez *lib.*3. *c.*23. & ex altera parte denegare communionem indigno eſt actus conſentaneus poteſtati clauium, vnde non eſt actus alteri iniurioſus, nec vllum ſequitur ſcandalum, quare licitè denegatur. tum quia poſſet eo caſu publicè petere, & obtinere. tum ob *cap. placuit.*6.*q.*2. quamuis poſſit explicari de eo, qui non in ſacramentali confeſſione id faſſus eſt. tum quia *cap. cit. ſi ſacerdos.* dicat non poſſe eum nominatim remouere, quod eſt non poſſe publicè & expreſſo nomine remouere ob peccatum cognitum in confeſſione. tum denique quia ex parte actus ſacerdotis nulla eſt obiurgatio, & illatio illa fit ſolùm ex diſcurſu ipſius petentis, eique imputandum eſt, quippe qui iniquam rem petat. Quare vtraque opinio probabilis eſt. Peccatori occulto Euchariſtiam publicè petenti, non eſt deneganda. tum ex Theologis citatis, S.

Thom. Alenſi, Bonau. *locis citatis.* Soto 4.*d.*12. *q.*1. *art.*6. Ledeſma 14. *q.*21. Vict. *n.*80. Nau. *c.*21. *n.*55. Henriquez *lib.*8. *c.*57. Suarez *loco citato, ſect.*4. Emanuele Sà *vbi ſuprà.* Graffio *lib.*2.*c.*38.*n.*30. Syl. *Euchar.*3.*num.*7. Paludano 4.*d.*9.& communi. tum *ex can. non prohibeat, de conſecr. d.*2. *can. ſi tantum. & can. placuit.*6.*q.*2. *& cap. ſi ſacerdos, de off. ordinarij.* tum exemplo Chriſti, qui Iudæ cum cæteris Apoſtolis ſedenti dedit. tum quia occultus peccator eſt in poſſeſſione bonæ famæ, habétque ius petendi publicè Euchariſtiam. vnde non poteſt ſuo iure publicè priuari, aut repelli, niſi ſufficienter ſit conuictus de peccato in facie Eccleſiæ, ex D. Thom.4.*d.*9.*q.*1. *art.*5. Neque hæc eſt cooperatio ad malum reſpectu ſacerdotis, cùm peccator poſſit conteri & dignè accipere, ſed permiſſio tantùm, quòd non norit illius peccatum ea ſcientia, qua opus eſſet, vt illum repellere iure poſſit, nempe ſcientia publica, ſed tantùm priuata, & ſua negatione non impediret efficaciter peccatum proximi, cùm iam ſit in peccato ob iniquam voluntatem ſuſcipiendi. ideo ceſſat finis correptionis, & vitandi peccatum alienum; ſicut cùm mutuum ſub vſuris petitur à parato.

Reliquiæ verò ſeu particulæ, quæ ſupererunt, adſeruandæ ſunt in ſacra py- 16.
xide, veteri Eccleſiæ ritu, in tabernaculo, ſeu ſacro thalamo & Paſtophorio, vt appellat D. Clemens *lib.*8. *conſtit.* pro communicandis infirmis, ne quiſquam cùm decedendi de vita tempus inſtat, extremo viatico & maximè omnium neceſſariò priuetur, vt Synodus Nicæna *can.*13. ſtatuit. quod conſtat ex Clemente *lib.*8. *conſtit. & ep.*2. vbi agens de Preſbyteris & diaconis, ait: *Qui cum timore & tremore reliquias corporis Domini debent cuſtodire, ne qua putredo in ſacrario inueniatur, ne cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria.* & Concilium Turonenſe II. *can.*3. *Vt corpus*, inquit, *Domini in altari, non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo, componatur.* S. Baſilius etiam, vt ex Amphylochio conſtat, intra auream columbam reponebat. Meminit ſacræ Euchariſtiæ in altari aſſeruatæ etiam Paulinus, dum *epiſt.*12. canit:

Hic locus eſt veneranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma ſacri pompa miniſterij.

Vnde etiam factum eſt vt potuerint Donatiſtæ perpetrare atrox illud facinus, cùm effuſa ſacra pyxide diuinam Euchariſtiam canibus obiecerunt, qui in rabiem verſi impios dominos laniarunt, vt docet Optatus Mileuitanus *lib.*2. Inde eſt etiam ortum quæſitum illud an Euchariſtia quæ adſeruabatur tantumdem valeret ſicut quando eſt conſecrata. Cui reſpondens Cyrillus Alexandrinus *ep. ad Caloſyrium*, ait: *Inſaniunt, qui aiunt myſticam benedictionem non valere ad conſecrationem, vt remaneant reliquiæ eius benedictionis in alterum diem: non enim alteratur Chriſtus, neque ſanctum eius corpus mutabitur, quin potiùs virtus benedictionis, & viuifica gratia eſt in eo.* quare ſacrilegè omnino Græci aliqui, vt ſcribit Leo IX. *in epiſt. ad Michaelem Imper.* contra errores Græcorum. & refert etiam Humbert. Cardin. in diſputatione habita cum Græcis anno 1054. Euchariſtiæ reliquias comburebant, vel in lagena ſub terra defodiebant. ex quibus etiam refelluntur Magdeburgenſes opinantes Chriſti corpus in Euchariſtia non eſſe niſi in vſu, qui damnantur in Concilio Tridentino *ſeſſ.*13.*c.*3. & conuincuntur ex eo quòd nondum Apoſtoli de manu Chriſti acceperant Euchariſtiam, cùm dictum eſt: *Hoc eſt corpus meum.* &, *Hic eſt calix, &c. Accipite, & diuidite inter vos.* Quare meritò S. Nilus poſt inuocationem illam tremendam & aduentum Spiritus ſancti viuifici non iam nudum panem & commune vinum ſancta illa menſæ impoſita

credimus

credimus eſſe; ſed corpus & ſanguinem pretioſum Chriſti, quæ eos purgant, & hæredes vitæ ſempiternæ faciunt, qui cum timore & deſiderio commuuicant. & B. Auguſtinus *in Pſal.* 98. *De carne Mariæ carnem accepit, & ipſam carnem ad manducandum in ſalutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, niſi priùs adorauerit.* Porrò Euchariſtia pyxidis renouanda eſt ſingulis hebdomadibus, vt illis verbis ſtatuit Turonenſe Concilium IV. *c.* 4. *Pyxis ſemper obſerata, & ſeptimo quoque die Euchariſtia conſumatur, & noua conſecretur in eius locum, ne fortè diutius reſeruata amucida fiat, quod abſit.* & Eboracenſe celebratum 1194. *Cùm inter cætera Eccleſiæ ſacramenta hoſtia ſalutaris præemineat, tanto impenſior circa eam debet exiſtere deuotio ſacerdotum, vt cum humilitate conficiatur, cum timore ſumatur, cum reuerentia diſpenſetur, & miniſter altaris ſit certus, quòd panis & vinum & aqua in ſacrificio ponantur, nec ſine miniſtro litterato celebretur. Prouideatur etiam, vt in pyxide munda & honeſta hoſtia reſeruetur, ſingulíſque diebus Dominicis renouetur.* Quòd ſi ad quem ſpectat cuſtodia relinquat incautè Euchariſtiam non obſeratam claui, ſuſpendendus eſt tribus menſibus, *ex can.* 1. *de cuſtodia Euchariſtiæ.* Quinetiam D. Petrus apud Turrianum *lib.* 4. *pro epiſtolis Pomif. c.* 19. negligenter cuſtodientibus pœnam anathematis impoſuit. Fortè quæres an pyxis huiuſmodi debeat ſacrari? Reſpondeo eſſe inter Doctores diſſenſionem. Etenim Sotus 4. *d. quæſt.* 1. *artic.* 3. Paludanus *quæſt.* 1. *art.* 4. Syluester *Euchariſt.* 3. *quæſt.* 4. Tabiena *Euchariſtia, num.* 51. Henriquez *lib.* 9. *c.* 8. Azor *lib.* 10. *c.* 27. *quæſt.* 7. negant quòd nullibi id decretum inueniatur. At verò Ioan. Stephanus Durand. *lib.* 1. *de ritibus, c.* 16. & inclinat Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 7. affirmant tum quòd dicat D. Thom. 3. *p. quæſt.* 83. *art.* 3. propter reuerentiam tanti ſacramenti à nulla re tangi niſi ſacrata. tum quòd in ordine Romano ſit formula illam benedicendi, non enim Chriſmate, vt calix, ſed ſimplici benedictione ſacratur.

De Purificatione. Cap. XXX.

SVMMARIVM.

1. *Sumenda eſt purificatio, niſi eodem die denuo ſit celebrandum, & ſi reliquiæ palato adhæſerint, repetenda, digitique perfundendi vino cum precatione conſueta.*
2. *Si reliquiæ eiuſdem ſacrificij in calice aut extrà fortè remanſerint, licebit eas etiam, quamuis poſt purificationem, ſi nondum ab altari receſſeris, ſacerdoti ſumere.*

1\. Conſumto ſacrificio, ne quæ reliquiæ in calice aut ore remaneant, quod non eſſet ſine maxima irreuerentia tanti myſterij, ſacerdos, niſi ſit iterum eodem die celebraturus, vini capiet purificationem cum debita reuerentia, quòd adhuc ibi adſint ſanguinis diuini ſtillæ, vt notat etiam Nau. *c.* 25. *num.* 89. Sotus 4. *d.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 3. VValdenſis *tom.* 3. *tit.* 4. *c.* 43. S. Thomas 3. *p. quæſt.* 83. *art.* 5. *ad* 10. & habetur *c. ex parte, de celebr. Miſſ.* licebítque repetere ablutionem, ſi qua particula, priore ablutione ſumta, in ore remaneat, quoties opus fuerit, ex Nau. *c.* 25. *num. citato,* & Emanuele Sà *v. Miſſa, num.* 35. éſtque decentius, quàm vt voluit Roſella *Euch.* 3. *num.* 22. & Syluester *Euchariſt.* 3. *quæſt.* 8. ori digitum inferre. vt fiet etiam cùm calici particula adhærebit. eſt enim multo conuenientius, vt

cum iterata ablutione deglutiatur, ex Angelo *v. Miſſa*, §.20. Syluestro *Euchariſt.* 3. *num.* 10. Tabiena *v. Miſſa*, §.27. Nauar. *loco citato*, Gabriele *lect.* 10. Emanuele Sa, *vbi ſuprà*, Henriquez *lib.* 8. *c.* 49. Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 6. quam tactu digiti, quicquid in contrarium voluerit Scotus 4. *d.* 8. *quaſt.* 3. Eadem ratione perfundet digitos, quibus Chriſti corpus tetigit, vino. *cap. ex parte, de celebr. Miſſ.* quòd ſit magis abſterſiuum, quàm aqua, ex S. Thoma & Soto *locis citatis*, precabitúrque vt ſumta ſacramenta in præſenti vita conceſſa, fiant in ſempiternæ remedium, omniúmque ſcelerum macula deleatur: qua de re egimus, cùm de conſumtione ſacrificij diximus. quibus actis abſterget calicem, & complicabit Corporale, proſequuturus iam tertiam Liturgiæ partem.

At verò, ſi poſt ablutionem ſumtam, ſacerdos reperiat conſecratas reliquias eiuſdem ſacrificij, ob fractum ieiunium ſumendas negat Paludanus 4. *d.* 9. *quaſt.* 1. Anton. 3. *p. tit.* 13. *c.* 6. §. 9. & Roſella *Euchariſtia* 3. *num.* 13. probabilius tamen videtur eſſe etiam illa à ſacerdote ſumendas ſi nondum ab altari diſceſſit, ex Caietano *opuſc. de celebr. Miſſa, quaſt.* 1. Syluestro *Euchariſtia* 3. *num.* 10. Soto 4. *d.* 12. *quaſt.* 1. *art.* 8. Victoria *num.* 83. Nauar. *c.* 25. *num.* 89. Emanuele Sà *Miſſa, num.* 36. Azore *lib.* 10. *c.* 30. Henriquez *lib.* 8. *c.* 50. Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 6. & Rubricis Liturgiæ *de defectu intentionis*. ſiue huiuſmodi particulæ magnæ ſint, ſiue paruæ. tum quia ad idem ſacrificium pertinent tamquam reliquiæ eiuſdem conuiuij, quod ieiunus celebrauit. tum quia, ſi ab altari non diſceſſit nondum expleuit officium ſuum, totúmque hoc ordinatur ad ritè explendam ſuam functionem; etiamſi dixerit orationes, vel adſtantes ſacrificio communicauerit. tum denique *ex can. tribus, de conſecr. d.* 2. 2.

De gratiarum actione, vltima Liturgiæ parte. Cap. XXXI.

SVMMARIVM.

1. *De gratiarum actione exemplo Chriſti in dextera altaris parte.*
2. *Cur adhibeatur quinquies ſalutatio ad populum in Miſſæ actione, déque Poſtcommunionis collectis.*
3. *De dimiſſione populi,* Ite, Miſſa eſt, *& reſponſione, neminique diſcedendum ante perfectum officium.*
4. *De oratione,* Placeat.
5. *Benedictionis ſacerdotalis vetus ritus vnde fluxerit, & quæ ſignificatio.*
6. *De legendo S. Ioan. Euangelio in fine Miſſæ.*
7. *Benedicendum Domino, eidémque agendæ gratiæ.*

Tertia Liturgiæ pars, in qua Deo de ſacrificio agendæ ſunt gratiæ, qua de re diſſerens Dionyſius *lib. de Eccl. hier. c.* 3. ait: *Participans autem & tradens thearchicam communionem in gratiarum actionem ſacram deſinit, cum Eccleſiæ ſacra plenitudine.* Idémque ſentit Ambroſius *lib.* 6. *de ſacram. c. vltimo.* Auguſtinus *epiſtola* 59. *ad Paulinum, quaſt.* 5. S. Thom. 3. *p. quaſt.* 84. *art.* 4. Rupert. *lib.* 2. *de off. c.* 18. Hugo *lib.* 2. *de off. c.* 41. imitatúrque *Eccleſia in hoc Chriſtum ipſum, qui peracta diuina cœna hymnum cum diſcipulis cecinit.* Quare D. Hieronymus *in c.* 26. *Matth. Hymno dicto exierunt in* 1.

montem

montem Oliueti, hoc eſt, quod in quodam Pſalmo legimus, manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ,iuxta hoc exemplum, qui pane Saluatoris & calice ſaturatus & inebriatus fuerit,poteſt laudare Deum, & conſcendere montem Oliueti, vbi laborum refectio, doloríſque ſolatium, & veri luminis notitia eſt.Facit ad hoc idem quod legimus *Pſalm.* 21. *Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Incipit ergo à cantu verſiculi, qui Communio dicitur, eo quòd caneretur inter populi communionem. Et myſticè deſignat,teſte Innocentio *lib.6.c.*10. & Beda *in expoſitione Miſſæ*, diſcipulorum gaudium de Chriſto ab inferis rediuiuo. & fit in dextera altaris parte, ad denotandum Iudæorum reliquias ſuſcepturas in fine mundi Chriſti Domini fidem, vt diximus *lib.*3.*c.*6. In Liturgia autem D. Iacobi,& apud Cyrillum *catech. myſt.*5. occinebatur illud *Pſal.* 33. *Guſtate & videte,quoniam ſuauis eſt Dominus.*

2. Adhibetúrque iterum ſalutatio cum conuerſione ad populum, quæ quinquies in Miſſa fit, ad oſtendendum, teſte D. Thoma 3.*p. quæſt.*83. *art.*5. *ad* 6. & Soto 4.*d.*13.*quæſt.*2.*art.*5. Chriſti in Reſurrectionis die quinarium numerum apparitionum. & ſubiiciuntur Collectæ, tum ad deſignandum, ex Ruperto *c.*19. Chriſtum ad Patris dexteram ſedentem,pro nobis interpellare,*ad Rom.* 11. tum ex Hugone,vt diſceſſurus populus oratione muniatur,ne iterum vitæ huius capiatur illecebris:& ad differentiam aliarum Poſtcommunio dicuntur,quod poſt communionem ſortitæ ſint locum.

3. Annunciatur deinde diſceſſus populi, verbis illis, *Ite,Miſſa eſt.* cùm idem ſit, vt aliàs diximus,Miſſa ac dimiſſio,vt conſtat ex Caſſiano *lib.*2.*de inſtit. c.*7.*&* 15. *Lib.1.c.1.* *& lib.*3.*c.*5. D. Benedicto *in Reg.c.*17. Iſidoro *lib.*6. *Etym.c.*19. Alcuino, Floro, Innocentio, & aliis. idémque valet, atque apud Gentiles, *Illicet*, vt alibi notauimus. Eius loco apud Clementem *lib.* 8.*Conſtit.c.*23. dicitur, *Ite in pace.* In Iacobi verò Liturgia, itémque Baſilij,& Chryſoſtomi, *In pace Chriſti eamus.* quibus reſpondet populus,*In nomine Domini.*ſæpe tamen(nempe cùm non dicitur,*Gloria in Excelſis*)non dicitur,*Ite, Miſſa eſt*,ſed eius loco,*Benedicamus Domino.*cuius rei cauſam exiſtimat Micrologus *lib. de Eccl. obſer. c.* 46. 47. fuiſſe quòd diebus tantùm feſtiuis populus conueniret; ideóque in fine ſacrificij publicè denunciaretur dimiſſio; in aliis vt plurimum tantùm clerici & Monachi, quibus non eſt dicendum, *Ite.* ſed potiùs inuitandi ad perſiſtendum in Dei laudibus verùm cùm multæ ſint ſolemnes Miſſæ in quibus etiam dicitur, *Benedicamus Domino.* vt in Dominicis Aduentus, & Quadrageſimæ, videtur id potiùs fieri ad mœſtitiam illius temporis ſignificandam. Reſpondet autem populus, *Deo gratias.* vnde D. Auguſtinus *epiſt.*59. *quæſt.*5. *ad Paulinum*,ait: *Quibus peractis & participato tanto ſacramento, gratiarum actio cuncta concludit.*Sed plura paulo pòſt dicemus hac eadem de re. Quòd ſi populus dimittendus eſt abſoluto ſacrificio,luce clariùs conſtat, non antea diſcedendum. idque expreſſe prohibetur *can.*10.*Apoſtolorum*, cum excommunicationis comminatione. & habetur *can. omnes fideles, de conſecrat.d.*1. & in Concilio Agathenſi *can.* 47. relato *canone Miſſas die Dominico,de conſecrat.d.*1.& in Concilio Aurelianenſi *can.* 28. ſtatuitur, ne populus antea diſcedat, quàm Miſſæ ſolemnitas compleatur; & vbi Epiſcopus non fuerit,à ſacerdote benedictionem accipiat.Idem deinde ſancitum eſt anno 1536. in Concilio Colonienſi *p.*7. *c.*26. & anno 1548. in Concilio Auguſtano *c.*19. & alibi. Inter Patres quoque D. Chryſoſtomus *Hom.* 83. *in Matth. Quicumque*, ait, *vltimam myſterij orationem non ex peccatis quæ illius ſymbolum eſt, gratias enim egit, antequam diſcipulis daret, vt*

etiam

*etiam nos ab actione gratiarum incipiamus: gratias egit poſtquam dedit, & hymnum eeci-
nit, vt & nos quoque ſimiliter faciamus.* & Cæſarius Arelatenſis *Hom.* 12. quæ eſt ad-
monitio, vt populus expectet, donec diuina myſteria compleantur, & quam ali-
qui D. Auguſtino tribuunt. *Verè*, inquit, *ignoras quantum boni in celebrandis Miſſis
agitur, qui de Eccleſia feſtinus egreditur, cum tamen iſtos tales, ſi aut Rex, aut aliqua potens
perſona vocaſſet ad prandium, velim ſcire, ſi præſumeret diſcedere, niſi prius totum comple-
tur prandium, etiamſi perſona non teneret, gula tenerentur. quare de conuiuio hominis niſi
perexpeditum fuerit non diſcedimus, niſi quia & ventrem fortè pluſquam expedit; imple-
re volumus, & hominem lædere formidamus? Quare de ſpirituali & diuino citò diſcedi-
mus. timeo dicere ne fortè aliqui iraſcantur, ſed tamen tam propter meum, quàm veſtrum
periculum dicturus ſum: Hoc ideo facimus, quia nec de cibo animæ curamus, nec Dominum
timemus, nec hominem reueremur.* ſubdítque alia plura. Eiuſdémque factum hac in
re attulimus *lib.* 2. *c.* 20. §. 4. quod imitatus eſt Ioannes Eleemoſynarius, vt re-
fert *in eius vita*, Leontius. cùm enim Alexandrini egreſſi eſſent non abſoluto
ſacro, ille etiam cum illis exiit ſacris indutus veſtibus, illis verò mirantibus
dixit: *Vbi oues, illic Paſtor, ingredimini, & ego etiam accedam, quòd ſi extrà manebitis, ha-
rebo. Ego filij propter vos ad Eccleſiam deſcendo, nam mihi ipſi in Epiſcopio Miſſas face-
re poteram.*

Tum ante medium altaris ſacerdos inclinatus, recitat orationem, quam fru- 4.
ſtrà Lutherus carpit, quaſi in ea pro Chriſto oretur, *Placeat tibi ſancta Trini-
tas, &c.* petens, vt dignetur Deus acceptabile habere oblatum ſacrificium, vt
præmiſerat etiam in ſecunda parte Canonis, & efficere, vt & ſibiipſi, & aliis
pro quibus obtulit, ſalutare ſit, & propitiabile, de qua re dictum eſt *lib.* 1. *&* 2.

Oſculato altari præterquam in Miſſis defunctorum, eo quòd ex intentione 5.
offerentis ſit ſacrificium pro defunctis, non pro viuis, quibus benedictio com-
petit, vnde etiam in eiſdem Miſſis aquæ benedictio omittitur, vt diximus *lib.* 4.
c. 1. populum erecta manu, cum crucis ſigno & inuocatione ſanctiſſimæ Trini-
tatis benedicit; qui vſus antiquiſſimus eſt. vt patet ex Græcis Liturgiis, Clem.
lib. 8. *conſtit.* 15. Concilio Agathenſi *can.* 47. & habetur *can. Miſſas, de conſecrat. d.* 1.
vbi dicitur, *Ante benedictionem ſacerdotis populus egredi non præſumat, quòd ſi fecerit,
ab Epiſcopo confundatur.* Aurelianenſi *citato num.* 3. vbi dicitur, *Non diſcedendum
antequam Miſſæ ſolemnitas compleatur, & vbi Epiſcopus non fuerit, populus benedictio-
nem à ſacerdote accipiat.* dixit autem, *vbi Epiſcopus non fuerit*, quia ſi adſit, eius eſt
benedicere populum, vt aduertit Micrologus *de Eccl. obſer. c.* 21. VValfridus *c.* 22.
Berno *c.* 25. Burchardus *in ordine Miſſæ*, & Concilium Toletanum IV. *c.* 13. eóque
ſenſu accipi debet prohibitio facta Preſbyteris benedicendi populum in Con-
cilio Agathenſi *can.* 44. *& in ep. Damaſi de Corepiſcopis.* Fluxit ritus benedicendi po-
pulum in fine ſacrificij, ex veteri Teſtamento, vt notauit etiam Iſidorus *lib.* 1. *off.*
c. 17. Ianſenius, & alij. Etenim *Leuit.* 9. dicitur, *Et extendens manum ad populum be-
nedixit ei, ſicque completis hoſtiis pro peccato, & holocauſtis, & pacificis deſcendit.* & *Nu-
mer. c.* 6. ſub ſacramento trinæ Dei inuocationis, ſic iubet Deus Moyſem populo
benedicere: *Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: oſtendat Dominus faciem ſuam tibi,
& miſereatur tui: conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Inuocabúntque
nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.* Vt etiam ſub trina Domini in-
uocatione Dauid benedici cupit *Pſalm.* 66. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedi-
cat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Sicut etiam ritum eleuandi in hu-
iuſmodi benedictione manum colligit Ianſenius *in comment. in Eccleſiaſticum*, ex

verbis illis *Eccleſiaſtici c.* 50. *Tunc deſcendens (nempe ex ſacrificio) manus ſuas extulit in omnem congregationem filiorum Iſrael, &c.* & docet id ab eis fieri ſolitum mouendo manus in quatuor mundi partes ob crucis myſterium, ſurſum ſcilicet, deorſum, ſiniſtrorſum, & dextrorſum. Quibus addit Galatinus *lib.* 2. *c.* 9. fieri ſolitum cum inuocatione Dei nominis quatuor litterarum, & tribus digitis vtriuſque palmæ erectis, & duobus depreſſis. ad deſignandam diuinarum perſonarum Trinitatem per ipſum nomen ſignificatam. Hanc benedictionem in Miſſa à ſacerdote datam exiſtimat Turrecremata *can. Miſſas, de conſecrat. d.* 1. ſignificare illam, quam Chriſtus aſcenſurus in cœlum impertiit Apoſtolis *Lucæ c. vltimo. Factum eſt, dum benediceret illis, receſſit.* Innocentius verò *lib.*6.*c.*14. ſentit denotare Spiritus ſancti miſſionem in die Pentecoſtes à Chriſto factam *Actorum c.* 1.

6. Salutatione vtrimque repetita, initium Euangelij D. Ioannis recitatur, ex regulis Liturgiæ editis iuſſu Pij V. quod etiam antea multi ex conſuetudine quotidie audire ſatagebant, *ex cap. quidam. de celebr. Miſſarum.* atque ad hoc præcipuè, ſicut etiam ad, *Gloria in excelſis*, & ad Præfationes, teſte Nauarro *tract. de orat. & horis can. c.* 2. *num.* 1. reſpexit idem Pius V. in Bulla editionis eiuſdem Miſſalis noui, ſeuerè præcipiens, ne Miſſalis ritus mutaretur. idque meritò factum eſt, præceptúmque fieri, quòd ſit veluti totius fidei compendium.

7. Denique, *Deo gratias*, miniſter ac populus reſpondet, tamquam ſigillo totam Liturgiam obſignantes. Sicut etiam Dauid Pſalterium ſuum conclutit *Pſal.* 150. *Laudate Dominum in ſanctis eius*, quo Dei populum inuitat ad laudes Domini habitantis in cœlo, cum muſicis omnibus inſtrumentis, vt erga Dominum ardentiſſimum ſuum demonſtraret affectum. Quinetiam eiuſdem vltimum verſiculum ea abſoluit clauſula, *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* nempe omne quod ſpirat, aut viuit, ſiue ſpirituali vita, vt Angeli, ſiue animali, vt beſtiæ, ſiue vtraque, vt homines, ſiue metaphorica, vt ſunt inanima, quæ dum Deo obediunt, metaphoricè Deum benedicere & viuere dicuntur, vt patet ex trium pueroꝛum cantico *Danielis c.* 3. *Laudet & benedicat Dominum.* quod etiam verum erit, ſi vltimus Pſalmus ab eo decantatus fuit, *Deus iudicium tuum Regi da*, ab eo elaboratus poſt delatum regnum Salomoni, cùm hic etiam Pſalmus finem habeat, *& benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra, fiat, fiat.* Quare non inſulsè ſenſit quidam, vt fruſtrà omnino eſſet horologium, eiúſque rotæ, dentes, axes, pondera, ſi abeſſet campana, quæ nobis certo ſtatutóque tempore mallei ictibus inſtar vocis humanæ, horas concineret, ita etiam inutilem ac fruſtrà totum futurum mundum, niſi rationalis creatura, cuius id munus proprium ac peculiare eſt, Deo gratias ac laudes occinat. plurimúmque dedecet in agendis bonorum omnium largitori gratiis, hominem ab inſenſibilibus plantis vinci, ea enim, teſte Proclo *in lib. de ſacrificio & Magia*, eſt Heliotropiæ ac Selinotropiæ natura, vt ſemper quaſi gratias benefactori agentes, & hymnos continentes, illæ ſolem, hæ lunam aſpiciant. & iuxta cœleſtium eorum motuum periodum circumagantur perpetuò. Quinetiam lotus, vt idem ſubiicit, dilatatione, contractionéque foliorum, quaſi labiorum motu, ducem ſuum celebrare videtur. is enim in ſe implicita folia oriente ſole paulatim explicat, & quatenus ſol ad mediam cœli aſcendit plagam, eatenus pandit folia, quatenus verò à medio petit occaſum, gradatim folia contrahit. Quod etiam tanti fecit naturæ lumine Triſmegiſtus, vt ſacrificio prætulerit. *Fruſtrà enim*, inquit, *Deo ſacrificia incendimus, niſi adoremus ipſum, gratias agentes.* Fertur huius ſacræ ſalutationis inuentrix beatiſſima ac Deipara virgo Maria, *Si quis enim*, inquit ex

Valde ramè.

Io. Bapt. Scortia de ſacrif. Miſſæ. NNn D. Hiero

D. Hieronymo Bonauentura *tom. 2. in medit. de vita Chriſti, c. 3. eam ſalutabat; illa pro ſalutatione ſua, Deo gratias, reſpondebat, primùmque ex ipſa exiit, vt dum ſalutantur homines ſancti, Deo gratias dicant.* meritóque tantum autorem tanta habuit ſalutatio. ait enim D. Auguſtinus *epiſtola 77. ad Aurelium: Quid melius in animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nil dici breuius, nec audiri latius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt.* ſed hac de re diximus *hoc eodem libro, c.6.* Quare & nos de his, quæ à nobis verè rectéque ſunt diſputata, Deo bonorum omnium Autori gratias ex animo agentes, illi, beatæque Virgini, ac Diuis omnibus hoc, qualecumque ſit munus, offerimus. ſi quæ verò fortè minus rectè, aut verè ſcripta ſunt, ſanctæ Matris Eccleſiæ iudicio ſubiicimus, eáque nec dicta, nec ſcripta volumus.

DEO GRATIAS SEMPER.

INDEX

INDEX
LOCORVM SACRÆ
SCRIPTVRÆ, QVI IN HIS LIBRIS
CITANTVR; ETSI ALIQVANDO
primis tantùm verbis indicentur.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Geneſi.

CAP. 1. F*ACTVM eſt veſpere & mane dies vnus. lib. 3. c.7.n.1.* pag. 200
Et creauit Deus hominem ad imaginem ſimilitudinem ſuam.lib.1.c.10.n.2. 62

2. *Lignum etiam vitæ in medio paradiſi. lib.1. c.10.n.5.* 67
Hoc nunc os de oſſibus meis. lib. 1. c. 4. n. 4. 38

3. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas. lib.2.c.8.n.9.* 112

4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui.lib.1.c.3.n.2.* 17
Ad Cain autem & ad munera eius non reſpexit.lib.4.c.1.n.2. 269

8. *Ædificauit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare. odoratúſque eſt Dominus odorem ſuauitatis.lib.1. c.3.n.2.p.17.lib.2.c.14.n.1.* 143

11. *Venite faciamus nobis ciuitatem & turrem, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum antequam diuidamur in vniuerſas terras.lib.3.c.25.n.3.* 263

14. *At verò Melchiſedec rex Salem proferens panem & vinum (erat enim ſacerdos Dei altiſſimi) benedixit ei.lib.1.c.2.n.1. p.7.c.3. n.8. & 9.p. 28. 29.c.4. n.1.p.34.c.5.n.2. p.41.lib.4.c.1.n.12.* 276

17. *Cecidit Abram pronus in faciem. lib. 3.c.3. n.2.* 174

18. *Cúmque eleuaſſet oculos apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum.lib.1.c.4.n.4.* 38
Quia ſemel cœpi loquar ad Dominum meum cùm ſim puluis & cinis. lib.3.c.7.n.1. 199

19. *Qui cum vidiſſet eos, ſurrexit & iuit obuiam eis: adorauítque pronus in terram. lib. 3. c.3. n.2.* 174

22. *Ecce, inquit, ignis & ligna: vbi eſt victima holocauſti? lib.1.c.3.n.2.p.17.c.4.n.1.* 33

24. *Inclinauit ſe homo, & adorauit Dominum. lib.3.c.3.n.2.* 174

26. *Itaque ædificauit ibi altare. lib.2.c.14.n.1.* 143

27. *Pelliculáſque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.lib.1.c.4.n.1.* 33
Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini. lib. 4. c.11.n.4. 317

33. *Et erecto ibi altari inuocauit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſraël.lib.2.c.14.n.1.* 143

47. *Præter terram ſacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebant.lib.2.c.9.n.4.* 120
Ex eo tempore vſque in præſentem diem in vniuerſa terra Ægypti Regibus quinta pars ſoluitur; & factum eſt quaſi in legem abſque terra ſacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. lib.2.c.9.n.3. 119
48. *Qui extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris: ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat, commutans manus. lib.3. c.6.n.1.p.199. lib.4.c.11.n.7.* 320
Angelus, qui me eruit de cunctis malis benedicat pueris iſtis, lib.4.c.3.n.3.p.287. & c.7. n. 5. 297

Ex libro Exodi.

3. *Ne appropies, inquit, huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt. lib. 2.c.6. n.1.p.93. lib.3. c.3. n.7.* 186
Ego ſum qui ſum, ait. ſic dices filiis Iſraël: Qui eſt miſit me ad vos.lib.4.c.22.n.7. 403
5. *Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi in deſerto, lib. 2.c.4.n.1.* 85
12. *Et ſeruabitis eum vſque ad quartamdecimam diem menſis huius, immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam.lib.1.c.2.n.3.* 9
Et edent carnes nocte illa aſſas, & in azymos panes cum lactucis agreſtibus.lib.1.c.2.n.5. 16
Si quid reſiduum fuerit igne comburetis. lib.4. c.11.n.30. 345
Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus. lib.2.c.8.n.2. 108
Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis.lib.3.c.8.n.1. 200
Prima dies erit ſancta atque ſolemnis. lib. 3. c.3.n.7. 186
Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad veſcendum pertinent.lib.1.c.2.n.3. 9
Nullus veſtrûm egrediatur oſtium domus ſuæ vſque mane.lib.1.c.2.n.4. 11
Et fecerunt ſubcineritios panes azymos. neque enim poterat fermentari cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere ſinentibus moram. lib.4.c.1.n.7. 272
Nox iſta eſt obſeruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti. lib.1.c.2.n.4. 11
In vna domo comedetur, nec offeretis de carnibus eius foras. lib.1.c.2.n.5.p.15.lib.2.c.13. n.1. 129
13. *Septem diebus veſcetis azymis, & in die ſeptimo erit ſolemnitas Domini. Azyma comedetis ſeptem diebus, non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. lib.4.c.1.n.7.* 272
17. *Cúmque leuaret Moyſes manus vincebat Iſraël, ſin autem paululum remiſiſſet ſuperabat Amalec. lib.3. c.8. n.1. p.201. & lib.3.c.16. n. 7.* 237
19. *Lauéntque veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium.lib.3.c.5.n.4.* 196
Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum ſanctificent ne percutiat eos.lib.2.c.6.n.2. 95
20. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, neque eorum quæ ſunt in aquis ſub terra.lib.3.c.3.n.5.* 181
Quòd ſi altare lapideum feceris, mihi non ædificabis illud de ſectis lapidibus. lib.2.c.14.n.2. 143
22. *Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino ſoli. lib.1. c.3.n.6.p.20.lib.2.c.1.n.1.* 70
24. *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his. lib.1.c.6.n.2.p.46.lib.4.c.11.n.29.* 345
25. *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi. lib.3. c.3. n.5.* 176
Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo.lib.3.c.11.n.2. 218
26. *Inſeretur autem velum per circulos, intra quod pones arcam teſtimonij, quo & ſanctuarium, & ſanctuarij ſanctuaria diuidentur. lib.1.c.2.n.5.p.15.& c.4.n.2.* 37
27. *Non ſolidum ſed inane & cauum intrinſecus facies illud. lib. 2. c.14. n.2.p.143.lib.3.c.7. n.1.* 200
28. *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſraël, vt ſacerdotio fungatur mihi. lib.1.c.3.n.5.* 20
Faciéſque veſtem Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.lib.2.c.8.n.4. 108

Hæc autem erunt veſtimenta, quæ facient. Rationale, & ſuperhumerale, tunicam & lineam ſtrictam, cidarim & balteum. lib. 2. c.8.n.7. 110

29. *Imponéntque Aaron & filij eius manus ſuper caput illius, & mactabis eum in conſpectu Domini iuxta oſtium tabernaculi. lib.4. c.10.n.1.* 313

Sumes quoque pectuſculum de ariete quo initiatus eſt Aaron, ſanctificabiſque illud eleuatum coram Domino. lib.4.c.1.n.8. p.273. & c.11.n.23. 338

Panes quoque qui ſunt in caniſtro in veſtibulo tabernaculi teſtimonij comedent, vt ſit placabile ſacrificium, & ſanctificentur offerentium manus. lib.1.c.3.n.9. 29

Agnos anniculos per ſingulos dies iugiter, vnum agnum manè, & alterum veſpere.lib.2. c.15.n.1 151

30. *Et miſſa aqua lauabunt in ea Aaron & filij eius manus ſuas & pedes quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij, & quando ingreſſuri ſunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne fortè moriantur. lib.2. c.6.n.2.p.95.c.7.n.4.p.102.c.8.n.2.p.107.lib.4. c.2.n.1.* 282

31. *Veſtes ſanctas in miniſterio Aaron ſacerdoti & filiis eius vt fungantur officio ſuo in ſacris. lib.2.c.8. n.4.* 108

32. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. lib.4.c.11.n.10.* 322

Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum. lib.3.c.12.n.1.p.219. lib.4.c.9.n.7. 309

34. *Impletíſque ſermonibus poſuit velamen ſuper faciem ſuam. lib.1.c.4.n.2.* 37

Ex libro Leuitici.

1. *Ponétque manus ſuper caput hoſtiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiet.lib.4.c.10.n.1.* 313

Et cuncta quæ adhærent iecori, inteſtinis & pedibus lotis aqua.lib.1.c.20.n.12. 166

2. *Anima cùm obtulerit oblationem ſacrificij Domino ſimila erit eius oblatio, fundétque ſuper eam oleum.lib.1.c.3.n.9.* 29

Cùm autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano: de ſimila, panes ſcilicet abſque fermento. lib.1.c.3.n.1. 17

6. *Sacerdos qui offert comedet eam in loco ſancto in atrio tabernaculi. lib.1.c.5. n.2.* 42

7. *Et omne ſacrificium ſimilæ quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula. lib.1. c.3. n.9.* 29

8. *Qui poſtquam leuauerunt ea coram Domino, rurſum ſuſcepta de manibus eorum adoleuit ſuper altare holócauſti.lib.4.c.1.n.8.* 272

9. *Facite, & apparebit vobis gloria eius. lib.1. c.3.num.10.* 30

Pectora eorum & armos dextros ſeparauit Aaron eleuans coram Domino. lib.4.c.1. numero 8. 272

Et extendens manum ad populum benedixit ei. ſicque completis hoſtiis pro peccato & holocauſtis & pacificis deſcendit. lib.4.c.31 numero 5. 464

10. *Et vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum.lib.2.c.7.n.1.* 100

Tollite ſacrificium quod remanſit de oblatione Domini, & comedite illud abſque fermento iuxta altare.lib.1.c.3.n.1. 17

Pectuſculum quoque quod oblatum eſt, & armum, qui ſeparatus eſt, edetis in loco mundiſſimo, tu & filij tui, & filiæ tecum. lib.3.c.5 n.4. 196

Armum & pectus & adipes, qui cremantur in altari, eleuauerunt coram Domino.lib.4.c.11. n.8. 272

14. *Tinget in ſanguine paſſeris immolati, quo aſperget illum, qui mundatus eſt ſepties. lib.4. c.21.n.31.* 346

15. *Dabitque eos ſacerdoti, qui faciet vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum. lib.1.c.3. n.10.* 30

16. *Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando pontifex ſanctuarium ingreditur, vt roget pro ſe & pro domo ſua, & pro vniuerſo cœtu Iſraël.lib.4.c.8.n.1.* 301

19. *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum Dominus Deus veſter. lib.3.c.23.n.1.p.356. lib.4. c.7.n.3.* 295

20. *Eritis mihi Sancti, quia Sanctus ſum ego Dominus, & ſeparaui vos à cæteris populis, vt eſſetis mei. lib.4.c.7.n.3.* 295

21. *Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius. lib.4.c.1.n.9.* 273

22. *Immaculatum offeret, vt acceptabile ſit; omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas aut ſcabiem, aut imperiginem, non offeretis ea Domino. lib.4.c.1.n.9.* 273

23. *Menſe primo quartadecima die menſis ad veſperum Phaſe Domini eſt, & quintadecima die menſis huius ſolemnitas azymorum Domini eſt. lib.1.c.2.n.3.* 9

Cùmque eleuauerit eos ſacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in vſum eius.lib.4.c.11.n.23. 338

A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra.lib.1.c.2.n.3. 9

24. *Super candelabrum mundiſſimum ponentur* (lucernæ) *ſemper in conſpectu Domini. lib.3.c.5.n.4.lib.4.c.1.n.4.* 196

Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim panes.lib.4.c.1.n.4. 270

26. *Non facietis vobis idolum & ſculptile. lib.3.c.3.n.5.* 181

Ex libro Numeri.

5. *Et eleuabit illud coram Domino, imponétque illud ſuper altare.lib.4.c.11.n.23.* 338

6. *Polluetur caput conſecrationis eius, quod radet illico in eadem die purgationis ſuæ. lib.2.c.8.n.1.* 106

Faciétque ſacerdos vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum. lib.1.c.3.n.10. 30

Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Conuertat Dominus cultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Inuocabúntque nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis. lib.4.c.31.n.5. 464

7. *Vtrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium.lib.1.c.3.n.9.* 29

8. *Et offeret Aaron Leuitas munus in conſpectu Domini.lib.1.c.3.n.4.* 19

9. *Homo qui fuerit immundus ſuper anima, ſiue in via procul à gente veſtra, faciat Phaſe Domino. in menſe ſecundo quartadecima die menſis ad veſperam, cum azymis & lactucis agreſtibus comedent illud.lib.1.c.2.n.3.* 9

15. *Cùmque eduxiſſent eum foras, obruerunt eum lapidibus.lib.1.c.2.n.4.* 13

16. *Confeſtim igitur vt ceſſauit loqui dirupta eſt terra ſub pedibus eorum: & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis & vniuerſa ſubſtantia eorum.lib.1.c.3.n.5.* 20

21. *Fac ſerpentem aneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, viuet. lib.4.c.11.n.7.* 320

25. *Quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua. lib.1.c.3.n.8.* 28

28. *Hæc ſunt ſacrificia, quæ offerre debetis. lib.2.c.4.n.1.* 85

Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtum ſempiternum, vnum offeretis manè, & alterum ad veſperum. lib.2.c.15.n.1. 151

Menſe autem primo quartadecima die menſis Phaſe Domini erit, & quintadecima die ſolemnitas. ſeptem diebus veſcetis azymis. lib.1.c.2.n.3. 9

33. *Profecti igitur de Rameſſe menſe primo quintadecima menſis primi fecerunt altera die Phaſe filij Iſraël in manu excelſa.lib.1.c.2.n.4.* 13.

Ex libro Deuteronomij.

5. *Non facies tibi ſculptile, nec ſimilitudinem omnium, quæ in cœlo ſunt deſuper, & quæ in terra deorſum, & quæ verſantur in aquis ſub terra. non adorabis ea, & non coles. lib.3.c.3.n.5.* 181

12. *Caue ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris, ſed in eo, quem elegerit Dominus.lib.2.c.13.n.1.* 129

15. *Non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi, & dabis mutuum quo eum indigere perſpexeris. lib.1.c.1.n.2.* 3

16. *Immolabis Phaſe veſpere ad Solis occaſum quãdo egreſſus es de Ægypto.lib.1.c.2.n.4.* 13

Sex diebus comedes azyma, & in die ſeptima quia collecta eſt Domini Dei tui, non facies opus. lib.3.c.19.n.1. 142

Oblationem ſpontaneam manus tuæ quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui. lib.1.c.1.n.2. 3

Iuſtè

Iuſtè quod iuſtum eſt perſequeris, vt viuas & poſſideas terram, &c. lib.3.c.23.n.1. 256

23. *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus ſit inſomnio, egredietur extra caſtra, & non reuertetur priuſquam ad veſperam lauetur aqua. lib.2.c.7.n.4.* 105

32. *Numquid non ipſe eſt pater tuus qui poſſedit te, & fecit & creauit te. lib.4.c.22.n.7.* 403

Quando diuidebat Altiſſimus gentes, quando reparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſraël. lib.4.c.7.n.2. 295

De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum. lib.1.c.3.n.8. 28

Ex libro Ioſue.

3. *Sacerdotes qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum, ingreſsiſque eis Iordanem & pedibus eorum in parte aquæ tinctis ſteterunt aquæ. lib.3.c.17.n.2.* 239

Ex libro Iudicum.

6. *Apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum virorum fortiſſime. lib.3.c.17.n.1.* 238

Ex libro Ruth.

2. *Dixitque meſſoribus: Dominus vobiſcum. Qui reſponderunt ei: Benedicat tibi Dominus. lib.3.c.17.n.1.* 238

Ex lib. I. Regum.

1. *Porrò Anna loquebatur in corde ſuo, tantùmque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. lib.4.c.8.n.1.* 301

9. *Neque enim comeſturus eſt populus donec ille veniat: quia ipſe benedicet hoſtiæ, & deinceps comedent qui vocati ſunt. lib.1.c.3.n.8.* 28

15. *Saul offerebat holocauſtum Domino de initiis prædarum. lib.1.c.3.n.5.* 20

Melior eſt enim obedientia, quàm victimæ. lib.1.c.3.n.3. 18

16. *Sanctificauit ergo Iſaac & filios eius, & vocauit eos ad ſacrificium. lib.1.c.3.n.1.& 8. p.17.28. & lib.4.c.27.n.3.* 426

20. *Et ego ex more ſedere ſoleo iuxta Regem ad veſcendum; dimitte ergo me vt abſcondar in agro vſque ad veſperam diei tertiæ. lib.4.c.11.n.10.* 322

21. *Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantùm panem ſanctum, ſi mundi ſunt pueri maximè à mulieribus. lib.2.c.7.n.4.* 104

24. *Et inclinans ſe Dauid pronus in terram adorauit. lib.3.c.3.n.2.* 174

Ex lib. II. Regum.

18. *Eſtne pax puero Abſalon. lib.3.c.16.n.4.* 236

Ex lib. III. Regum.

1. *Inclinauit ſe Bethſabee, & adorauit Regem. lib.3.c.3.n.2.* 174

6. *Et fuit in eis Cherubim, & palmas & picturas varias quaſi prominentes de pariete. lib.3.c.3.n.5.* 177

8. *Surrexit de conſpectu altaris Domini, vtrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum. lib.3.c.3.n.2.p.175. c.16.n.7.p.237.c.19.n.8.* 246

Sit Dominus Deus noſter nobiſcum ſicut fuit cum patribus noſtris, non derelinquens nos, neque proiiciens, ſed inclinet corda noſtra ad ſe, vt ambulemus in vniuerſis viis eius, & cuſtodiamus mandata eius, & ceremonias eius, & iudicia quæcumque mandauit patribus noſtris. lib.3.c.17.n.1. 238

9. *Exaudiui orationem tuam & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me, ſanctificaui domum hanc quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus. lib.2.c.13.n.2.* 130

10. *Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis. lib.1.c.3.n.3.* 18

12. *Si aſcenderit populus iſte vt faciat ſacrificia in domo Domini in Ieruſalem. lib.1.c.3.n.1.* 17

18. *Et ego faciam bouem alterum, & imponam ſuper ligna, ignem autem non ſupponam. lib.1.*

lib.1.c.3.n.10. 30

19. *Qui ſurrexit comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb. lib.1.c.10.n.4.p.66.lib.4.c.27.n.3.* 426

Et derelinquam mihi in Iſraël ſeptem millia virorum quorum genua non ſunt incuruata ante Baal, & omne os quod non adorauit eum oſculans manum. lib.4. c.11. n.23. 339

Ex lib. IV. Regum.

4. *Et aſcendit & incubuit ſuper puerum, & oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos. lib.1. c.10. n.4.* 66

5. *Nónne cor meum in præſenti erat quando reuerſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui. lib.4.c.3.n.2.* 284

13. *Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſei, ſurrexit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. lib.3.c.12.n.3.* 222

23. *Dimittite eum, nemo commoueat oſſa eius. & intacta manſerunt oſſa illius cum oſſibus Prophetæ, qui venerat de Samaria. lib.3.c.12. n.3.* 224

Ex lib. I. Paralipomenon.

16. *Et dicat omnis populus, Amen, & hymnum Deo. lib.3. c.20. n.1.* 250

29. *Opus enim grande eſt, neque enim homini præparatur habitatio, ſed Domino Deo. lib.2. c.6.n.1.* 94

Et inclinauerunt ſe, & adorauerunt Deum, & deinde regem. lib.3.c.3. n.2. 174

Ex lib. II. Paralipomenon.

4. *Porrò in mari ſacerdotes lauabantur. lib.2. c.7.n.4.* 102

5. *Igitur cunctis pariter, & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diuerſi generis muſicorum concinentibus, & vocem in ſublime tollentibus, longè ſonitus audiebatur. Ita vt cùm Dominum laudare cœpiſſent, & dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius, impleretur domus Dei nube, ne poſſent ſacerdotes ſtare & miniſtrare propter caliginem. lib.4.c.1.n.2.* 269

7. *Mactauit igitur Rex Salomon hoſtias boum vigintiduo millia, arietum centum viginti millia. lib.1.c.4.n.1.* 34

Fecitque die octauo collectam, eo quòd dedicaſſet altare ſeptem diebus, & ſolemnitatem celebraſſet diebus ſeptem. lib.3.c.19. n.1. 242

15. *Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo. lib.3. c.17.n.1.* 238

26. *Statimque orta eſt lepra in fronte eius coram ſacerdotibus in domo Domini. lib.1.c.3.n.5.* 20

30. *Inito ergo conſilio regis & principum & vniuerſi cœtus Ieruſalem decreuerunt vt facerent Phaſe menſe ſecundo. lib.1.c.2.n.3.* 9

Ex lib. I. Eſdræ.

6. *Et offerant oblationes Deo cæli, oréntque pro vita regis & filiorum eius. lib.2. c.2.n.6.* 78

7. *Vobis quoque notum fecimus de vniuerſis Sacerdotibus, & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus Nathineis, & miniſtris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos. lib.2.c.9.n.3.* 119

9. *Curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum meum. lib.3.c.16.n.7.* 237

Ex lib. III. Eſdræ.

1. *Et egerunt filij Iſraël, qui inuenti ſunt in tempore illo, Phaſe, & diem feſtum azymorum per dies ſeptem. lib.1.c.2.n.4.* 13

Qui vſque ad iracundiam concitatus eſt ſuper gentem ſuam propter irreligioſitatem ſuam, & præcepit aſcendere reges Chaldæorum. Hi occiderunt iuuenes in gladio in circuitu ſancti templi eorum, & non pepercerunt iuueni, & ſeni, & virgini, & adoleſcenti, ſed omnes traditi ſunt in manibus ipſorum. lib.2.c.13. n.15. 140

Ex lib. IV. Eſdræ.

16. *Væ qui conſtringuntur à peccatis ſuis, & obteguntur ab iniquitatibus ſuis. lib.2. c.2.n.3.* 76

Ex libro Tobiæ.

12. *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. lib.4.c.19.n.5.* 394

Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te. lib.4.c.22.n.33. 416

13. *Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius ſternentur, & per vicos eius halleluia cantabitur. lib.3.c.22.n.3.* 254

Ex libro Iudith.

9. *Iudith ingreſſa eſt oratorium ſuum, & inducens ſe cilicio poſuit cinerem ſuper caput ſuum, & proſternens ſe Domino clamabat ad Dominum. lib.3.c.6. n.2.* 199

10. *Cùm ceſſaſſet clamare ad Dominum ſurrexit de loco, in quo iacuerat proſtrata ad Dominum. lib.3.c.7.n.1.* 199

13. *Viuit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem. lib.4.c.7.n.5.* 297

16. *Porrò Iudith vniuerſa vaſa bellica Holofernis quæ dedit illi populus, & conopæum quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius obtulit in anathema obliuionis. lib.1. c.10. n.3.* 63

Ex libro Iob.

1. *Cúmque in orbem tranſiiſſent dies conuiuij mittebat ad eos Iob & ſanctificabat illos, conſurgénſque diluculo offerebat holocauſta per ſingulos, dicebat enim ne fortè peccauerint filij mei. lib.1.c.8. n.3. p.51. lib.4. c.27. n.3.* 426

10. *Terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. lib.4.c.10.n.2.* 314

31. *Et oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima contra Deum altiſſimum. lib.4.c.11.n.23.* 339

33. *Si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus vt annunciet hominis æquitatem. lib.4.c.3.n.3.* 287

36. *Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram. lib.4.c.14.n.5.* 358

38. *Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina & iubilarent omnes filij Dei. lib.3. c.16. n.1* 235

40. *Accinges ſicut vir lumbos tuos. lib.2. c.8 n.10.* 112

42. *Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis, Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam vt non vobis imputetur ſtultitia. lib.1.c.8.n.3.p.51.lib.4.c.3. n.3.* 287

Ex libro Pſalmorum.

Pſal.2. Qui habitat in cælis irridebit eos. lib.4. c.22. n.7. 403

Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. lib.4.c.10.n.2. 313

9. *Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua; ne obliuiſcaris pauperum. lib. 4. c. 9. n.6.* 309

12. *Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem. lib 4.c.9. n.7.* 309

17. *Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. lib.2. c.14. n.8.* 150.

18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum. lib. 2.c.6. n.2.p.94. lib.4.c.22.n.7.* 403

21. *Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum. lib.4. c.11. n.22.p.335.c.19.n.3.p.391.c.31.n.1.* 462

22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. lib.4.c.27. n. 3. p. 426. Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me. lib. 1.c.10.n.3.5.p. 67.lib.4.c.11. n.4.* 318

Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus eſt. lib.1. c.10. 64.n.4.p.65.lib.4.c.1. n.12. 276

25. *Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine. lib.4. c.2. n.2.* 283

26. *Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis, cantabo & Pſalmum dicam Domino. lib.1.c.1.n.3.* 4

Dixi: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam

meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. lib.3.c.10.n.2. 214

32. *Diligit miſericordiam & iudicium, miſericordia Domini plena eſt terra. lib.4.c.15.n.4.* 422

33. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.lib.4.c.6.n.3.* 293

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. lib.4.c.7.n.5. 297

35. *Domine in cœlo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes. lib.4.c.7.n.6.* 298

42. *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam, de gente non ſancta ab homine iniquo & doloſo erue me. lib.3.c.9.n.1.& 2.* 211

43. *Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum. lib.3.c.16.n.7.* 237

44. *Lingua mea calamus ſcriba velociter ſcribentis. lib.3.c.24.n.2.* 259

Intende, proſperè procede & regna. lib.4. c.7 n.9. 300

45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. lib.4.c.10.n.2.* 314

49. *Non accipiam de domo tuo vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam mea ſunt omnes feræ ſyluarum. lib.2.c.1.n.2.* 72

Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum. lib.3. c.23. n.3. 257

50. *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. lib.4.c.2.n.2.* 283

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique:holocauſtis non delectaberis. lib.2. c.4. n.3. 86

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. lib.1.c.3.n.2. & 3. p.18. & lib.2.c.5.n.1. 88

54. *In domo Dei ambulauimus cum conſenſu. lib.3. c.17. n.2.* 239

56. *Miſit Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum. lib.3. c.9.n.2.* 213

64. *Replebimur in bonis domus tuæ. lib.2. c.13. n.2.* 130

65. *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. lib.4.c.20.n.3.* 396

66. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. lib.4.c.31.n.5.* 464

67. *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. lib.2. c.13. n.2.* 130

70. *Repleatur os meum laude vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. lib.4.c.6.n.3.* 293

71. *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. lib.2.c.1. n.4.* 73

Et erit firmamentum in terra in ſummis montium. lib.4. c.1. n.4.p.270. & c.11.n.23. 338

75. *Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.lib.1.c.2.n.5.p.16.lib.4.c.26.n.2.* 423

77. *Panem Angelorum manducauit homo. lib. 4.c.19.n.3.* 392

80. *Et cibauit eos ex adipe frumenti. lib. 4. c. 1. n.4.* 270

83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.lib.4.c.22.n.9.* 407

Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.lib.4.c.10.n.2. 314

86. *Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei. lib.4. c.10.n.2.* 314

90. *Quoniã Angelis ſuis mandauit de te,vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.lib.4.c.7.n.5.*297

94. *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos. lib.3. c.3. n.2.* 175

102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. lib.1. c.10.n.5.* 67

Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis. lib.4.c.21.n.2. 398

Quoniam ſecundùm altitudinem cœli à terra corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat ortus ab occidente longè fecit à nobis iniquitates noſtras. Quomodo miſeretur pater filiorum miſertus eſt Dominus timentibus ſe.lib.4.c.9.n.2. 304

*Miſericordia Domini ab æterno, & vſque in æternum ſuper timentes eũ. lib.4.c.25.n.4.*422

In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino. lib.4.c. 6.n.3. 293

103. *Omnia à te expectant vt des illis eſcam*

in tempore.lib.4.c.22.n.11. 410
104. Et non erat in tribubus eorum infirmus. lib.1.c.10.n.5. 67
106. Et ſacrificent ſacrificium laudis. lib.1.c.3. n.3. 18
108. Et epiſcopatum eius accipiat alter. lib.4. c.11.n.9. 321
109. Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. lib.1.c.2.n.1.p.7.c.n.8.10. p.27.29.c.4.n.1.p.34.lib.2.c.3.n.1.p.83.c.19. n.2. 158
110. Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.lib.1.c.10.n.3. 65
112. A Solis ortu vſque ad occaſum laudabile nomen Domini.lib.4.c.22.n.8. 406
Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat.lib.4.c.22.n.7. 403
115. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo.lib.1. c.3.n.3. 18
118. In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. &c, In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.lib.3.c.23.n.3. 257
Adhæſit pauimento anima mea. lib.3.c.18.n.3. 241
Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.lib.2.c.8.n.8. 241
Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.lib.2.c.2.n.10. 81
Clamaui in toto corde meo. exaudi me Domine, iuſtificationes tuas requiram. lib.4. c.21. n.3. 398
Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.lib.4.c.10.n.2. 313
122. Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælis. lib.3.c.23.n.2.p.257.lib.4.c.22.n.7. 403
Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum.lib.2.c.20.n.12. 168
125. Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua.lib.2.c.8.n.11. 113
127. Labores manuum tuarum quia mãducabis, beatus es, & bene tibi erit. lib.4.c.11.n.5. 319
129. De profundis clamaui ad te Domine.lib.4. c.21.n.3. 398
134. Fulgura in pluuiam fecit. lib.3.c.18.n.3. 241
135. Qui dat eſcam omni carni, quoniam in æternum miſericordia eius.lib.4.c.22.n.11. 410
138. Si aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades. lib.3.c.17.n.1.p.238.lib. 4.c.22.n.7. 403
140. Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.lib.1.c.3.n.3.p.18.lib.3.c.16.n.7. 237
144. Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. lib.4.c.7.n.6.p.298.& c.25.n.4. 422
Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno.lib.4.c.22. n.11. 410
Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.lib.4.c.11.n.5. 319
Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſeculum & in ſeculum ſeculi.lib.4.c.22.n.8. 406
148. Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis.lib.4.c.7.n.8. 300

Ex libro Prouerbiorum.

9. Immolauit (ſapientia) victimas ſuas, miſcuit vinum, & poſuit menſam. lib.4. c.1. n.13. 277
Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.lib.4.c.1.n.13. 278
15. Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota iuſtorum placabilia.lib.2.c.4.n.3. 86
18. Iuſtus prior accuſator eſt ſui. lib.3. c.10.n.1. 214
20. Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato.lib.4.c.22.n.12. 413
22. Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.lib.3.c.25.n.3. 264

Ex libro Eccleſiaſtis.

4. Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Domini.lib.2.c.6.n.1.p.93.& c.13.n.12. 136
7. Non eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet.lib.4.c.22.n.12. 413

Ex lib. Cantici Canticorum.

1. Oſculetur me oſculo oris ſui.lib.3.c.12.n.5. 229
Oleum effuſum nomen tuum. lib.3.c.19. n.10. 248
2. Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.lib.4.c.9.n.6. 306
4. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.lib.4.c.27.n.3. 426

5. *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.lib.4.c.11.n.5.* 318

7. *Quàm pulcri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis.lib.2.c.8.n.2.* 107

Ex libro Sapientiæ.

1. *Quoniam ſpiritus Dei repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis. lib.3.c.17.n.1.* 238

10. *Et decantauerunt* (Iuſti) *Domine nomen ſanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter.lib.4.c.22.n.8.* 406

Ex libro Eccleſiaſtici.

7. *Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.lib.2.c.9.n.1.* 114

10. *Secundùm iudicem populi, ſic & miniſtri eius; & qualis eſt rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. lib.3.c.17.n.2.p.239.& lib.4.c.11.n.10.* 322

19. *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciat de illo.lib.3.c.11.n.1.p.217.& c.22.n.3.* 254

28. *Homo homini ſeruat iram, & à Deo quærit medelam. lib.4.c.22.n.12.* 413

29. *Initium vitæ hominis aqua & panis, & veſtimentum & domus protegens turpitudinem. lib.4.c.22.n.11.* 410

35. *Sacrificium iuſti acceptum eſt, memoriam eius non obliuiſcetur Dominus. lib.1.c.10.n.1.p. 62.lib.2.c.4.n.3.* 86

43. *Glorificantes Deum quantumcumque potueritis ſuperualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius. lib.4.c.6.n.3.* 293

49. *Et oſſa ipſius* (Ioſeph) *viſitata ſunt, & poſt mortem prophetauerunt. lib.3.c.12.n.3.* 224

50. *Tunc exclamauerunt filij Aaron, in tubis productilibus ſonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo. lib.4.c.1.n.2.* 269

Tunc deſcendens manus ſuas extulit in omnem congregationem filiorum Iſraël. lib.4.c.31.n.5. 464

Ex lib. Iſaiæ Prophetæ.

1. *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum; dicit Dominus? plenus ſum, holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. lib.2.c.1.n.2.* 72

2. *Et docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. lib.4.c.11.n.29.* 344

Domus Iacob venite & ambulemus in lumine Domini.lib.3.c.19.n.10. 248

6. *Et clamabat alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius. lib.3.c.9.n.3.p.211.c.17.n.1.p.238.lib.4.c.7.n.2.* 295

Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum. lib.3.c.23.n.1. 256

7. *Si non credideritis, non permanebitis. lib.1.c.2.n.5.* 15

11. *Erit iuſtitia cingulum lumborum eius. lib.2.c.8.n.10.* 112

Et erit ſepulcrum eius glorioſum. lib.3.c.12.n.3. 221

Et erit in die illa adiiciet Dominus ſecundò manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui.lib.3.c.6.n.1. 199

12. *Ecce Deus ſaluator meus, fiducialiter agam & non timebo, quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris.lib.3.c.19.n.10.* 247

Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.lib.1.c.10.n.3. 65

14. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis. lib.3.c.24.n.6.* 260

16. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion. lib.3.c.14.n.4.* 232

19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius.lib.2.c.14.n.1.* 141

25. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hôc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.lib.1.c.10.n.4.* 66

28. *Manda*

28. *Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.lib.3.c.14.n.4.* 232

Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum in fundamento fundatum, qui crediderit non feſtinet.lib.3.c.19.n.4. 243

30. *Propterea expectat Dominus vt miſereatur veſtri:& ideo exaltabitur parcens vobis. lib. 4. c.7.n.6.* 298

33. *Regem in decore ſuo videbunt oculi eius.lib. 3.c.14.n.5.* 232

40. *Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem, exalta noli timere.lib.3.c.23.n.8.* 258

43. *Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me: non te ſeruire feci in oblatione, nec laborem tibi prabui in thure.lib.2.c.1.n.2.* 72

45. *Iſraël ſaluatus eſt in Domino ſalute aterna. lib.3.c.19.n.10.* 247

48. *Laude mea infranabo te, ne intereas. lib. 4. c.6.n.3.* 293

Non eſt pax impiis dicit Dominus.lib.4.c.10. n.2. 313

49. [illegible]udate cœli, & exulta terra, iubilate monte[illegible]dem, quia conſolatus eſt Dominus populu[illegible]m, & pauperum ſuorum miſerebitur. lib.3.c.16.n.4.* 235

51. *Gaudium & letitia inuenietur in ea gratiarum actio,& vox laudis.lib.3.c.21.n.8.* 253

Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite, quia lex ex me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requieſcet. Propè eſt iuſtus meus, egreſſus eſt Saluator meus, & brachia mea populos iudicabunt: me inſulæ expectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt. lib.4.c.11.n.29. 344

52. *Mundamini qui fertis vaſa Domini. lib. 3. c.23.n.1.* 253

53. *Deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus,vnde nec reputauimus eum.lib.1.c.10.n.3.* 64

Attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.lib.4.c.11.n.4.p.318.& c.26.n.2. 423

Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aper[illegible]t os ſuum.lib.1.c.1.n.2. 3

Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.lib.4.c.25.n.2. 421

Si poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.lib.1.c.3.n.12. 32

Et iniquitates eorum ipſe portabit. lib.4. c.25. n. 3. 421

Et ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit.lib.4.c.11.n.31. 346

55. *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. lib.1.c.10.n.4.* 66

Inclinate aurem veſtram, & venite ad me audite & viuet anima veſtra, & feriam vobiſcum pactum ſempiternum, & miſericordias Dauid fideles. ecce teſtem populis dedi eum ducem & præceptorem gentibus. lib. 4. c. 11. n.29. 344

56. *Et filios aduenæ,qui adhærent Domino vt colant eum, & diligant nomen eius, vt ſint ei in ſeruos: omnem cuſtodientem ſabbatum ne polluat illud, & tenentem fœdus meum.lib.1.c.3. n.7.* 21

Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocauſta eorum & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus Deus,qui congregat diſperſos Iſraël,adhuc congregabo ad eum congregatos eius. omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum vniuerſæ beſtiæ ſaltus.lib.1.c.3.n.7. 21

58. *Cibabo te hæreditate Iacob patris tui,os enim Domini locutum eſt.lib.4.c.11.n.4.* 318

60. *Surge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. quia ecce tenebræ operient terram,& caligo populos, ſuper te autem orietur Dominus,& gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. lib.2.c.14.n.8.* 150

Offerentur ſuper placabili altari meo. lib. 4. c.19.n.5. 394

61. *Quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. lib. 3. c. 12. n.5.* 229

62. *Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius vt lampas accendatur.lib.3.c.19.n.10.* 248
Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt.lib.4.c.7.n. 5. 296
63. *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari.lib.4.c.11.n.4.* 318
Tu enim Pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſraël ignorauit nos: tu Domine pater noſter, redemtor noſter, à ſeculo nomen tuum. lib.4.c.22. n.7. 403
64. *Vtinam dirumperes cœlos & deſcenderes.lib. 3.c.14.n.4.* 232
Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.lib.4.c.10.n.2. 314
65. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.lib.4.c.19.n.2.* 391
66. *Et aſſumam ex eis in ſacerdotes & leuitas dixit Dominus.lib.1.c.3.n. 7.p.22. lib.2. c.5. n. 1.* 86
Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.lib.4.c.10.n.2. 313

Ex lib.Ieremiæ Prophetæ.

1. *Ab Aquilone pandatur malum ſuper omnes habitatores terre.lib.3.c.24.n.6.* 260
7. *Holocautomata veſtra addite victimis veſtris,& comedite carnes.lib.2.c.1.n.2.* 72
10. *Dominus autem Deus verus eſt. Ipſe Deus viuens & rex ſempiternus, ab indignatione eius commouebitur terra, & non ſuſtinebunt gentes comminationem eius. ſic ergo dicetis eis: dij, qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ ſub cœlo ſunt.lib.4.c.9. n.9.* 310
11. *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.lib.4. c.25.n.2.* 421
15. *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. lib. 4. c.3.n.2.* 284
23. *Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus.lib.3.c.17.n.1.* 238
31. *Et feriam domui Iſraël,& domui Iuda fœdus nouum, non ſecundùm pactum quod pepigi cum patribus veſtris.lib.4.c.11.n.29.* 344
33. *Et de ſacerdotibus & leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat ſacrificium, & cædat victimas omnibus diebus. lib.2. c.19.n.2.* 158

Ex Threnis Ieremiæ.

1. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus. lib. 1. c.10.n.3.* 64
3. *Recordare paupertatis & tranſgreſſionis meæ, abſynthij,& fellis. lib.1.c.10.n.3.* 64
Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cœlis.lib.3.c.16.n.7. 237

Ex libro Baruch.

2. *Et ſtatuam illis teſtamentum alterum ſempiternum, vt ſim illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.lib.4.c.11.n.29.* 345

Ex libro Ezechielis.

1. *Et pedes eorum pedes recti. lib.3. c.11.n.2.* 218
8. *Et ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem.*
Et ecce in oſtio templi Domini inter veſtibulum & altare quaſi vigintiquinque viri dorſa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum ſolis. lib.2. c.13 n.9.p.134.& c.20.n.12. 166
9. *Tranſi per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem, & ſigna Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus,quæ fiunt in medio eius. lib.3.c.8. n.1. p.200.lib.4.c.11.n.7.* 320
20. *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent.lib.4.c.11.n. 29.* 344
37. *Et faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Iſraël, & rex vnus erit omnibus imperans: & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna. lib.3. c.6. n.1.* 199
41. *Et fabrefacta Cherubim,& palmæ,& palma inter*

inter cherub, & cherub, duáſque facies habebat cherub. lib. 3. c. 3. n. 5. 177

46. *Qui ingreditur per portam Aquilonis vt adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ: porrò qui ingreditur per viam portæ meridianæ egrediatur per viam portæ Aquilonis, non reuertetur per viam portæ per quam ingreſſus eſt, ſed è regione illius egredietur. lib. 4. c. 6. n. 3.* 291

Ex libro Danielis.

3. *Neque auferas miſericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſraël ſanctum tuum. lib. 3. c. 12. n. 1.* 220
Sed in animo contrito & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur. lib. 4. c. 1. n. 18. 282
Sicut in holocauſto arietum, & taurorum, & ſicut in millibus agnorum pinguium, ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie vt placeat tibi. lib. 2. c. 1. n. 4. 73
Benedicite ſancti & humiles corde Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula. lib. 3. c. 7. n. 1. 200

6. *Et feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua & adorabat, confitebatúrque coram Deo ſuo. lib. 3. c. 3. n. 2.* 174

7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. lib. 1. c. 20. n. 12. p. 166. lib. 4. c. 7. n. 5.* 296

8. *Et magnificatum eſt vſque ad fortitudinem cœli, & deiecit de fortitudine & de ſtellis, & conculcauit ea; & vſque ad principem fortitudinis magnificatum eſt, & ab eo tulit iuge ſacrificium, & deiecit locum ſanctificationis eius. lib. 2. c. 19. n. 2.* 158

9. *Et finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. lib. 2. c. 9. n. 7.* 307

10. *Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus, & ecce Michaël vnus de principibus primis venit in adiutorium meum. lib. 4. c. 7. n. 5.* 296
Et cùm egrederer apparuit Princeps Græcorum veniens. lib. 4. c. 7. n. 5. 296

12. *Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem dies mille ducenti nonaginta. lib. 1. c. 3. n. 7. p. 21. lib. 2. c. 15. n. 1. p. 151. c. 19. n. 2.* 158

Ex libro Oſeæ.

2. *Argentum multiplicaui ei, & aurum quæ fecerunt Baal. lib. 1. c. 3. n. 10.* 30

3. *Et poſt hæc reuertentur filij Iſraël & quærent Dominum Deum ſuum. lib. 3. c. 6. n. 1.* 199

6. *Quia miſericordiam volui, & non ſacrificium. lib. 1. c. 3. n. 3.* 18

11. *Et ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis, & neſcierunt quod curarem eos. In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis. lib. 1. c. 10. n. 2.* 62

14. *Et reddemus vitulos labiorum noſtrorum. lib. 1. c. 3. n. 3.* 18

Ex Ioële Propheta.

2. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit. lib. 3. c. 19. n. 2.* 242

Ex libro Habacuc.

3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. lib. 3. c. 19. n. 10.* 247

Ex libro Sophoniæ.

3. *Vltra flumina Æthiopiæ, inde ſupplices mei, filij diſperſorum meorum deferent munus mihi. lib. 2. c. 1. n. 4.* 73

Ex libro Zachariæ Prophetæ.

1. *Et reſpondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum vſquequo tu non miſereberis Ieruſalem & vrbium Iuda, quibus iratus es, iſte iam ſeptuageſimus annus eſt? lib. 4. c. 3. n. 2.* 284

3. *Ecce enim ego adducam ſeruum meum Orientem. lib. 3. c. 19. n. 7.* 246

6. *Ecce vir Oriens nomen eius. lib. 3. c. 19. n. 7.* 246

Ex Malachia.

1. *Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu*

manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus dicit Dominus exercituum. lib.1.c.3.n.7.p.22. & c.7.n.1.p.49. & c.8.n.2. p.50.lib.2.c.1.n.2.p.72.lib.4.c.1.n.9. 273

3. *Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia.lib.1.c.3.n.7.p.23.lib.2. c.6.n.2.* 96

Et placebit Domino ſacrificium Iuda, & Ieruſalem ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui. lib.1.c.8.n.2.p.50.& c.10.n.1. 62

4. *Et orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius. lib. 3. c. 19. n.10.* 248

Ex lib. I. Machabæorum.

12. *Nos ergo in omni tempore ſine intermiſſione in diebus ſolemnibus & cæteris quibus oportet memores ſumus veſtri in ſacrificiis quæ offerimus, & in obſeruationibus ſicut fas eſt & decet meminiſſe fratrum.lib.2.c.2.n.6.* 78

Ex lib. II. Machabæorum.

3. *Qui circumſteterunt eum & ex vtraque parte flagellabant ſine intermiſſione multis plagis verberantes.lib.2.c.13.n.15.* 140

Obtulit(Onias) *pro ſalute viri* (Heliodori) *hoſtiam ſalutarem.lib.2.c.2.n.6.* 78

9. *Sed qui vniuerſa conſpicit Dominus Deus Iſraël percuſſit eum inſanabili & inuiſibili plaga.lib.2.c.13.n.15.* 140

11. *Cumque pariter prompto animo procederent Ieroſolymis apparuit præcedens eos eques in veſte candida armis aureis haſtam vibrans. lib.4.c.7.n.5.* 296

12. *Et facta collatione duodecim millia drachmas argenti, miſit Ieroſolymã offerri pro peccato ſacrificium, bene & religioſè de reſurrectione cogitans (niſi enim eos qui ceciderunt reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis) & quia conſiderabat quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergò & ſalubris cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis ſoluantur.lib.2.c.2.n.8.9. p.79.80*

15. *Et qui*(Onias) *à puero in virtutibus exercitatus ſit, manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum. lib. 4. c.3. n.2. p.284. c.9. n.11.* 311

Hic (Ieremias) *eſt fratrum amator & populi Iſraël. Hic eſt qui multum orat pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate. lib.4. c.3.n.2.p.284. & c.9.n.11.* 312

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex ſancti Matthæi Euangelio.

CAP.1. *ET vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.lib.3.c.19.n.10.* 247

5. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fuerit, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.lib.2.cap.14. n.1.p.143.lib.4.c.9.n.10.* 310

Vt ſitis filij Patris veſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.lib.4.c.7.n.6. 298

Eſtote ergo vos perfecti ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.lib.4.c.7.n.3. 295

6. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.lib.1.c.11.n.1.* 69

7. *Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuum panem, numquid lapidem porriget ei, aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei.lib.4.c.22.n.7.* 403

Et tunc confitebor illis, quia numquam noui vos.lib.4.c.9.n.7. 309

9. *Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius.*

eius.lib.3.c.12.n.3. 224

10. *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo. lib.2.c.9. n.4.p.120.& c.10.n.1.* 122

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. lib.3.c.23.n.8. 258

13. *Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti, quam cùm impleta eſſet educentes, & ſecus littus ſedentes elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. lib.4. c.9.n.7.* 308

14. *Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus aſpiciens in cælum benedixit, & fregit, deditque diſcipulis panes, diſcipuli autem turbis. lib.3.c.23.n.2.p.257.lib.4.c.11.n.6.* 319

15. *Miſerere mei, Domine, fili Dauid, filia mea malè à Dæmonio vexatur.lib.4.c.21.n.3.* 398

Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.lib.3.c.6.n.1. 198

16. *Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. lib.2. c.6. n.1.* 94

17. *Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.lib.3.c.5.n.4.* 195

Vt autem non ſcandelizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me & te.lib.2. c.9.n.3. 119

18. *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt. lib.4. c.7.n.5.* 297

Si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis, nónne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam, quæ errauit? lib.4.c.7.n.5. 298

20. *Et clamauerunt, dicentes: Domine miſerere noſtri, fili Dauid.lib.4.c.21.n.3.* 398

21. *Hoſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, hoſanna in altiſſimis. lib.4. c.7.n.8.* 300

Et intrauit Ieſus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo. lib. 2. c.13.n.15. 140

22. *Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis? lib.1.c.3.n.8.* 27

23. *Cæci, quid enim maius eſt, donum, an altare, quod ſanctificat donum? lib.2.c.14.n.7.* 145

Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.lib.3.c.20.n.1. 250

24. *Et tunc parebit ſignum filij hominis in cælo. lib.3.c.8.n.5.* 203

25. *At ille reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos.lib.4.c.9.n.7.* 309

Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.lib.4.c.22. n. 9. 407

26. *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? lib.4.c.9.n.6.* 306

Prima autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? lib. 1.c.2.n.3.p.9. lib.4.c.1.n.7. 272

Numquid ego ſum Rabbi? lib.4.c.11. n.9. 321

Cænantibus autem eis accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. lib.1.c.2.n.1.p.6.c.4.n.1. p.34. lib.4. c.1.n.4. p.269.c.11.n.7. 320

Bibite ex hoc omnes.lib.4. c.11. n.12. 320

Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. lib.1.c.3. n.10. p.29. & c.6. n.2. p.46. lib.4.c.11.n.27.& 31. 342.346

Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei. lib.1.c.5.n.2. 41

Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti. lib.3.c.6.n.1. 198

Et progreſſus puſillum procidit in faciem ſuam, orans.lib.3.c.7.n.1. 198

27. *Sciebat enim quòd per inuidiam tradidiſſent eum.lib.4.c.9.n.6.* 306

28. *Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati.lib.1.c.2.n.4.* 13

Et veſtimentum eius ſicut nix.lib. 3. c.5. n. 4. 196

Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. lib. 2. c.19. n.2. 158

Ex ſancti Marci Euangelio.

6. *Et acceptis quinque panibus, & duobus piſci-*

bus intuens in cœlum benedixit,& fregit panes, & dedit diſcipulis ſuis, vt ponerent ante eos. lib.3.c.23.n.2.p.257.lib.4.c.11.n.6.& 7. 319

7. *Phariſæi enim, & omnes Iudæi niſi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum,& à foro niſi baptizentur non comedunt.lib.4.c.11.n.10.* 322

11. *Et cùm ſtabitis ad orandum dimittite ſi quid habetis aduersùs aliquem, vt & Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. lib.4.c.22.n.12.* 413

12. *Amen dico vobis,quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit,qui miſerunt in gazophylacium.lib.3.c.20.n.1.* 249

14. *Et primo die Azymorum,quando Paſcha immolabant dicunt ei diſcipuli. quò vis eamus, & paremus,vt manduces Paſcha? lib.1.c.2.n.3. p.9.lib.4.c.1.n.7.* 272

Et manducantibus illis accepit Ieſus panem, & benedicens fregit,& dedit eis,& ait: Sumite,hoc eſt corpus meum.lib.1.c.2.n.3.p.6. lib.4. c.1.n.4. 269

Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes, & ait illis: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti,qui pro multis effundetur. lib.4.c.11.n.9. 321

15. *Et cùm iam ſerò eſſet factum (quia erat Paraſceue quod eſt ante ſabbatum) venit Ioſeph. lib.1.c.2.n.4.& 5.* 13.15

16. *Et cùm tranſiſſet ſabbatum Maria Magdalena & Maria Iacobi,& Salome emerunt aromata,vt venientes vngerent Ieſum. lib.3.c.12. n.3.* 221

Et introeuntes in monumenta viderunt iuuenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida.lib.3.c.5.n.4. 196

Qui crediderit,& baptizatus fuerit,ſaluus erit. lib.1.c.3.n.7. 26

Ex ſancti Lucæ Euangelio.

1. *Aue gratia plena,Dominus tecum.lib.3.c.17. n.1.* 238

Quia non erit impoſſibile apud Deũ omne verbum.lib.4.c.11.n.30.p.345.& c.14.n.5. 358

2. *Quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. lib. 3. c.19.n.10.* 247

Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.lib.3.c.16.n.1. 235

Et cùm inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis.lib.1.c.3.n.10. 30

5. *Exi à me, quia homo peccator ſum Domine. lib.4.c.27.n.1.* 425

7. *Domine noli vexari, non enim ſum dignus, vt ſub tectum meum intres, propter quod & meipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te, ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus.lib.4.c.27.n.1.* 425

Intraui domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos,& capillis ſuis terſit.lib.4.c.11.n.10. 323

9. *Reſpexit in cœlum, & benedixit illis, & fregit & diſtribuit diſcipulis ſuis, vt ponerent ante turbas. lib.3. c.23.n.2.p.257. lib.4.c.11. n.6.& 7.* 319

10. *Dico enim vobis,quia multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ vos auditis, & non audierunt.lib.3.c.14.n.4.* 232

11. *Dimitte nobis peccata noſtra;ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis. lib.3. c.22.n.12.* 413

Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium. lib.4.c.11.n.10. 322

Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum, patres autem veſtri occiderunt illos. lib.3. c.12.n.3. 226

12. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autẽ paraſti cuius erunt? lib.4.c.22.n.11.* 410

Sint lumbi veſtri præcincti,& lucernæ ardentes in manibus veſtris.lib.2.c.8.n.10. 112

Baptiſmo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor vſquedum perficiatur.lib.1.c.10.n.3. 64

14. *Homo quidam fecit cœnam magnam,& vocauit multos.lib.4.c.11.n.4.* 318

18. *Sed percutiebat pectus ſuum,dicens:Deus propitius eſto mihi peccatori.lib.3.c.10.n.3.* 216

21. *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper pluſquam omnes miſit.lib.3.c.20.n.1.* 250

22. *Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. lib.1.c.2.n.3.p.9. lib.4.c.1. n.7.* 272

Occurret vobis homo amphoram aquæ portans. lib.1.c.2.n.5. 15

Et

Et cùm facta eſſet hora diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo. lib.4.c.11.n.9. 321

Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar. lib.1.c.5.n.2.p.41. c.10.n.3. 64

Dico enim vobis, quòd non bibã de generatione vitis donec regnũ Dei veniat.lib.4.c.1.n.12. 296

Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. lib.1.c.2.n.1.p.6.c.3.n.10.p.290.c.4.n.1. p.34.c.8.n.3.p.51.c.10.n.4.p.65.lib.2.c.2.n.1.p.75. lib.4.c.1.n.4. 269

Hoc facite in meam commemorationem. lib. 1. c.3.n.5.10.12.p.20.29.31.c.6.n.2.p.45.c.10. n.3.p.63.c.11.n.1.p.69.lib.2.c.5.n.1. 88

Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. lib. 1. c.3. n.10. p.29.lib.4.c.11.n.31. 346

Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa.lib.4.c.11.n.9. 321

Ego autem rogaui pro te (Petre) *vt non deficiat fides tua.lib.4.c.9.n.7.* 308

Et poſitis genibus orabat, dicens. lib.3.c.7.n.1. p.199.c.18.n.3. 241

23. *Memento mei cùm veneris in regnum tuum. lib.4.c.22.n.9.* 407

Et dies erat paraſceues, & ſabbatum illuceſcebat.lib.1.c.2.n.4.& 5. 10.15

24. *Ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti.lib.3.c.5.n.4.* 196

Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. lib.1.c.6.n.2. 46

Et prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. lib. 1. c.3.n.7. 26

Ex ſancti Ioannis Euangelio.

1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.lib.4.c.6.n.3.* 291

Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. lib. 4. c.22. n.7. 403

Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Principe, plenum gratiæ, & veritatis. lib. 3. c.6.n.5.lib.4.c.9.n.7. 308

Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.lib.4.c.27.n.3. 426

Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. lib.4.c.25.n.2. 421

2. *Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam, & nõ ſciebat vnde eſſet.lib.1.c.4.n.4.* 38

Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.lib.2.c.13.n.15. 140

3. *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.lib.3.c.17.n.1.* 238

Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.lib.4.c.9. n.1.p.303.& c.25.n.2.& 3. 421

5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me.lib.4.c.7.n.9.* 300

6. *Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. lib.4.c.11.n.6.* 319

Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducet non moriatur.lib.1.c.10.n.5. 66

Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.lib.1.c.2.n.1.p.7.lib.4.c.11.n.4. 317

Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.lib.4.c.15.n.1. 363

Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. lib.1. c.3.n.7.p.26.lib.4.c.27.n.3. & 4. p.420.& ſeq.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo.lib.1.c.10.n.2.3. & 4. p.62.& ſeqq.

Qui manducat hunc panem viuet in æternum. lib.1.c.10.n.6. 67

10. *Ego pono animam meam, & iterum ſumam eam.lib.4.c.9.n.6.* 306

11. *Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. lib. 4. c.11.n.6.* 319

Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. lib.4.c.9.n.6. 306

12. *Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.lib.1.c.3.n.12.p.32.lib.4.c.1.n.4.* 270

Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.lib.3.c.8.n.9. 210
13. *Ante diem feſtum Paſcha ſciens Ieſus quia venit hora eius. lib.1.c.2.n.4.* 11
Cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.lib.1.c.10.n.2. 62
Si non lauero te, non habebis partem mecum. lib.4.c.21.n 1. 397
Quod facis,fac citius. lib.1.c.2.n.4. 10
Mandatum nouum do vobis,vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.lib.1.c.6.n.2. 46
14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.lib.4.c.21.n.1.* 398
Et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.lib.3.c.19.n.4. 243
Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum. lib.4.c.9. n.7. 308
Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. lib.4. c.10.n.2. 313
16. *Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. lib.3.c.19. n.4.p.243.lib.4.c.9.n.3.* 304
18. *Dixerunt ergo ei Iudæi,nobis non licet interficere quemquam.lib.1.c.2.n.4.* 11
19. *Erat autem paraſceue Paſchæ hora quaſi ſexta.lib.1.c.2.n.4. & 5.* 11.15
20. *Et vidit duos Angelos in albis ſedentes.lib.3. c.5.n.4.* 146
Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. lib.4. c.22.n.7. 403
Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata,remittuntur eis,& quorum retinueritis, retenta ſunt.lib.4.c.29. n.2. 445.

Ex Actis Apoſtolorum.

1. *Et Epiſcopatum eius accipiat alter. lib.4. c.11. n.9.* 321
2. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum,& cõmunicatione fractionis panis,& orationibus.lib.1.c.2.n.1.p.7.lib. 4.c.29.n.8.*450
Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo,& frangentes circa domos panes. lib.4. c.19.n.6. 395
3. *Quem oportet cœlum ſuſcipere vſque ad tempora reſtitutionis omnium, quæ locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum.lib.4.c.14. n.5.* 359
4. *Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri.lib.3. c.19.n.10.* 247
5. *Vt veniente Petro ſaltem vmbra illius obrumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis. lib. 3. c. 12. n. 3.* 224
7. *Poſitis autem genibus clamauit voce magna, dicens.lib.3.c.3.n.2.* 175
8. *Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum.lib.3. c.12.n.3.* 224
9. *Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris.lib.4.c.14. n.5.* 359
Petrus ponens genua orauit.lib.3.c.3.n.2. 175
11. *His auditis tacuerunt, & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & in gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. lib. 4. c.29. n.3.* 446
12. *Volens poſt Paſcha producere eum Populo. lib.1.c.2.n.4.* 10
Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.lib.4.c.9.n.2. 307
Illi autem dixerunt:Angelus eius eſt. lib.4.c.7. n. 5. 296
13. *Miniſtrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus.lib.1.c.3.n.7.* 21
Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ,ecce conuertimur ad gentes.lib.3.c.6.n.1. 198
14. *Quod vbi audierunt Apoſtoli Barnabas,& Paulus, conciſis tunicis ſuis exilierunt in turbas,clamantes.lib.2.c.1.n.1.* 70
15. *Vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum,& ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. lib.1.c.3.n.8.* 27
17. *In ipſo enim viuimus, mouemur,& ſumus. lib.3.c.17. n.1.* 238
19. *Ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria,& ſemicinctia, & recedebant ab eis languores,& ſpiritus nequam egrediebantur.lib.3.c.12.n.3.* 221
20. *Vna autem ſabbati cùm conueniſſemus ad frangen-*

frangendum panem. lib.4.c.29. n.8. 450
Et cùm hæc dixiſſet, poſitis genibus ſuis orauit cum omnibus illis. lib. 3. c. 3. n. 2. p. 474.& c.18.n.3. 241
21. *Et poſitis genibus in littore orauimus. lib. 3. c.7.n.1.* 199
His aſſumtis ſanctificate cum illis, & impende in illis,vt radant capita.lib.2.c.8.n.1. 106
23. *Sequenti autem nocte aſſiſtens ei Dominus ait.lib.4.c.14.n.5.* 357

Ex Epiſtola D.Pauli ad Romanos.

1. *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mūdi,per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. lib. 2. c.13.n.2.* 130
2. *Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes.lib.3.c.23.n.7.* 258
3. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.lib.4.c.7.n.6.* 298
Quem (Chriſtum)*propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius. lib. 1. c. 3. n.7.p.21.& c.8.n.3.* 51
5. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. lib. 4. c.9. n.1.* 303
6. *Scientes quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.lib.1.c.3.n.12.* 31
8. *Non n. accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.lib.4.c.22.n.7.* 403
Si autem filÿ & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti. ibid.
Nam quos præſciuit,& prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.lib.4.c.9.n.3. 304
Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum. lib. 4. c. 9. n. 1. & 6. p.303.306
Qui eſt ad dexteram Dei,qui etiam interpellat pro nobis.lib.1.c.3.n.7. 21
Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio,an anguſtia? lib.1.c.2.n.5. 15
10. *Corde n.creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.lib.3.c.25.n.1.* 262
Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.lib.3.c.25.n.1. 261
11. *Cæcitas ex parte contigit in Iſraël,donec plenitudo gentium intraret.lib.3.c.6.n.1.* 198
O altitudo diuitiarum ſapientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius,& inueſtigabiles viæ eius.lib.4.c.14.n.5. 357
12. *Vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. lib. 1. c. 3.n.3.p.18.c.5.n.1.* 86
Neceſſitatibus ſanctorum communicantes. lib.4.c.9.n.10. 310

Ex Epiſtolis ad Corinthios.
Ex prima.

2. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis,qui diligunt illum.lib.4.c.10.n.2.* 313
3. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis. ſi quis autem templum Dei violauerit,diſperdet illum Deus.lib.2.c.13. n.15.* 140
4. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. lib. 4. c.29. n.6.* 448
5. *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermēto malitiæ, & nequitiæ,ſed in azymis ſinceritatis,& veritatis.lib.4.c.1.n.7.* 271
6. *An neſcitis quia membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt. lib.3.c.12. n.3.* 221
9. *Nónne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi?lib.4.c.14.n.5.* 357
Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem,& de lacte gregis non manducat? lib.2.c.9.n.4. 120
Non alligabis os bōui trituranti. lib.2.c.10.n.1. 122
Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus,magnum eſt,ſi nos carnalia veſtra metamus. lib. 2. c.10. n.1. 122
Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt? & qui altari deſeruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. lib.2. c.9. n.1. 120

10. *Calix benedictionis cui benedicimus nónne cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini eſt. lib.1. c.2.n.1. p.6. lib.4. c.11. n.7. p.319.c.27.n.3.* 426

Vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus. lib.4.c.29.n.8. 450

Nónne, qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris. lib.1.c.3.n.7. 21

Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum, non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum. lib.1.c.3.n.8.p.27.lib.2.c.14.n.1. 143

11. *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite deturpat caput ſuum; omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum; vnum enim eſt ac ſi decalnaretur, &c. lib.3. c.4.n.1.* 193

Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis. lib.2.c.13. n.1. 129

In qua nocte tradebatur accepit.lib.1.c.2.n.5. 15

Accepit panem & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate,hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur. lib.1.c.3.n.10. p.29.c.8. n.3. 51

Hoc facite in meam commemorationem.ſimiliter & calicem poſtquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem. lib. 4. c.11. n.32. 347

Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. lib.1.c.6.n.1. p.44. c.10. n.3. p.63. c.11. n.1. p.69. lib.2. c.19. n.2. p.157. lib.4.c.3.n.1.p.284.c.19.n.1. 390

Itaque quicunque mãducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit,non diiudicans corpus Domini. lib.2.c.6.n.2.p.94. lib.4. c.1. n.18. p.281. c.14. n.1. p.351. c.15. n.2. p.365.c.19.n.3.p.391.c.29.n.8. 450

Quòd ſi noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. lib.3.c.18.n.1 238

14. *Ita & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem didiceritis, quomodo ſcietur id quod dicitur. lib.2.c.12.n.2.* 128

Cæterùm ſi benedixeris ſpiritu qui ſupplet locum idiotæ quomodo dicet, Amen ſuper tuam benedictionem? quoniam quod dicas, neſcit. lib. 2.c.12.n.2.p.128.lib.3. c.20. n.1. p.249.lib.4. c.11. n.7. 319

Omnia autem honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis.lib.2. c.17. n.1. 155

16. *De collectis autem quæ fiunt in ſanctos.lib.3. c.19.n.1.* 242

Ex ſecunda.

1. *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.lib.4.c.7.n.6.p.298.& c.25.n.4.* 422

Qui vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus in cordibus noſtris. lib. 1. c. 10. n.6. 67

2. *Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis,qui ſalui fiunt.lib.3.c.23.n.7.* 258

3. *Scripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.lib.2.c.14.n.8.* 146

5 *Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi,non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis.lib.1.c.8.n.7.p.21.lib.4.c.26.n.2.* 423

6 *Per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris per gloriam,& ignobilitatem,per infamiam,& bonam famam.lib.4.c.4.n.3.* 289

9 *Hilarem enim datorem diligit Deus.lib.4.c.1. n.2.* 269

Ex Epiſtola ad Galatas.

2. *Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Chriſtus.lib.4.c.19.n.3.* 391

4. *Itaque fratres non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit. lib.3. c.4.n.1.* 193

Ex Epiſtola ad Epheſios.

1. *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem. lib.3.c. 18 n.3. p.241.lib.4.c.19.n.6.* 395

Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ in redemptionem acquiſitionis

in laudem gloriæ ipſius.lib.1.c.10.n.6. 67

2. *Nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis longè facti eſtis prope in ſanguine Chriſti.lib.4.c.4.n.1.* 288

Ipſe n.eſt pax noſtra,qui fecit vtraque vnũ,& medium parietem maceriæ ſoluens inimicitias in carne ſua.lib.3.c.19.n.4.p.242.c.24.n.8. 261

Ergo iam non eſtis hoſpites,& aduenæ,ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei. lib. 4. c. 9. n.10. 310

3. *Huius rei gratiam flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. lib.3.c.18.n.3.* 241

4. *Deponite vos ſecundùm priſtinam conuerſationem veterem hominem,qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris.lib.2.c.8.n.9.* 111

5 *Ambulate in dilectione,ſicut & Chriſtus dilexit nos,& tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. lib.1.c.1.n.2.* 3

Sed implemini Spiritu ſancto loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis,& canticis ſpiritualibus cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino.lib.3.c.16.n.1. 234

Sicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ipſe Saluator corporis eius.lib.1.c.2.n.2. 8

Chriſtus dilexit Eccleſiam,& ſemetipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret.lib.1.c.3.n.7. p.21.lib.4.c.9.n.6. 306

Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata. lib.3.c.5.n.4.p.195.lib.4.c.9.n.7. 307

Ex Epiſtola ad Philippenſes.

2. *Sed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. lib.2.c.8.n.12.p.113.lib.3.c.7. n.1.p.199.lib.4.c.3.n.1.* 284

Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium,terreſtrium,& infernorum.lib.3.c.3.n.2. p.174.& c.19.n.9.& 10. 246.247

Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris. lib. 3.c.17.n.5.

Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.lib.4.c.6.n.3. 291

4. *Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra,& intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu.lib.4.c.10.n.2.* 313

Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.

1. *Gratias agentes Deo, & Patri, qui dignos nos fecit in parte ſortis ſanctorum in lumine. lib.4.c. 21.n.1.* 397

Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filÿ dilectionis ſuæ, in quo habemus redemtionem remiſſionem peccatorum, qui eſt imago Dei inuiſibilis,primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis,& in terra.lib.4.c.9.n.3. p.304.310.& c.21.n.5. 399

Et per eum reconciliare omnia in ipſum pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in cœlis,ſiue quæ in terris ſunt.lib.3.c.8.n.9. 209

2. *Donans vobis omnia delicta, delens quod aduersùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis,& ipſum tulit de medio, affigens illud cruci. lib. 1.c.3.n.12.p.31.lib.3. c.8.n.9.* 209

3. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto quæ ſurſum ſunt quærite vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. lib.4.c.6.n.3.* 291

Docentes,& commonentes voſmetipſos in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus in gratia, cantantes in cordibus veſtris Deo. lib. 3.c.16. n.1. 234

Ex Epiſtola I. ad Theſſalonicenſes.

5. *Sobrÿ ſimus induti loricam fidei,& charitatis, & galeam ſpem ſalutis.lib.2.c.8.n.8.* 111

Ex Epiſtola I. ad Timotheum.

2. *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes,orationes,poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus,pro regibus,& omnibus, qui in ſublimitate ſunt. lib. 4. c. 9.n.7.* 307

Vnus n.Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemtionem ſemetipſum pro omnibus.lib.2.c.1.n.4. 73

Volo ergò viros orare in omni loco leuantes puras manus ſine ira.lib.3.c.16.n.7. 237

4. *Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reÿcien*

reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. lib.2.c.13.n.11.p.135.lib.3.c.8. n.4. & 6. 203.207

Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum preſbyterij.

5. *Qui bene præſunt preſbyteri, dublici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina. lib.2.c.10.n.1.* 122

6. *Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus. lib.4.c.22.n.1.* 400

Ex Epiſtola ſecunda.

1. *Propter quam cauſam admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. lib.1.c.2.n.1.* 6

Ex Epiſtola ad Titum.

1. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Ciuitates preſbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. lib.1.c.3. n.7.* 21

2. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate. lib.1.c.3.n.7.* 21

Ex Epiſtola ad Hebræos.

2. *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autore ſalutis eorum per paſſionem conſummare. lib.4.c.9.n.3.* 304

Vt per mortem deſtrueret eum, qui mortis habebat imperium. lib.3.c.8.n.9. 209

5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumtus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum. lib.1.c.3.n.5.* 19

Vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. lib.1. c.3. n.1.2.4.p.17. & ſeq.c.8.n.3. p.51. lib.2. c.2.n.1. 74

Quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate. lib.4.c.4.n.2. 289

Et propterea debet quemadmodum pro Populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis. lib.2.c.2.n.1.& 3. 74.75

Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron; ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed, &c. lib.1.c.3.n.5.7.p.19. & ſeq. lib.2.c.5.n.1. 86

Et conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.

6. *Vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus ſecundùm ordinem Melchiſedech pontifex factus in æternum. lib.4.c.11.n.4.* 319

7. *Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt vt etiam legis tranſlatio fiat. lib.1.c.2.n.1.p.6. lib.2.c.19. n.2.* 158

Manifeſtum eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter, in qua tribu nihil de ſacerdotibus loquutus eſt Moyſes. lib.1.c.10.n.1. 61

Alij quidem ſine iureiurando ſacerdotes facti ſunt, hic autem cum iureiurando per eum, qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum. lib.1.c.3. n.8. 27

Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere, hic autem eo quòd manebit in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium. lib.1.c.3.n.7.p.21. lib.2. c.3.n.1. 83

Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. lib. 1. c. 3. n.7. 21

Qui non habet neceſſitatem quotidie (quemadmodum ſacerdotes) prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc n. fecit ſemel ſe offerendo. lib. 1. c.3.n.2.p.17. lib.2.c.2. n.1. 74

8. *Omnis n. Pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur, vnde neceſſe eſt & hunc habere aliquid quod offerat. lib. 1. c. 2.n.1.p.6. c. 3. n. 2.p.17.c.4.n.1.p.33. lib.2.c.1.n.1.p.6. c.9.n.1.* 55

Quia hoc eſt teſtamentum quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos dicit Dominus, dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. lib. 3. c. 6. n. 1. 198

9. *In qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti, ſupérque eam erant Cherubim. lib.2.c.6.n.2.* 94

Et

Et ideo noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente in redemtionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.lib.4.c.c.11.n.29. 344
Hic ſanguis teſtam.nti, quod mandauit ad vos Deus.lib.4.c.1.n.13.p.277.c.11.n.29. 344
Et omnia pene in ſanguine ſecundùm legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.lib.1. c. 8.n.12.p.31.c.6.n.2.p.45.lib.4. c.11.n.31. 346
Nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit, & quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium, ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. lib.1.c.3.n.7.p.21. lib.4.c.11.n.31. 346
10. *Quia hoſtias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi quæ ſecundùm legem offeruntur.lib.1.c.10.n.1.* 122
Et omnis quidem ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata; hic autem vnam pro peccato offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet in dextera Patris. lib. 1. c. 3. n.7. 21
Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos.lib.1.c.3.n.7. 21
Vbi autem horum remiſſio, iam non eſt oblatio pro peccato. lib. 1. c.3.n.7.p.21.lib.2.c.2.n.3. 75
Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccato hoſtia, terribilis autem quædam expectatio iudicis, & ignis æmulatio.lib.1.c.3. n.7. 21
Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam.lib.3.c.24.n.7. 260
12. *Teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis apertionem melius loquentem, quàm Abel.lib.4.c.11.n.31.* 346
13. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis loquuti ſunt verbum Dei. lib.4.c.9.n.7.* 307
Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt.lib.1.c.3.

n.7.p.21.lib.2.c.14.n.1. 143
Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. lib. 1. c. 3. n. 3. p.18.lib.4. c.19.n.5. 394
Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus. lib.1.c.3.n.3. 18
Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium in ſanguine teſtamenti æterni Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum aptet nos in omni bono. lib. 4. c.11.n.29. 344

Ex Epiſtola D. Iacobi.

1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. lib. 4. c.22.n.13.* 416
Eſtote autem factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos. lib. 3. c.24. n.7. 260

Ex D. Petri Epiſtola I.

1. *Scientes quòd non corruptibilibus auro, vel argento redemti eſtis, de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti. lib.4. c.11.n.31.p.346.c.25.n.2.* 421
2. *Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.lib.2.c.5.n.1.* 86
Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui iuſtitiæ viuamus.lib.4.c.25.n.3. 421

Ex Epiſtola II.

1. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis. lib. 4. c. 3. n. 2. p.284.& c.9.n.11.* 311

Ex D. Ioannis Epiſtola I.

1. *Et ſanguis Ieſu Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato.lib.1.c.3.n.7.* 21
Si dixerimus quoniam peccatum non habe-

mus,ipſi nos ſeducimus,& veritas in nobis non eſt. lib. 1. c. 11. n. 1. p. 69. lib. 4.c.22.n.12. 413

Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt & iuſtus,vt remittat nobis peccata noſtra,& emundet nos ab omni iniquitate. lib. 1. c. 3. n. 7. 21

2. *Filioli mei hæc ſcribo vobis, vt non peccetis, ſed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm,ſed etiam pro totius mundi. lib. 1. c. 3. n. 7. p. 21. lib.4.c.9.n.3.p.304.& c.25.n.3.* 421

Filioli mei iam nouiſſima hora eſt, & ſicut audiſtis iam Antichriſtus venit. lib. 1. c. 2. n. 5. 15

Ex Apocalypſi eiuſdem.

1. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. lib. 1. c.3.n.7.p.21.lib.4. c.11.n.31.* 346

4. *Et ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes circumamicti veſtimentis albis. lib. 3. c.5.n.4.* 195

5. *Ecce vicit leo de tribu Iuda. lib. 4. c.25.n.4.* 422

Quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum,quæ ſunt orationes ſanctorum. lib. 4. c.3. n.2.p.284.& c.9.n.11. 311

Quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum,& ſacerdotes. lib. 4. c. 11.n.31.p.346. c.25.n.3. 421

Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt in faciem,& adorauerunt.lib.3.c.18.n.3. 241

7. *Vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ ne flarent.lib.4.c.7.n.5.* 296

Habentem ſignum Dei viui. lib. 3. c. 8. n. 5. 203

Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas,& dealbauerunt eas in ſanguine agni.lib.4.c.11.n.31. 346

8. *Et data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum.lib.4.c.19.n.5.* 394

13. *In libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.lib.3.c.19.n.4.* 242

Et faciat,vt quicumque non adorauerunt imagines beſtiæ occidantur.lib.1.c.3.n.7. 21

14. *Habentes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.lib.3.c.8.n.1.* 200

Et alius Angelus exiuit de altari, qui habet poteſtatem ſuper ignem.lib.4.c.7.n.5. 296

16. *Et audiui Angelum aquarum, dicentem: Iuſtus es, Domine.lib.4.c.7.n.5.* 296

19. *Et ſicut vocem tonitruorum magnorum dicentium, Alleluia.lib.3.c.22.n.3.* 254

Datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti,& candido.lib.3.c.5.n.4. 195

Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum,& fratrum tuorum.lib.2.c.1.n.1. 70

Vt exercitus qui ſunt in cœlo ſequebantur eum in equis albis veſtiti byſſino albo, & mundo. lib.3.c.5.n.4. 195

21. *A Deo paratam ſicut ſponſam,ornatam viro ſuo.lib.3.c.12.n.5.* 228

Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum,& mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor,neque dolor erit vltrà,quæ prima abierunt.lib.3.c.22.n.2.p.253.lib.4.c.20.n.3. 396

INDEX
CONCILIORVM, QVORVM TESTIMONIIS in his libris vtimur.

Iuxta ſeriem temporis, quo ſunt habita.

APOSTOLORVM, in quo Apoſtolorum Canones ſunt conditi, ſed conſcripti tantùm à Clemente, Anno 51
Africanum, 257
Antiochenum tempore Dionyſij Papæ, 265
Elibertinum, 313
Arelatenſe I. 314
Laodicenum circa idem tempus.
Neocæſarienſe, 316
Romanum ſub Syluestro, 324
Nicænum I. 325
Gangrenſe circa idem tempus.
Sardicenſe, 347
Romanum ſub Damaſo, 372
Antiochenum aliud, 378
Conſtantinopolitanum I. 382
Hipponenſe, 393
Carthaginenſe II. 397
Carthaginenſe III. 398
Toletanum I. 400
Carthaginenſe ſub Anaſtaſio, 401
Mileuitanum II. 416
Africanum ſub Bonifacio, 418
Epheſinum, 431
Arauſicanum I. 441
Chalcedonenſe, 451
Arauſicanum II. 463
Valenſe II. 463
Turonenſe I. 482
Romanum ſub Symmacho, 502
Agathenſe in Gallia, 506
Aurelianenſe I. 507
Epauonenſe, 509
Rhemenſe I. 514
Gerundenſe, 517
Cæſarauguſtanum, 517
Illerdenſe, 524
Valentinum in Hiſpania, 525
Carthaginenſe V. 535
Aurelianenſe III. 540
Aurelianenſe IV. 543
Aurelianenſe V. 552
Conſtantinopolitanum V. 553
Braccarenſe I. 563
Turonenſe II. 570
Braccarenſe II. 572
Cabilonenſe I. 582
Matiſconenſe I. 582
Matiſconenſe II. 588
Valentinum in Gallia, 589
Narbonenſe, 589
Antiſiodorenſe, 590
Cæſarauguſtanum alterum, 592
Toletanum alterum, 597
Oſcenſe, 598
Toletanum III. 610
Toletanum IV. 633
Toletanum V. 646
Toletanum VII. 664
Emeritenſe, 666

Toletanum II. 675
Braccarenſe III. 675
Synodus ſexta Trullana, 681
Toletanum XII. 618
Rothomagenſe, 682
Toletanum XVI. 693
Romanum ſub Gregorio II. 726
Romanum ſub Gregorio III. 732
Romanum ſub Zacharia, 743
Gentiliacum in Gallia, 766
Romanum ſub Stephano IV. 769
VVormatienſe, 772
Nicænum II. 787
Foroiulienſe, 791
Francofordienſe, 794
Aquiſgranenſe, 809
Moguntinum ſub Carolo Magno, 813
Cabilonenſe ſub eodem, 813
Turonenſe III. 813
Rhemenſe, 813
Aquiſgranenſe ſub Ludouico, 816
Pariſienſe tempore Ludouici, 829
Meldenſe, 845
Romanum ſub Nicolao, 863
Octaua Synodus, 869
Moguntinum ſub Arnulpho Imperatore, 888
Triburienſe, 895
Romanum ſub Ioanne XII. 864
Vinctonienſe, 975
Salegunſtadienſe, 1022
Romanum ſub Leone IX. 1050
Vercellenſe, 1050
Coyacenſe, 1050
Florentinum ſub Victore II. 1055
Turonenſe IV. 1055
Romanum ſub Nicolao II. 1059
Romanum ſub Gregorio VII. 1079
Placentinum ſub Vrbano II. 1094
Nanetenſe tempore Honorij II. 1125
Eboracenſe, 1194
Lateranenſe ſub Innocentio III. 1215
Lugdunenſe ſub Gregorio X. 1274
Viennenſe, 1314
Romanum, 1413
Conſtantienſe, 1414
Baſilienſe, 1431
Florentinum alterum, 1439
Lateranenſe ſub Leone X. 1517
Senonenſe, 1528
Colonienſe, 1536
Auguſtanum, 1548
Treuirenſe, 1548
Colonienſe ſub Adulpho, 1549
Moguntinum vltimum, 1549
Tridentinum, 1563
Mediolanenſe I. 1565

Porrò in horum Conciliorum tempore aſſignando ſecuti ſumus Chronologiam ſeruatam ab Illuſtriſſimo Cæſare Baronio in Annalibus, quòd nobis verior ſit viſa, quamuis Surius, Panuinus, Genebrardus, & alij ſæpe diſcrepent.

INDEX

INDEX
AVCTORVM, QVI IN HIS LIBRIS CITANTVR.

A

ABDIAS diſcipulus SS. Simonis & Iudæ floruit anno Domini 60 — 1
Acta S. Pancratij Martyris.
Ado Archiepiſcopus Viennenſis, 898
Adelmannus Epiſcopus Brixinenſis, 1052
Adrianus I. 787
Adrianus VI. 1522
Ægidius Romanus, 1300
Ælianus Hiſtoricus, 150
Æneas Siluius, 1464
Æſchylus circa Olympiad. 80
Agathias Hiſtoricus, 572
Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſ. 750
Agrippa Rex, 42
Aimoinus Hiſtoricus, 875
Alanus Copus, 1560
Albericus, 1350
Albertus Magnus obiit, 1280
Albertus Pighius, 1543
Albinus ſeu Alcuinus, 804
Alcozer, 1570
Algerus, 1100
Alexander I. Pontif. 121
Alexander Alenſis obiit, 1245
Alexander Aphrodiſæus, 230
Alexander ab Alexandro, 1490
Alexander Picolomineus, 1550
Aloyſius Lipomanus, 1556
Aloyſius Legionenſis, 1590
Alphonſus Toſtadus, 1440
Alphonſus de Caſtro, 1540
Alphonſus Ciaconus, 1590
Alphonſus Caſarubius, 1600
Alphonſus Piſanus Soc. Ieſu, 1580
Alphonſus Salmeron Soc. Ieſu obiit, 1585
Amalarius, 830
S. Ambroſius obiit, 399
Ambroſius Catharinus obiit, 1552
Ambroſius Moralis hiſtor. 1570
Ammianus Marcellinus, 380
Ammonius Philoſophus, 220
Amphilochius, 370
Anacletus Pontifex, 110
Anaſtaſius Pontifex, 403
Anaſtaſius Bibliothecarius, 860
Anaſtaſius Nicænus circa annum 688
Anaſtaſius Sinaita, 598
Anaſtaſius Theopoleos, 440
S. Andreæ acta circa annum 69
Andreas Cretenſis, 580
Andreas Alciatus, 1545
Andreas Siculus, 1466
Andreas Maſius, 1555
Angelus de Clauaſio, 1484
Angelus Caninius, 1558
Anicetus Papa, 167
Annales Francorum.
S. Antoninus obiit, 1459
S. Antonius Magnus, 330
Antonius Cordubenſis, 1560
Antonius de Butrio, 1410
Antonius Demochares, 1550
Antonius Honcala, 1570
S. Anſelmus Epiſcopus Cantuar. 1100
Apuleius, 150
Aretha Archiepiſcopus Cæſarien. 1565
Arethæ Martyris acta.
Ariſtoteles natus Olymp. 99. anno 3. ex Gellio lib. 17. nempe ante Chriſtum anno 380. cœperunt autem Olymp. ante Urbem cond. anno 25
Ariſteas cubicularius Ptolemæi Philadelphi ante Chriſtum natum annis 280
Armachanus, 1363

Armillæ auctor, 1515
Arnaldus Abbas Bonæuallis, 1176
Arnobius, 309
Arrianus Nicomedienſis, 150
S. *Athanaſius,* 370
Athenagoras, 180
Athenæus, 172
S. *Audoënus obiit,* 690
Auctor libri Carolini. 790
Auctor Imperfecti in Matth. 410
Auerroës, 410
R. *Auuen Ezra,* 400
S. *Auguſtinus obiit.* 433
Auguſtinus de Ancona, 1328
Auguſtinus Eugubinus, 1512
Auicembron.
Aulus Gellius, 150
Aurelius Antoninus Imp. 181
Aurelius Victor, 450
Aurelius Caſſiodorus, 560

B

Baldus morſus à catella obiit, 1363
Baptiſta Egnatius, 1494
Barth. Platina obiit, 1481
Bartolus de Saxo Ferrato obiit, 1355
S. *Baſilius floruit,* 370
Baſilius Græcus Imp. 886
Beda, 730
S. *Benedictus,* 525
Benedictus Arias Montanus, 1580
Benedictus Iuſtinianus Soc. Ieſu. 1615
Benedictus Pererius Soc. Ieſu obiit, 1610
R. *Berachias.*
S. *Bernardus obiit.* 1153
Bernardus Diaz.
Bernardus Lutzembergus, 1529
S. *Bernardinus Senenſis obiit,* 1444
Bernardinus Buſtus, 1480
Berno Augenſis, 1014
Bertholdus Conſtantienſis Hiſt. 1106
Beſſarion Card. 1455
Blondus, 1447
Boëtius Seuerinus, 510
Boerius, 1530
S. *Bonauentura Cardinalis,* 1260
S. *Bonifacius Moguntinus Archiepiſcopus,* 745
S. *Brigitta,* 1273
Burchardus Epiſcopus VVormatien. 025

C

Cæſar Baronius Cardinalis obiit, 1609
Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, 506
Cæſarius Heiſterbachenſis, 1222
Cæſarius frater Greg. Nazianz. 370
R. *Cahana.*
Caffarus hiſtoricus Genuenſis, 1100
Calderinus, 1350
Capitularia Francorum.
Carbo, 1590
Carolus Magnus, 813
Carolus Sigonius, 1575
Caſſander. 1565
Candelabrum aureum, 1585
Catechiſmus Rom. Pij V. 1568
Cæleſtinus Papa. 435
Cælius Rhodiginus, 1520
Chriſtophorus Madridius Soc. Ieſu, 1565
Chriſtophorus Clauius Soc. Ieſu, 1612
Chromatius, 412
Chronica Carthuſianorum.
Chronica Dominicanorum.
Chronica Minorum.
Ciruëlus, 1560
Claudianus Poëta, 390
Claudius Sainctes, 1572
S. *Clemens Romanus,* 102
Clemens Alexandrinus, 194
Clemens V. 1314
Clemens VIII. 1600
Conradus Brunus, 1500
Conradus Vrſpergenſis, 1124
Conſtantinus Imper. 325
Conſtantinus Manaſſes.
Conſtantinus Porphyrogenitus, 950
Conſtantinus ſcriptor vitæ ſancti Germani Antiſiodorenſis, 434
Corippus Poëta Africanus, 565
S. *Cornelius Papa,* 254
Cornelius Tacitus, 122
Cornelius Ianſenius, 1570
Coſmas Magalianus Soc. Ieſu. 1612
S. *Cyprianus,* 260
Cyprianus ſcriptor vitæ D. Cæſarij Arelatenſis, 510
Cyrillus Alexandrinus, 438
Cyrillus Hieroſolymitanus, 380
Cyrillus Monachus S. Sabbæ. 534

S. Dama

D

S. Damaſus Papa, 382
Decius I.C. 1500
Deſiderius Eraſmus, 1536
Demoſthenes Olympiade 104
Didacus Couarruuias, 1560
Didacus Payua, 1562
Didacus Morilla, 1608
Didacus Stella, 1580
Didymus præceptor S. Hieronymi, 400
Dinamus.
Dion Caſſius. 230
Dionyſius Areopagita, 110
Dionyſius Carthuſianus, 1460
Dionyſius Halicarnaſſæus Olymp. 190
Dionyſius Patriarcha Alex. 260
Directorium Inquiſitorum.
Dominicus de S. Geminiano, 1435
Dominicus Bannes, 1600
Dominicus Sotus, 1550
Dorotheus Archimandrita, 580
Durandus de S. Portiano, 1325

E

S. Edmundus Cantuar. Archiepiſcopus, 1240
Egeſippus, 167
Elias Cretenſis, 1088
S. Eligius obiit, 665
Emanuel Rodericus, 1600
Emanuel Sa, Soc. Ieſu, 1585
Emſerus.
S. Ephrem, 340
S. Epiphanius Epiſcopus, 406
Epiphanius Preſbyter, 519
Eſaias Abbas.
Eſpenſæus, 1566
Euagrius, 602
Euariſtus Papa, 112
S. Eucherius ſub nomine Emiſſeni, 456
Eugenius Papa IV. 1431
Eugippius Hiſtoricus, 482
Eunapius Sardianus, 400
Euodius, 418
Euſebius Emiſſenus, 356
Euſebius Papa, 309
Euſebius Alexandrinus, 200
Euſebius Cæſarienſis, 328
Eutychius, 439
Eutychianus Papa, 275
Euthymius, 1120

F

Fabianus Papa, 238
Felix I. 273
Felix IV. 526
Felinus I.C. 1500
S. Firmilianus, 261
Florus, 825
Fortunatus Venantius, 583
Franciſcus Arias Soc. Ieſu obiit, 1605
Franciſcus Ferrarienſis, 1550
Franciſcus Feuardentius, 1610
Franciſcus Mayro, 1320
Franciſcus Ribera Soc. Ieſu obiit, 1591
Franciſcus Suarez Soc. Ieſu, 1615
Franciſcus Turrianus Soc. Ieſu obiit, 1584
Franciſcus Toletus Card. Soc. Ieſu obiit, 1596
Franciſcus Victoria, 1540
Franciſcus Zabarella I.C. obiit, 1417
Freculphus Lexouienſis Epiſcopus, 840
Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis obiit, 1028
S. Fulgentius, 510
Fuluius Vrſinus, 1590

G

Gabriel Biel, 1490
Gabriel Vaſquez Soc. Ieſu, 1600
Gaguinus obiit, 1499
Galiſardus.
Gaſpar Caſalius, 1570
S. Gaudentius, 397
Gaufridus Antiſiodorenſis, 1163
Gelaſius Papa obiit, 498
Gemma.
Gennadius Epiſcopus Maſſilienſis, 490
Gentianus Heruetus, 1572
Georgius Archimandrita.
Georgius Cedrenus, 1100
Georgius Pachimerius, 1315
Georgius Scherer Soc. Ieſu obiit, 1606
Georgius Temutus Epiſcopus Cocinenſis. 1562
Gerardus de Rom.
S. Germanus Patriarcha Conſtan. 730
B. Gertrudis, 1290
Gilbertus Genebrardus, 1580
Giraldus, 1550
Giſelbertus, 880

Gloſſa ordinaria in S. Script. cuius auctor Strabo Fuldenſis, 840
Gloſſa in Iu Canon.
Godofridus ſeu Gaudfridus Monachus Clareual. 1188
Godeſcaldus, 1469
Gratianus Decretum collegit, 1151
S. *Gregorius Magnus,* 610
Gregorius II. 721
Gregorius VII. 1080
Gregorius X. 1274
Gregorius XI. 1371
Gregorius XIII. 1580
S. *Gregorius Nazianzenus,* 375
S. *Gregorius Nyſſenus,* 375
Gregorius Turonenſis, 600
Gregorius de Valentia Soc.Ieſu, 1600
Gulielmus Alanus, 1580
Gulielmus Altiſiodorenſis, 1240
Gulielmus Baldaſanus, 1590
Gulielmus Durandus, 1270
Gulielmus Lindanus, 1585
Gulielmus Ockan, 1325
Gulielmus Pariſienſis, 1236
Guido de Bayſio dictus Archidiac. 1300
Guimundus, 1059
Guthebertus, 1170

H

Haymo Epiſcopus Halberſtatenſis, 834
Hector Pinctus, 1568
Helmoldus Abbas, 1180
Henricus de Gandauo, 1300
Henricus Henriquez Soc.Ieſu, 1595
Herodotus ante Chriſtum natum, 440
Herueus, 1320
Heſychius Preſbyter Hieroſolym. 512
Hidelbertus Cenomanenſ.Epiſcopus, 1125
Hidelgardis Abbatiſſa, 1160
S. *Hieronymus,* 420
Hieronymus Maggius, 1550
Hieronymus Mercurialis, 1600
Hieronymus Rubeus, 1571
Hieronymus Oſorius obiit, 1580
Hieronymus Sorbus Capucinus, 1600
S. *Hilarius,* 370
Hincmarus, 876
Homerus ante Vrbem conditam, 169
Horatius ante Chriſtum natum, 24
Hoſtienſis ſeu Henricus de Seguſio, 1254
Hugo Linconienſis, 1056
Hugo de S.Victore, 1136
Hugo Card.primus Ordinis S.Dominici, 1260
Humbertus Cardinalis, 1054
Humbertus Ordinis S.Dominici, 1254
Hyginus Papa, 154
Hippolytus Martyr, 220

I

S. *Iacobus Liturgiæ auctor obiit,* 63
Iacobus Almainus, 1515
Iacobus Cuiacius obiit, 1590
Iacobus Graffius, 1593
Iacobus Gretſerus Soc.Ieſu, 1615
Iacobus Ledeſma, 1555
Iacobus Menochius, 1600
Iacobus Pamelius, 1580
Iacobus Parem.de Valentia, 1490
Iacobus de Voragine Epiſc. Genuenſis, 1295
Iamblicus, 340
Iaſon Maynus I.C. 1498
S. *Ignatius Martyr,* 108
Ignatius Nicenus.
Innocentius I. 416
Innocentius III. 1200
Innocentius IV. Genuenſ.ex Comit. Lauaniæ, 1250
Io. Andreæ I.C. 1330
Ioannes Auila, 1548
Io.Azor Soc.Ieſu, 1600
Io.Baptiſta Mantuanus, 1498
Ioannes Belethus, 1328
Ioannes de Capnio, 1510
Ioannes Capreolus, 1416
Io.Carolus Bouius,
Ioannes Caſſianus, 434
S. *Io.Chryſoſtomus obiit,* 407
Ioannes Climacus, 560
Ioannes Cochleus, 1520
Ioannes Curopalata, 1080
S. *Ioannes Damaſcenus,* 730
Ioannes Diaconus, 867
Ioannes Driedo, 1500
Ioannes Eckius, 1543
Ioannes Euiratus, 630
Ioannes Gagneus.
Ioannes Garetius, 1550
Ioannes Gerſon, 1415

Ioannes Gropperus Card. 1555
Ioannes Gutierres, 1600
Ioannes Henteniu.
Ioannes Herolt dictus diſcipulus, 1450
Ioannes Heſſelius, 1566
Ioannes Hoffmeiſterus, 1550
Ioannes Idiota, 850
Ioan. Laurinus Soc.Ieſu, 1615
Ioannes Longinus, 1079
Ioannes Lucena Soc.Ieſu, 1600
Ioannes Lucidus.
Ioannes Maior, 1510
Io. Maldonatus Soc.Ieſu, 1525
Ioan. Mariana Soc.Ieſu, 1610
Ioan. Medina, 1550
Ioannes Nauclerus, 1500
Ioannes Oſorius, 1528
Ioan. Patriarcha Hieroſolym. 390
Ioannes Penna, 1610
Ioan. Petrus Maffeus Soc.Ieſu, 1595
Ioannes Philoponus, 550
Ioannes Picus Mirandulanus, 1494
Ioannes Pineda Soc.Ieſu, 1615
Io. Roffenſis, 1525
Io. Duns Scotus Ordinis Franciſci, 1300
Io. Stephanus Durandus, 1590
Io. Tabiena auctor Summæ, 1518
Io. Trithemius Ordinis S. Benedicti, 1494
Io. Turrecremata Card. 1434
Io. Viguerius, 1560
Io. Villanus obiit, 1348
Io. Zonaras, 1110
Iodocus Clictoueus, 1520
Ionas Abbas, 716
Ionas Epiſcopus Aurelianenſis, 825
R. Ionathas ante Chriſtum natum.
Ioſephus Acoſta Soc.Ieſu, 1594
Ioſephus Angles, 1580
Ioſephus Iudæus, 97
S. Irenæus, 184
S. Iſidorus Hiſpalenſis, 633
Iſidorus Iſolanus, 1500
Iſidorus Peluſiota diſcip. S.Chryſ. 400
R. Iudas ante Chriſtum natum.
Iulianus Pomerius, 686
Iulius I. 338
Iulius Cæſar Scaliger, 1550
Iulius Clarius, 1550
Iuo Carnotienſis, 1112
Ius Canonicum.
Ius Ciuile.
Iuſtinianus Imperator, 535
Iuſtinus Hiſtoricus, 150
S. Iuſtinus Martyr, 150
Iuſtus Lipſius, 1590
Iuuenalis, 85
Iuuencus Preſbyter, 330

L

Lactantius Firmianus, 320
Laërtius, 150
Lampridius, 280
Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuar. 1088
Lanſpergius.
Lapus I.C. 1350
Laurentius Iuſtinianus, 1430
Laurentius Surius, 1578
Leo I. 460
Leo IV. 854
Leo IX. 1054
Leo X. 1515
Leo Sapiens Imper.Græcus, 900
Leonardus Leſſius Soc.Ieſu, 1615
Leonardus Vairus.
Leontius, 610
Liturgia Æthiopica S.Matthæi.
Liturgia S.Marci.
Liturgia S.Iacobi.v.Iacobus.
Liturgia S.Baſilij.v.Baſilius.
Liturgia S.Chryſoſtomi.v.Io.Chryſoſtomus.
Lucas Tudenſis Hiſtoricus, 1280
Lucianus Ethnicus, 100
Lucianus Preſbyter, 415
Lucifer Calaritanus, 335
Lucius Papa, 255
Lucretius Poëta ante Chriſtum natum, 80
Ludouicus Bloſius Abbas, 1540
Ludouicus Granata, 1585
Ludouicus Lopez.
Ludouicus Miranda, 1612
Ludouicus Molina Soc.Ieſu, 1600
Ludouicus de Ponte Soc.Ieſu, 1600
Ludouicus Richeomus Soc.Ieſu, 1615
Luitprandus, 947
Lupus Ferrarienſis Abbas, 845

M

S. Macarius, 340
Macrobius, 172
Magnes Theologus.

Io.Bapt.Scortia de ſacrif.Miſſæ. RRr Maiolus.

Maiolus.
Manuel, 1590
S. *Marcellinus,* 70
Marcellus Francolinus, 1585
S. *Martialis Epiſcopus Burdegal.* 40
Martialis Poeta, 85
Marcus Aurelius Ant.Imp. 176
Marcus Antonius Cuchus.
Marcus Antonius Muretus, 1585
Marcus Antonius Sabellicus, 1498
Marcus Epheſinus Epiſcopus, 1438
Marcus Marulus, 1510
Marcus Tullius Cicero ante Chriſtũ natum, 40
Marcus VVelſerus, 1580
Marius Victorinus, 365
Marianus Scotus hiſtor. 1080
Marſilius Columna, 1580
Marſilius Ficinus, 1492
Marſilius Inguen, 1390
Martinus Ayala.
Martinus Cromerus, 1550
Martinus del Rio Soc.Ieſu, 1606
Martinus de Frias, 1575
Martinus Fornarius Soc.Ieſu, 1615
Martinus Ledeſma, 1555
Martinus Nauarrus obiit, 1586
Martinus Papa, 650
Martinus Polonus hiſtor. 1320
Matthæus Raderus Soc.Ieſu, 1615
Maximus Martyr, 656
Maximus Taurinenſis, 450
Maximus Tyrius Antonini Preceptor, 150
Melchior Canus, 1550
Menologium Baſily Imp. 886
Mercurius Triſmegiſtus ante Chriſtum natum, 303
Michaël Glycas, 1118
Michaël Medina, 1550
Michaël Salon, 1590
Michaël Studita, 825
Michaël Vaſquez Soc.Ieſu, 1615
Micrologus, 1085
Minutius Felix, 310
R. *Moyſes Hardaſan ante Chriſtum natum.*

N

Nicephorus Caliſtus hiſtor. 1310
Nicætas Choniates, 1200
Nicetas Interpres Nazanzeni.
Nicetas Pectoratus, 1054
Nicetas Scriptor vita Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolitani, 878
Nicolaus Cabaſila, 1250
Nicolaus de Cuſa obiit, 1464
Nicolaus de Lira, 1322
Nicolaus Methonenſis, 1230
Nicolaus Papa, 866
Nicolaus Serrarius Soc.Ieſu, 1612
Nilus diſcip.D.Io.Chryſ. 400

O

Ocellus Philoſophus Italus circa Olymp. 70.nempe ante Chriſtum natum, 494
Odo Abbas, 894
Odo Cameracenſis, 1127
OEcumenius, 950
Oleaſter, 1566
Onuphrius Panuinus, 1566
Optatus Mileuitanus, 368
Ordinis Romani auctor, 750
Origenes, 230
Oſbertus, 980
Ouidius Poëta obiit anno 5. Tiberij Imperatoris nempe ante Chriſtum natum, 21

P

Pacianus, 390
Pagninus, 1524
Palacius.
Palladius, 383
Panormitanus Nicolaus de Tudeſchis Abb. 1435
Paſchaſius, 880
S. *Paulinus Nolanus,* 427
Paulinus Preſbyter, 390
Paulus Æmilius hiſtor. 1484
Paulus Burgenſis, 1430
Paulus Diaconus, 773
Paulus Middeburgenſis Epiſcopus Foroſempronien. 1500
Paulus Oroſius, 420
Paulus V. Pontifex, 1615
Pauſanias Olympiade 75
Padraza.
Pelagius I.I. 580
Perſius Poeta, 40
Petrus Aliacus Card.obiit, 1426
Petrus Ancharanus I.C. 1410
Petrus Antiochenus Epiſcopus, 1054
Petrus Aragona, 1590
Petrus Bercorius, 1368

Petrus Bleſenſis, 1190
Petrus Caniſius Soc. Ieſu obiit, 1597
Petrus Chryſologus, 500
Petrus Cluniacenſis, 1127
Petrus Comeſtor Trecenſis, 1160
Petrus Crinitus, 1504
Petrus Damiani, 1070
Petrus Galatinus, 1516
Petrus Ledeſma, 1610
Petrus Lopez.
Petrus Lombardus Nouar. Mag. ſent. 1164
Petrus Nauarrus, 1590
Petrus Paludanus, 1330
Petrus Ranſanus Epiſcopus Nuccrinus, 1488
Petrus Ribadenera Soc. Ieſu, 1614
Petrus Sotus, 1550
Petrus Thyreus Soc. Ieſu, 1595
Petrus Valderame, 1606
Petrus Vegas, 1600
Philippus Ferrarius Seruita. 1613
Philiarchus, 1590
Philo Iudæus, 50
Philoſtratus, 196
Photius Patriarcha Conſtantinop. 866
Pierius Valerianus, 1550
R. *Pinechas ante Chriſtum natum.*
Piſanella Summa auctor, 1325
Pius I. 159
Pius IV. 1560
Pius V. 1566
Placidia Auguſta, 449
Plato natus Olymp. 88. nempe ante Chriſti Natiuitatem. (quæ accidit Olymp. 194. anno 2.) annis 422
Plautus ante Chriſtum natum, 250
Plinius maior, 80
Plinius minor, 105
Plutarchus, 120
Polybius ante Chriſti Natiuit. 225
Polycrates, 200
Polydorus Virgilius, 1495
Pomanus, ſeu hiſtoria vniuerſalis ab eo conuerſa, 1556
S. *Pontianus,* 233
Pontius Diaconus.
Poſſidonius, 450
Porphyrius diſcipulus Plotini, 295
Primaſius Epiſcopus Adrumeti, 553
Præpoſitiuus Leodienſis Preſbyter. 1225
Priuilegia Minorum.
Priuilegia Soc. Ieſu.
Proclus Patriarcha Conſtantinop. 440
Proclus Philoſophus, 498
Procopius Gazæus, 553
S. *Proſper Aquitanus,* 466
Prudentius, 406

Q

Quintilianus, 95
Q. Curtius hiſtor,

R

Rabanus Maurus, 855
Radulphus Tungrenſis, 1400
Raffaël Volaterranus, 1494
S. *Remigius Antiſiodorenſ.* 882
S. *Remigius Rhemenſis,* 498
Reſponſa Congregationis Illuſtr. Cardinalium ſuper Concilium Tridentinum.
Rhegino, 940
Rhenanus, 1547
Richardus de Mediauilla, 1325
Richardus de S. Victore, 1132
Rituale Hebræorum.
Robertus Bellarminus Cardin. Soc. Ieſu, 1615
Rodulphus Abbas S. Trudonis, 1100
Roſella Io. Bapt. de Salis, 1485
Ruardus Tapperus, 1540
Ruffinus Aquileienſis, 400
Rupertus Abbas Tuitienſis, 1110

S

Salicetus, 1378
R. Salomon.
Saluianus, 460
Samonas Gazenſis Archiepiſcopus, 1229
R. *Samuel,* 1090
Sanderus, 1568
Sarnenſis ſeu Ludouicus Gomez, 1518
Sebaſtianus Barradius Soc. Ieſu, 1615
Sebaſtianus Perez.
Sedulius Poëta Chriſtianus, 430
Seneca Philoſophus, 60
Seneca Poëta, 80
Septuaginta duo Interpretes claruerunt ante Chriſti Natiuitatem, 280
Seraphinus Razius, 1590
Seruius Virgilij Interpres.
Seuerus Sulpitius, 419
S. *Seuerus Patriarcha Alex. circa annum* 660
Sibylla Babylonica, quæ ſe Noë nurum dicit, falsòque

falſóque appellandam Erythream creditur perueniſſe vſque ad annum orbis conditi 2981. qua de re Genebrardus.
Sigebertus, 1112
Simancas, 1550
Simeon Metaphraſtes, anno Domini 670. etſi illi adiecta quædam, ob quæ aliis videtur floruiſſe circa annum 900
Simplicius Philoſophus Peripateticus, 600
Syricius Papa, 388
Sixtus I. 132
Sixtus V. 1585
Sixtus Senenſis, 1566
Smaragdus Abbas, 930
Socrates Hiſtoricus, 433
Sophronius, 636
Soter Papa, 175
Sozomenus, 437
Speculum exemplorum Henrici Grani, 1480
Speuſippus Platonis Nepos Olymp. 110
Staniſlaus Hoſius Card. 1572
Statius Poëta, 85
Stephanus Auila Soc. Ieſu, 1610
Stephanus Heduenſis, 950
Stephanus Papa, 257
Stephanus Rex Vngariæ obiit, 1038
Stobæus.
Strabo Hiſtoricus Olymp. 190
Strabo Fuldenſis v. Gloſſ.
Suetonius, 144
Sugerius Abbas, 1147
Suidas, 1018
Summa Confeſſ. Io. de Friburgo, 1290
Summa Aſtenſis, 1317
S. Syluester Papa, 325
Syluester Prierates, 1515
Syneſius, 412

T

Terentius ante Chriſtum natum, 200
Tertullianus, 220
Thalaſſius Monachus.
Theleſphorus Papa, 142
Themiſtius Philoſophus, 385
Theodoretus, 460
Theodoretus Lector, 890
Theodoretus Balſamon, 1193
Theodorus Hieroſolym. Patriarcha,
Theodorus Studita, 813
Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis, 835
Theofridus Abbas.
Theophanes Hiſtoricus, 813
Theophanes Tauromeniæ Archiepiſcopus, 830
Theophylactus, 1073
Theophilus Alexand. 410
S. Thomas Aquinas, 1265
Thomas Argentinas, 1360
Thomas Beleuxamis, 1580
Thomas Bozius, 1600
Thomas Caietanus Card. 1525
S. Thomas Cantuarienſis, 1166
Thomas Cantipratenſis, 1267
Thomas de Kempis, 1424
Thomas Faſellus, 1560
Thomas Sanchez Soc. Ieſu, 1608
Thomas VValdenſis, 1410
Tibullus Poeta ante natum Chriſtum, 25
Tiraquellus, 1558
Titelmanus, 1523
Titus Liuius obiit anno 4. Tiberij, ideo vixit Chriſti tempore.
Titus Boſtrenſis, 289
Trottus.

V

Valerius Maximus Auguſto chariſſimus.
VValfridus, 825
Varro moritur anno 15. Auguſti.
Victor Vticenſis, 484
Vigilius Papa, 583
Virgilius Poeta obiit Auguſti, 25
Vincentius Lerinenſis, 415
Vincentius Bellouacenſis, 1250
Vita S. Euchery.
Vitruuius ante Chriſtum natum, 25
Vranius Scriptor vitæ S. Paulini.
Vrbanus IV. 1264
VVidmanſtadius, 1555
VVilelmus Abbas Script. vitæ S. Bern. 1155
VVilelmus Neubrigenſis, 1188
VVilelmus Tyrius, 1147

X

Xenophon auditor Socratis Olymp. 110

Z

Zacharias Papa, 744
Zacharias Chryſopolitanus Epiſc. 1100

INDEX RERUM.

A

ABLVTIO manuum inter celebrandum ritus antiquiſſimus. lib. 4.c.2.num.1. pag.282
Ablutio hæc cur non tantùm initio Miſſæ, ſed etiam in medio fiat. lib.4.c.2.n.2. 283
Ablutio manuum ante orationem, & in ingreſſu templi veteribus vſitata.lib.4.c.2.n.1. 282
Accidentia panis & vini remanent etiam in Euchariſtia,& quare.lib.4.c.18.n.1. 384
Accidentia huiuſmodi ſine ſubiecto ſubſtantiali manent.lib.4.c.18.n.2. 382
Accidentia hæc non permanent omnia ſine ſubiecto accidentali.lib.4.c.18.n.3. 385
Accidentia eadem conſeruata ſine ſuo ſubiecto num poſſint ſine nouo miraculo, agere, pati & corrumpi,vt poterant ante conſecrationem.lib.4. c.18.n.4. 387
ex Accidentibus ſeu ſpeciebus Euchariſtiæ corruptis poſſit ne nutritione aut generatione fieri ſubſtantia aliqua. & verùm ſine productione nouæ materiæ?lib.4.c.18.n.5. 389
Acolyti cur cum accenſis cereis præcedant ſacerdotem accedentem ad altare,in Miſſis celebrioribus.lib.3.c.2.n.2. 173
Acolyti cur cum accēſis facibus antecedant ad Ambonem Diaconum Euangelium lecturum. lib.3. c.23.n.6. 257
Adoratio eſt ſubmiſſionis & honoris nota, & ab eo quomodò diſtinguatur.lib.3.c.3.n.3. 175
Adoratio triplex,Duliæ ſcilicet,Hyperduliç & Latriæ,& quid ſingulæ ſint.lib.3.c.3.n.4. ibid.
Adoratio exterior & interior. ibid.
Adoratio alia propter ſe,alia relatiua ad aliud.ibid.
Æternitas quid ſit.lib.3.c.19.n.5. 244
Agnus Paſchalis figura ſacrificij corporis & ſanguinis Chriſti.lib.1.c.3.n.10. 29
Agni nomen cur Chriſto Domino tributum. lib.4. c.25.n.2. 421
Agnus Dei,precationem quis innexerit in Miſſam, déque eius triplici repetitione, & conuenientia. lib 4.c.25.n.1. ibid.
Agnus Dei precatio explicatur. lib.4.c.25.n.3.&4. ibid.& ſeq.
Albæ origo & ſignificatio. lib.2.c.8.n.9. 111
Alleluia quid ſignificet, cur dicatur Hebraicè antiquitas, & vſus eius varius, cur poſtponatur Graduali, meritò omitti à Septuageſima ad Paſcha, à quo ſit in Miſſam inuecta, eademque voce monachos ad Synaxin conuocari ſolitos,& ruſticorum laboris moleſtias ſubleuari. lib. 3. c.22.n.3. 254
Altaris etymologia.lib.2.c.14.n.1. 153
Altare quotuplex. ibid.
Altare, quod in cœlo eſſe dicitur, quid ſit. lib.4. c.19.n.5. 394
Altare in Euangelica Eccleſia eſſe debuiſſe. lib. 1. c.3.n.7. 21
Altaris vſus in Eccleſia,& prædictus, & viguit ſemper.lib.2.c.14.n.1. 143
Altare neceſſarium in ſacrificio. ibid.
Altaris myſtica ſignificatio.lib.2.c.14.n.2. ibid.
Altaris materia & quantitas quæ. lib. 2. c. 14. n. 3. 144
Altare cur in nouo Teſtamento ſolidum fiat, non vacuum vt in veteri.lib.2.c.14.n.2. 143
Altare orientem ſolem ſpectare debet ſi poſſit. lib.2.c.14.n.8.p.146.lib.3.c.19.n.7. 245
Altare neceſſariò ſit conſecratum. lib. 2. c. 14. n.4. 144
Ad altaris conſecrationem requirantur ne reliquiæ neceſſariò. ibid.
in Altaris conſecratione nullo modo Euchariſtiam includendam. ibid.
Altare quando ſit cenſendum execratum.lib.2.c.14. n.5. 145
Altare ſibi timentium Aſylum.lib.2.c.14.n.7. ibid.
Altare ſemper habitum ſacroſanctum. ibid.
Altare quo apparatu inſtructum eſſe oporteat.lib.2. c.14.n.8. 146
in Altaris vtenſilibus iniuria admodum reprehenſibilis. ibid.
Altari oſculum quid denotet. lib.3.c.12.n.5.p.228 lib.4.c.4.n.1.p.288.c.19.n.6. 395
Altaris contactus in celebratione ita fiat vt anterior & ſuperior pars digitis tangatur,& cur.lib.3. c.13.fine. 230
Altaris cuſtodiæ Angeli deputati. lib. 2.c.14.n.9. lib.3.c.12.n.5. 228
in Altari in quo eo die Epiſcopus celebrauit non licet presbytero abſque licentia facere ſacrum. lib.2.c.14.n.6. 145
Altarium violatores à Deo grauiter punitos. lib. 2. c.14.n.7. ibid.
Amans cur redamari velit.lib.1.c.10.n.3. 149
Amen non vnica ſignificatio.lib.3.c.20.n.1. ibid.
Amen cur in Latinam linguam non tranſlatum. lib.3.c.20.n.2. 250
Amen quomodo accipiatur in fine collectæ. ibid.

Amen à toto populo reſponderi ſolitum.lib.3.c.20.n.3. ibid.
Amen in fine orationis Dominicæ cur non à miniſtro aut populo, ſed dicatur à ſacerdote, & ſubmiſsè.lib.4.c.22.n.15. 417
Amen noſtrum diligenter curandum vt ſit legitimum.lib.3.c.20.n.4. 250
Amictus origo & ſignificatio.lib.2.c.8.n.8. 111
Amor Dei in inſtituenda Euchariſtia. lib. 1. c. 10. n.2. 62
Angeli in templis degunt. lib.2. c.13. n.2. p.130.& 12.p.136.& c.20.n.12. 166
Angeli reuerenter diuino ſacrificio aſſiſtunt. lib. 1. c.1.n.3.p.4.c.10.n.4.p.65. lib.2.c.13 n.12.p.136. c.20.n.12.p.166.lib.4.c.11.n.22. 335
Angeli verba noſtra & geſtas in templis deſcribunt. lib. 2. c. 13. n. 12. p. 136. lib. 4.c.11.n.22. 335
Angeli altarium cuſtodiæ deputati. lib.2.c.14.n.9. p.150.lib.3.c.12.n.5. 228
Angeli Prouinciarum, vrbium, monaſteriorum, familiarum, exercituum, elementorum, ſpecierúmque animalium præſides.lib.4.c.n.7..5 296
Angelorum multitudo quàm immenſa. lib.4. c.7. n.5. ibid.
Angelorum miniſterio noſtras Orationes, ſacrificia & vota Deo offerri. lib.2.c.13.n.12.p.136. lib.4. c.19 n.5. 394
Angelus cuſtos ſingulorum hominum.lib.4.c.7.n.5. 296
Angeli cuſtodes aliquando ſuos clientes verberibus acceperunt propter defectus illorum. lib. 3. c.8. n.3.p.202.lib.4.c.7.n.5. 296
Angeli indignantes prauas actiones noſtras recedunt.lib.4.c.7.n.5. 296
Angeli ſacram Euchariſtiam venerantes adorant. lib. 2. c. 22. n. 12. p. 166. lib. 4. c. 11. n. 22. 335
Angelos ſacerdotibus celebrantibus aliquando inſeruiſſe. lib. 2. c. 11. n. 2. p. 118. lib.4.c.24.n.3. 419
Angelos ſacerdotibus ſacram Euchariſtiam miniſtrantibus opem ferre.lib.2.c.20.n.12. 166
Angelos ipſos aliquando ſacram Euchariſtiam diſtribuiſſe.lib.4.c.29.n.6. 448
Angeli Ardeburij milites conantes abſtrahere ex monaſterio ſibi timentem, fulminibus abegerunt.lib.2.c.13.n.14. 132
Animabus Purgatorij plurimum Miſſæ ſacrificium iuuat. lib.2.c.2.n.5. & 9. p. 77. 80. & lib.4.c.20. n.1.2.3. 395.& ſeq.
Annihilatio dicenda ne ſit deſitio ſubſtantiæ panis & vini in Euchariſtia.lib.4.c.15.n.3. 367
Antiphonæ vſus in Miſſæ introitu vetus. lib. 3. c.9. n.1. 303
Apoſtoli in vltima cœna à Chriſto ſacerdotes inſtituti.lib.1.c.2.n.1.p.6.lib.4.c.11.n.22. 335
Apoſtoli Miſſæ ſacrificium obtulerunt. lib. 1. c. 2. n.1.p.6.& c.3.n.11. 30
Aqua benedicta ad leuiores culpas eluendas & auertenda pericula Apoſtolorum traditione conſeruanda in templis & cubiculis. lib. 2. c. 13.n.13. p.135.lib.4.c.2.n.1. 282
Aqua, eáque naturalis in calice miſcenda.lib.4.c.1. n.14. 279
Eadem ſit modica. ibid.
Miſcenda eſt ad altare non antea. lib. 4. c. 1. n.15.280
Aqua eadem non neceſſariò prius vertitur in vinum quàm in ſanguinem.ibidem.n.14. 279
Aqua infundenda in calicem prius benedicenda à ſacerdote, præterquam in defunctorum Miſſis, & cur.ibidem.n.15. 280
Arrha & pignus in quo differant. lib. 1.c. 10. n. 6. 67
Arthemiſia extincti coniugis cineres ebibit, vt illius viuum eſſet ſepulcrum.lib. 1.c.10.n.2. 62
Aſſiſtens ſacrificio miniſter vnus tantùm ſufficit. lib.2.c.11.n.3.p.126.lib.3.c.17.n.3. 239
Aſſiſtens ſacrificio miniſter mas non fœmina eſſe debet.lib.2.c.11.n.2. 125
Abſque aſſiſtente miniſtro an liceat celebrare.lib.2. c.11.n.1. 124
Aſſiſtens. vide v.*Miniſter*.
Attentio quotuplex, & quæ in audienda Miſſa ſufficiat.lib.4.c.20.n.12. 166
Azymi & fermentati controuerſia cœpta ſolùm anno 1053.lib.4.c.1.n.7. 271
Azymi & fermentati differentia accidentalis panis. lib.4.c.1.n.7. ibid.
Azymus panis exemplo Chriſti Euchariſtiæ magis conuenit.lib.4.c.1.n.7. ibid.

B

BAſilius Imperator moriturus filium monet, vt Eccleſiam & ſacerdotes honoret. lib.2.c.9. n.1. 114
Benedici haud debet vinum in Miſſa, ſed tantùm aqua, & cur.lib.4.c.1.n.15. 280
Benedictio celebrantis petenda à Diacono lecturo Euangelium ritu veteri.lib.3.c.23.n.2. 256
Benedictio ne infructuoſa reddatur eidem curandum.lib.3.c.23.n.3. 257
Benedictionis ſacerdotis in ſacrificio vetus ritus, origo, & ſignificatio.lib.4.c.31.n.5. 464

C

CAlceatus ſacerdos ſacrificium offerat. lib.2.c.8. n.2. 107
Calix, in quo Chriſtus ſuum conſecrauit ſanguinem ex qua fuerit materia.lib.4.c.11.n.26. 341
Calix ex qua materia eſſe debeat. lib.2. c.14. n.8. 146
Calix ſacratus ſit.lib.2.c.14.n.8. ibid.
Calix quando iam execratus cēſeatur. lib.1.c.14. n.8. ibid.
Calix non niſi à ſacratis viris tangendus.lib.2.c.14. n.8. ibid.
Calix velo cooperiendus.lib.3.c.5.n.1. 198
Calix & ſacra velamina reuerenda, nec vertenda in

proſa

proſanos vſus. lib.2.c.14.n.8.p.146.lib.3.c.5.n.9. 197
Calicis plures num liceat in Miſſa conſecrare.lib.4. c.11.n.26. 341
Calix ſit ne eleuandus in Miſſa. lib.4. c.11. n.34. 348
Calix ſit ne coopertus eleuandus. lib.4. c.11. n.34 ibid.
Calicis conſecratio quibus verbis fiat. lib. 4. c. 11. n.27. 342
Sit ne de eſſentia ſacrificij vt conſecratio calicis poſtponatur conſecrationi corporis Chriſti. lib.4.c.11.n.24. 340
Calix cur dicatur præclarus. lib. 4. c. 11. n. 26. 341
Campanæ vſus quàm antiquus. lib. 4. c. 11. n. 23. 338
Canes panem excommunicati, ne attingere quidem auſi.lib.2.c.2.n.4. 10
Canes quibus Euchariſtia à ſuis dominis data fuerat in rabiem verſi impios dominos dilaniarunt. lib.4.c.29.n.16. 460
Canonis Miſſæ etymologia,& nomina varia. lib.4. c.8.n.2. 301
Canonis autor quis.lib.4 c.8.n.3. 302
Canon Miſſæ non variatur.lib.1.c.1.n.1. 1
Canon Miſſæ cur ſecretò dicatur. lib. 4. c. 8. n. 1. 301
Canonis partes quot.lib.4.c.8.n.4. 302
Canonis pars prima correctionem aut ſuperfluitatem nullam continet vt Nouatores ſomniant, & explicatur.lib.4.c.9.toto. 303
Canonis pars altera exponitur.lib.4.c.10. 313
Canonis pars tertia quid doceat. lib. 4.c. 11. toto. 316
Canonis pars quinta contra Nouatorum calumnias defenditur.lib.4.c.19.toto. 390
Canonis pars quinta declaratur.lib.4.c.20. 395
Canonis pars ſexta exponitur,& repelluntur Nouatorum tela. ibid.
Capitis inclinatio & flexio venerationis ſignum. lib.3.c.16.n.7. 237
Caſtitas cur ſacerdotibus euangelicis indicta.lib.2. c.7.n.4. 102
Caſtitas ſaltem 24. horarum decet ſumturum Chriſti corpus.lib.2.c.7.n.4. ibid.
Caſulæ ſeu planetæ origo & ſignificatio. lib.2.c.8. n.13. 113
Catechumeni, Emergumeni, Pœnitentes & Infideles quouſque permitterentur Miſſæ intereſſe. lib. 1.c.1.n.3.p.4.lib.4.initio. 268
pro Catechumenis viuis & defunctis ſi competentes erant Miſſæ ſacrificium vtiliter offerri poteſt. lib.2.c.2.n.5. 77
Ceruorum carnes febrium antidotum. lib. 1. c. 10. n.5. 66
Chorus Eccleſiæ haud pateat Laicis ritu veteri. lib.3.c.11.n.4.p.219.lib.4.c.8.n.1. 301
Chriſtus Dominus hoſtia & ſacerdos. lib. 1. c. 2. n.2. 8
Chriſtus ſeſe Deo Patri ſacrificium incruentum in cœna, & cruentum in cruce obtulit. lib 1.c. n.10.p.29. idque non fruſtrà vt ſomniat Caluinus. n.12. 31
Chriſtus ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. lib. 1. c. 3.n.8.9.10.p.17.& ſeqq. c.4.n.4.p.38.lib.2.c.3.n.1.2. 83.& ſeq.
per Chriſtum Pater mundo largitur, quicquid dare conſtituit. lib. 3.c.19. n. 4. p.242.lib.4.c.9.n.3. p.304.c.21.n.5. 399
Chriſtus principalis offerens in ſacrificio Miſſæ. lib. 1.c. 5.n. 1. & 2. p. 39. & ſeq. lib. 2.c.3.n.1. 83
Chriſtus quibus modis dicatur Miſſæ ſacrificium offerre.lib.2.c.3.n.2. 84
Chriſtus dum vixit legem ſeruauit. lib. 1. c. 2. n.3. 9
Chriſtus pro nobis Patrem orat.lib.2.c.3.n.2. 84
Chriſtus in vltima cœna de Euchariſtiæ ſacrificio participauit. lib.1.c.5.n.2. p.40. lib.4.c.11.n.9. 321
Chriſtus crucifixus ipſo die feſto Paſchæ. lib.1.c.2. n.4. 10
Chriſtus crucifixus luna 14. feria ſexta. lib. 1. c. 2. n.4.& 5. ibid.& ſeq.
Chriſtus an ſit crucifixus die 25. Martij haud certum.lib.1.c.2.n.4. ibid.
Chriſtus pro nobis ſatisfecit de rigore iuſtitiæ. lib.4.c.4.n.1. 288
Chriſtus ſuiſne manibus diſcipulorum ori Euchariſtiam admouerit.lib.4.c.11.n.10. 321
Chriſtus poſt Aſcenſionem ſacram Euchariſtiam aliquibus dediſſe.lib.4.c.29.n.6. 448
Chriſtus ſuum ne corpus paſſibile in vltima cœna dederit diſcipulis an impaſſibile vt nunc tribuitur.lib.4.c.11.n.20. 334
Chriſtus ne iiſdem, quibus Eccleſia vtitur verbis conſecrarit.lib.4.c 11.toto. 348
Chriſtus totus ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini continetur, & ſi quod exprimitur in forma verborum contineatur ex vi ſacramenti cætera ex naturali concomitantia. lib. 4. c. 17. n. 1. 372
Chriſtus totus ſub qualibet parte ſpecierum continetur.lib.4.c.17.n.5. 376
Chriſtiani dicendi quotquot è Gentibus ante Chriſti aduentum ſecundùm rationem vixerunt.lib.3. c. 19.n.4. 242
Cinguli ſacri origo & ſignificatio. lib.2.c. 8.n.10. 112
Ciuiles cauſas auocari poſſe à laicis magiſtratibus ad Epiſcopum,ſtatuit Theodoſius. lib.2.c.9.n.1. 114
Clamor ſignum cupientis audiri & adiuuari. lib.4. c.21.n.3. 398
Clerici à publicis oneribus Conſtantini Magni lege immunes declarati.lib.2.c.9.n.1. 114
Clericis conueniat ne immunitas iure tantùm humano,an etiam diuino.lib.2.c.9.n.2. 118
Clericorum & Eccleſiarum bona ſint ne à tributis libera iure diuino, an ſolum humano. lib.2.c.9. n.3. 119

Cleri

Clericis neceſſaria ad vitam benignè ſubminiſtranda.lib.2.c.9.n.4. 122
Clericorum incontinentia quantum crimen. lib. 2. c.7.n.4. 102
Cœnandi mos apud Romanos & Hebræos Chriſti tempore.lib.4.c.11.n.10. 321
in die Cœnæ Domini olim alicubi veſperi ſolitum celebrari.lib.1.c.2.n.5. 15
Collectæ nomen multiplex.lib.3.c.19.n.1. 242
Collecta in Miſſa quid ſignificet, & cur. ibid.
Collectæ vſus in Miſſa antiquus. lib. 3. c. 19. n. 2. ibid.
Collecturum Autores qui.lib.3.c.19.n.3. ibid.
Collectæ haud dicendæ niſi prius probatæ fuerint. ibid.
Collectæ cur communiter dirigantur ad Patrem. lib.3.c.19.n.4. ibid.
in Collectis cur fiat obſecratio per filium. ibid.
Collectæ concludendæ in vnitate Spiritus S. ibid.
in Collectis concludendis quid ſeruandum. ibid.
Collectæ concluſio: Per omnia ſecula ſeculorum, quid ſignificet.lib.3.c.19.n.5. 244
Collectæ in Miſſa quot dicendæ. lib. 3. c. 19. n. 6. 245
Collectæ orientem verſus dicendæ. lib. 3. c. 19. n.7 ibid.
Collectæ qua corporis compoſitione dicantur. lib.3.c.19.n.8. 246
Collectæ poſt Offertorium ſecretò ritu veteri dicuntur.lib.4.c.5.n.1. 289
Collectarum ſecretarum varietas & numerus. lib.4.c.5.n.3. 290
Collectis ſecretis cur non præmittatur immediatè: Oremus. ibid.
Collectæ ſecretæ cur alta voce claudantur. lib. 4. c. 5.n.2. ibid.
Collectæ poſt communionis.lib.4.c.31.n.2. 463
Communio non niſi ſemel in die accipienda. lib.2. c.16.n.1. 153
Communio ſub vtraque ſpecie an ſit neceſſaria. lib.4.c.29.n.8. 450
Communio, quo ritu olim ſumeretur. lib. 4. c. 29. n.9. 453
Communio licita quouis die, & quauis hora, ſi adſint reliqua.lib.4.c.29.n.10. 455
Communio magna reuerentia accipienda eſt poſt acceptam quæ adhibenda cautela.lib.4.c.29.n.12. 456
Communio frequens per ſe fructuoſiſſima. lib. 4. c.29.n.14. ibid.
Communicantis humilitas, quæ. lib.4. c. 27. n.1. 425
Communio infirmis periclitantibus etiam non ieiunis danda,& ſi opus ſit ſæpiùs.lib.4.c. 29.n.11. 455
Communionis dandæ autoritas ſacerdotis propria; ſed in neceſſitate illius aut Epiſcopi iuſſu poſſet præbere Diaconus.lib.4.c.29.n.6. 448
Communio aliquando à Chriſto & Angelis data. ibid.
Communio accipienda à proprio ſacerdote, aut priuilegiatis, & tranſgreſſio ex ſuo genere grauis. lib.4.c.29.n.7. 449
Communio ferenda & danda cum decoro,& habitu decenti.lib.4.c.29.n.7.& 11. 449.455
Communicandus ſacerdos ſtolam habeat. lib. 4. c.29.n.7. 449
Communionem fieri in ſingulis ſacrificiis non eſt neceſſe quicquid Nouatores garriant.lib.4.c.29. n.1. 443
Communionem ſumere aliquando obligantur fideles.lib.4.c.29.n.2. 445
Communicandum iure diuino vita comite, non ſemel tantùm.lib.4.c.29.n.3. 446
Communicandum iure eccleſiaſtico ſaltem tempore Paſchali.lib.4.c.29.n.4. ibid.
Communicandi præceptum quando incipiat obligare.lib.4.c.29.n.5. 447
Communicaturum ſumma decet puritas & ſanctitas. lib.2.c.6.n.3.p.96.c.7.n.4. p. 102. lib.3.c.11. n.2.p.217.lib.4. c.27.n. 6. 436
Communionem accepturæ fœminæ ſolitæ induere linteamina nitida, & excipere in velo mundiſſimo.lib.4.c.29.n.9. 453
Communionem viri in manibus probè lotis excipiebant. ibid.
Communio ſit ne indigno deneganda. lib. 4. c. 29. n.15. 457
Communio fieri poteſt ex particula hoſtiæ conſecratæ,ſi alia formula deſideretur.lib.4.c.29.n.13. 456
Compoſitio corporis internæ quietis indicium eſt, & diligenter curanda. lib. 3.c.11.n.1.p.217.c.19. n.8. 246
Confeſſionis generalis,Confiteor Deo, &c.& verſiculi, Miſereatur, &c. vſus antiquus & optimus. lib.3.c.10.n.1.2. 214
Vtilis eſt ad expiationem peccatorum venialium: & num ex opere operato, vel operantis. ibid.
Sit ne recenſenda inter Sacramentalia. ibidem. n.3. 216
Confeſſio Sacramentalis quando neceſſario præmittenda ſacrificio, & communioni. lib.2 .c.6. n.2. 94
Conſecratio potiſſima actio ſacrificij.lib. 1.c.5.n.1. & 2. 39.& ſeq.
Conſecratio à Patribus immolatio dicta. ibid.
Conſecrationis corporis Chriſti forma: *Hoc eſt corpus meum*.lib.4.c.11.n. 13. 324
Conſecrationis ſanguinis forma: *Hic eſt ſanguis meus*.lib.4.c.11.n.27. 342
Conſecrationis verba prædicta ſufficiunt, quicquid ſomnient Græci, etſi non liceat abſque graui peccato reliqua omittere. lib.4.c.11.n.27.& 28. ibid.& ſeq.
Conſecrationi præcedentia verba: Qui pridie, &c. non pertinent ad conſecrationis formam, quicquid aliqui ſenſerint.lib. 4.c.11.n.3.& 11.p.317. 323
Conſecrationis verba recitatiuéne tantùm à ſacerdote dicantur, an formaliter ſolùm, an vtroque modo.

modo.lib.4.c.13.n.1. 349
Conſecrationis verborum vter ſenſus ſit magis neceſſarius.lib.2.c.13.n.2. 351
Conſecratio vltimæ Cœnæ fractionémne præceſſerit.lib.4.c.11.n.8. 320
Conſecratio,Gratiarum actio,& Benedictio in Euchariſtiæ inſtitutione idem ne ſuerint.lib.4.c.11.n.7. 319
Conſecratione peracta non remanere in Euchariſtia panis & vini ſubſtantiam.lib.4.c.15.n.1.& 2. 363.& ſeqq.
Conſumtio ſacrificij pars eſſentialis. lib.1. c. 5.n.2. p.40.lib.4.c.27.n.2. 425
Coriandri natura mirabilis.lib.4.c.17.n.5.p.376.& c.19.n.3. 391
Corona clericalis, vide, *Tonſura.*
Corporale vnde dictum, vſus & myſtica eius ſignificatio.lib.3.c.5.n.1. 194
Corporale lineum eſſe debet,album, benedictum, mundiſſimum, nec tangendum niſi ab exiſtentibus in ſacris.lib.3.c.5.n.2.3.4.5.7. 195.& ſeq.
Sine corporali ſacrificium celebrare graue peccatum.lib.3.c.5.n.6. 196.& ſeq.
Corporale, pallæ & cætera diuino cultui dedicata etiam lacera nequeunt in profanos vſus conuerti. lib.2.c.14.n.8.p.146.lib.3.c.5.n.9.10. 197
Corporalis ſacri beneficio incendium extinctum. 197
Corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia veritas contra Nouatores euincitur.lib.4.c.14.p.352. ex diuinis quidem litteris.n.1.p.ead. Patrũ teſtimoniis. n.2.p. 353. Conciliorum definitionibus. n.3.p.355. diuinis miraculis. n.4. p.356. nullam contradictionis implicantiam continet. n.5. p. 359. & tandem afferuntur ad hoc idem declarandum ſimilitudines,ex Scriptura,natura, & arte petitæ.n.6. 362
Corpus Chriſti prout eſt in Euchariſtia ſit ne capax alicuius mutationis.lib.4.c.17.n.8. 382
Corpus Chriſti in Euchariſtia ſit ne propria quantum præditum,non ſecus atque eſt in cœlo.lib.4.c.17.n.6. 378
Corpus Chriſti an ſit ſub ſpeciebus Euchariſtiæ localiter.lib.4.c.17.n.7. 381
Corporis Chriſti nomine quod ex vi verborum ſub ſpecie panis continetur, comprehendantur ne etiam formæ partiales carnis oſſis neruorum. lib.4.c.17.n.3. 374
Corpus Chriſti non diuiditur ad diuiſionem hoſtiæ. lib.4. c.17. n.2. & p. 372. 376. & c.24. n.1. 418
Crucis ſignum inſuperabilis armatura. lib. 3. c. 8. n.1. 200
Crucis ſignum, Saluatoris & Dei viui ſignum quo ſunt ſignandi electi.lib.3.c.8.n.1.& 5.p.200.203
Crucis ſigni virtus multiplex.lib.3.c.8.n.5. 203
Crucis ſignũ apoſtolica traditio.l.3.c.8.n.6.p. 207.
Crucis ſigni myſteria. lib.3.c 8.n.9. 209
Cruce ſignandi modus qui. lib.3.c.8.n.10. 210
Cruce veteres ſua quæque ſignaſſe. lib. 3. c.8. n.4. 203
Crucis ſignum præmittendum ſingulis actionibus. lib.3.c.8.n.3. 202
Crucis ſignum cur Miſſæ initium. lib.3. c.8. n.1. 200
Crucis ſignum frequentiſſimum in omnibus ſacramentis. lib.3.c.8.n.2. 202
Crucis ſignum duraturum vſque ad mundi finem. lib.3.c.8.n.3. ibid.
Crucis ſigno quæ membra ſignanda. lib.3.c.8. n.8. 208
Crucis ſignatores nõ fiunt tantùm ad conſecranda oblata, ſed etiam ad Dominicæ paſſionis ordinem in Miſſa repræſentandum.lib.4.c.9.n.6. 306
Crux formanda in depoſitione materiæ oblatæ pro ſacrificio.lib.4.c.1.n.17. 281
Crux cur formanda cum particula ſuper orificium calicis.lib.4.c.24.n.2. 419
Crucis ſignum cur initium Euangelij. lib.3. c. 24. n.4. 252
Crucis ſignationes in Miſſa variæ ſingulæ explicantur in propriis Liturgiæ partibus.
Crucis ſigno Chriſtum benedixiſſe conſecrandum panem probabile.lib.4.c.11.n.7 319
Crucis typus. ibid.
Crux in altaris paliis vſitata.lib.2.c.14.n.8. 150
Cruces ferreæ in templorum faſtigiis etiam antiquitus collocatæ.lib.2.c.13.n.9. 134
Crux præferri ſolita magnis prælatis.lib.3.c.3.n.5. p.176.& c.8.n.5. 203
Crucis antiquis variæ formæ.lib.3.c.8.n.9. 209
Crucem in pauimento fieri lege vetitum reuerentiæ cauſa.lib.3.c.8.n.8. 208
Crux in qua Chriſtus eſt mortuus quid habeat peculiare inter reliquas imagines & reliquias. lib. 3.c.12.n.4. 227
Crucis ligni particulæ magna reuerentia à fidelibus habitæ & delatæ. ibid.
Crucifixi vſus in altari antiquus & retinendus, eiúſque omiſſio quoad peccatum. lib. 3. c.3.n.2. 174

D

Decimæ Eccleſiis ſoluendæ.lib.2.c.9.n.4. 120
Defectibus in Miſſa euenientibus quomodo occurrendum.lib.4.c.28. 439
Dei Maieſtas quomodo omnibus in rebus eluceat.lib.4.c.7.n.6. 298
Dei gloria maxima,eſt eius miſericordia. ibid.
Deo tantùm iure ſacrificium offerri poſſe.lib.1.c.3.n.6. 20
Deus cur Ζεὺς à Græcis dicatur.lib.4.c.9.n.9. 310
Deus rebus omnibus præſens.lib.3.c.17.n.1. 238
Deus cur ſanctus dicatur.lib.4.c.7.n.3.p.295.& cur ter.ibid.n.4.
Deus cur Sabaoth.lib.4.c.7.n.5. 296
Deus cur Patris nomine vocari velit.lib.4.c.22.n.7. 403
Deus quomodo dicatur non æſtimator meriti, ſed veniæ largitor.lib.4.c.21.n.2. 398
Diaconus lecturus Euangelium ſacerdotalem benedictionem petat.lib.3.c.23.n.2. 256

Diaconus caueat ne reddat infructuoſam impartitam benedictionem.n.3. 257
Diaconus Euangelium lecturus cur librum in ſiniſtro brachio portet.n.5. ibid.
Diaconus cur in Ambone Euangelium legat. n.8. 258
Dies feſti in Eccleſia à tempore Apoſtolorum. lib. 2.c.20.n.2. 160
Dies feſti cur celebrentur. ibid.
Dies feſti qui cenſeantur. ibid.
Dies quomodo antiquitus diuiderentur. lib.2.c.15.n.3. 152
Dies naturalis à media nocte in mediam noctem computandus.lib.2.c.7.n.1. 99
Dies feſti in lege hora 21.inchoabant. lib.1.c.2.n.3. & 4. 9.& ſeq.
Dæmon cur tantopere ſacrificia expetat. lib.1.c.3.n.6.p.20.lib.2.c.1.n.1. 70

E

ECceleſiam euangelicam non debuiſſe carere vero ſacrificio. lib.1.c.3.n.7. 21
Eccleſia militans medio ſacerdote parte ſui nobiliſſima Deo ſacrificium offert.lib.2.c.4.n.1. 85
Eccleſia militans per ſacerdotem quibus modis ſacrificare dicatur.n.2. ibid.
cùm Eccleſia ſit dilecta ſponſa Chriſti etiam ex illius opere operantis ſacrificium Miſſæ Deo acceptiſſimum erit, eóque magis quo in ea plures iuſti & ſanctiores florent.n.3. ibid.
Eccleſia Catholica quantum Synagogæ & cæteris religionibus preſtet.lib. 1.c.2.n.2. 8
Eccleſia cur dicatur Sancta, & Catholica. lib.4.c.9.n.7. 307
Eccleſia in qua celebrandum eſt, ſit munda tota, & quantum fieri poteſt ornata.lib.2.c.13.n.10. 135
Eccleſiæ res ſumma cura à Principibus conſeruandæ.lib.2.c.13.n.14.15. 139.& ſeq.
Eccleſia etiam olim aureis argenteíſque lucernis & vaſis inſtructa.lib.2.c.14.n.8. 146
Eccleſia in qua ſacrificandum eſt cauendum ne ſit polluta.lib.2.c.13.n.6. 133
Eccleſia quomodo polluatur,& reconcilietur.n.6.7. ibid.
Eccleſia, vide *Templum*.
Eccleſiaſticorum hominum violatores Deo vindice grauiſſimas dediſſe pœnas.lib.2.c.9.n.5. 121
Eleuatio materiæ conſecrandę in ſignum oblationis vnde fluxerit.lib.4.c.1.n.8. 272
Eleuatio materiæ conſecrandæ non eſt ſacrificium ſed materia ſacrificij futuri. ibid.
Eleuatio Euchariſtiæ olim prædicta.lib.4.c.11.n.23. 338
Eleuationis Euchariſtiæ cauſæ. ibid.
in Eleuatione Euchariſtiæ lumina accendenda. lib. 4.c.11.n.22. 335
in Eleuatione Euchariſtię ſonitus tintinnabuli adhibendus.n.23. 338
in Eleuatione Euchariſtiæ quibus eam verbis pij viri ſalutare conſueuerint. ibid.
Epiſcopus poſſit ne deſignare oratoria particularia ad celebrandas Miſſas.lib.2.c.13.n.3. 131
Epiſtolæ & lectionum recitandi in Miſſa ritus ab Apoſtolis manauit.lib.3.c.21.n.1. 251
Epiſtolas per annum quis ordinarit. lib.3.c.21.n.2. 252
Epiſtola & Euangelium cur legantur in Miſſa. n.3. ibid.
Epiſtola in Miſſa cur Euangelium præcedat. lib.3.c.21.n.4.p.252.& c. 24.n.1. 259
Epiſtola cur legatur in parte dextera,& facie ad altare conuerſa.lib.3.c.21.n.6. 253
dum Epiſtola & Prophetæ leguntur in ſolemni Miſſa cur Epiſcopus cæteríque ſedeant. lib. 3. c. 21. n.7. ibid.
Epiſtola lecturo ſubdiacono cur non etiam detur benedictio.lib.3.c.21.n.5. 252
Epiſtolam ex officio legere in peccato mortali, ſit ne mortale crimen.lib.3.c.23.n.4. 257
Epiſtola abſoluta Miniſtri reſponſio. lib.3.c.21.n.8. 253
Ethnicorum ſilentium in ſuis ſacris.lib.2.c.13.n.12. 136
Euangelij recitatio in Miſſa, Apoſtolorum traditio, & quid fieret ante ſcriptum Euangelium. lib.3. c.24.n.5. 260
Euangelium cur legatur.lib.3.c.21.n.3. 252
Euangelio cur præmittatur titulus: Initium,&c. lib. 3.c.24.n.2. 259
Euangelium cur legatur verſus Aquilonem. lib. 3. c.24.n.6. 260
Euangelij initio cur præmittatur Crucis ſignum. lib.3.c.24 n.4. 259
Euangelij recitatio quale crimen.lib.3.c.23.n.4. 257
Euangelium cur poſtponatur Epiſtolæ. lib. 3.c. 24. n.1. 259
Euangelium oſculandum venerationis cauſa ritu veteri.lib.3.c.24.n.8. 261
Euangeliorum libro ignis repreſſus. lib.3.c.24. n.8. ibid.
Euangelium quomodo audiendum. lib.3. c.24.n.7. 260
Euangelio recitato adſtantium reſponſio.lib.3.c.24. n.9. 262
Euchariſtiæ nomina diuerſa.lib.1.c.1.n.2. 3
Euchariſtia cur panis vocetur.lib.1.c.4.n.4.p.38.lib. 4.c.19.n.3. 391
Euchariſtia non tantùm ſacramentum ſed etiam ſacrificium.lib.1.c.3.n. 10.p.29.lib.2.c.2.n.1.p.74. lib.4.c.11.n.31. 345
Euchariſtia ſacrificium Gratiarum actionis, Propitiatorium & Impetratorium. lib.1. c. 8. n.2.3.4. p.50.& ſeqq.
Euchariſtiæ ſacrificium Deo acceptiſſimum. lib.1.c. 8 n.2 p.50.lib.2.c.4.n 1. 85
Euchariſtia maximum Dei beneficium,& argumentum amoris.lib.1.c.10.n.2. 62
Euchariſtia dulce & ſuaue Paſſionis Chriſti memoriale.lib.1.c.10.n.3. 63
Euchariſtia thronus amoris Chriſti. lib. 1.c.10.n.3. ibid.

Euchariſtia memoria omnium mirabilium operum Dei.lib.1.c.10.n.3. ibid.
Euchariſtia fidelium cibus menſas reliquas ſuperans Domini magnitudine; maieſtate conuiuantis, multitudine conuiuarum, temporis diuturnitate, vilitatis fructu; adſtantium aulicorum numero, & ſplendore.lib.c.10.n.4. 65
Euchariſtia contra peccatorum venenum antidotum.lib.1.c.10.n.5. ibid.
Euchariſtia quibus venenum ſit,non panis vitæ & calix ſalutaris.lib.4.c.19.n.3. 391
Euchariſtia arrha & pignus futuræ gloriæ. lib.1.c.10.n.6. 67
Euchariſtia ligno vitæ & mannæ comparata. lib.1.c.10.n.5. 66
Euchariſtia non eſſe ſolùm in vſu vt Nouatores fingunt.lib.4.c.29.n.16. 460
in Euchariſtia alia ex vi ſacramenti,alia ex naturali concomitantia continentur. & quid vtrumque ſit.lib.4.c.17.n.1. 371
in Euchariſtia totus Chriſtus continetur tam ſub panis quàm vini ſpecie.lib.4.c.17.n.2. 372
in Euchariſtia ſit ne etiam per concomitantiam Patris & Spiritus ſancti perſona. lib. 4. c.17.n.4. 375
Euchariſtiæ conſecrandæ forma.lib.4.c.11.n.13.14.15.16.17.18.19.27. 324.& ſeqq.
Euchariſtiæ effectus per ſe, & per accidens. lib.4.c.27.n.3.p.426.& c.29.n.14. 456
Euchariſtiæ ſumendæ modi , & qui fructuoſior. lib.4.c.27.n.2. 425
Euchariſtia olim quotidie ſumta.lib.4.c.19.n.6. 395
Euchariſtiæ ſumtæ fructus quando proueniant. lib.4.c.24.n.4. 432
Euchariſtiæ fructum quid impediat. lib.4.c.27.n.6. 436
Euchariſtiæ effectum non impediunt peccata venialia,nec deuotionis carentia,quicquid aliqui ſentiant. ibid.
Euchariſtiæ ſumtio ſi moraliter ſit vna, phyſicè verò plures, ſiue ſpecies ſint eiuſdem rationis ſiue diſtinctæ,vnicus ne ſit fructus,an multiplex.lib.4.c.27.n.5. 434
Euchariſtia olim conceſſa infantibus,& num danda ſit Phreneticis & amentibus.lib.4.c.27.n.6.p.436.& c.29.n.5. 447
Euchariſtia danda extremo ſupplicio afficiendis.lib.4.c.29.n.5. ibid.
Euchariſtiam dandam puero decenni morti proximo conſilium. ibid.
Euchariſtiæ præceptum quando incipiat obligare. ibid.
Euchariſtiæ præceptum quoties obliget.lib.4.c.29.n.2.3.4. 425.& ſeq.
Euchariſtia ſola plures diu vixerunt.lib.4.c.18.n.5. 389
Euchariſtia reuerenter adoranda. lib. 4. c.11.n.22. 335
Euchariſtia ab Angelis adorata. lib.2.c.20.n.12.p.166.lib.4.c.11.n.22. 335
Euchariſtia rectè delata in proceſſionibus. lib.4.c.11.n.22. ibid.
Euchariſtia quomodo ferenda ad infernos.lib.4.c.29.n.7.& 11. 449.455
Euchariſtia accedēda lumina.lib.4.c.11.n.22.p.335
Euchariſtia diligenter aſſeruanda.lib.4.c.11.n.22.p.335.& c.29.n.16. 460
Euchariſtiç pyxis quo loco cuſtodienda. lib.4.c.29.n.16. 460
Euchariſtiam malè cuſtodientis pœna. ibid.
Euchariſtia pyxidis ſingulis hebdomadibus renouanda. ibid.
Euchariſtiæ reliquiæ olim ſacrilegè à Græcis comburi aut in terram defodi ſolitæ. ibid.
Euchariſtia religionis cauſa collo ſuſpenſa olim delata. lib.2.c.13.n.5.p.132.lib.4.c.11.n.22.p.335.& c.29.n.9. 453
Euchariſtia,vide *Chriſtus, Corpus Chriſti, Communio,Sacrificium,Miſſa,*
Excommunicatio quàm ſit timenda. lib.1. c.1. n.4. 76
Excommunicatas Moniales non potuiſſe poſt mortem manere in templo. ibid
Excommunicati Othonis Imperatoris exitus infelix. ibid.
Excommunicati hominis panes attingere auſos non eſſe canes, ipſúmque fulmine ictum. ibid.
Excommunicatus an poſſit in neceſſitate celebrare. lib.2.c.6.n.1. 93
Exemplum ſuperioris valet plurimum apud ſubditos.lib.3.c.17.n.2. 239

F

FAcere apud prophanos, & in diuinis litteris ſignificat ſacrificare. lib.1.c.3.n.10.p.29.lib.4.c.11.n.32. 347
Fidei ſignum quid.lib.4.c.20.n.1. 395
Flabellum in Miſſa olim adhibitum. lib.2.c.14.n.8. 146
Flores in ſacris officiis olim pietatis cauſa adhibiti. lib.2.c.14.n.8. ibid.
Fœderibus ſanciendis victima adhibita. lib.4.c.11.n.29. 344
Forma verborum conſecrandæ Euchariſtiæ certa & definita eſſe oportuiſſe,non miniſtrorum arbitrio relinquendum vt Nouatores ſomniant.lib.4.c.11.n.13.& 27. 324.342
Forma conſecrationis Euchariſtiæ non alia quàm quæ à Chriſto præſcripta: Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus. lib. 4. c. 11. n. 13. & 27. ibid.
in Forma conſecrationis Euchariſtiæ verba propriè ſumenda ſunt more Catholicorum, reiectis Nouatorum tropis & figuris. lib.4.c.11.n.15.16.17.18. 326.& ſeqq.
in Forma conſecrationis proferenda ſi fiat mutatio quando nam impediat conſecrationem. lib. 4. c. 11.n.21. 334
Formoſi cadauer aduectum in templum ab imaginibus ſalutatur.lib.3.c.3.n.6. 184
Fractionem & mixtionem ſpeciei panis cum ſpecie

vini,non eſſe de eſſentia ſacrificij. lib. 1. c.5.n.2. p.40.lib.4.c.24.n.4. 420

G

Genuflexio Apoſtolica traditio. lib. 3.c.3.n. 2. p.174.c.7.n.1.p.199.c.18.n.2.& 3.p.240. & ſeq.
Genuflectendum non eſſe Paſchali tempore, & cur.lib.3.c.18.n.3. 241
Gloria Patri & filio & Spiritui ſancto, verſus manauit ab Apoſtolis.lib.3.c.9.n.4. 212
Verſus idem teſſera diſcernendi Catholicos ab Hæreticis. ibid.
Addendus in finiendis ſingulis Pſalmis, ex decretis Conciliorum. ibid.
Gloria in Excelſis, Hymnus à quónam completus. lib.3.c.16.n.2. 235
Idem cur inchoetur à ſolo ſacerdote & in medio altaris.lib.3.c.16.n.3. ibid.
Eiuſdem explicatio.lib.3.c.16.n.3.& 5. ibid.
Quando ſit omittendus.lib.3.c.16.n.6. 236
Gloria tibi Domine, cur lecturo Euangelium reſpondeatur.lib.3.c.24.n.3. 259
Gloria beatorum immenſa.lib.4.c.10.n.2. 313
Graduale ſeu reſponſorium à quo inſtitutum.lib.3. c.22.n.2. 253
Gradualis etymologia,& inſtitutionis cauſæ. ibid.
Graduale cur omittatur in Paſchate. lib.3.c.22.n.2. ibid.
Gratiarum actio pro beneficiis à Deo accepta maximè neceſſaria. lib. 4.c.6.n.3.p.291.& c.31.n.7. 465
Guttæ vini exiſtentes ſeparatæ à reliquo in calice, an cenſendæ ſint conſecratæ.lib.4.c.1.n.11. 274

H

Habitus animi aquiſiti à pueris difficillimè tolluntur.lib.3.c.25.n.3. 263
Habitus facer & viſualis diſtincti,& meritò. lib. 2. c.8.n.4. 108
Habitus ſacri abuſus à Deo vindicatus. ibid.
Habitus ſacri veſtes ſingulæ ab habente autoritatem benedicendæ.lib.2.c.8.n.5. 109
Habitus ſacer in ſacrificio à ſacerdote & cæteris miniſtris induendus ex antiqua traditione. lib.2. c.8.n.9. 111
Habitus ſacri veſtes. vide *Veſtes*.
Habitus viſualis ſacerdotis & cæterorum clericorum ſit talaris, decentis coloris,& formæ. lib. 2. c. 8. n.3. 108
Honor valorem & dignitatem ſumit à perſona exhibente,ſicut è contra offenſio à perſona offenſa. lib.1.c.9.n.1. 55
Humana natura quàm miſera habita ſit ab antiquis.lib.4.c.25.n.4. 422
Humilitas quàm magna virtus.lib.3.c.7.n.1.p.199. lib.4.c.9.n.4.p.305.c.27.n.1. 429
Hymnus quid ſit.lib.3.c.16.n.1. 234
Hymni eccleſiaſtici valde vtiles. ibid.
Hymnorum in Eccleſia vſus vetus. ibid.
Hymnus,Gloria in excelſis. lib. 3. c.16.n.2.& ſeqq. 235
Hymnus triumphalis,Sanctus, Sanctus, Sanctus ab Apoſtolis Miſſæ inſertus.lib.4.c.7.n.1. 294
Hymnus idem quomodo diuidatur. lib. 4. c. 7. n.1. 295

I

Iconomachorum hæreſis quando orta. lib. 3.c.3. n.5. 176
Ieiunium naturale celebraturo neceſſarium ex traditione Apoſtolica. lib. 2. c. 7. n. 1. & 2. p.99.& ſeq.lib.4.c.11.n.15. 240
Sumpta tamen per errorem aqua licebit vinum conſecrare & ſumere, ſicut poſt Purificationem repertas ſacrificij reliquias ante diſceſſum ab altari, & particulas aſſeruatas in pyxide ſi grauis immineat iniuria ſanctiſſimo Sacramento. lib.2. c.7.n.2.p.101.lib.4.c.28.n.1. 439
Ieiunium aliquantulum producere poſt celebrationem & communionem optimum, etſi non neceſſarium.lib.2.c.7.n.3. 102
Ieiunio ſoluto communicabit infirmus periculoſus per modum viatici.lib.4.c.29.n.11. 455
Ieſus ſalus optima.lib.3.c.19.n.10. 247
Ieſus nomen cætera continet. ibid.
Ieſus nomen qua reuerentia proferendum. lib. 3. c.19.n.9. 246
Ieſus nomen cur colat Eccleſia maiori reuerentia quàm nomen Dei.lib.3.c.19.n.10. 247
Ieſus nomen cur inſtar Solis cum radiis pictum. ibid.
Ieſus nomen quanta reuerentia proſequutus S.Franciſcus.lib.3.c.24.n.8. 261
Ieſus nominis quanta vis.lib.3.c.19.n.9. 246
Ieſus nomen Græcis numerum exprimit 888. denotátque & præſentem reſurrectionem à peccatis per Chriſti gratiam, & futuram in corpore & anima.lib.3.c.19.n.10. 247
Ieſus nomen aureis literis in corde D.Ignatij inſcriptum. ibid.
Imaginum ſacrarum vſus licitus & Apoſtolica traditio.lib.3.c.3.n.5. 176
Imagines ſacræ an rectè in templis collocentur. lib.3.c.3.n.6. 184
Imagines in templis ponendæ olim oleo ſacro inungi & benedici ſolitæ. ibid.
Imagines ſacræ adorandæ.lib.3.c.3.n.7. 186
Imagines ſacræ quomodo adorandæ. lib. 3. c.3.n.8. 188
Imagines ſacras modeſtiſſimas pingendas.lib.3.c.3. n.9. 192
Imaginum ſacrarum hoſtes qui. lib.1.c.3.n.5. 176
Immundi ſacra ne contingant. lib. 2. c. 6.n.2.p.94. lib.3.c.23.n.1. 256
Impanatio in ſacra Euchariſtia abſurda. lib. 4. c.15.n.2. 365
Impetrationis gradus ſacrificij & orationis inter plures participes diuiſio fiat ne in partes æquales

vel inæquales ſoli Deo notum. lib. 1. c. 9. n. 4. 59
Impiis non eſt pax. lib. 4. c. 10. n. 2. 313
Inclinatio & genuflexio venerationis ſignum. lib. 3. c. 3. n. 2. p. 174. c. 7. n. 1. p. 199. c. 16. n. 7. p. 237. c. 18. n. 3. p. 241. lib. 4. c. 9. n. 4. 305
Incontinentes eccleſiaſtici quàm grauiter Deum offendant. lib. 2. c. 7. n. 4. 102
Inferni pœnæ. lib. 4. c. 10. n. 2. 313
Introitus Miſſæ vnde dictus, & quid. lib. 3. c. 14. n. 1. 230
Introitus ab Apoſtolis inſtitutus. lib. 3. c. 14. n. 2 ibidem.
Introitus cur adhibitus. lib. 3. c. 14. n. 4. 231
Introitus cur non inchoetur more Horarum, Deus in adiutorium, ſed ex abrupto. lib. 3. c. 14. n. 5. 232
Introitus quibus partibus conſtet. lib. 3. c. 14. n. 3. & 5. 231. 232
Ite, Miſſa eſt, quid ſibi velit. lib. 1. c. 1. n. 3. p. 4. lib. 4. c. 31. n. 7. 465
Iudas acceperitne à Chriſto Euchariſtiam. lib. 4. c. 11. n. 9. 321
B. Iuniperi diligentia in auertendis tentationibus. lib. 2. c. 8. n. 10. 120

K

Kyrie eleiſon ſupplicationis præſtantia. lib. 3. c. 15. n. 1. 232
Kyrie cur ter acclametur. n. 2. 233
Eius vſus antiquiſſimus in Miſſa. n. 3. ibid.
Cur Græcè, & non Latinè dicatur. n. 4. ibid.
Quæ differentia in ea inter Latinos & Græcos. n. 3. ibid.
Fuiſſe etiam in vſu apud Gentiles in captandis auguriis. n. 6. 234
Effectus eius mirabiles. n. 5. ibid.

L

Læſi non debemus lædere. lib. 3. c. 24. n. 7. p. 260. lib 4. c. 22. n. 12. 413
Latriæ nominis etymologia. lib. 4. c. 10. n. 2. 313
Latriæ cultus quid. lib. 2. c. 1. n. 1. p. 170. lib. 3. c. 3. n. 4. & 8. 175. 188
Laus Dei qualis eſſe debeat. lib. 3. c. 16. n. 5. 236
Lex euangelica quantum cæteris præſtet. lib. 3. c. 23. n. 8. 258
Liber Liturgiæ cur in dextera altaris parte initio præparetur. lib. 3. c. 6. n. 1. 198
Liber Liturgiæ in celebrando ſine mortali omitti non poteſt. lib. 3. c. 6. n. 2. 199
Liber clauſus in acceſſu ſacerdotis ad altare quid ſignificet. lib. 3. c. 2. n. 2. 173
Lingua vernacula haud celebrandum quicquid Nouatores garriant. lib. 2. c. 12. n. 1. & 2. p. 126. & ſeqq.
Lini candor in ſacro inſtrumento quid denotet. lib. 2. c. 8. n. 10. p. 112. lib. 3. c. 5. n. 2. 195
Liturgiam plenam eſſe myſticis ſymbolis, quibus tanti ſacrificij maieſtas commendatur, & fidelium animi ad res diuinas intelligendas excitantur. lib. 3. c. 2. n. 1. 172
Liturgiam à D. Petro primùm inſtitutam. lib. 3. initio. 171
in Liturgia cur præter Latinam linguam adhibeatur etiam Græca, & Hebraica. lib. 2. c. 12. n. 1. 126
Locus honoratior & conſularis in conuiuio quis eſſet. lib. 4. c. 11. n. 10. 321
in Locis multis per Dei potentiam idem corpus eſſe poſſe. lib. 4. c. 14. n. 4. 356
Lumen in Miſſæ ſacrificio requiri. lib. 2. c. 14. n. 2. 143
Lumen in Miſſa debeat eſſe ex cera. lib. 2. c. 14. n. 8. 146
Lumen in Miſſa an vnicum ſufficiat. lib. 2. c. 14. n. 8. ibid.
Lumen cur in Miſſa adhibeatur. lib. 2. c. 14. n. 8. ibid.
Lumen in eleuatione Euchariſtiæ veteri ritu etiam accendendum. lib. 2. c. 14. n. 8. p. 146. lib. 4. c. 31. n. 22. 335
Lumen item Cerei in lectione Euangelij Paſchali tempore adhibendum. lib. 2. c. 14. n. 8. p. 146. & quare. lib. 3. c. 24. n. 5. 260
Lumen in Miſſa & officiis diuinis non ſemel diuinitus accenſum. lib. 2. c. 14. n. 8. 146

M

Manipuli origo & ſignificatio. lib. 2. c. 8. n. 11. 112
Manna Iſraeli corporalium infirmitatum antidotum. lib. 1. c. 10. n. 5. 66
Manna die Dominico cœpit deſcendere. lib. 1. c. 2. n. 5. 15
Manus extenſio & oſculum adorationis ſignum. lib. 4. c. 11. n. 23. 338
Manuum eleuatio. lib. 3. c. 16. n. 7. p. 237. c. 19. n. 8. 246
Manuum coniunctio inter ſacrificandum & orandum. lib. 3. c. 11. n. 1. p. 217. & c. 18. n. 1. 242
in Manus cur ſacrandum panem & calicem ſumſerit Chriſtus. lib. 3. c. 11. n. 5. 318
B. Maria Deipara meritò præ cæteris Sanctis colenda. lib. 4. c. 9. n. 11. 311
Materia conſecranda cur priùs eleuetur. lib. 4. c. 1. n. 8. 272
Materia ex qua conficiendum eſt corpus Chriſti panis communis ſit, non hordeaceus aut ex farre, ſpelta, & ſimilibus. lib. 4. c. 1. n. 5. p. 268. coagmentatus ex aqua naturali. n. 5. p. 270. igne aſſatus. n. 6. p. 271. magis congruit ... us. n. 7. ibid. mundiſſimus eſſe debet. n. 9. p. 273. ſit præſens. n. 10. p. 274. non tamen determinatæ quantitatis. n. 11. ibid.
Materia ex qua conficiendus eſt ſanguis Chriſti debet eſſe vinum vitis. lib. 4. c. 1. n. 12. p. 275. cùm cantula aqua. n. 13. p. 277. eâque naturali. n. 14. p. 279. miſcendâque eſt in calice à ſacerdote adhibita benedictione (exceptis defunctorum Miſſis.) n. 15. p. 280. & cùm ſolita precatione. n. 16. p. 281.

p.28.1.an vinum congelatum ſit apta materia.n. 12. 275
Memoriam paſſionis & beneficiorum ſuorum quaſi penſionem beneficij exigit Dominus & quare.lib. 1.c.12.n. 3. 63
Cur in memoriali ſuæ paſſionis voluerit Chriſtus realiter contineri, cùm ſufficeret quodcumque ſignum.lib.1.c.10.n.3. ibid.
Menſæ benedictio.lib. 4.c.22.n.11. 410
Menſis primus in lege qui diceretur. lib.1. c. 2.numer.3. 6
Miniſtrare Miſſæ vtiliſſimum eſſe.lib.2.c. 11. n.4. 126
Miniſtrate Miſſæ ſolitos Imperatores Archiepiſcopo Mediolani.lib.2.c.9.n.1. 114
Miniſtri præcedentes ſacerdotem ad altare quid ſignificent.lib.3.c.2.n.2. 173
Miniſtris non licet ſe ſacris veſtibus exuere aut diſcedere ante completum ſacrificium ſolemne.lib. 2.c.18.n.3. 157
Miniſter. vide *Aſſiſtens*.
Miſericordia potior quàm iuſtitia. lib. 4.c.24. n. 4. 420
Miſericordia maximè Dei potentiã manifeſtari.ibi.
Miſſæ nomen cum ipſa Romana Eccleſia natum quicquid Nouatores ſomnient. lib.1.c.1.n.1. 1
Miſſæ nomen,non Græcum,ſed Latinum & Hebraicum eſſe.lib.1.c.1.n. 2. 3
Miſſæ nomen non ſine Dei prouidentia Latinis & Hebræis commune. ibid.
Miſſæ nomen cur inditum diuino ſacrificio.lib. 1.c. 1.n. 3. 4
Miſſæ nominis triplex acceptio.lib.1.c.1.n.4. 5
Miſſæ ſacrificium prædictum à Prophetis.lib.1.c. 3. n.7. 21
Miſſæ ſacrificij inſtitutor Chriſtus.lib.1.c.2.n. 1. 6
Miſſæ ſacrificium tamquã veritas, legis veteris ſacrificiis quaſi figuris ſubſtitutum. lib. 1. c.2.n.1. p.6.c.3.n.8.p.27.c.8.n.2.p.50.c.10.n.1. 61
Miſſæ ſacrificium quantum cæteris præſtet. lib.1.c. 2. n.2 p.8.c.4. n.1.p.33.c.8.n.2. p.50. c.10.n. 1.p. 61.lib.2.c.3.n.1.& 2. 83.84
Miſſæ ſacrificium inſtitutum Luna 14.menſis primi in 2.veſpera quæ fuit initium legale Lunæ decimæquintæ lib.1.c.2.n.3.& 4. 9.10.
Miſſæ ſacrificium cur inſtitutum hyeme tranſacta. lib.1.c.2.n.4. 10
Miſſæ ſacrificium cur inſtitutum iam creſcentibus diebus.lib.1.c.2.n.4. ibid.
Miſſæ ſacrificium cur inſtitutum noctu.lib.1.c.2.n. 5.15.
Miſſæ ſacrificium cur inſtitutum Ieroſolymis.lib.1. c.2.n. 5. ibid.
Miſſæ ſacrificium cur non extra domum inſtitutum. ibid.
Miſſæ ſacrificium cur inſtitutum domi quam priùs ingreſſa eſt aqua. ibid.
Miſſæ ſacrificium cur inſtitutum in grandi cænaculo ſtrato. ibid.
Miſſæ ſacrificium cur inſtitutum poſt legalem cœnam.lib.1.c.2.n.5.p.15.lib.2.c.7.n.1. 99
Miſſæ ſacrificium cur ſub paſſionis hora à Chriſto inſtitutum.lib.1.c.2.n. 5. 15
Miſſę ſacrificium inſtitutum eodem prorſus hebdomadæ die qua ab Hebræis primò ſacrificatus eſt agnus Paſchalis eius figura, nempe feria quinta. ibid.
Miſſæ ſacrificium æternũ,& cui non ſuccedit aliud. lib.1.c.2.n.1.p.6.c.3.n.7.p.21.lib.2.c.3.n.1.& 2.p. 83.& ſeq.
Miſſæ ſacrificium publicum ceſſaturum ſolùm ante finem mundi dies mille ducentum nonaginta.lib. 1.c.3.n.7.p.21.lib.2.c.19.n.2. 158
Miſſæ ſacrificiũ verum ac proprium eſſe contra Nouatorum ſomnia.lib.1.c.3.n.7.& ſeq. 21
Miſſæ ſacrificium Deo acceptiſſimum.lib.1.c. 3.n.7. p.21.c.8.n.2.p.50.c.10.n. 1.p.61. lib.2.c.1.n. 2.p. 72.c.4.n.3. 85
Miſſæ ſacrificium cur dicatur oblatio munda. lib.1. c. 3.n.7. 21
Miſſæ ſacrificium vnicum Eccleſiæ. ibid.
Miſſæ ſacrificium non derogat ſacrificio Crucis cũ eius vis ab illo dependeat. ibid.
Miſſæ & Crucis ſacrificium ſola offerendi ratione differunt. ibid.
Miſſæ ſacrificium idem cum ſacrificio à Chriſto in cœna oblato. lib. 4.c.11.n.26. 341
in Miſſæ ſacrificio attendendum potius terminum quàm materiam ſacrificationis, ſecus ac fiat in aliis,& cur.lib.1. c.4.n.1. 33
in Miſſæ ſacrificio Deo offerri corpus & ſanguinẽ Chriſti terminum ſacrificationis, & non panem & vinum materiam tranſeuntẽ. ibid.
Miſſæ ſacrificij rationem in conſecratione, oblatione, & conſumtione ponendam. lib.1. c.5.n.2. 42
Miſſæ ſacrificium integrum vtramque ſpeciem requirit.lib.1.c.6.n.1.p.44.ldq. non tantùm iure eccleſiaſtico vt aliqui ſentiunt, ſed etiam diuino.n. 2.p.45. éſtque probabilius neque Papam in hoc poſſe diſpenſare.n.3. 46
in Miſſa,ſi de facto vnica ſpecies conſecraretur, teneret conſecratio.lib.1.c.6.n.1. 44
in Miſſa licèt duæ ſint conſecrationes,vnicum tamẽ eſt ſacrificium.lib. 1.c.7.n.1. 48
in Miſſæ ſacrificio cur Chriſtus immolari voluerit velatus ſpeciebus ſacramentalibus. lib. 1. c. 4. n.2. 36
Miſſæ ſacrificium non tantùm eſſe Euchariſtiam ſed etiam Propitiatorium,ei qui offert, & pro quibus offertur pro peccatis, & ſi nõ vt cauſam proximam,& pœnis, atque Impetratorium, rerum ſpiritualium & temporalium ſi ad ſalutem expediant. lib.1.c.8.n.2.3.4.p.50.& ſeq.lib.2.c.2.n. 3. 35.
Miſſæ ſacrificium ab Eccleſiæ miniſtro oblatum etiam ex opere operato non eſt valoris infiniti intenſiuè, quicquid alij ſenſerint.lib.1.c.9.n.1.55
Miſſæ ſacrificij ex opere operato valor, Generalis, Particularis, Medius.lib.1.c.9.n.2. 57
Miſſæ valor generalis & particularis debitus ſis qui cum ſacerdote cooſferunt, poteſt eſſe quo-

dammodo infinitus extenſiuè, quòd omnes & ſinguli poſſint percipere integrum fructum ſatisfactionis,ac ſi vnus tantùm eſſet:atque etiam impetrationis, dummodo ij, pro quibus offertur, ſint etiam cooffetentes.lib.1.c.9.n.4. 59
Miſſæ valor nudus pro pluribus oblatus minus ſatisfacit pro ſingulis, quàm ſatisfaceret pro vno, ſi pro eo tantùm offerretur, quòd ſit finitus. lib. 1. c.9.n.3. 58
Miſſæ ſacrificium inſtitutum eſſe vt Eccleſia ſummum haberet ſacrificium ad Deum placandum. lib. 1.c.10.n.1.p.61.vt eſſet diuini amoris in nos argumentum,n.2.p.62.memoriale dominicæ paſſionis.n.3.p.63.fidelium conuiuium.n.4.p.65.peccatorum antidotum.n.5.p.66. Pignus & arrha futuræ gloriæ.n.6. 67
Miſſæ ſacrificij offerentes tres,Chriſtus.lib. 2.c.3.p. 83.Eccleſia.lib.2.c. 4.p.85.& Sacerdos. lib. 2.c.5. 86.
Miſſam quotidie celebrare vtiliſſimum. lib.2.c.5.n. 9.Atque etiam curandum. lib.2.c.15.n.1. 151
Miſſam celebrare triduo hebdomadæ ſanctæ an liceat.lib.9.c.5.n.9. 92
Miſſa quanta reuerentia celebrãda.lib.2.c.6.n.2. 94
Miſſæ ſacrificium cur toties iterari voluerit Chriſtus.lib.1.c.11.n.1.p.69.lib.2.c.15.n.1. 151
Miſſas plures celebrare eodem die an liceat & quãdo,& quot.lib.2.c.16.n.1.& 2. 153.& ſeq.
Miſſam celebraturus ne ſit Eccleſiaſticis cenſuris irretitus.lib.2.c.6.n.1.p.93. Careátque conſcientia peccati mortalis.Conſcius autem peccati mortalis confeſſionem præmittat habita Confeſſarij copia,quantumcunque ſibi contritus videatur.& quid ſi non poſſit.n.2.p.94.Quid item ſi quis poſt confeſſionem ad altare aut communicaturus ad menſam recordetur peccati à quo non eſt directe abſolutus. ibid.
Miſſæ ſacrificium & communionem præcedat præparatio & deuotio.lib.2.c.6.n.3. p.69.& lib. 3. c. 11.n.2. 217
Miſſa celebrari poteſt ex rationabili cauſa nondũ dicto matutino & laudibus, nedum prima. lib.2. c.6.n.4. 97
Miſſa dici poteſt ab infirmo excuſato ab officio.lib. 2.c. 6.n.4. ibid.
Miſſam dicturus aut ſumturus Euchariſtiam eſto mente & corpore caſtiſſimus.lib.2.c.7.n.4.p.102. Ieiunus.lib.2.c.7.n.1.& 2.p.99.& ſeqq. & lib.4.c. 11.n.25.p.340.c.28.n.1.p.439.Mundus,& caueat irreuerentiæ periculum.lib.2.c. 7.n.5. 105
Miſſam celebraturi externus cultus qui. lib. 2. c.8. toto. 106
Miſſam celebrans non ordinatus qua pœna puniendus.lib.2.c.5.n.10. 93
Miſſa regulariter in ſacratis tantùm locis celebranda. lib. 2. c. 13. n. 1. p. 129.& cur.n. 2. 130
Miſſa ſuper Martyrum memorias celebranda.lib.1. c.1.n.1. 1
Miſſa pro Hæreticis mortuis etiam præcipiente Abbate & Epiſcopo celebrari non poteſt.lib.1.c. 1.n.1. ibid.
Miſſæ beneficio captiui ſoluti vinculis.lib. 1. c.8.n. 4.fine. 109
Miſſam celebrans extra locũ ſacrum an peccet mortaliter.lib.2.c.13.n.3.p.131. & quid in caſu neceſſitatis.n.4.p.132. An id facere liceat in fluminibus & mari.n.5. ibid.
Miſſa cœpta, haud interrumpenda abſque neceſſitate.eiúſque tranſgreſſio quod peccatum. lib.2.c. 18.n.1. 156
Miſſæ interrumpendæ,aut repetendæ quæ cauſa ſit cenſenda legitima.lib.2.c.18.n.2. 157
Miſſæ nimia breuitas & prolixitas vitanda. lib.2.c. 19.n.1. 158
Miſſæ legendæ modus.lib.2.c.17.n.5. 156
Miſſæ qualitas legata aut promiſſa regulariter ſeruanda.lib.2.c.17.n.3.& 4. ibid.
Miſſæ præſcriptus ritus ſeruandus. lib. 2.c.17. n. 1. 155
Miſſa votiua propria diei omiſſa,ex cauſa dici poteſt,lib.2.c.17.n.2. ibid.
Miſſa vna pluribus obligationibus aut eleemoſynis ſatisfacere non poteſt. lib.1.c.9.n.3.p.58. lib. 2.c.5.n.8.p.91.c.10.n.3. 123
Miſſæ definitio & partes.lib.3.c.1.n. 1. & 2. 171. & ſeq.
Miſſæ ſacrificio diebus feſtis antiquo Eccleſiæ præcepto aſſiſtendum.lib.2. c.20.n.1.p.160. Eiúſque tranſgreſſio abſque legitima cauſa ex ſuo genere mortalis.n.3.p.161. & quid de hoſpite in feſtis particularibus oppidorum. n.3. ibid.
Miſſæ ſacrificio ad finem vſque aſſiſtendum.lib. 1.c. 1.n.4.p.10.lib.4.c.31.n.3. 463
Miſſæ pars notabilis quæ.lib.2.c.20.n.3. 161
Miſſæ partem audiens ab vno,& aliam ab altero ſacerdote num Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat.lib.2. c.20.n.3. ibid.
Miſſæ integræ non aſſiſtens miniſter pro offerendis neceſſariis ſacrificio ſatisfacit. lib. 2. c. 20. n.3. ibid.
Miſſam ne quis audiat quæ excuſent cauſæ.lib. 2.c. 20.n.8. 163
Miſſam excuſatus audire non tenetur aliis operibus compenſare.lib.2.c.20.n.9. 165
Miſſam audiens num poſſit recitare orationes alias debitas.lib.2.c.20. n.10. 166
Miſſæ exiſtens debet animo eſſe præſens, etſi non ſit neceſſe videre aut audire ſacerdotem. lib. 2.c. 20.n.11. ibid.
Miſſæ aſſiſtens diſtractus ſponte non ſatisfacit,quicquid aliqui ſint opinati. lib. 2. cap. 20. n. 12. ibid.
Miſſæ audiendæ præcepto obligantur tantùm rationis vſum habentes.lib.2.c.20.n.7. 163
Miſſam audiant filij & ſerui,parentes & domini curare tenentur. ibid.
Miſſam ſolemnem audire nulla obligatio lib. 2.c. 20.n.6. ibid.
Miſſam eo die præſcriptam audire, non eſt neceſſe ad ſatisfaciendum præcepto. ibid.
Miſſam in propria Parochia audire non eſt neceſſe.

neceſſe. lib.2.c.20.n.5. 162
Miſſam audire in feriis Quadrageſimæ Temporum & Rogationum nemo cogitur. lib. 2. c. 20. n.4. ibid.
Miſſas plures eodem die etiam Natiuitatis Domini audire nullum præceptum. ibid.
Miſſam audire quotidie valde proficuum.lib.2.c.20. n.13. 169
Miſſa maxima reuerentia audienda.lib.2.c.20.n.12. 166.
Mixtio aquæ cum vino in calice.lib.4.c.1.n.14. 279
Mixtio ſpeciei panis cum ſpeciebus vini in calice numquam damnata vt ſomniant Nouatores. lib. 4.c.24.n.4. 420
Mixtio hæc non eſt de neceſſitate ſacrificij Miſſæ. lib. 1.c. 5.n.2.p.40.lib.4.c.24.n.4. 420
Mixtio eadem quid ſignificet. ibid.
Mortuis exiſtétibus in Purgatorio Miſſa plurimum vtilis.lib.2.c.3.n.5.9.10.p.77.80.& ſeq.lib.4.c.20. n.1.2.3. 395.& ſeq.
Mundities totius corporis, exterarúmque rerum in celebratione Miſſæ curanda.lib.2.c.7.n.5. p.105. c.14.n.8.p.150.lib.3.c.5.n.4. 195
Munera ſeu dona,oblatio, & ſacrificium quomodo diſtinguantur.lib.1.c.3.n.4. 19
Myſterium quid ſit.lib.4.c.11.n.30. 345
Myſteria ſacra non omnibus propalanda. lib. 2. c. 12.n.2.p.128.lib.3.c.5.n.11. 198
Myſterium fidei in Liturgia rectè à D. Petro poſitum.lib.4.c.11.n.30. 345

N

NAtiuitatis Chriſti cur in Canone non fiat commemoratio, ſed ſolùm paſſionis, reſurrectionis & aſcenſionis.lib.4.c.19.n.1. 390
in nocte Natiuitatis Domini poſſint ne omnes tres Miſſæ celebrari ante auroram.lib.2.c.15.n.5. 153
Nominis cognitio rectè præmittitur toti diſputationi.lib.1.initio. 1
Nomine Dei ſignificatur de eius Maieſtate hominum exiſtimatio.lib.4.c.22.n.8. 406

O

OBlatio verbis expreſſa non eſt in ſacrificio omnino neceſſaria, etſi adeſſe oporteat in actu exercito.lib.1.c.5.n.2. 40
Oblatio ex concurſu plurium offerentium fit ex opere operantis moraliter maioris exiſtimationis,& cæteris paribus Deo gratior, & preces cumulatæ à Deo faciliùs exaudiuntur. lib. 1. c. 9. n.4. 59
Oblata in altari quomodo componenda. lib. 4.c.1. n.17. 282
Oblatio materiæ conſecrandæ non pertinet ad ſacrificij eſſentiam,aut integritatem. lib.4.c.1.n.3. 269
Oblationum pro ſacrificio probandarum mos vetus.lib.4.c.1.n.1. 268
Oculos in conſecratione cur eleuarit Chriſtus. lib. 4.c.11.n.6. 306
Offertorium quid ſignificet,& cur ſic dictum. lib. 4. c.1.n.1. 268
Offertorij autor, partes,& finis.lib.4.c.1.n.2. 269
ab Offertorio vſque ad Præfationem cur oretur ſecretò.lib.4.c.1.n.9. 273
Offerentium nomina olim publicè in Miſſa recitata.lib.4.c.1.n.1. 268
Officium diuinum an ſit præparatio neceſſaria ad Miſſam celebrandam.lib.2.c.6.n.4. 97
Officium dici Paraſceue non eſſe ſacrificium.lib.1.c. 5.n.2. 40
Oleum lampadis ante ſacras reliquias & imagines collucentis ſæpe ſanitati ægrotos reſtituiſſe.lib.3. c.3.n.7.p.186.& c.12.n.3. 221
Oratio cæteris paribus efficacior eſt ad impetrandum facta ſpecialiter, quàm generaliter, & in communi vt facta pro Petro, quàm pro ciuitate aut collegio,cuius pars eſt Petrus, & cur. lib.1.c. 9.n.4. 59
Oratio in Templo & melior eſſe ſolet, & faciliùs exaudiri.lib.2.c.13.n.2. 130
Orandi mos orientem versùs Apoſtolica traditio, & cur.lib.3.c.19.n.7. 245
Orandi mos genibus flexis.lib.3. c.3.n.2.p.174.c.7. n.1.p.199.c.18.n.3. 241
Orandi mos cum proſtratione.lib.3.c.18.n.3. ibid.
Oratio à Dei laude & gratiarum actione inchoanda.lib.4.c.6.n.3. 291
Orationis ante aſcenſum ad altare, *Aufer,&c.* mos vetus.lib.3.c.11.n.3. 218
ad Orandum exhortatio in Miſſa quando & quomodo fiat. lib.3.c.18.n.1.3 p.240.241. lib.4.c.4. n.3. 289
Oratio Dominica bis à Chriſto tradita. lib. 4. c.22. n.2. 401
Orationis Dominicæ vſus in Miſſa antiquiſſimus. lib.4.c.22.n.3. ibid.
Oratio Dominica tantùm initio ab Apoſtolis addita conſecrationi.lib.1.c.5.n.1.& 2.p.39.40.& lib. 3. initio. 172
Orationis Dominicæ diuerſa nomina. lib.4.cap.22. n.4. 401
Oratio Dominica quando recitanda. ibid.
Oratio Dominica tenenda memoriter. ibid.
Oratio Dominica cæteris præſtantior.n.5. ibid.
Oratio Dominica attentè recitanda. ibid.
Oratio Dominica quibus partibus conſtet.n.6. 403
Orationis Dominicæ partes ſingulæ explicantur. n.7.& ſeq. ibid.
Oratio Dominica venialia delet.n.5 401
Oratio, Libera nos quæſumus,antiqua, & cur dicatur ſecretò.lib.4.c.23.n.1. 417
Oratoria particularia ad Miſſas celebrandas an poſſet Epiſcopus deſignare.lib.2.c.13.n. 3. 131
in Oratoriis domeſticis Societatis Ieſu,aliis etiam ſacerdotibus celebrare licet. ibid.
Oſanna vox Hebræa quid ſignificet. lib.4. c.7.n.7. 299
Oſculum,vide *Pacis, & Oſculi oblatio.*
Oſculum Altaris,vide *Altare.*

P

PAx quid ſignificet.lib.3.c.16.n.4. 235
Pacis annunciatio in Miſſa,ritus vetus. lib. 4. c. 24.n.3. 419
Pacis & oſculi oblatio in Miſſa Apoſtolica traditio. lib.4.c.26.n.1. 423
Pacis oblatio cur fiat ante communionem. lib. 4. c. 26.n.2. ibid.
Pacis oſculum cur fiat nunc media tabella. lib. 4.c. 26.n.3. 424
Pacis oblatio cur in defunctorum Miſſis omittatur. lib.4.c.26.n.4. ibid.
Pacem quam reliquerit Chriſtus.lib.4.c.10.n.2. 353
Palla cooperiens calicem quid ſignificet, & qualis eſſe debeat.lib.3.c.5.n.8. 197
Palla olim haud diſtincta à corporali. ibid.
Panis cur vocetur Euchariſtia.lib.1.c.4.n.4.p.38.lib. 4.c. 19.n.3. 391
Panis ex quo conficienda eſt Euchariſtia qualis eſſe debeat.lib.4.c.1.n.4. & ſeq. 269
Panis offerendus in patena ritu antiquiſſimo. n.8.p. 272.quàm mundus,& cuius figuræ. lib.4.c.1.n.9. 273
Parochus habens redditus competentès num teneatur quotidie pro ſuis ouibus celebrare.lib.2.c.10. n.2. 124
Paſchæ nomen quid Hebraicè ſignificet, & quid Græcè. lib. 1.c.1.n.2. 3
Paſchæ ſolemnitas diuerſa à ſolemnitate azymorum.lib.1.c.2.n.3. 9
Paſcha non habuiſſe Paraſceue,& licuiſſe in eo parare quæ pertinent ad victum. lib.1.c.2.n.3. & 4. ibid.& ſeq.
Paſchæ nomine venire & ſacrificia quæ totis ſeptem diebus azymorum fiebant.lib.1.c.2.n.4. 10
Paſcha ſtatuto à lege die à Chriſto celebrandum. lib.1.c.2.n.3.& 4. 9.10
Paſſio Chriſti quando contigerit. lib.1.c.2.n.4.& 5. p.10. 15
Paſſio Chriſti in genere cauſæ vniuerſalis noſtræ ſalutis quoad ſufficientiã, eſt ex ſe perfectiſſima,& infiniti valoris,aptáque ad omniũ peccata delenda.non vult tamẽ Deus,quoad efficaciam vt eius fructus applicetur nobis niſi certis & determinatis mediis.lib.1.c.3.n.7.p.21. & finitè.lib.1.c.9.n 1.p.55.& c.11.n.1. 69
Paſſio Domini inter Miſſarum ſolemnia miſcenda. lib.1.c.1.n.1. 1
Paſſionis ſuæ acerbiſſimæ memoriale cur ſuaue epulum eſſe voluerit Chriſtus.lib.1.c.10.n.3. 63
Patena cur ita dicta. lib. 4. c. 1. n.8.p.272. & c.23. n.1. 417
Pauperes haud permittendi diſcurrere in templo ad eleemoſynam petendam officiorum tempore. lib.2.c.13.n.12. 136
Peccatum quantum malum.lib.4.c.25.n.4. 422
Peccata venialia an ſine vllo actu pœnitentiæ per ſacrificium Miſſæ deleantur.lib.1.c.8.n.3. 51
Peccata mortalia an immediatè remittantur per ſacrificium Miſſæ, an tantùm mediatè impetrando diſpoſitionem,&c. ibid.
Peccatum aliud peccatum trahit.lib.2.c.2.n.3. 75
Penetratio dimenſionum non eſt Deo impoſſibilis. lib.4.c.17.n.6. 378
Perſonæ Patris & Spiritus ſancti num per concomitantiam adſint in Euchariſtia.lib.4.c.17.n.4. 375
D.Petrus omnium primus Liturgiam inſtituit.lib.3. initio. 171
Pyxis Euchariſtiæ quo loco & qua diligentia aſſeruanda.lib.4.c.29.n.16. 460
Pyxis Euchariſtiæ an debeat eſſe conſecrata. ibid.
Pollutio nocturna inuoluntaria num impediat cõmunionem & celebrationem Miſſę.lib.2.c.7.n.4. 102
Pontifex ſummus in veteri Teſtamento quanta reuerentia ſtatuto die ingrederetur Sancta Sanctorum.lib.2.c.6.n.2. 94
Pontifex ſummus egreſſus extra Sancta Sanctorum conuiuium exhibere conſueuit, quòd illæſus exiiſſet. ibid.
Precationis, Domine non ſum dignus,ritus in Miſſa vetus.lib.4.c.27.n.1. 425
Precum omiſſio in ſacris veſtibus induendis quod peccatum.lib.2.c.8.n.14. 114
Precum efflagitatio ab aſtantibus, cur fiat in Miſſa à celebrante.lib.4.c.4.n.2. 289
Precum, quæ dicuntur in Miſſa provt præcisè dicũtur Eccleſię nomine,valor non imminuitur ſi à malo ſacerdote dicũtur nõ præciſo.l.2.c.5.n.3.89
Preces,vide v.*Collecta*,& v.*Oratio*.
Præfationis etymologia & Autor.lib.4.c.6.n.1. 290
Præfatio quotuplex.n.3. 291
Præfationis explicatio. ibid.
Principes egregiè facturos ſi res Eccleſiæ ſumma cura tueantur.lib.2.c.13.n.15. 132
Priuilegium celebrandi vna hora citius aut tardius quomodo intelligatur.lib.2.c.15.n.4. 152
Profani ex omnibus ſacris eiecti. lib.1.c.1.n.3. 4
Proſas ſeu ſequentes,quis inuenerit & in Miſſam innexerit.lib.3.c.22.n.5. 256
Pſalmi rectè Mannæ comparati.lib.3.c.14.n.3. 231
Pſalmis verſiculus,Gloria patri,&c.ſubiiciendus.lib. 3.c.9.n.4. 212
Pſalmus 25.ad mentis puritatem poſtulandam inter manus abluendas recitandus.lib.4.c.2.n.2. 283
Pſalmus 42. cur recitetur initio Miſſæ: totúſque breuiter explicatur.lib.3.c.9.n.2. 211
Pſalmus 50.recitandus in acceſſu ſacerdotis ad altare,& quare.lib.3.c.2.n.2. 173
Pſalmos & Antiphonas canendi mos alternatim à D.Ignatio petitus è cæleſti hierarchia.lib.3. c.9. n.3. 211
Puluinum in Miſſa libro ſuppoſitum quid ſignificet. lib.2.c.14.n.8. 146
Purgatorij animæ Miſſæ ſacrificio plurimum iuuantur. lib. 2. c.2.n. 5. 9.10.p.77.80. 81. lib.4.c.20. n.1.2.& 3. 395. & ſeq.
Purgatorij pœnæ quàm graues ſint. lib. 2. c.2.n.12. 82
Purificatio ſumenda poſt conſumtum ſacrificium (niſi ſit denuo eodem die celebrandum) etſi neceſſe ſit repetenda, digitíque perfundendi vino. lib.4.

lib.4.c.30.n.1. 461
poſt Purificationem ante diſceſſum ab altari ſi forte reliquiæ eiuſdem ſacrificij remanſerint etiam ſumendæ.lib.4.c.30.n.2. 462
Purificatorium quale eſſe debeat. lib. 2. c.14.n.8.p. 145.lib.3.c.5.n.4. 193
Puritas ſacrificaturi ſumma eſſe debet. lib. 3.c. 11. n.2. 217

Q

QVantitas corporis Chriſti an adſit in Euchariſtia.lib.4 c.17.n.6. 378
Quantitatis extenſio duplex, & vtra ſit de illius eſſentia. ibid.
Quantitas per Dei potentiam poteſt non coëxtendi loco. ibid.
Quantitatum penetratio Deo poſſibilis. ibid.

R

RAbini veteres quid de futuro Euchariſtiæ ſacrificio tradiderint. lib.1.c.3.n.8. p.27. lib. 4.c.15.n.1. 363
Rabini veteres quid ſcripſerint de eleuatione Euchariſtiæ futuræ.lib.4.c.15.n.23. 338
Rameſſes & vrbem & agrum eius deſignat. lib.1.c. 2.n.4. 10
Religio omnis eget externo ſigno ac proteſtatione ſummi interni cultus ad Deum colendum. lib.1. c.2.n.1. 6
Reliquiæ Sanctorum ſacris altaribus ſolitę includi. lib.3.c.12.n.2. 220
Reliquiæ Sanctorum ſunt religioſè colendæ. lib.3. c.12.n.3. 221
Reliquiæ Sanctorum quomodo ſint colendæ. lib.3. c.12.n.4. 227
Reliquiæ Sanctorum non cuique tangendæ, & cum veneratione tractandæ. ibid.
Reliquiarum vice brandeum tantum quo tactæ fuerant olim à Pontificibus miſſum. ibid.
Reliquiarum loculis inſidente puluere, vel oleo lampadis ibidem aut ad imagines collucentis ægri ſanitati & mortui vitæ reſtituti. lib. 3. c.3. n.7.p.186.c.12.n.3. 221
Reliquiæ Sanctorum collo ſuſpenſæ religioſè delatæ.lib.3.c.12.n.4. 227
Reliquiæ Euchariſtiæ. lib.2.c.7.n.2.p.101. lib.4.c. 28.n.1.p.439.c.29.n.16. 460
Reſponſio adſtantium poſt lectam epiſtolam.lib.3. c.21.n.8. 253
Reſponſio adſtantium ad initium Euangelij. lib.3. c.24.n.3. 259
Reſponſio eorumdem poſt lectum Euangelium. lib.3.c.24.n.9. 262
Reſponſorij ſeu Gradualis etymologia,autor & finis, & omiſſio Paſchali tempore. lib.3.c.22.n.2. 253
Ritus præſcriptus in celebratione Miſſæ ſeruandus.lib.2.c.17.n.1. 155

S

SAcella domeſtica vetuit etiam Plato.lib.2.c.13. n.1. 129
Sacerdotium & ſacrificium in omni religione neceſſaria. lib. 1. c. 2.n.1.p.6.c.3.n.7.p.21.c.10.n.1. 61
Sacerdotium, ſacrificium & legis mutatio ſeſe inuicem conſequuntur.lib.1.c.2.n.1. 6
Sacerdotium in lege naturæ primogenitorum, etſi aliquando ſecundogenitis conceſſum in lege veteri Aaronis & filiorum ex diuina ordinatione, in lege gratiæ legitimè ad hoc conſecratorum.lib.1.c.3.n.5. 19
Sacerdotium ſumma honorum omnium qui hominibus competunt.lib.2.c.9.n.1. 114
Sacerdos tamen poteſt ſacrificium offerre.lib.1.c.3. n.5. 19
Sacerdotes debuiſſe & eſſe in lege euangelica.lib.1. c.3.n.7. 21
Sacerdotes non ſunt cenſendi baptizati omnes mares & fœminę,vt ſomniat Lutherus,ſed illi tantùm qui ſacro charactere ſunt inſigniti. lib. 1.c.5.n.1. 86
Sacerdotes plures poſſe eamdem materiam conſecrare.lib.2.c.5.n.4. 89
Sacerdotes plures conſecrantes eamdem materiam quilibet eorum ſicut ex opere operato integrum fructum ſacrificij percipere. lib. 2. c. 5. n. 5. 90
Sacerdos ratione ſui muneris teneatúrne aliquando celebrare.lib.2.c.5.n.6.p. 91. & quoties in anno.n.7. ibid.
Sacerdos non tenetur quotidie celebrare, etſi habeat capellam aut beneficium.lib.2.c.5.n.8.ibid. Si tamen diceretur in inſtitutione vt quotidie per ſe vel per alium teneatur celebrare, tunc alium loco ſui ſubſtituet. ibid.
Sacerdos omnis etiam ſuſpenſus, degradatus, excommunicatus,eum debita materia,forma & intentione celebrans, verè ſacrificium conficit,licèt peccet.lib.2.c.5.n.2. 88
Sacerdos malus fingens ſe conſecrare,grauius peccat quàm ſi conſecraret.lib.2.c.6.n.2. 94
Sacerdotes incogniti non ſunt permittendi celebrare. ibid.
in Sacerdote celebraturo quæ requirantur ex parte animæ.lib.2.c.6.n.1.2.3. p. 93. & ſeqq. Quæ ex parte corporis,nempe ieiunium, caſtitas, munditiès, & abſit periculum vomitus & irreuerentiæ. lib.2.c.7.toto.p.99. Quæ ex parte cultus externi, videlicet tonſura, habitus vſualis decens,ſingulæque veſtes ſacræ lib.2.c. 8.toto. 106
Sacerdotes honorandi, & priuilegijs fouendi.lib.2. c.9.n.1. 114
Sacerdoti celebranti quomodo ſtipendium paciſci, & recipere liceat.lib.2.c.10.n.1. 122
Sacerdos ſtipem accipiens tenetur ex iuſtitia ad Miſſas promiſſas, & qui ſtipem promiſit tenetur ex iuſtitia ſoluere.lib.2.c.10.n.2. 123
Idque etſi Sacerdos habeat vnde aliunde viuat. n.3.

n.3. ibid.
An autem liceat pro vna Miſſa accipere plura ſtipendia. vide, *Miſſa vna.*
Sacerdos an poſſit ſpecialem fructum & valorem Miſſæ illi contingens applicare alteri. lib. 1. c. 9. n. 2. 57
Sacerdos Græcus per Latinos tranſiens an teneatur celebrare in azymo. lib. 4. c. 1. n. 7. 271
Sacerdotis cum miniſtris accedentis ad altare myſtica ſignificatio. lib. 3. c. 2. n. 2. 173
Sacrificij nomen hoſtiæ, & actioni ſacrificandi. lib. 1. c. 3. n. 1. 17
Sacrificium Græcis Thyſiam actum eſſe religionis. ibid.
Sacrificium eſſe oblationem externam rei permanentis certo ritu in Dei honorem conſecratæ, & immutatæ, à legitimo miniſtro in proteſtationem ſupremi dominij Dei, & ſubiectionis noſtræ. lib. 1. c. 3. n. 1. & ſeq. & n. 9. ibid.
Sacrificium in omni religione neceſſarium. lib. 1. c. 2. n. 1. p. 6. c. 3. n. 7. p. 21. c. 10. n. 1. 61
Sacrificium viſibile ſignum eſſe ſacrificij inuiſibilis. lib. 1. c. 3. n. 6. lib. 2. c. 1. n. 1. 70
Sacrificium ad ius naturæ pertinet, & an fuerit in lege naturæ ſimpliciter præceptum. lib. 1. c. 3. n. 6. & 7. 20. 21
Sacrificij cauſæ quæ. lib. 1. c. 3. n. 6. ibid.
in Sacrificiis conſiderandum, quid offeratur, cui, pro quibus, & à quibus. lib. 2. initio. 70
de Sacrificio non tantùm ſacerdotes veſci ſolitos, ſed alios etiam lætitiæ & religionis cauſa. lib. 1. c. 3. n. 8. p. 27. c. 5. n. 2. 40
Sacrificans ſemper de ſacrificio participare debet. lib. 1. c. 5. n. 2. 40
Sacrificia legis ex parte materiæ alia erant hoſtiæ, cùm ſcilicet res viua immolabatur; alia immolationes, cùm ſacrificium erat rei ſolidæ inanimæ, vtputa thuris, ſalis, panis; alia libamenta, cùm ſacrificabatur res liquida, vt oleum, vinum. lib. 1. c. 8. n. 1. 49
Ex parte verò formæ, alia erant Holocauſta, alia hoſtia pro peccato, alia hoſtia pacifica, in duas deinde ſubdiuiſa ſpecies. ibid.
Ex parte finis alia erant Euchariſtia, alia Impetratoria, alia Propitiatoria. ibid.
Sacrificium reale, realem hoſtiæ immutationem requirit, non ſemper tamen realem occiſionem, cum ſufficiat conueniens conſumtio. lib. 1. c. 3. n. 12. p. 31. & c. 5. n. 2. 49
verum Sacrificium eſſe debuiſſe in Eccleſia euangelica. lib. 1. c. 3. n. 7. 21
Sacrificium euangelicum quantum cæteris præſtet. lib. 1. c. 2. n. 2. 8 8
verum Sacrificium poſſe eſſe alterius figura. lib. 1. c. 3. n. 12. 31
Sacrificium euangelicum, eſſe laudis ac gratiarum actionis Propitiatorium, & Impetratorium, & quomodo. lib. 1. c. 8. n. 2. 3. 4. 50. & ſeqq.
Sacrificium euangelicum cur ſub ſpeciebus panis & vini inſtitutum. lib. 4. c. 11. n. 4. 317
in Sacrificio nihil aliud offerendum quàm quod Chriſtus obtulit. lib. 1. c. 2. n. 1. 6
Sacrificium euangelicum in altari offerendum. lib. 2. c. 14. n. 1. 143
Sacrificium Euchariſtiæ in Dei Eccleſia iuge ac quotidianum eſſe debet. lib. 1. c. 11. n. 1. p. 69. lib. 2. c. 15. n. 1. 151
Sacrificium Miſſæ Eccleſiarum Prælatis curandum vt quotidie fiat. lib. 2. c. 5. n. 8. p. 91. & c. 15. n. 1. 151
Sacrificium Miſſæ non niſi ſemel in die regulariter offerendum. lib. 2. c. 16. n. 1. p. 153. & qui excipiantur. n. 3. 154
Sacrificium Miſſæ in commemorationem, & memoriam Chriſti faciendum. lib. 4. c. 11. n. 32. 33. p. 347. c. 19. n. 1. 390
Sacrificium ſoli Deo legitimè offerri, quòd ſignum ſit ſummi honoris & latriæ. lib. 2. c. 1. n. 1. p. 70. Porrò offerri Deo non ſolùm ratione finis, ſed etiam obiecti. n. 3. 72
Sacrificium haud exhiberi Sanctis, licèt in eo nominentur, quod magnus illis eſt honor. lib. 2. c. 1. n. 1. p. 70. lib. 4. c. 3. n. 1. 284
Sacrificium non tantùm Deo Patri offerri putandum eſt, licèt ad Patris perſonam preces dirigantur, ſed & filio & Spiritui ſancto. lib. 2. c. 1. p. 73. n. 4. lib. 3. c. 19. n. 4. p. 242. lib. 4. c. 9. n. 2. 304
Sacrificium præcipiens Deus offerentium tantùm vtilitati conſuluit, Deum enim colere non Deo ſed nobis prodeſt. lib. 2. c. 1. n. 2. 72
Sacrificium in lege euangelica cur ſe ipſo inſtituere Chriſtus voluerit. lib. 1. c. 2. n. 2. 6
Sacrificium Miſſæ non tantùm prodeſt ſumentibus, ſed etiam iis pro quibus offertur. lib. 2. c. 2. n. 1. p. 74. & quidem
Pro viuentibus iuſtis etiam infantibus neceſſitatibúſque eorum, vtiliter offertur. lib. 2. c. 2. n. 2. 75
Pro peccatoribus non excommunicatis. lib. 2. n. 3. ibid. Pro excommunicatis enim directè ſacrificium publicè offerre non licet, nec ſecundùm multos priuatim, quamuis priuato nomine poſſit Sacerdos in Memento pro eis orare. lib. 2. c. 2. n. 4. p. 76. Secus ex probabiliore opinione, ſi iam per contritionem ſit quis Deo reconciliatus, licèt nondum Eccleſiæ ſatisfecerit. ibid.
Pro Catechumenis viuis. lib. 2. c. 2. n. 5. 77
Pro infidelibus viuis non excommunicatis. lib. 2. c. 2. n. 6. 78
Pro defunctis qui ſunt in Purgatorio ſiue baptizati fuerint. lib. 2. c. 2. n. 9. p. 80. lib. 4. c. 20. n. 1. 2. 3. 395. ſiue eſſent adhuc Catechumeni, competentes tamen ex probabiliori ſententia; quibus & valere poſſe indulgentias per modum ſuffragij ſentiunt plures. lib. 2. c. 2. n. 5. 77
Pro defunctis verò beatis non ritè offertur. lib. 2. c. 2. n. 7. p. 78. ſicut neque pro damnatis æternis ignibus, & conſequenter neque pro iis qui in notorio peccato mortali ſunt mortui. lib. 2. c. 2. n. 8. 79
Sacrificij oblationem pro ſatisfactione defunctorum à Deo certè & infallibiliter quaſi ex lege

cum hominibus ſtatuta acceptari, & non tantùm ex miſericordia, probabilius videtur. lib. 2. c. 2. n. 11. 81
Sacrificia, & alia ſuffragia communia, omnibus animabus Purgatorij proſunt, particularia verò illis, pro quibus fiunt. lib. 2. c. 2. n. 10. ibid.
Sacrificium iniquorum ſacerdotum ex opere operato, non minus eſt fructuoſum iis pro quibus offertur, quàm boni; licèt non ratione operis operantis. lib. 2. c. 5. n. 3. 89
Sacrificium obligatus offerre in certo oratorio aut capella non ſatisfacit obligationi, ſi id faciat alibi. lib. 2. c. 5. n. 8. 91
Sacrificare tecto capite non licet. lib. 3. c. 4. n. 1. & 2. 193. & ſeq.
Sacrificij conſumtio eſt de illius eſſentia. lib. 1. c. 5. n. 2. p. 40. lib. 4. c. 27. n. 2. 425
Salutationes piæ Patrum ad eleuationem Euchariſtiæ. lib. 4. c. 11. n. 23. 338
Salutatio, Dominus vobiſcum, ex ſacris literis petita ab aliis in Miſſam introducta & cur, eius ſignificatio, cur ſepties in Miſſa dicatur, ſed quinquies cum conuerſione ad populum, non mutanda, licèt vnus tantùm ſit præſens. lib. 3. c. 17. n. 3. p. 239. In quo differat ſalutatio Epiſcopi, & quare. n. 1. 238
Salutationis huius reſponſio: Et cum Spiritu tuo, ab Apoſtolis inſtituta. lib. 3. c. 17. n. 2. 239
Salutatio celebrantis initio Euangelij, & adſtantiū reſponſio. lib. 3. c. 24. n. 1. 259
Salutandi mos illis verbis, Deo gratias, à B. Virgine Deipara primùm inuentus. lib. 4. c. 31. n. 7. 465
Sancti in cœlo Deum pro nobis precantur. lib. 4. c. 3. n. 2. 284
Sancti vtiliter à nobis inuocantur. lib. 3. c. 12. n. 1. p. 219. lib. 4. c. 3. n. 3. 287
Sanctorum commemoratio in Miſſa antiquiſſima. lib. 4. c. 9. n. 11. 311
Sanctorum merita prodeſſe etiam peccatoribus. lib. 3. c. 12. n. 1. 219
Sancta indignè tractare nefas. lib. 2. c. 6. n. 2. p. 94. lib. 3. c. 23. n. 1. 256
Sanguis Chriſti quomodo dicatur pro omnibus effuſus. lib. 4. c. 11. n. 31. 346
Sanguinis Chriſti in Miſſa effuſio. lib. 1. c. 3. n. 12. 31
Seculum quid. lib. 3. c. 19. n. 5. 244
Silentium in templo Salomonis quantum. lib. 2. c. 20. n. 12. 166
Silentium ſeruandum in templo. lib. 2. c. 13. n. 12. 136
Solemnitates in lege hora vigeſima prima inchoari ſolitæ. lib. 1. c. 2. n. 3. 4. 9. & ſeq.
Species ſacramentales quomodo ſe habeant reſpectu termini ſacrificij Miſſæ. lib. 1. c. 4. n. 3. 37
Species Euchariſtiæ. Vide *Accidentia.*
Stipendium pro celebratione Miſſæ quomodo poſſit accipi. lib. 2. c. 10. n. 2. 123
in Stipendiis iis taxandis medium aliquod ſeruandum. lib. 2. c. 10. n. 4. ibid.
Stipendia plura inæquata quæ vnum adæquatum faciant à pluribus Miſſam expoſcentibus accipi poſſunt. ibid.
iuxta moderatum Stipendium pro Miſſa dari ſolitum, moderandus eſt numerus Miſſarum in antiquis inſtitutionibus capellarum, ſi iam auctis rerum pretiis redditus non amplius ſufficiunt, idque ab Epiſcopo in Synodo diœceſana. ibid.
Stolæ origo & ſignificatio. lib. 2. c. 8. n. 12. 113
Subditi ſuperiorum mores æmulari ſoliti. lib. 4. c. 11. n. 10. 321
Subſtantiæ panis & vini, etſi offerātur in Miſſa Deo, non offeruntur tamē vt ſacrificium abſolutè, ſed vt ſacrificij perficiendi materia tranſiens, ideoq; in Miſſa non ſunt duo ſacrificia vt aliqui ſenſerunt, ſed vnicum. lib. 1. c. 4. n. 4. 38
Sumtio ſi moraliter vna ſit, phyſicè verò plures, ſiue ſpecies ſint eiuſdem rationis, ſiue diuerſæ, ſitne vnicus an multiplex effectus. lib. 4. c. 27. n. 5. 434
Sibyllæ de Ieſu nomine vaticinium. lib. 3. cap. 19. n. 10. 247
Symbolum cur in Miſſa poſt Euangelium recitetur. lib. 3. c. 25. n. 1. 262
Symboli recitandi in Miſſa vſus cur non adeò Romæ vetus vt in aliis Eccleſiis. lib. 3. c. 25. n. 2. ibid.
Symbolum quid ſit, & cur confectum. lib. 3. c. 25. n. 3. 263
Symbolum quotuplex. lib. 3. c. 25. n. 4. 264
Symboli ſententiæ cur articuli dictæ. lib. 3. c. 25. n. 5. 265.
Symboli articuli quot, & quid doceant. lib. 3. c. 25. n. 6. 266

T

TEmpla ſoli Deo extruuntur, etſi ſæpe in Sanctorum memoriam. lib. 2. c. 13. n. 8. 134
Templa orientem ſolem ſpectare debent, & cur. lib. 2. c. 13. n. 9. ibid.
Templa rectè in formam crucis ſolita ædificari. ibid.
Templa cur detecto capite & magna cum reuerentia ſint ingredienda. lib. 2. c. 13. n. 11. 136
Templa cum Miſſa conſecranda. lib. 1. c. 1. n. 1. p. 1.
in Templis quomodo agendum. lib. 2. c. 13. n. 12. p. 136. c. 20. n. 12. 166
Templorum reuerentiæ quomodo ſuccurrendum. lib. 2. c. 13. n. 13. 138
in Templis locus virorum eſto diuiſus à loco fœminarum. lib. 2. c. 13. n. 9. & 13. 134. 138
in Templis faciliùs in noſtris orationibus exaudimur. lib. 2. c. 13. n. 2. 130
in Templis officiorum & concionum tempore haud permittendi pauperes diſcurrere ad petendam eleemoſynam. lib. 2. c. 13. n. 12. 136
Templa ſibi timentium Aſylum piè ab Imperatoribus conſtituta. lib. 2. c. 13. n. 14. 139
Templorum violatores Deo vindice grauiſſimas pœnas dediſſe. lib. 2. c. 13. n. 14. 15. ibid.
Tempus ſacrificandi quodnam à Patribus conſtitutum. lib. 2. c. 15. n. 2. 3. 152
Tempus dilatio aut anticipatio celebrandi quæ notabilis

tabilis cenſeatur; & quod peccatum. lib.2. c.15. n. 5. p. 153. & verùm in Natiuitatis nocte liceat ante auroram Miſſas omnes celebrare. ibid.
Teſtamentum vetus fuiſſe habiturum finem, nouum autem æternum eſſe. lib.4.c.11.n.29. 344
Thurificatio cæremonia ſacrificij Miſſæ & non ſacrificium vt in lege veteri. lib.3.c.13.n.3. 229
Thurificationis vſus in Miſſa Apoſtolorum inſtitutio. lib.3.c.13.n.1. ibid.
Thurificatio cur in Miſſa adhibeatur. lib. 3. c. 13. n.3. ibid.
Thuribulum in Miſſa quid deſignet. lib. 3. c.2.n.2. p.173.c.13.n.3. 229
Thuribulum cur præcedat Diaconum lecturum Euangelium. lib. 3.c.23.n.7. 258
Thymiama in Dei & Sanctorum honorem olim adoleri etiam ſolitum. lib.3. c.13.n.4. 230
Thyſia vnde dicta. lib. 1.c.3.n.4. 19
Thyſia eſſe ſacrificium eorum quæ per ignem ſacrificantur. lib.1.c.3.n.2.& 4. 17.& ſeqq.
Thyſia, & δῶρα aliquando confundi. lib.1.c.3.n.4. 19
Tintinnabuli ſonitus in eleuatione Euchariſtiæ. lib. 4.c.11.n.23.p.338.& quàm vetus mos. ibid.
Tonſura clericalis in Eccleſiam introducta ab Apoſtolis ex lege veteri, quæ forma illius, & quotuplex cauſa ſeu ſignificatio. lib.2.c.8.n.1. 106
Tractus in diebus luctuoſis adhiberi ſolitus quid ſit, & vnde dictus. lib.3.c.22.n 4. 255
Tranſubſtantiationis appellatio multiplex. lib.4.c. 16.n.1. 367
Tranſubſtantiationis nomen meritò formatum. ibid.
Tranſubſtantiatio quid ſit. lib.4.c.16.n.2. 368
Tranſubſtantiatio quot & quæ requirat. ibid.
Tranſubſtantiationis actio vbi nam accipiatur. lib. 4.c.16.n.4. 371
Tranſubſtantiantis actionis formalis terminus, qui cenſendus. lib.4.c.16.n. 3. 369
Tunſio pectoris in Miſſa vnde ſumta, delet venialia, & num ſit ponenda inter ſacramentalia. lib. 3. c.10.n.3.p.216. ſignum pœnitentiæ. lib.3.c.10.n.3. p.216. lib.4.c.21.n.3. 398

V

VAlor ex opere operantis, & ex opere operato quid ſit, & quomodo ſecundus diuidatur. lib.1.c.9.n.2. 57
Variis modis Deus ſibi copulaſſe hominem. lib.1.c. 10.n.2. 62
Verbum Dei ſtans audiebat populus. lib. 3. c. 24. n.7. 260
Veritas corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia oſtenditur. lib.4.c.14.toto. 351
Verſus poſt epiſtolam recitandi mos vetus. lib.3. c. 22.n.1. 253
Veſtes vſuales ſacerdotum & clericorum quales. lib.2.c.8.n.3. 108
Veſtimenta ſacra, honeſta ſint, munda, & præſcripti coloris, atque ab habente autoritatem benedicta, & quando nam benedictionem amittere cenſeantur. lib.2.c.8.n.4.5. ibid.& ſeq.
Poſſunt confici ex veſtibus Illuſtrium virorum & fœminarum. n.6. 110
Habendæ in honore, plenæ ſunt myſteriis, ſingulę neceſſariæ, & vnde ſumtæ. n.7. & ſeq. ibid.
Laceræ non poſſunt in profanos vſus conuerti. ibid.n.5.p.109.& lib.3.c.5.n.9. 197
In illis inducendis adhibendæ conſuetæ preces, earúmque omiſſio quod peccatum. lib.2. c. 8. n. 14.p.114. illarum abuſus à Deo vindicatus. lib. 2. c.8.n.4. 108
Vinum ex vite materia ex quo conficiendus Chriſti ſanguis. lib.4.c.1.n.12. p. 275. ei miſcenda exemplo Chriſti tantula aqua naturalis. n. 13. 14. p. 277.& ſeqq. In calice miſcenda à ſacerdote & antè benedicenda, præterquam in defunctorum Miſſis, non autem vinum, n. 15. p.280.& quid de vino congelato, muſto, aceto. lib.4.c.1.n.12. 275
Vita multiplex. lib.4.c.19.n. 3. p.391. & cap. vltimo. n.7. 465
Voluntas interna qua quis ſe Deo offert non eſt propriè ſacrificium. lib.1.c.3.n.2. & 3. 17.& ſeq.
Votiua Miſſa, etſi aſſignetur propria diei, ex rationabili cauſa celebrari licet. lib.2.c.17.n.2. 155.

Deo gratias.

99965819